B1BLIOTECA
DE
AUTORES CRISTIANOS

Declarada de interés nacional

LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. AP. 466

MATRITI · MC.MLX1

PATRES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM THEOLOGICARUM
IN HISPANIA PROFESSORES

Sacrae Theologiae Summa

Iuxta Constitutionem Apostolicam
"Deus scientiarum Dominus"

III

EDITIO QUARTA

BibLiothzca

Sacrae Theologiae Summa

INTEGRUM OPUS QUATUOR VOLUMINIBUS CONSTA Ii

Vol. I. Introductio in Theologiam. De vera religione. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura.

Vol. II. De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante.

Vol. III. De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia. De virtutibus infusis.

Vol. IV. De sacramentis. De novissimis.

Sacrae Theologiae Summa

III

De Verbo incarnato. De B. Maria Virgine.
De gratia Christi. De virtutibus infusis

AUCTORIBUS

P. IOSEPHO A. DE ALDAMA, S.I.

IN PONTIFICIA universitate salmanticensi professore

P. SEVERINO GONZALEZ, S.I. (f)

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE SALMANTICENSI PROFESSORE

P. IOSEPHO F. SAGÛES, S.I.

IN FAC. THEOLOGICA ONIENSI PROFESSORE

P. IESU SOLANO, S.I.

IN PAC. THEOLOGICA ON1ENS1 PROFESSORS

EDITIO QUARTA

MATRITI - MCMLXI

IW

Nihil obstat: Vincentius Serrano, Censor.

Imfrimi potest: Ignatius Prieto, S. I, Praep. Prov. Tolet.

Imprimatur: † Iosephus Maria, Ep. aux. et Vic. gral.

Matriti, 2 augusti 1961.

Xùmero de Registre 4.283-1061

Depôslto legn! M. 8.506 -1061

»UCS. 0« HIVAUXsrrKA, S. A.----OASKO 01 0NÎS1M0 BSOOXOO, 26.— MADRID

INDEX GENERALIS

PAG.

PAG.

PAG.

PAG.

TRACTATUS II

Mariologia

PAG.

PAG.

TRACTATUS III

De gratia

PAS.

TRACTATUS IV

De virtutibus infusis

VOLUMEN III

De Verbo incarnato. De B. Maria Virgine. De gratia. De virtutibus infusis

Auctoribus

P. Iosepho A. de Aldama, S.I.;

P. Severino Gonzalez, S. 1. (f),
in Pontificia Universitate Salmanticensi professore;

P. Iosepho F. Sagüés, S.I.,
in Facultate 7'heologica Oniensi professore;

P. Iesu Solano, S.I.,
in Facultate Theologica Oniensi professore.

EDITIO QUARTA

NOTAE THEOLOGICAE

in hac "Sacrae Theologiae Summa" adhibitae

De fide divina: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur. Contraria, *error in fide.*

De fide divina et catholica: quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelati credenda proponuntur. Contraria, *haercsis.*

De fide divina et catholica definita: quae in verbo Dei cripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sollemni iudicio. h.e. magisterio suo infallibili, modo extraordinario exercito, ive in concilio oecumenico sive per Romanum Pontificem ex cathedra loquentem tanquam divinitus revelata credenda proponuntur. Contraria, *hacresis.* (N.B. Ut verae *definitiones* considerantur etiam *cajma* Tridentini et Vaticani.)

Fidei proxima: veritas quae unanimi fere consensu theologorum in verbo Dei scripto vel tradito continetur. Contraria, *proxima errori in fide vel haeresi.*

De fide ecclesiastica: veritas non formaliter revelata, quae r magisterium ecclesiasticum infallibiliter proponitur. Contraria, *error in fide ecclesiastica.* (N.B. Qui fidem ecclesiasticam non admittunt, alii aliter talem veritatem notant.)

Doctrina catholica: veritas quae in tota Ecclesia docetur, non tamen semper infallibiliter proponitur (v.c. ea quae Romani Pontifices expresse in encyclicis... docere volunt). Contraria, *error in doctrina catholica.*

Theologice certa: veritas quae in scholis theologicis certo ignoscitur tanquam necessario connexa cum revelatis; huiusniodi connexio potest esse sive virtualis sive praesuppositiva hive finalis. Contraria, *error in theologia.*

Doctrina ita tenenda, ut contraria sit temeraria: veritas proposita a Congregationibus romanis, quae tamen propositio speciali approbatione Romani Pontificis non gaudet.

Communis et certa in theologia: quae communi theologorum consensu in scholis ut bene fundata proponitur. Contraria, *falsa in theologia, temeraria.*

Probabilis, tuta: per se liquet.

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS	Acta Apostolicae Sedis.
ACO	Acta Conciliorum Oecumenicorum, itissu atque mandato societatis scientiarum Argentoratensis edidit Ed. Schwartz.
ActPontAcRomSTh	Acta Pontificiae Academiae Romanae S.Thomae Aq. et Religionis Catholicae.
AmCl	L'Ami du Clergé.
AnalBoll	Analecta Bollandiana.
AnalGreg	Analecta Gregoriana.
AnalSacraTarrac	Analecta Sacra Tarraconensia.
A.ng	Angelicum.
Aut	Antonianum.
AntChr	Antike und Christentum.
AnTh	L'Année Théologique.
ArchFrPraed	Archivum Fratrum Praedicatorum.
ArchHistDoctrLitMA	Archives d'ITistoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Age.
ArchLitKirchMA	Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte des Mittelalters.
ArchPh	Archives de Philosophie.
ArchTG	Archivo Teolôgico Granadino.
ASS	Acta Sanctae Sedis.
HeitrGPhMA	Beitrage zur Geschichte der Philosophie (und Théologie) des Mittelalters.
HenedMschr	Benediktinische Monatsschrift.
Bibl	Biblica.
BiblZeitschr	Biblische Zeitschrift.
HullLittEccl	Bulletin de Littérature Ecclésiastique.
HullSocFrançEtMar	Bulletin de la Société Française d'études Mariales.
HullThAncMéd	Bulletin de Théologie ancienne et médiévale.
UuIlThom	Bulletin Thomiste.
CathBiblQuart	The Catholic Biblical Quarterly.
‹'av	F. Cavallera, S.I., Thesaurus Doctrinae Catholicae.
CiencFe	Ciencia y Fe.
CicncTom	La Ciencia Tomista.
CivCatt	La Civiltà Cattolica.
CL	Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentium... Collectio Lacensis...
CollatBrug	Collationes Brugenses.
CollatGand	Collationes Gandavenses.
(I‹›ll Franc	Collectanea Franciscana.
CollTh	Collectanea Theologica.

CSEL	Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum... Academiae... Vindobonensis...
CTr	Concilium Tridentinum... Ed. Societas Goerresiana...
D	H.Denzinger - I.B.Umberg, S.I., Enchiridion Symbolorum... ".
DACL	F.Cabrol - H.Leclercq - H.Marrou, Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie.
DAFC	A.d'AlES, Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
DB	F.Vigouroux, Dictionnaire de la Bible.
DBS	L.PiROT - A.RobErt, Dictionnaire de la Bible. Supplément.
Divin	Divinitas.
DivThom (Fr)	Divus Thomas. Freiburg i. der Schweiz.
DivThom (Pi)	Divus Thomas. Piacenza.
DocCom	Doctor Communis.
DominicSt	Dominican Studies.
DSpir	M.VillEr, S.I. - Cu.Baumgartner, S.I.... Dictionnaire de Spiritualité.
DTC	A.Vacant - E.Mangenot - E.Amann, Dictionnaire de Théologie catholique.
EchOr	Echos d'Orient.
EphCarm	Ephemerides Carmcliticae.
EphLitur	Ephemerides Liturgicae.
EphThLov	Ephemerides Theologicae Lovanienses.
Est	Estudios.
EstBibl	Estudios Biblicos.
EstEcl	Estudios Eclesiâsticos.
EstFranc	Estudios Franciscanos.
EstMar	Estudios Marianos.
EstTSSCC	Estudios Teolôgicos sobre los Sagrados Corazones.
Et	Etudes.
EtCarm	Etudes Cannéhilaines.
EtFranc	Etudes Franciscaines.
EuntDoc	Euntes Docete.
FrancisSt	Franciscan Studies.
FranzStud	Franziskanische Studien.
FreibZPhTh	Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Théologie.
GChS	Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenvater-Commission der Kôniglichen preussischen Akadcmie der Wisscnschaften.
GLeb	Geist und Leben.
Greg	Gregorianum.
Histjahrb	Historisches Jahrbuch.
Hrd	J.Harduini, S.I., Conciliorum Collectio regia maxima.
IlustrCler	Uustracion del Clero.
Irén	Irénikon.

IrishThQuart	The Irish Theological Quarterly.
JahrbPhTh	Jahrbuch für Philosophie und spekulative Théologie.
Kch	C.Kirch, S.I. - L.Uedinc, S.I., Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae'.
LCienc	Las Ciencias.
LScPhTh	Les Sciences Philosophiques et Théologiques. (Antea et postea: Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.)
LTK	M.Buchbercer, Lexikon für Théologie und Kirche.
LumVie	Lumière et Vie.
Manr	Manrcsa.
Marian	Marianum.
MélScRel	Mélanges de Science Religieuse.
ML, MG	J.P.Migne, Patrologiaecursus completus. Series prima latina. Series graeca.
MGh	Monumenta Germaniae historica inde ab anno Christi quingentesimo usque ad annum millesimum et quingentesimum, ed. Societas aperiendis fontibus rerum germanicarum medii aevi. LL—Leges (s.3 Concilia). SS=Scriptores.
MiscCom	Miscelanca Camillas.
MiscFranc	Miscellanea Francescana.
Msi	J.D.Mansi, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio.
MünchThZ	Münchener Theologische Zeitschrift.
NouvRevTh	Nouvelle Revue Théologique.
Or	Orientalia.
OrbCath	Orbis Catholicus.
OrCh	Orientalia Christiana.
OrChP	Orientalia ChristianaPeriodica.
Pens	Pensamiento.
R	M.J.Rouet de Journei., S.I., Enchiridion Patristicum ".
RazFe	Razân y Fe.
RechScRel	Recherches de Science Religieuse.
RechThAncMéd	Recherches de Théologie ancienne et médiévale.
RelCult	Religion y Cultura.
REPT	J.J.HErzog, Realencyclopâdie für protestantische Théologie und Kirche.
RevApol	Revue Apologétique.
RevAscMyst	Revue d'Ascétique et Mystique.
RevBén	Revue Bénédictine.
RevBibl	Revue Biblique.
RevClerFr	Revue du Clergé Français.
RevEcl	Revista Eclesiâstica.
RevEspir	Revista de Espiritualidad.
RevEspT	Revista Espanola de Teologia.
RevEtByz	Revue des Etudes Byzantines.
RevHistDrFranç	Revue historique de droit français et étranger.

RevHistEccl	Revue d'Histoire Ecclésiastique.
RevHistLjttRel	Revue d'Histoire et de Littérature Religieuses.
RevHistPhRcl	Revue d'Histoire et de Philosophie Religieuses.
RevMoiAgeLat	Revue du Moyen Age Latin.
RcvNéoscolPh	Revue Néo-scolastique de Philosophie.
RevScPhTh	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
RevScRel	Revue des Sciences Religieuses.
RevThom	Revue Thomiste.
RevUnivOtt	Revue de l'Université d'Ottawa.
RivAscMist	Rivista di Ascetica e Mistica.
RomQschr	Rômische Quartalschrift.
Salm	Salmanticensis.
SalTer	Sal Terrae.
Sap	Sapienza.
ScEccl	Sciences Ecclésiastiques.
Schol	Scholastik.
ScriptVict	Scriptorium Victorieuse.
ScuoCatt	Scuola Cattolica.
SThS	Sacrae Theologiae Summa (B.A.C.).
Stimm	Stimmen (aus Maria-Laach; ab anno 1915: der Zeit).
StudAnselm	Studia Anselmiana.
SyllExcerpDiss	Sylloge excerptorum e dissertationibus ad gradum Doctoris in Sacra Theologia vel in lure canonico consequendum conscriptis (Lovanii).
StudCath	Studia Catholica.
StudMontReg	Studia Montis Regii.
Temoign	Témoignages.
ThGl	Théologie und Glaube.
ThPraktQschr	Theologisch-praktische Quartalschrift.
ThQschr	Theologische Quartalschrift.
ThRev	Theologische Revue.
ThSt	Theological Studies.
TU	Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur.
VerDom	Verbum Domini.
VerVid	Verdad y Vida.
VetTest	Vetus Testamentum.
VieSpir	Vie Spirituelle.
WissWeish	Wissenschaft und Weisheit.
XenThom	Xenia Thomistica.
ZAszMyst	Zeitschrift fur Aszese und Mystik.
ZkathTh	Zeitschrift fur katholische Théologie.
ZNTWiss	Zeitschrift fur die neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde der âlteren Kirche.

TRACTATUS I

De Verbo incarnato

Auctore

P. Iesu Solano, S.I.

INTRODUCTIO

Postquam S.Thomas de Deo et de motu creaturae rationalis in Deum egerat, aciem mentis et affectum animi dirigit in tertia parte *Summae Theologicae* versus Christum, qui, ut homo, via est nobis tendendi in Deum. Tria tractanda proponit in prologo: de ipso Salvatore, de sacramentis eius, quibus salutem consequimur, denique de fine immortalis vitae, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus. Tantum primum horum, nempe ipsum Salvatorem, in hoc tractatu consideramus. Appellari consuevit haec theologiae pars: “De Verbo incarnato”.

Ordo quem S.Thomas tenet est, ut prima consideratio sit de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo, q.1-26 ; secunda vero consideratio sit de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum, id est Deum incarnatum, sunt acta et passa, q.27-59.

Si tamen ordinem historicum seu chronologicum respicimus, quo, ob irruentes errores, fundamentales nostri tractatus veritates a sollemniori Ecclesiae magisterio sunt propositae, sequens rerum conspectus statui posset.

Posteaquam duo illa priora concilia oecumenica saeculo quarto, *Nicaenum* sc. et *Constantinopolitanum I,* Christi ac Spiritus Sancti veram et propriam divinitatem definiverunt, de quo in tractatu de Deo Trino agendum erit, concilium *Ephesinum,* oecum. III (saec. quinto) contra *nestorianos,* Christum dividentes, docuit in Christo non esse nisi *unam personam,* nempe personam Unigeniti Filii Dei, ideoque Mariam vere esse *Deigenitricem.* Contra exaggeratam Christi unitatem, quam *monophysitae* adstruebant, conc. *Chalcedonense,* oecum. IV (item saec. quinto) *duas naturas* Christi, divinam et humanam, proclamavit. Occasione controversiae *de tribus capitulis,* conc. *Constantinopolitanum II,* oecum. V (saec. sexto) *et nestorianos et monophysitas simul damnavit.* Denique conc. *Constantinopolitanum III,* oecum. VI (saec. septimo) monophysismi reliquias reprobavit, definiens in Christo *duas voluntates et duas opercl·-tiones* dari, contra id quod *monotheletae* affirmabant.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

N.B, Opera praecipua quae *totam explicant theologiam* relata manent in volumine primo, ubi de introductione ad theologiam, tr.1 n.34s.

Adam, K., *Der Christus des Glaubens* (Düsseldorf 1954).

D'Ales, A., S.I., *Prima Lineamenta tractatus dogmatici de Verbo incarnato* (Paris 1930).

Billot, L., S.I., *De Verbo incarnato*[1] (Romae 1927).

Bouessé, H., O.P., *Le Sauveur du monde.* 1. *La place du Christ dans le plan de Dieu* (Chambéry-Leysse 1951). 2. *Le Mystère de l'incarnation* (Chambéry-Leysse, Paris 1953).

Franzelin, J.B., S.I., *Tractatus de Verbo incarnato*[3] (Romae 1881).

Galtier, P., S.I., *De incarnatione ac redemptione.* Editio nova (Parisiis 1947).

Garrigou-Lagrangë, R., O.P., *De Christo Salvatore. Commentarius in HP"' partem Summae theologicae Sancti Thomae* (Torino, Paris 1945).

Leeming, B., S.I., *Adnotationes de Verbo incarnato* (Romae 1937).

Lohn, L., S.I., *De Verbo incarnato hominum redemptore.* Schema tractatus (Romae 1930).

Müller, J., S.I., *De Verbo incarnato* (Oeniponte 1914-1915).

Muncunill, J., S.I., *Tractatus de Verbi divini incarnatione* (Matriti 1905).

Scheeben, J.M., *Die Mvsterien des Christentums...* Hauptstück 5 § 50 - § 68 p.297-442 (Mainz 1925).

Stentrup, F.A., S.I., *Praelectiones dogmaticae de Verbo incarnato,* 4 vol. (Oeniponte 1882-1889).

Xiberta, B.M., O.Carm., *Tractatus de Verbo Incarnato,* 2 vol. (Matriti 1954).

De auctoribus, praesertim catholicis, qui "Christi vitam" conscripserunt, agit vol.1 tr.2 1.3, De lesu Legato divino, Appendix, n.769-775.

LIBER I

De ipso incarnationis mysterio

A. Michel. *Incantation:* DTC 7,1445-1539.

Thesis 1. Incarnationis unum motivum primarium fuit redemptio generis humani, ita ut vi praesentis decreti, si Adamus non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum.

S.Tit., *J* q.1 a.3; DTC 7,1482-1507; G.F.BonnSfoy, O.F.M., *7/ l>riniato di Cristo nelir'tfofolflrr contemporanea: Problcmi e Oricntanienti di Teologia Dontmatica* (Milano 1957) 123-235.

1. Nexus. Sapienter incipit S.Thomas a quaestione *an est,* sc. de *convenientia* incarnationis, ubi ostendit valde expedire Deum utpote summum Bonum, se communicare summo modo creaturae per unionem personalem cum natura creata [1].

Subiungit quaestionem de *necessitate* seu potius magna convenientia incarnationis *ad reparationem generis humani,* plura argumenta afferens huiusmodi necessitatis (3 q.1 a.2 c). Cum haec quaestio fere eodem modo proponatur a S.Thoma ubi de passione Christi (3 q.46 a.1-3), et cum plures notiones de peccato ac satisfactione essent hic praemittendae, si hanc quaestionem vellemus nunc agitare, eam ad partem soteriologicam amandamus[2]. Consequenter ad affirmationem talis necessitatis incarnationis pro salute hominum quaerit S.Thomas de *motivo* incarnationis[3].

1 3 q.1 a.1 c. Cur non praemittat S.Doctor quaestionem de *possibilitate* incarnationis, vide apud Caietanum, in h.l., n.2 ; aliter apud Suarez, *De incarnatione* in q.1 a.1 n.2. Relate ad integrum hunc tractatum christologicum «peranuis in proximar editione D.f. rationem habere eorum quae sapienter proponit K.Rahner, S.I., *Problème der Christologie von heute* apud *Schriftcn sur Théologie* (Einsiedeln-Zûrich 1954) 1,169-222. Cf. quorme generalius, I.Alonso Schokel, S.I.. *Argumento de Escritura y Teologia Biblica en la ensefiansa teolôgica:* XVII Semana Espanola de Teologia (Madrid 1960) 225-241.

3 Cf. infra, th.23.

• Cf. Ioan, a S.Thoma, *Isagoge ad D.Thomae theologiam.* Ordinatio tertiae partis, Mysterium incarnationis. Paulo aliter, SuArEz, *In 3* q.1 a.3 n.1.

2. Notiones. Incarnatio seu σάρκωσι. *Etymologice* est *carnis* susceptio, licet incarnatio, ex usu iam scripturistico vocis "camis",* *tum corporis tum animae* susceptionem designet. Haec vox, utpote magis scripturistica B, prae aliis huius mysterii nominibus invaluit °. *Realiter* est coniunctio naturae divinae cum natura humana in una persona Verbi.

Motivum. Cum *ex parte ipsius Dei* ratio propter quam Deus omnia operetur sit bonitas et gloria sua, agimus de motivo. *ex parte rerun:.* Actus, enim, in divina voluntate non habent inter se illam causalitatem quam habent in nostra voluntate, quia in nobis hi actus realiter efficiuntur et inter se distinguuntur, et ita potest unus ab alio manare; in divina autem voluntate solum est unus simplicissimus actus quo omnia vult. Nihilominus inter *obiecta* illius actus est ordo finis et mediorum. Vult ergo Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hocT.

Motivum primarium. Quaestio est de illa ratione quae ita est motivum incarnationis, ut sine illa non haberetur incarnatio. Non excluduntur igitur alia motiva secundaria.

Unum motivum primarium. Ut excludatur opinio statiin exponenda de *duplici* motive primario incarnationis.

Redemptio generis humani. Liberatio generis humani a statu perversionis in quem per Adannim deiectum est.

Vi praesentis decreti. Vi illius decreti quod Deus *de facto* habuit de incarnatione facienda. Quaestio itaque non est de decreto quodam possibili.

3. Sententiae. Vi praesentis decreti ita Deus voluit incarnationem, ut *si Adam non peccassct, Verbum non fuisset incarnatum.* Id sustinent tanquam probabilius S.Thomas, S. Bonaventura, *communiter auctores O.P. et plurimi alii ex diversis scholis* 8.

Discrepant autem praecipue 9 ubi agitur de explicando quo

* Non tantum in V.T. v.c. Gen 6,12; Dcut 5,26; Ps 55,5; sed etiam in N.T. v.c. Mt 24,22; Rom 3,20. Plura, cf. DTC 7,1447. De eodem usu apud SS.Patres, cf. DTC 7,1447-1450.

» Cf. Io 1,14.

A Cf. Petavium, *De incarnat.* 2,1. Brevius. D'Ai.ES, 128-130; Gai.tier, Is; DTC 7,1450.

1 S.Tu., 1 q.19 a.5 c. Cf. SuArrz, *De Deo* 1.3 c.7 n.12. Cum usus vocis "motivi" sacculorum tractu sit consecratus in scholar, ab eo non discedendum putavi, licet ciusmodi usus fuerit nuper acriter impugnatus. Cf. J.Fr.BonneFOY, O.F.M. *Raison de l'incarnation et primauté du Christ. Réflexions sur une controverse:* DivThom (Pi) 46 (1943) 105s; Id., ActFontAcRomSTh 10 (1945) 26-30.

8 S.Th., 3 q.1 a.3; S.BonaV., *In 3* d.1 a.2 q.2. Cf. Saj.manticexses. d.2 dub.1 n.8; Pohi.E-GierEns, 178; U.Deoj/Inkocenti, O.P., *Cristo nella Tcolopia di S.Tommaso* (Rovigo 1958) c.4. De auctoribus sacc.XII et XIII, cf. J.Fr. Bonnefoy, *La Question hypothétique "Utrum si Adam non pcccasset..." au XIIIe siècle.* RcvEspT 14 (1954) 327-368.

• De sententia paucorum auctorum O. P. distinguentium inter *ordinem inten-*

sensu Christus sit finis creationis et primogenitus praedestinatorum. Nonnulli enim dicunt Christum non habere nisi primatum *excellentiae* 10. Generatim admittunt reliqui Christum esse *causam finalem* creationis et primum praedestinatorum, quia etsi non sit Christus decretus nisi dependenter a praevisione peccati, sed, supposito iam decreto incarnationis, in Christum ordinatur totus universus u.

4. Varii sunt conatus conciliandi has duas propositiones : Christus non venit nisi *dependenter a praevisione peccati* et Christus est *causa finalis totius creationis.*

Caietanus distinguit inter causalitateni *finalem* et causalitatcm *materialem,* in genere causae finalis volumus prius et magis sanitatem quam purgationem; at in genere causae materialis contrarium est, nempe prius volumus id quod disponit materiam, in hoc casu corpus nostrum, ad recipiendam formam, sc. sanitatem, quae est causa finalis ". Peccatum itaque consideratur tanquam materia circa quam versatur incarnatio redemptiva.

Ioannes a S.Thoma distinguit inter ordinem generalem *providentiae* et ordinem *praedestinationis.* Quando decrevit JJeus per generalem providentiam creare mundum et ordinem gratiae, non intendit nisi finem connaturalem cuiuscumque ordinis, sicque pro illo statu non erat aliquid sublectum Christo. Post decretum autem istud generalis providentiae incepit *efficax praedestinatio,* quae incepit primo a fine, ut reparativo hominis, ct ad hunc finem ordinavit *efficaciter* totum universum, etiam secundum esse naturale, non absolute consideratum sed ut inducens illam rationem rcparabilitaus ".

5. Gonet, Sai.manticenses *et communius AA.* addunt ad distinctionem supra relatam ex Caietano, aliam distinctionem inter finem *qui* seu *cuius gratia* et finem *cui.* In genere causae finalis *cuius gratia* Deus prius voluit et vidit Christum quam alias res; at in genere causae materialis et in genere causae finalis *cui* prius voluit et vidit permissionem peccati quam Christum. Datur igitur mutua causarum dependentia, et in ordine *intentionis* prius fuit decretum incarnationis

lienis et ordinem cxsecu!ioit.s, cf. Gonet, <1.5 a.1 S 5 n.49: SalmanticessKS, <1.2 dub.1 n.28,

10 Cf. Gonet, *l.c.,* n.51.

11 Cf. Salmanticenses, *l.c.t* 11.26. Quoad rccentiores, cf. I.Chkysostome, ‹ '.1·.M., *Le motif de l'incarnation et les principaux thomistes contemporaines* ('lours 1921) 103 nota 2. Quomodo haec doctrina devenerit iam plene communis inter modernos immistas, deduci potest ex H.M.EÊRKT, O.P., *A propos de la primauté du Christ:* RevScPhTh *27* (1938) 69-72. R.Garkiüou-Lachange, O.P., ipsani penmssioncxn peccati originalis expresse tribuit voiuntat divmae faciendi incarnationem. *Motivum incarnatiort.s fuit motivum misericordiae:* 7 (1930) 297s; Id., *De motivo incarnationis:* ActPontAcRomSTh 10 (1945) 22.30.40; BoÜES&É, *Le sauveur du monde.* 1. *La place du Christ...* 88. Plura consideratione digna, cf. apud A.NEUmEyEK, C.S.Sp., *De Chnsto angelorum capite iuxta F.Amicunt, S.I., et P. de Godoy, O.P.* (Pontificia Universitas Gregoriana, Chevilly [Seme] 1938). Varia momenta "sociologica" utriusque speculativae positionis in lue controversia proponit: A..M.Knoi.l, *Thomismes und Skolismus als Standcsthcologicn,* apud *Abhandlungcn über Théologie* ■*md Kirche. Festschrift für Karl Adam* (Düsseldorf 1.952) 225-239.

13 *In 3* q.1 a.3 n.9; cf. ibid., n.6, ubi de tribus ordinibus, naturae, gratiae, unionis hypostaticae subordinatis.

13 *in 3* q.1 d.3 n.48-52.

decreto creationis, dum in ordine *exsecutionis* decretum creationis fuit prius[14]*

Molina negat relate ad motivum incarnationis posse distingui in divina volitione ullam prioritatem aut posterioritatcm. Antequam Deus quidquam de creatione decernat, intuetur sua scientia simplicis intclligentiae aut media innumeros ordines quos creare posset. Inter alios habetur ordo in quo apparet Adam peccaturus, sed etiam apparet Christus tum excellentissimus in se et dignus qui in omnibus primatum teneat tum aptissimus per quem homines redimantur. Deus hunc elegit ordinem et quidem ita ut simul utrumque voluerit, reparationem sc. in laudem et honorem Christi, ipsum Christum ac incarnationem in reparationem generis humani tanquam in partem finis integri ad quem incarnatio fuit volita et sine quo volita non fuisset: simul ergo utrumque fuit cognitum absolute futurum “.

Cum Molina conveniunt recentius Gai.tiek aliique

6. Vi praesentis decreti ita Deus voluit incarnationem ut *si Adam non peccasset, Verbum nihilominus fuisset incarnatum.* Supponit haec sententia decretum quod Deus de facto dedit circa incarnationem non habuisse tanquam motivum neque partiale redemptionem generis humani; ideo consisteret tale decretum, etiamsi Adam non peccasset. Ita S.Albertus Magnus[17] ac praecipue Scotus[18][19]cum *scotislis et non paucis aliis praesertim receptioribus*'°. Sic etiam S.Franciscus Sai.esius

Mediam sic dictam opinionem tenet SuArez. luxta cum, incarnationis datur duplex motivum divisive totale seu duplex motivum adaequatum. Aliud absolutum fuit excellentia ipsius mysterii, obtinenda *modo perfectissimo;* aliud hypotheticum fuit nostra redemptio, si sc. occurrerit peccatum Adami ; quod si Adamus suae libertati relictos

14 Gonet, d.5 a.1 8 6 n.52-54. Sai-mant ickksbs, <3.2 dub.1 n.29. Huoon, 31. Garrigou-Lagrange, *D- motivo ineam.:* ActPontAcRomSTh 10 (1945) ISs. 22s.44s.

“ *lu 1* q.23 a.5 d.1 <n.7.8 (appendix praecedentis). Falso tribuitur Molinae sententia reiciens *simpliciter* diversa signa seu momenta in scientia et voluntate divina: tantum *in tribus casibus* id reicit Cf. *I c.* m.8.

'· Cf. Gather, n.576 sqs. th.40s.

17 *In 3* d.20 a.4. Solet quoque haec sententia attribui Alexandro Madensi, ;u inunerito. Cf. *S.Bonavcnturae opera omnia* (Quaracchi 1937): *In 3* d.1 a.2 q.2, scholion. De quibusdam auctoribus saec.12 et 13, cf. ChrysostomE, *Le motif de l'incarnation et le Dictionnaire de théologie catholique:* EtFranc 34 (1922) 485-499; 35 (1923) 67-70.

18 *Reportata Parisiensia* 1.3 d.7 q.4. Plura vide apud Ae.M.Caggiano, O.F.M., *De mente loannis Duns Scoti circa rationem Incarnationis:* Ant 32 (1957) 300-334.

19 Cf. D'Ales, 359s; Minges, 1, η.450-452; Gautier, n.576; Pohle-Gierens, 180; ipse Pohle-Gierens sat aperte hame tenet sententiam, 180-182; J.Fr.Bon-nEFov, O.F.M., *La place du Christ dans le plan divin de la création:* MélScRel 4 (1947) 257-284; 5 (1948) 39-62; Id., *Un essai recent sur le plan divin de la création:* MiscFranc 52 (1952) 425-460. lam saeculo 7 apparet haec senterttia acriter sustentata extra Ecclesiam catholicam. Cf. I.HausbERR, S.I., *Un précurseur de la théorie scotiste sur la fin de Vincarnation. Isaac de Ninive (PII· siècle):* RcchScRd 22 (1932) 316-320.

» *Traité de l'amour de Dieu* 1.2 c.4: Oeuvres (Annecy 1849) 4,99-102. De diversis principiis ac methodo in positione thomistica et scotistica, cf. H.-M.Ffrrt. *Creati in Christo lesu:* EScPhTh 1 (1941-1942) 96-132; quoniam. difficile erit' hunc articulum prae manibus habere, eius compendium referemus apud BullThom 6 (1940-1942) 452-457.

non esset peccaturus, nihilominus Verbum incarnaretur. Supposita autem scientia quam Deus habuit de lapsu generis humani, si permitteret Adamum tentari ac labi, haec peccati permissio fuit medium necessarium ad exsequendam incarnationem eo modo *perfectissimo* quo per illud decretum intenta et amata fuerat, quia hoc modo magis manifestantur attributa Dei quam ullo alio. Ideo etiam potest dici: Si Adam non esset peccaturus, Deus non fieret homo *ex vi praesentis decreti.* Nam si stante praedicta conditional! scientia de peccato Adami futuro, si tali modo esset tentatus, Deus noluisset illud peccatum permittere; tunc, siquidem praesens decretum de incarnatione sccum habet coniunctam permissionem peccati et quodammodo necessario illam infert, *a posteriori et consequenter* deduceremus non fuisse in Deo decretum de incarnatione quod *nunc* fuit; si enim fuisset tale decretum, Adamus permitteretur peccare et de facto peccaret

7. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Nicaenum:* "Credimus... in unum Dominum nostrum lesum Christum... qui *propter nostram salutem* descendit, incarnatus est..." (D 54). Similiter in forma orientali *symboli apostolici* (D 9), in *symbolo Epiphanii* (forma longiori) (D 13), in *symbolo nicaeno-constantinopolitano* (D 86).

Quamvis explicite non excludatur aliud motivum incarnationis, satis esse videtur redemptionem tanquam motivum aperte signari nullumque aliud indicari.

Valor theologicus. *Communior et probabilior.*

8. Probatur ex sacra Scriptura. A. Plures sunt textus in quibus *tanquam motivum* incarnationis assignatur *redemptio* generis humani et B. nullus est textus in quo assignetur *tanquam motivum* incarnationis aliqua ratio *independens a redemptione.*

Cum in tractatu soteriologico fuse exponenda sit doctrina de Christo tanquam redemptore, sufficiat hic pauca attigisse testimonia ex N.T. quae de ipso *motivo* adventus Filii Dei in mundum clarius agunt[2].

1) Mt 20,28: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Lc 19,10: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.*

■' Svarbz, d.5 s.4 n.7.17.19; s.5 n.7s.15-17. Cf. P.Dumont, *Suârez:* DTC 14,2654-2660. Aliam conciliandi viam ingressi sunt PP.G.Rocca et G.Roschim, O.S.M., in Marian 3 (1941) 3-31. Cf. D.J.Unc.Er, O.F.M. Cap., *The primary ••iison for the Incarnation according to Father Rosehint:* Ant 34 (1959) 409-448. Validam, ut videtur, refutationem vide apud Bonnefoy, *Raison de Гincarna·ton...:* DivThom (Pi) 46 (19443) 103-120; M. de Rosa, O.M.I., *Primato di ‹ risto e motive dell'Incarnations. Critica di una recentc opinione:* DivThom (I'i) 33 (1956) 396-403. Aliam viam mediam proponit M.Corvïjz, O.P., *Le motif de Kincarnation:* RevThom 49 (1949) 103-121.

J Plures textus tam ex V.T. quam ex N.T. collectos, cf. apud DTC *7,* 1483-1488. P.F.CeuppKKS, O.P., *Theologia biblica.* 3. *De incarnatione3* (Taurini-Ronxae 1950) 7-24.

2) Io 3,16.17: Sic *enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Io 10,10: *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant.* 1 Io 3,5.8: *Et scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret... In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* 1 Io 4,9.10: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum... et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

3) Gal 4,4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* 1 Tim 1,15: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus: quod Christus lesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere...*

In his ergo textibus *molivum incarnationis* seu adventus Filii Dei in mundum assignatur *redemptio hominum.*

9. ^b) Praecipui textus qui afferuntur ut probetur *motivum incarnationis* esse *independens a peccato* et consequenter *independens a redemptione* sunt duo: Prov 8,22 ; Coi 1,15-17M. ~

1) Prov 8,22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Imprimis hic textus videtur loqui de Sapientia *increata,* non de Verbo Dei incarnato. Pro hac interpretatione adduci posset tanquam magni praeiudicii testimonium *Bulla "Ineffabilis Deus",* in qua legitur: "Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae *de increata sapientia* loquuntur eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit [Ecclesiaj tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta''24. Licet expresse Pius IX non loquatur de nostro textu Prov 8,22, vix potest dubitari de eo valere verba Pontificis, cum hic sit unus e paucissimis locis e libris sapientialibus qui et de Sapientiae sempiterna origine agunt et in liturgia tanquam textus mariani adhibentur25. Praeterea, quamvis ob interpre-

23 Cf. Chrysostome, *Le motif...* 59. Alios textus coranique explicationem vide apud D'AuES, 362; CeuppExs, *ibid.,* 18ss. U.Latïavzi, *Il primate universale di Cristo sccondo le Scritturc* (Lateranum, Nova series, a.3 n.l, Romae 1937); Id., *Cristo nclla Gcrarchia dcyli esseri sccondo le lettere della cattivatà e quella ai Romani:* Divin 2 (1958) 472-485; plures afferuntur textus pro sententia scotistarum. Opus tamen in hac linea praecipuum est: J.Ff.Bonnefoy, O.F.M., *La primauté du Christ selon récriture et la tradition* (Roma 195,9).

M Pius *IX, o.c,:* CL 6,836 d.

K Cf. X.Lk BaCHEuEt, *Immaculée Conception:* DTC 7,864. Expresse tenet

tationem SS.Patrum admitteretur sermonem esse de Verbo incarnato[25], hoc Verbum incarnatum non esset nisi *historicum,* h.e. quod e A^irgine natum est, quod in cruce mortuum est; de eo enim loquebantur SS.Patres qui hunc textum ad Verbum incarnatum referebant[27]. Iam vero, Verbum incarnatum *redemptorem* esse rationem cur Deus inceperit agere ad extra, omnino stat cum doctrina thomistica de Christo *causa finali universi.*

10. 2) Coi 1,15-17: *Qui* [Ei/iui] *est imago Dei invisibilis. primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in cadis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in tbso constant,* Licet concedatur S.Paulum agere in his w. de Verbo incarnato prout incarnato, et non potius de Christo secundum vitam eius priorem, nempe, quatenus Verbum [28], adhuc esset dicendum non alium Christum ob oculos S.Pauli versari nisi Christum *historicum redemptorem* de quo explicita mentio facta fuerat v.14 [28] et de quo fiet sermo a v.!8[30].

Nullus itaque textus assignatur in quo *tanquam incarnationis motivum* proponatur aliqua ratio *independens a redemptione.*

Ex probatis, *unum* incarnationis motivum quod in sacra Scriptura apparet, est redemptio generis humani. Atqui ea quae ex sola Dei voluntate supra omne debitum creaturae proveniunt, nobis innotescere non possunt nisi per revelationem. Ergo, saltem prout Dei revelatio in sacra Scriptura

osse Prov 8,22 textum illuni ad quem sese refert Summus Pontifex, H.LesetrB, *La Sainte ifiblc* (Paris 1879) 91; Bonnbeoy, *Raison de l'incarnation...*. 1) vThom (Pi) 46 (1.943) 119.

20 Cf. C.A Lapide, *Commentaria iit Scripturam sacram* in h.l.; LesetrE, *o.c.*, in h.l.; I.Knabbnbaver, *Commentarius in Provertfla* (Cursus Sacrae Scripturae, Parisiis 1910) in h.l.; Pbtavius, *De Triait.* 1.2 c.1; Chrysostome, *Le motif...* 59.78.

27 Testimonia adducentur statim, n.11 ad 3).

a Cf. F.Prat, S.I., *La théoloffic de Saint Puni* 1 u (Paris 1924) 343-349. Contra, Chrysostome, *Le motif...* 78-81; P.Romuaidus. O.F.M.Cap., *Christus de cerstgeborcne der Schcppimj·.* StudCath 18 (1924) 155-161; B.Brinkmann, S.I., *Die kosmische Stcllung des Qothnénschcn in paulinischcr Sicht:* VVissWeish 13 (1950) 6-33. De Patribus saec.4 et 5 hunc textum de *divinitate* Christi interpretantibus, cf. A.SpindEi.Er, *Cum l'crbum caro factunif Das .Mot'v des Menschwerduiig und das Perhaltn'is der Erlôsung sur Menschwerdung Gottes ni den Christoioffischen Glaubcnskümpfcn des vierten und fünften christlichen JuhrlwiMdcrts* (Forschungen znr christlichen IJteratür- und Dogmengeschichtc hrgs.von Ehrhard-Kirsch, 18,2. Paderborn 1938) 7.9-86.

Verba “per sanguinem cius” non videntur àdesse in textu originali. Idea tamen iam habetur sive in "redemptione” sive in “remissione peccatorum”.

*' Cf. M.MxinBrtz, *Der Kolosscrbricf* (Bonnerbibel, Bonn 1917) 18; J.HuiiY, S.I.. *Saint Paul, Les epîlres de la captivité* (Verbum Salutis, 8. Paris 1935) 35-43; I.Knabenbauer, *Epistola ad Colossenses* (Cursus Sacrae Scripturae, Parisiis 1912) 297.

continetur, convenientius dicitur incarnationis opus ordinatum esse a Deo *in remedium contra peccatum.*

11. Probatur ex traditione. *Sancti Patres.* 1) Explicite assignant redemptionem tanquam *motivum* incarnationis. Ita S.Ignatius Antioch.: "Eum, qui ultra tempus est, exspecta, intemporalem, invisibilem, *propter nos insibilem,* impalpabilem, impatibilem, propter nos patibilem, qui omni modo propter nos sustinuit" (R 66). S.Iustinus: "Qui [lesus Christus] nunc voluntate Dei *pro humano genere homo factus,* ea etiam perpeti sustinuit, quaecumque in eum insani iudaei, daemonum impulsu, moliti sunt" (R 127. Cf. R 130). S.Hippolytus: "Dei enim Verbum, cum esset carnis expers, *sanctam carnem ex sancta virgine induit* tanquam sponsus sibi ipsi in' crucis patibulo vestem contexens; *quo* nimirum mortale corpus nostrum suae adunando virtuti, et corruptibile incorruptibili, infirmum firmo miscens, *homini qui perierat salutem praestaret*" (R 389)[31].

2) Clare docent redemptionem esse motivum *exclusivum* incarnationis. Ita S.Irenaeus: *"Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Et si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus" (R 254)[32]. Origenes: "Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri..., sed mansisset hoc quod in principio erat, Deus Verbum" (R 492)[33][34]S.Athanasius: "Etiamsi nulla fuissent creata opera, nihilominus Verbum Dei erat, et Deus erat Verbum. *Ipsum autem Verbum nequaquam homo factum esset, nisi causa fuisset hominum necessitas"* (R 765)3'.

31 S.Hippolytum Romanum esse auctorem huius scripti *De Antichristo* ct aliorum quae ei tribuuntur bene ostendit B.CapEIXE. O.S.B., *Hippolyte de Rome:* RechThAncMécl 17 (1950) 145-1/4. Plurima alia testimonia traditionis circa redemptionem tamquam *motivum* incarnationis, non quidem semper aeque valida, affert T)TC 7,1489-1491. Fusius, SpindelEr, *Cur Verbum...*

32 Mirum videri posset quomodo huic textui opponatur a scotistis ille alius loous ex S.IrenaEo: "Cum enim praeexsisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, ut non vacuum sit salvans" *(Adv. haer.* 3,22,3: MG 7,958 B; editio Harvey, 2,123; in hac edit., *Adv. haer.* 3,32,1). In hoc enim textu praesupponitur Christus decretus praecise ut *salvans,* seu ut *rcdem'ptor.* Cf. L.Escoui.A. S.I., *Le Verbe sauveur ct illuminatcur chez Saint Irenée:* NouvRcvTh 66 (1939) 385-400. Quamvis cl. Auctor dicat S.Irenaeum tantum distare a theoria scotistica quantum a theoria thomistica, nihilominus, ex his quae ipse fatetur, Christus concipitur a Deo iam ab initio tanquam paedagogus ac *redemptor (l.c.,* 390); ergo quoad substantiam tenet S.Irenaeus doctrinam thomisticam de incarnatione *dependente* a nfseria hominum. Contra, cf. D.Uncer, O.F.M.Cap., *Christ's Rôle in the Universe according to St.Irenaeus:* FranciscSt 26 (1945) 3-20; 114-137.

33 Huic textui alius opponitur textus eiusdem Oricenis, sc. *In Lev.* h.2 n.3 (MG 12,416; GChS Origenis t.6, 294); cf. G.Rocca-G.Roseníni, O.S.M., *Intorno alia ragione primaria dell'csistenza di Cristo e della Madonna:* Marian 3 (1941) 317s.

34 Cf. quoque *Adv. Arian,* orat.2,53: MG 26,259-262. Expresse agit de incarnationis motivis, ac primum assignat hominem iterum levare quoad im-

S.Cyrillus Alex.: "Hominum lapsibus ac nostris peccatis maximam habeat gratiam Unigenitus. Sciat vero occasionem sibi fuisse gloriae illius deilicae, humanitatis peccata. *Nisi enim, peccassemus, non factus fuisset nostri similis...*" (R 2087)[36]. S.Augustinus: *Si homo non perisset, Filius hominis non venisset* (R 1517)[36].

3) Ipsum textum Prov 8,22, in quo adversarii nituntur, commentantur, atque exponunt quomodo ibi de Christo *redemptore* sit sermo. Ita S.Athanasius: "Causam quoque percipiet [illorum verborum, sc. *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua;* Prov 8,22], quia nempe *cum ille nostram mortem vellet destruere, sibi ipsi corpus ex Virgine Maria accepit,* ut illud pro omnibus victimam Patri offerens, nos omnes liberaret..." [37]. S.Cyrillus Alex.: "*Dominus creavit me* perinde est ac si dicat: Pater mihi corpus constituit *et veluti hominem me creavit pro salute hominum*"[38]. S.Augustinus: "Quo pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum;* viarum enim cius principium caput est Ecclesiae, quod est Christus hominem indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est via certa, qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus..."[39].

mortalitatem et cognitionem veri Dei in *Orat, de incarnatione Verbi* 3-16: MG 25,104-125. Cf. F.Cavallera, *Saint Athanasc* (Paris 1908) 247-252. Pro doctrina S.Athanasii circa incarnationis motivum, cf. J.-B.Berchem, *L'incarnation dans le plan divin d'après sa nt Athanasc:* EchOr 37 (1934) 316-330. Uate confirmatur haec doctrina cum his quae idem auctor habet: *Le rôle du Verbe dans l'oeuvre de la création et de la sanctification d'après saint Athanasc:* Ang 15 (1938? 201-232; 515-558. Spindeler, *Cur Verbum...* 44-55; P.Th. Camelot, O.P., *Athanasc d'Alexandrie. Contre les païens ct sur l'incarnation du Verbe* (Sources Chrétiennes, 18. Paris 1946) 56-73. De S.Ëphraem, cf. Ë.Beck, O.S.13., *Die Théologie des hl.Ephracm in scinen Hymnen über den Glauben* (Studia Anselmiana, 21. Romae-Città dei Vaticano 1949) 54.

36 Cf. quoque *in Io* 1.5 et 1.9: MG 73,756; 74,273; *Thesaurus assert.* 15: MG 75,293-296. Cf. H.Du Manoir de Juaye, S.L, *Dogme ct spirituaf.té chez saint Cyrille d'Alexandrie* (Paris 1944) 96.103-195. Plura cf. apud DTC 3,2508. SpindElex, o.c., 99-120. De loco quodam in quo adversarii nituntur (MG 75,257 C), cf. D'AlEs, 363. De aliis locis, cf. I.Ortiz de Urbina, S.I.: OrChP 14 (1948) 427.

Plures alios textus ex S.Augustino vide apud D'Ales 35Is; Spindeler, *o.c.,* 121-135. Alios SS.Patres, cf. apud DTC 7,1491. De S.Leone, cf. D.MozERis, *Doctrina Sancti Leonis Magni de Christo Restitutore et Sacerdote* (Fac. theol. S.Mariae ad Lacum, Mundelein [Illinois] 1940) 17s. De S.Hilario, f. J.J.McMahon, *De Christo Mediatore doctrina Sancti HHarii Pictavicnsis* (Pau. theol. S.Mariae ad Lacum. Mundelein [Illinois] 1947) 58-61. Aliter, G.Giamberardini, *De praedestinatione Verbi Incarnati in S.Hdario Pictaviensi* (Roma 1949).

37 *De decretis Nicaenae Synodi* 14: MG 25,447.

38 *Thesaurus de sancta et consubstant. Trinitate* ass.15: MG 75,266.

39 *De f.de ct symbolo* 4,6: CSEL 41,9; MX, 40,184s. De exegesi Patrum saec.4 et 5 circa hunc textum, cf. Spindeler, *Cur Verbum...* 70-78. Patres luorum illorum saeculorum assignare *redemptionem* tanquam *unum* incarnationis motivum fuse ostendit Spindeler, *ibid.,* 38-69; 87-162. De argumento ex Patribus contra positionem scotisticam, cf. BoÜEssé, *Le Sauveur du monde. I. La place du- Christ...* 161-301.

Theologorum longe maior pars tenet incarnationis motivum esse redemptionem.

12. Obiectiones. 1. Plures sunt textus SS.Patrum, iuxta quos *incarnatio* apparet *independens a peccato.* Ergo argumentum ex SS.Patribus vel favere scotistis dicendum est vel saltem valde infirmum reddi pro thesi nostra.

Dist. antec. Et hi textus vel agunt de Christo quatenus *Verbum* est vel volunt exprimere Deum in homine nondum lapso, *at post lapsus pracvisionem,* reparatorem praeludere, vel efferunt omnia in Christum redemptorem ordinari, vel denique extollunt summam dignitatem Christi contra arianos qui eum dicebant Patre inferiorem, quin immo ipsis hominibus subordinatum, *conc. antec.;* et hi textus probant revera *incarnationem esse a peccato independentem, nego antec.* “.

2. Christus est *finis* in quem homines ordinantur. Atqui finis prius intenditur quam *media* ad illum finem. Ergo Christus prius intenditur quam homines, idcoque *independenler a peccato.*

Dist. mai. Christus est finis in quem homines ordinantur in signo *consequente* decretum quo decreta est redemptio, conc. *mai.; in signo antecedente, nego mai. Contradist. min.* Finis prius intenditur quam media, si est finis in omni hypothesi, *conc. min.;* si est finis tantum in aliqua hypothesi, *nego min.*

13. 3. Excellentius bonum nequit ordinari ad bonum inferius. Atqui incarnatio est excellentius bonum quam redemptio generis humani. Ergo incarnatio nequit ordinari ad redemptionem.

Dist. mai. Excellentius bonum nequit ordinari ad bonum inferius, tanquam ad finem ultimum, *conc. mai.;* tanquam ad finem intermedium, *subdist.:* si ipse finis intermedius non ordinatur ad bonum illud excellentius, *trans, mai.;* si ordinatur, *nego mai. Trans, min. Dist. pariter cons.* Incarnatio nequit ordinari ad redemptionem, tanquam ad finem ultimum, *conc. cons.;* tanquam ad finem intermedium, *nego cons.*

Explico. Classicum est in hac re exemplum angelorum qui ordinantur ad hominum custodiam. Ipse Scotus debet admittere actus Christi, qui certe sunt valoris transcendentis valorem totius generis humani, ordinari ad salutem nostram. In nostra autem explicatione redemptio ipsa ordinatur in gloriam Dei et ipsius Christi hominis. *Minorem* transmisi, quia stricta comparatio inter incarnationem et redemptionem institui nequit, siquidem redemptio de facto *includit* incarnationem.

14. 4. Si incarnatio dependet a peccato Adami, incarnatio esset bonum *occasionatum.* Atqui videtur repugnare *tantum bonum* esse occasionatum. Ergo incarnatio non dependet a peccato.

Dist. mai. Incarnatio esset bonum occasionatum, h.e. *praeter intentionem* agentis, *nego mai.;* esset bonum occasionatum, quatenus non daretur incarnatio nisi supposita occasione peccati, *conc. mai. Contradist. min.*

5. Ordinate volens prius vult quod fini est propinquius. Atqui

* Plure? adversariorum textus e SS.Patribus vide apud DTC 7,1491-1494. Solutiones *ibid.,* 1500s et apud Thomassinum, 1.2 c.6.

anima Christi fini est propinquior. Ergo anima Christi prius intenditur. Ita Scotus ".

Dist. mai. Et hoc principium postulat, ut Deus *optimum* quid velit, *nego mai.;* postulat, ut, *inter ea quae Deus libere decrevit,* prius velit quod fini est propinquius, *conc. mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Anima Christi prius intenditur *absolute, nego cons.;* prius intenditur *hypothetice,* h.e. in hypothesi redemptionis per Verbum incarnatum prius intenditur Christus quam creaturae, *conc. cons.* ".

15. Scholion 1. *De peccatis propter quae incarnatio facta est.* Cum in tractatu soteriologico de universalitate redemptionis dicendum sit (cf. infra, th.26 schol.1 n.659), breviter attingemus quaestionem utrum *principalius* Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale. Respondet S.Thomas: tanto principalius ad alicuius peccati deletionem Christus venit quanto illud peccatum maius est. lam vero *intensive* maius est peccatum actuale; *extensive* maius est peccatum originale quod est peccatum totius naturae. Peccatum autem originale magis postulabat remedium et magis misericordiam Dei excitabat, eo quod esset peccatum non unius vel alterius personae sed totius generis humani. Principalius ergo venit Christus propter originale peccatum

Ulterius quaerunt theologi an si peccatum originale tantum fuisset absque ullo peccato actuali, Christus nihilominus incarnatus fuisset. Respondent fere communiter affirmative. E contra, iuxta fere omnes thomistas, Verbum vi praesentis decreti non fuisset incarnatum propter sola peccata actualia ". Suarez distinguit: si *pauci* homines peccassent actualitcr, Christus verisimilius non venisset passibilis; si vero maior pars hominum peccasset, fortasse pro illis Christus pateretur. Haec tamen ita sunt incerta, ut vix a nobis possit aliquid vel probabiliter definiri *

Scholion 2. *De convenienti tempore incarnationis.* Aptas rationes convenientiae indicat S.Thomas cur incarnatio non debuerit fieri ab initio mundi vel statim post peccatum, cur tamen neque debuerit differri usque ad finem mundi ". Christus incarnatus est *in dispensatione* (εἰ οἰκονομίαν) *plenitudinis temporum* (Eph 1,10)".

41 Cf. J.M.Bissen, O.F.M., *De praedestinatione Christi absoluta secundus» D.Scotum expositio dogmatica:* Ant 12 (1937) 11.
43 De his obiectionibus fusius Galtier, n.582-588.
43 S.Th., 3 q.1 a.4. Cf. Caietanum, in h.l.; Suarez. in h.l.
44 DTC 7,1506s.
45 Suarez, d.5 s.6 n.7.
4' 3 q.1 a.5s.
4î Cf. Prat, *La théologie...* 2,128s. De adventu Messiae iam praenuntiato in V.T., cf. DB 5,2079s; P.Heinisch, *Théologie des Altcn Testamentes* (Bonncrbibel, Êrgânztingsband 1, Bonn 1940) 303-307. Veterum doctrinam de computatione temporum a creatione mundi usque ad Christum vide s.l. apud Suarez, d.6 s.1.

CAPUT II

De modo unionis Verbi incarnati

ARTICULUS I

Di·: ipsa unione

Thesis 2. Unio Verbi incarnati non est facta in natura, sed post unionem Unigenitus in duabus naturis inconfuse est agnoscendus.

S.Tn., 3 q.2 a.1; A. Grillmf.if.r, S.I.-Π. Baciit, S.T., *Das Konsil von Chalkedon.* 3 vol. (Wiürzburg 1951-1954).

16. Nexus. Expedita quaestione *an est et propter quid est,* transit S.Thomas ad explicandam *essentiam* ipsam incarnationis, in quantum haec est *unio* Verbi cum natura humana. Considerat autem primum unionem *in se* (q.2), deinde *extrema quae uniuntur* (q.3-q.6). Unio autem habitudinem dicit ad terminum productum per actionem unitivam et ab hoc termino videtur rationem sumere. Ideo prius considerat S.Thomas in sex prioribus articulis q.2ae *integrum terminum* per actionem unitivam productum ostenditque talem terminum esse non unam naturam sed unam personam.

17. Notiones. Natura seu φὓσι. Cum *persona* facillime apprehendatur ut *quod* est et agit seu subiectum *cuius* sunt partes, facultates, principia in genere agendi, *natura* apprehenditur ut complexus virium, qualitatum, substantiarum, *quo* aliquis agere potest vel in certa specie collocatur. Ego *(persona)* habeo manus, corpus, animam *(naturam).* Ego *(persona)* sum homo (humanitas, *natura),* non angelus [1]. Sensus hic vulgaris coincidit cum sensu dogmatico quo vox "natura" in Concilio Chalcedonensi intellecta est, sc. essentia concreta, abstractione facta a subiecto seu a persona in qua huiusmodi natura subsistits.

In duabus naturis, sc. divina et humana.

Inconfuse. Additur haec expressio propter errores statim exponendos, qui naturarum "mixtionem" quandam admittebant in Verbo incarnato.

[1] Cf. Galtif.r, n.83.

[2] Cf. M.JugïE, *Eutychès ct Eiitichianismc:* DTC 5,1596; I.Ortiz d® Urbina, S. !.. *Das Symbol von Chalkedon:* GrillmEier Bacht, *Das Konsil...* 1,406-412. De relationibus inter φὐσi . οὐσία, ὑπόστασi in quaestione christologica apud Patres, cf. A.Michel, *Hypostase:* DTC 7,385-407; plura, apud GrillmEier-Bacht, *o.c.,* saepe. De termino hoc generalius, cf. R.Faniker, *EI concepto de naturalcsa. Anâlisis histôrico y metafisico de tin concepto* (Madrid 1951); de quo tamen opcie, cf. J.Iturrioz, S.I., apud RazFe 144 (1951) 414-417; J.Echarri, S.I., apud Pens 8 (1952) 114-117.

Adversarii. *Monophysismus realis*[14] tenet Verbum incarnatum esse quidem *cg* duabus naturis, divina et humana sed *upjl* duabus naturis. Tenent monophysitae unitatem Christi *personalem,* sed hanc unitatem ita exaggerant, ut unitatem quoque *m natura* exigant. Monophysismus solet vocari quoque *Eutychianismus.* Eutyches (c.378-p.454) fuit archimandrita plurium monachorum Conslantinopoli. De *personali* doctrina huius viri multum disputatur, quamvis negari non possit eum tendentiam illam vere repraesentare quae moaiophysismus appellatur[1]

u9) Monophysismi plures sunt species[5]; omnes vel fere omnes «psiEiitvchiqj anteriores, *a)* Humanitas in Christo dicitur *absorpta* a divinitate, unde exortus est theopaschismus seu error tribuentium dolores naturae ipsi divinae.

b) Contrario modo, divinitas dicitur *disparere* in humanitate ita ut Verbum desinat esse Deus, ut homo fiat. Huius antiqui erroris asseclae sunt qui recentius sic dictam "kcnosin" seu exinanitionem Verbi exaggeratam (cf. Phil 2,7) tenent".

c) Realis metamorphosis Verbi in carnem, ita ut Verbum non sumpserit carnem ex Virgine, sed ipsa essentia divina facta fuerit caro, sicut aqua liquida potest effici gelu. Remanet ergo sola natura divina.

d) Apparens metamorphosis Verbi in carnem. Verbum, enim, non realiter factum est caro, ut ad *c),* sed apparenter. Inde vocantur hi haeretici phantasiastac; de facto sunt docetae.

e) forma autem classica tnononliysisini est alia, nempe divinitas et humanitas *miscentur* ad efficiendum tertium quid, compositum quoddam thcandrjcum, quod neque proprie Deus neque proprie homo dici potest.

f) Species denique subtilior monophysismi asserit Verbum et humanitatem absque mixtione aut confusione *uniri* tanquam essentiam seu naturam completam. Neque plena divinitas neque plena humanitas remanent. Hoc modo unionem Verbi cum natura humana explicabant quidam ariani et apollinaristae. Verum monophysismum, saltem logice, propugnant ubiquistae protestantes, qui humanae naturae tribuunt proprietatem divinam, sc. esse ubique'.

20. Doctrina Ecclesiae. Praeter plura antiquiora clo-

1 De monophysismo *verbali* sive catholico sive schismatico, imtno vero quandoque hétérodoxe, cf. DTC 5,1597-1601; 10,2216-2250. Magna consideratione digna sunt quae praebet historia monophysismi *post* Concilium Chalccdonense qualis praebetur a J.t.Eaox, *La christologie du monophysisme syrien: Das Konsil von Chalkedon* 1,425-580.

4 Cf. DTC 5,1582-1595; J.F.Rivera, *San Lcôn Magno y la hcrcjfa de Eutigués desde cl slnodo de Contantinopla hasta la ntuerte de Tcodosio II:* SevEspT 9 (1949) 36-41; P.Tu.Camelot, O.P., *De Ncstorius Λ Eutychès (Das Koncil von Chalkedon,* Grillmeier-Bacht), 1,234-242; Xiberta, 1,124-128.

8 Cf. de tota hac quaestione, DTC 5,1601-1609. De philosophicis radicibus monophysismi, cf. E.IvAnxa, *Hellenisches and Christlichcs im Eriihbysantln:schcn Geisteslcben* (Wien 1948) 68-72.95-98.

• Cf. *Encycl. "Sempiternus Rex":* AAS 43 (1951) 637s. D'Ai.es, 170-172; Henry, *Kènosc.* DBS 5,7-104. Complementi causa, cf. J.RrvttRE, *Le sarifice du Père dans la rédemption d'après saint Ambroise:* RevScRel 19 (1939) S-23.

7 De ubiquismo, cf. D'At.ES, 155s.169.

cumenta [8], habetur epistola dogmatica S.Leonis I Magni ad Flavianum (D 143s) [9] et maxime *Concilium Chalcedonense:* "... docemus... unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum *in duabus naturis* inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem magisque salva proprietate utriusque naturae" (D 148)[10]. Huius Concilii doctrina a Pio XII data opera explicatur in *Encycl. "Sempiternus Rex"* [11].

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 148).

21. Probatur ex sacra Scriptura. Cum in tractatu de SS.Trinitate *divinitas* Iesu Christi ex sacra Scriptura probetur, et cum nimis evidens sit ex tractatu de Deo naturam divinam *nullam mutationem* subire posse, ostendendum nobis erit in Verbo incarnato *veram naturam humanam* permansisse. Hoc autem probant tota vita Iesu Christi inde a suo conceptu usque ad mortem, sepulturam, resurrectionem et ea ipsa quae ad resurrectionis veritatem confirmandam secuta sunt. Plura, infra th.7 n.118-122. Nunc paucissima attingemus.

1) Christus subiectus est *ipsis passionibus* a) corporis et b) animae, a) Io 4,6: *Iesus ergo* fatigatus *ex itinere, sedebat sic supra fontem;* Mt 8,24: *et ecce motus magnus factus est in mari... ipse vero* dormiebat; b) Io 11,33: *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem... infremuit spiritu et* turbavit *seipsum.* Cf. Io 11,38; 12,27; Mt 26,37s. Mt 8,10: *Audiens autem Iesus* miratus est; Io 11,35: *Et* lacrimatus est *Iesus.* Cf. Lc 19,41.

22. 2) De Christo praedicantur *actus virtutum,* quae nonnisi *homini* tribui possunt. Hebr 5,8: *Et quidem cum es-*

[8] Cf. D, Index systemat. VIII c.

[9] Cf. Ph.Kuhn, *Die Christologie Leos I* (Würzburg 1894); C.Silva-Tarouca, S.I., *S.Leonis Magni epistulae contra Eutychis haeresim* (Textus et documenta, 15, Romae 1934); Rivera, *San León Magno y la herejía de Eutiques...:* RevEspT 9 (1949) 44-50.57s; H.Rahner S.I., *Léo der Grosse, der Papst der Konzils (Das Konzil von Chalkedon.* Grillmeier-Bacht) 1,323-339; P.Galtier, S.I., *Saint Cyrille d'Alexandrie et saint Léon le Grand à Chalcédoine (o.c.)* 1,345-387.

[10] De Concilio Chalcedonensi. cf. J.Bois, *Chalcédoine:* DTC 2.2190-2208; G.Bardy, *Le "brigandage d'Ephese" et le Concile de Chalcédoine* apud *Histoire de l'Eglise...* sous la direction de A.Fliche et V.Martin, t.4 (Paris 1937) c.9 p.211-240. De theologica atque terminologica praeparatione Concilii, cf. A.Grillmeier, S.I., *Die theologische und sprachliche Vorbereitung der christolog.schen Formel von Chalkedon: Das Konzil von Chalkedon,* Grillmeier-Bacht, 1,5-202. De ipso symbolo Concilii, cf. Ortiz de Urbina, *Das Symbol von Chalkedon. Sein Text, sein Werden, seine dogmatische Bedeutung (o.c.)* 1,389-418. De Concilio toto, cf. opus hic relatum, sc. A.Grillmeier, S.I.-H.Bacht, S.I., *Das Konzil von Chalkedon. Geschichte und Gegenwart* (Würzburg 1951-1954).

[11] AAS 43 (1954) 625-644, maxime 632-640.

set Filius Dei, didicit *ex iis, quae passus est* obedientiam. In hoc textu non tantum asseritur Christum fuisse obedientem (cf. Phil 2.8), sed didicisse, sc. expérimentait scientia, quam difficile sit obedire [12]. Tam vero, obedientia haec difficilis *superiorem supponit,* quem Verbum *ut tale* habere non poterat. Hebr 4,15: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris:* tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Asseruntur in genere actus virtutum *proprie humanarum,* quia dicitur Christus *tentatus* sicuti nos (quamvis absque ullo fomite peccati: cf. infra, th.15 schol.l n.356: th.17 schol.l n.442-447), et tamen nunquam in tentationem consensisse [13]*

23. Probatur ex traditione. Velut testes traditionis SS.Patres *ante* Concilium Chalcedonense referre sufficiat.

1) lesus Christus, verus Deus *et verus homo.* Tam S.Ignatius Antioch.: "Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne exsistens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis, lesus Christus Dominus noster" (R 39) '! Origenes: "lesus, qui mortuus est, homo est... non mortuus est ille Deus Verbum..." (R 482). S.Rphraem: "In sinu Mariae infans factus est, qui ab aeterno aequalis est Patri... in utero matris suae homo factus est remanens Deus perfectus" (R 711).

2) *Nulla mixtura aut conversio.* Tertullianus: "Si enim Sermo ex transfiguratione et demutatione substantiae caro factus est, una iam erit substantia lesu ex duabu=, ex carne et spiritu, mixtura quaedam, ut electrum ex auro et argento... Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum, in una.persona, Deum et hominem lesum..." (R 379)1S. S.Epiphanius: "... qui, non immutatus quoad naturam, cum divinitate assumpsit humanitatem... XTrbum ipsum caro factum est, non desinens Deum esse, non divinttatem_xonxer=. tens in humanitatem.·." (R 1086). S.Ioannes Chrysostomus: "Nam unitate et coniunctione unum sunt Deus Verbum et caro; nulla facta confusione, nec substantiarum ablatione, sed ineffabili quadam et inexplicabili unione" (R 1160)ie.

13 Cf. J.Bonsirven, S.T., *Saint Paul, Epitre aux Hébreux* (Verbum Salutis, 12, Paris 1943) in h.l.; C.Spicq, O.P., *L'épltrc aux Hébreux 2* (Paris 1953) 117s.
13 Cf. BonsirvEx, *o.c.,* in h.l.; Spicq, *o.c.,* 92ss.
34 Cf. M.Rackl, *Die Christologie des heiligen Ignatius von Antiochien* (Freibtirger Theologisdie Studien, 14, Freiburg i.Br. 1914) 284-289. De alia lectione huius loci citati atque de doctrina Sti.Ignatii, cf. GrilemEiEr, *Die theologische... Vorbereitung... von Chalkedon* 1,30s.
ω Tertullianus vocatur antesignanus doctrinae de duplici natura in Christo quoad occidentem. Cf. B.AlTanER, *Patrologie** (Freiburg i.Br. 1958) § 30 p.142.
De S.Epiphanio, cf. E/Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius bis*

24. 3) *Duae naturae expresse-dicu»tur remanere posf unionem.* S.Melito Sardensis: "Cum enim idem Deus simul et homo perfectus esset, duas naturas suas nobis patefecit" (R 189). OrigenEs: "Primo illud nos scire oportet,, quod alia est in Christo deitatis eius natura, quod est unigenitus Filius Patris, et alia humana natura, quam in novissimis temporibus pro dispensatione suscepit" (R 453). S.Ephraem: "Neque enim sola exstabat natura inferior neque sola natura superna... una sublimis altera humilis..." (R 705) 17. S.Amphilochius Iconiensis: "Discerne mihi deinceps naturas, Dei et hominis. Neque enim excidens ex Deo» factus est homo, neque proficiens ex homine Deus. Deum, enim dico et hominem" (R 1080).

25. Ratio theologica. Tripliciter fieri posset ut duae naturae in unam concurrerent: primo, per modum *conjunct tionis vel ordinis:,* manentibus ipsis naturis in se integris et perfectis, ita tamen inter se ordinatis vel coniunctis ut unam componant; secundo, oer *transmutationem* vel alterutrius naturae in alterdtram vel utriusque in aliquam ab utraque distinctam ; tertio, per *compositionem* unius perfectae naturae *ex duabus imperfectis.* Atqui *nullo ex his modis* natura divina et humana in Christo convenerunt. Ergo in Christo *non datur* concursus duarum naturarum in unam.

Prob. min. Primus modus induceret in Christo unionem mere *accidentalem;* sed in thesi proxima, n.44s ostendetur unionem Verbi incarnati esse *substantialem.* Tertius modus· facile reicitur, quia neque ex parte naturae divinae, ut patet, neque ex parte naturae humanae, quae substantia completa est, datur *imperfectio.* Secundus modus reicitur maxime *ex naturae divinae immutabilitate,* vi cuius neque natura divina potest converti in aliud nec aliud in ipsam, praesertim cum in Christo integra remaneat humana natura 1S.

26. Obiectiones. 1. Plures sunt textus SS.Patrum *ante Concilium Chalcedonense* in quibus de "mixtione Dei et hominis" sermo-fit. Atqui hic modus loquendi monophysismum sapit. Ergo argumentum ex SS.Patribus satis infirmatur.

Cone. mai. Dist. min. Hic modus loquendi tempore controversiae

tvm Ausbruch des Ncstorianischen Strcites (Miünchener Studien zur histonechrn Théologie, 4. München 1925) 43-47. De S.I.Chrysostomo, *ibid.,* 49s.

1T Cf. Beck, *Die Théologie des hl.Ephracin...* 57s. Plura alia SS.Patrum testimonia, cf. apud D'AlEs, 160s.165s.

,s Cf. 3 q.2 a.1 c. Svarez, Comment, h.l. 1.Backes, *Die Christologie des hl.Thomas v. Aquin und die griechischen Kirchcnvater* (Forschungrn zur Christlichcn Litcratur- und Do-rmengeschichte, Ehrhard-KiRscn, F'aderborB 1931, 17, 3-4) 149-155.

monophysiticae male sonabat, *cone, min.;* ante exortam hanc controversiam *et in mente SS.Patrum, nego min. ",*

2. Saltem aliqui Patres, maxime S.Cyrillus Alexandrinus, monophysismo favere videntur. Atqui auctoritas S.Cyrilli maxima est. Ergo testimonium SS.Patrum infringitur.

Dist. mai. Verba S.Cyrilli *de facto* interpretata fuerunt a monophysitis in favorem huius haereseos, *cone, mai.;* in mente S.Cyrilli hunc sensum habebant, *'nego mai. Cone. min. Contradist. cons.*

Explico. Maximam difficultatem creavit sententia S.Cyrilli : Μiα οὐσι τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκω'ἱένη. Una natura Verbi Dei incarnata Attamen S.Cyrillus hac formula "tanquam a S.Athanasio tradita usus est, recto tamen mentis sensu, cum naturam ad ipsam personam significandam transferret" ", Rectus sensus constat ex explicita doctrina S.Cyrilli. Catholicam huius sententiae interpretationem authentice tradidit *Concilium Constantinopolitanum II* (D 220) ".

27. Scholion. *"Unus de Trinitate passus est."* Haec formula saeculi quinti et sexti *historice* quidem cum *monophysisme* connectitur; qui eam *invenerant* ita videbantur divinam Christi naturam extollere, ut humana quasi dispareret ac ipsae passiones tribuerentur divinitati. Nihilominus inter eos qui eam *impugnabant,* non deerant qui nestorianismo favere viderentur, ac si Christus qui passus est, non esset Deus. Summus Pontifex Hormisdas formulam non simpliciter damnavit, at eam ut periculosam ac post Concilium Chalcedonense superfluam reprobavit. loannes autem II paucos post annos sensu recto eam explicavit ac probavit (D 201 ; cf. D 255) ".10

10 Cf. D'Aixs, 161s.

20 V.c. *De recta fide ad reginas,* 9: MG 76,1212 Λ. Plures alios locos vide apud D'AlES, 164s.

21 *Encycl. "Sempiternus Rex":* AAS 43 (19S1)' 636.

22 De hac difficultate ex Cyrillo, cf. D'At.ss, 163-165; GalTiEr, n.113-119; Du Manoir de JuayE, *Dogme et spiritualité chez saint Cyrille...,* 126.131s.505s; J.Van den Dries, *The formula of Saint Cyril of Alexandria* ΜΙΑ ΦΥΣΙΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΛΟΓΟΥ ΣΕΣΛΡΚΩΜΕΝΗ (Pontificia Universitas Gregoriana 1939). Cf. quoque infra, th.17 nota 19 et 28. De S.Ephraem eandem formulam adhibente, cf. Beck, *Die Théologie des hl.Ephraem...* 56s; A.Grillmeier, S.I.: Schol 26 (1951) 302. De historica origine huius formulae, cf. GrillmeiEr, *Die theologische... Vorbercitung... von Chalkedon* 1,108-111. De eadem formula apud S.Cyrillum, cf. *ibid.,* i,169-182; GaltiEr, *Saint Cyrille... et saint Léon... à Chalcidoine* 1,345-387; Io., *L'"Unio secundum Hypostasim" chez saint Cyrille...:* Greg 33 (1952) 351-398; In., *Saint Cyrille et Apollinaire*: Greg 37 (1956) 584-609. Difficultates ex S.Hilario Pictavicnsi et ex S.Gregorio Nysseno videas apud D'AtEs, 162. Pro S.Hilario, cf. quoque infra th.15 nota 35; th.6 nota 12. Pro auctoribus saoc.V et VI, cf. J.Tixeront, *Des concepts de "nature" et de "personne" dans les Pères et les écrivons ecclesiastiques des V9 et VI9 siècle:* RevHistLittRcl 8 (1903) 582-592. In gcncre, cf. A.Grit.i.meier, S.I., *Der Neu-Chalkedonismus:* Histjahrb 77 (1958) 151-166.

33 Cf. E.Amann, *Hormisdas:* DTC 7,171-175; W.Haack», *Die Glaubcnsforntel des Papstcs Hormisdas im Acacianischen Schisma* (Analecta Gregoriana, 20. Romae 1939) 117-120; Erbon, *La christologie du monophysisme syrien: Das Koncit von Chalkedon* 1,571-575.

Thesis 3. Unio Verbi incarnati facta est in persona, ita ut post unionem, Filius Dei Unigenitus sit simul verus homo.

S.Th., 3 q.2 a.2; Galtter, th.6.

28. Notiones. Persona sell πρόσωπον vel ὑπόστασι [1]. Persona obvio sensu intelligitur individuum rationale ab alio pariter individuo plene distinctum. Hoc sensu norunt omnes numerare *quot sint* in aliquo loco *personae.* Persona facile apprehenditur ut aliquid distinctum ab eis quae sunt *illius personae* et tamen non sunt *illa persona.* Petrus *(persona)* dicitur habere intellectum, manus, etc.: hic intellectus, hae manus sunt quidem Petri at non sunt Petrus. Ad personam designandam adhibetur *quis,* ad naturam autem *quid.* Persona dicitur principium *quod* est vel agit, natura autem principium *quo* aliquis est vel agit[2].

($9) Unio Facta est in persona. Duae naturae, divina et humana, quae ex thesi praecedenti inconfuse exsistunt in Christo, sunt unius Christi, unius personae. Subiectum cuius sunt propriae natura divina et natura humana est unum, sc. Christus. Post unionem, igitur, est quidem in Christo *aliud et aliud* sed Christus non est *alius cl alius* (cf. quoque infra, th.16 schol.1 n.406). Consequenter, sicut vere de Petro praedicatur natura humana et de Michaele archangelo natura angelica, ita vere de uno Christo praedicari debet quidquid pertinet ad suam humanam naturam et quidquid pertinet ad suam divinam naturam. Brevi, terminus totalis qui per_unionem habetur est *tina persona.*

Ita ut post unionem Filius Dei Unigenitus sit simul

1 Antiquius est nomen πρόσωπον ad designandum quod nos vocamus "personam" quam nomen ὑπόστασι . ΙΤρόσωπον adhibetur iam hoc sensu in sacra Scriptura. Cf. D'Al îS, 106s,195s; DTC 7,367s. De usu historico horum trium nom'num in traditione usque ad finem aetatis patrstiçae, cf. DTC 7,360-407. De notione personae in mundo graeco antiquo, cf. E.des Places, S.T., *En mar-'h- du "Theologisches If orte/bnch sum Neuen Testament": Conscience et personne dans l'antiquité grecqi'c:* Bibl 30 (19-19) 501-509; M.NÉDONCEî.l E, *Proso-Pon et Persona dans l'antiquité classique:* RrvScRel 22 (1948) 277-299. De hac notione in occidente usque ad Boetium, cf. E.GutvvHncêr, S.I., *Zur Ontologie der hypostctischen Union:* ZkathTh 76 (1954) 38<h 393. De voce ὑττόστασ ἱ cf. M.Richard, *introduction du mot "hypostase"...:* MélScRcl 2 (1945) 5-32. 243 270: Gai.tier, *L'"Urtio secundum Ilypostasim"...:* Greg 33 (1952) 357-379; H.Dorrie, 'Υπὸστασἱζ. *IVort- und Bedeutuiif/sgeschichte:* Nachrîchten der Akademie der Wissenschaften in Gottingen 1955, 35-92; E.Hammerschmidt, *Die BegriffsenPtvicklv^g in der altkirchlichcn Théologie suûjchcn dem ersten ullge-meinen Konsil von Wsaa* (325) *and dem ffweiten ollgcmeincn Kondil von Konstantinopel* (381): ThRev 51 (1955) 145-154. De ὑττ^στὰναι quod saeculo III priena vico introduceretur in sermone theologico, cf. GrtllmeiEr, *Die theologische... Vorbercitung... von Chalkedon* 1,41ss. De formula "unio secundum hypostasim", cf. J.Lebourlier, *"Union selon l'hypostasc". Ebauche de la formule dans le premier livre pseudo-athanasien contre Apollinaire:* RevScPhTh 44 (1960) 470-476.

2 Cf. Galt lER. 82s.

verus homo. Haec verba adduntur, ut expressius error Nestorii refellatur, de quo statim. Ille enim "unus" seu "idem" qui post unionem habetur et cui divinitas et humanitas pertinent, non est tantum ens illud complexum quod dicitur *Christus,* sed est proprie aeternus *Dei Filius,* qui, remanens quod erat, factus est verus homo3.

30. Adversarii. Diodorus Tarsensis (f 392) et Theodorus Mopsiiestenus (j· 428), ambo ex schola antiochena, inceperant Christum *dividere.*[5] Auctor tamen haereseos a suo nomine dictae fuit Nestorius (f 451), Constantinopolitanus episcopus, et ipse ex schola antiochena. Dicet Theodori Mopsuesteni discipulus non fuerit, at eius influxum certe subiit'.

Nestorii doctrina, de qua recentius multum disputatum fuitV sensu suo obiectivo 7, haec esse videtur. luxla Nestorium, Maria non erat Θεοτώκο , Dei genitrixs, sed Θε>^όχο ,8

• Cf. GaltiEr, n.84-90; Id., *E'unitt du Christ, Etre... Personne... Conscie» ce* (Faris 1939) 29; Id., *Unité ontologique et Unité psychologique dans le Christ:* BullIJttEccl 42 (1941) 162-171. Generaliora, cf. apud A.Sartori, *Il concetto di ipostasi c l'enosi dogm'atica ai cone.lii di Efeso c di Calcedonia* (Torino-Roma 1927).

[5] Cf. D'Axes, 102s; varia doctrinalia momenta exacte effert Grillmeier, *Dic thcologische... Vorbcrcitung... von Chalkcdon* 1,135-155. Doctrina christologica Theodori Mopsuesteni qualis se prodit etiam in eius nuper inventis "Catechesibus", exponitur a E.Amann, *Théodore de Mopsueste:* DTC 15,255-266.277s; R.DkvrEEssE, *Essai sur Théodore de Mopsueste* (Studi e Testi, 141, Città del Vaticano 1948); de hoc tamen opere, cf. 1.Ortiz de Urbina, S.I.: OrChP 15 (1949) 440-443 et Fr.A.Sullivan, S.I., *Sonic Reactions to Devrccsse's New Study of Theodore of Mopsuestua:* ThSt 12 (1951) 179-207; Id., *The Christology of Theodore of Mopsucstia* (Analecta Gregoriana, 82. Romac 1956); Id., *Further notes on Theodore of Mopsucstia:* ThSt 20 (1.959) 264-279; aliter, J.L.McKenzie, S.I., *The Commentary of Theodore of Mopsucstia on John 1,46-51:* ThSt 14 (1953) 73-84; Id., *Annotations on the Christology of Theodore of Mopsucstia:* ThSt 19 (1958) 345-373; R.Tonneau, O.P., en collaboration avec R.Devreesse, *Les homélies catéchctiquès de Theodore de Mopsueste* (Studi e Testi, 145, Città del Vaticano 1949); Camelot, *De Nestorius à Eutychés* 1,215-219; K.McNamara, *Theodore of Mopsucstia and the Nestorian heresy:* IrishThQuart 19 (1952) 254-278; P. Galtier, S.I., *Théodore de Mopsueste: sa vraie pensée sur l'incarnation:* RtxhScRel 65 (1957) 161-166; 338-360. P.Glorieux, *Prénestorianisme en Occident* (Monumenta Christiana Selecta, 6. Tournai-Faris 1959). De antiquo gnosticismo Christum iain dividente, cf. breyitor DTC 8,1249.

6 Cf. E.Amann, *Nestorius:* DTC 11,90s. Hic articulus nimis Nestorio favere dicendus est. Quaedam iure in hoc sensu notavit M.Quera, S.I., *Un ebés d'història del Concile d'Efès:* AnalSacraTarrac 7 (1931) 3-55. Recentius idem Amann scripsit: *L'affaire Nestorius vue de Rome:* RevScRel 23 (1949) 5-37.207-244; 24 (1950) 28-52.235-265; morte praeventus cl. Auctor huic scripto ultimam manum imponere non potuit; de facto non pauca aliter sunt tractanda: cf. L.Ciccone, C.M., *"L'affaire Nestorius vue de Rome" di Mons. E. A'mann:* DivThom (Pi) 28 (1951) 3,3-50. De philosophicis originibus nestorianismi, cf. Ivânka, *Hellenisches...* 68-94.

6 Cf. Galtier, n.109-125; Id., *L'unité...* 16-23; Xiberta, 2,679-684. De sententia Nestorii pluribus annis post concilium Ephesinum, cf. 1«.Scipioni, O.P., *Ricerche sulla cristologia del 'Libro di Eraclide" di Nestorio...* (Paradosis, 11. I'riburgo [Sv.] 1956).

7 De sensu enim *mere subiectivo* auctoris Ecclesia non intendit indicare.

8 Aliquando tamen usum huius vocis, non sino restrictionibus, admisit. Cf. DTC 11,143.146; Amann, *L'affaire Nestorius...:* RevScRel 24 (1950) 243. H.M.DiepEn, O.S.B., *Les douse Anathématismcs au Concile d'Ephèse et jusqu'en 519:* RevThom 55 (1955) 322. De tota hac quaestione, cf. Nilüs a S.B., O.C.D., *De Maternitatc divina B.Mariae semper Virginis Nestorii Constantinopolitani et Cyrilli Alexandrini sententia* (Romae 1944).

Dei receptrix, vel melius χριστοτόκο , Christi genitrix. Item luxta Nestorium nequit dici "Deus passus" °. Nestorius valde insistit in eo quod in Christo sint duae naturae sed unum π;6σ-.>πον seu una personalu. Tota diffictdta^sMn_mtelligendo .quid _sit_ hoc πρόσω-ον, qîiod ÎNestorius saepe adhibet at nunquam explicavit . luxta eum, unaquaeque natura suum habet πρόσωπον; ex unione utriusque πρόσωπον habetur tertium quoddam πρόσωπον, sc. πρόσωπον unionis1213

31. Auctores conveniunt in eo quod nec ipse Nestorius clare sciebat quid hoc suum πρόσωπον esset . Unio vigens inter naturam divinam et naturam humanam dicitur a Nestorio vel tanquam *templi* cum divinitate quae in eo inhabitat vel unio *voluntaria,* κατ' εὐδοκίαν, sed *non* unio *physica,* κατὰ φύσιν. neque *hypostatica,* καΤὑπόστασιν 14.

Quamvis multa obscura sint in Nestorii doctrina, tamen illam personam, πρόσωπον, quam consequenter ad unionem admittit esse in Christo unicam, aperte negat esse *ipsum Dei Verbum*15 17Ideo Nestorius contra traditionis doctrinam negavit Filium Patris aeternum esse *eundem* qui de Virgine Maria nasci dignatus est1®.

Monophysitarum contra Cone. Clialcedoncnse impugnationes ac si hoc Cone, indulsisset nestorianisme, locum dederunt notissimae illi controversiae *De tribus capitulis* (sc. de Theodoro Mopsuesteno, de Theodoreti Cyrensis scriptis, de epistola Ibae Edesseni ad persicum episcopum Marin), de qua egit *Concilium Constantinopolitanum II* (D 224-228)".

» Cf. DTC 11,92s. 141-143.

10 Cf. DTC 11,142-149.152.

11 Cur vix non impossibile sit in hac re miriorem claritatem obtinere, vide apud DTC 11,151.

13 Copiosam bibliographiam, cf. apud Galtier, *L'unité... 2Q,* nota 1.

13 Cf. Galtier, *L'unité...* 21s. Ipse Galtier proponit explicationem hanc: πρόσωπον consistit in communicatione activitatis divinae rt activitatis humanae, sensu quodam ncoplatonico desumpto ex unione "intelligibilium": *ibid.,* 20 nota 2. Aliter Amann (DTC 11,152s) explicationem potius psychologicam indicat.

14 Cf. DTC 11,145.149-151. Ibidem notatur sensus quo hae expressiones intelligcndae sunt.

15 Cf. Galtier, n.123 p.98.

,e Cf. Galtier, *L'unité...* 70; Camelot, *De Nestorius à Eutichès* 1,219-229; XiBERTA, 1, 112-117. Brevem expositionem doctrinae Nestorii ab ipso Romano Pontifice factam vide in *Encyclica* Pu XI *Lux veritatis:* AAS 23 (1931) 4.96-499. 503-505.

17 Cf. Galtier, n.73. Fusius, J.Bois, *Constantinople (IIe Concile de):* DTC 3,1231-1289. E. Amann, *Trois-Chapîtrcs (Affaire des):* DTC 15,1868-1924: quaedam tamen non nimis facile accipienda sunt; hic articulus negligere videtur Romanum Pontificem etiam quoad *facta dogmatica* infallibilem esse. Ch.Moeller, *Le chalcédonisme et le néo-chalcédonisme en Orient de 451 à la fin du VIe siècle: Das Konsil von Chalkcdon* 1,637-720; H.M.DiepEN. O.S.B., *Les Trois Chapitres au Concile de Chalcédaine...* (Oosterhout 1953) (de quo opere cf. relate ad nostram quaestionem, E-M.Llopart, O.S.B., *Una tesis de Dont Diepen...:* RevEspT 14 [1954] 72-75). In specie de Theodoreto, cf. J.MontalvernE, *Theodoreti Cyrensis doctrina antiquior de Verbo "inhumanato" a. circiter 423-435* (Studia Antoniana, 1, Romae 1948); GrillmEikr, *Die theologische... Vorbcrei-*

A.Günther. (1783-1863) unionem naturarum in Christo ponit *mere dynamicam et moralem.* Persona, enim, iuxta Günther, constituitur *per conscientiam ipsius;* proinde, quia Christus duplicem habet conscientiam, divinam et humanam, in eo sunt *duae personae physicae* quae ad unitatem non numerico-realem, sed *dynamico-formalem* coniunguntur

Rosminius (1797-1855) proponit unionem naturarum non qualem definiverunt Concilia, sed *accidentalem et moralem*[19]. Haec doctrina damnata est a Leone XIII (D 1917).

33. Doctrina Ecclesiae. Habetur *in ipsis symbolis,* quatenus *de eo* de quo dicitur esse *Filium Dei Unigenitum,* dicitur quoque fuisse *natum et passum.* Ita iam *symbolum Apostolicum:* “Credo in Deo Patre omnipotente et in Christo lesu, *unico Filio eius,* Domino nostro, *qui natus* est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, *crucifixus... et sepultus”* (D 2. Cf. D 6)[20]. *Concilium Nicaenum:* “Credimus... in unum Dominum nostrum lesum Christum, *Filium Dei,* natum ex patre *unigenitum,* hoc est de substantia Patris, *Deum ex Deo...* qui propter nostram salutem descendit, *incarnatus est et homo factus est et passus est”.* Adhuc clarius graece (D 54). *Similiter in aliis symbolis* (D 13 16 18 40 86 282-287)[21].

34. *Concilium Bphesinum:* “Et quamvis naturae sint diversae, vera tamen unione coeuntes, *unum* nobis Christum et *Filium* effecerunt... Ita [Sancti Patres] non dubitaverunt

tung... von Chalkcdon 1,183-191; K.McNamara, *Thcodorct of Cyrus and the unity of person in Christ:* IrishThQuart 22 (1955) 313-32S; L.Abramowski, *Reste von Theodorcts Apologie für Diodor und Theodor bei Facundus:* TU 63 (1957) 61-69; '\V.F.Macomber, S.I., *The Christology of the Synod of Selcucia* Ctcjfiphon A.D.486:* OrChP 24 (1958) 142-154.

18 Cf. A.Michel, *Hypostatiquc (union):* DTC 7,554-556. Günther suam doctrinam explicat in opere *Vorschule sur spekulativcn Theologis des posiPiven Christentums* CWien 1829) 2. In compendium redigitur haec doctrina a J.KlEutOEN, S.I., *Dic Théologie der Vorscit* (Münster 1870) 3,60-71. De relatione inter doctrinas Günther et Nestorii, cf. *ibid.,* 136-152. Doctrina Günther damnata est; cf. D 1655. Cf. quoque U.OrkAn, *Theologia Günthcriana et Conciliant faticanum* (Analecta Gregoriana, 50, Romae 1949) 2,60-110.

19 Cf. A.Michel, *Rosmini:* DTC 13,2942; 7,557s. De reccntioribus quibusdam studiis doctrinas Rosminii *orthodoxe explicantibus,* cf. D.Morando, *Rosmini* (Brescia 1945); I.Tubaldo, *La dottrina cristologica di Antonio Rosmini* (Milano 1954). Cf. tamen A.PbrEGO, S.I., apud Greg 37 (1956) 135s; C.Fabro, *Aporia c problcmatica dei pensicro rosininiano:* DivThom (Pi) 59 (1956) 361-371.

50 De hodierno investigationis statu circa originem symboli apostolici, cf. J.de GhEllinck, S.I., *Les origines du symbole des Apôtres après cinque siècles de recherches historiques:* NouvRevTh 67 (1945) (786) 178-(809) 201. Plenius integram quaestionem tractat idem auctor in optimo opere: *PatrisPique et moyen âge. Etudes d’histoire littéraire et doctrinale.* Tome I. *Les recherches sur les origines du syntbolc des apôtres*2 (Museum Lessianum, Section histor., n.6, Bruxelles-Paris 194/?). J.N.D.Ks1ly, *Early Christian Creeds* (Izondon 1950); P.Th.Camelot, O.P., *Les récentes recherches sur le symbole des Apôtres et leur portée théologique:* RechScRel 39 (1951-1952) (Mélanges Jules Leberton, 1) 323-337.

21 De quadam difficultate ex symbolo Concilii Toletani I (D 20 26), cf. J.A.de Aldama, S.I., *El Simbolo Toledano 1* (Analecta Gregoriana, 7, Romae 1934) 421, nota. Do S.Caelestino I, Nestorii doctrinam condemnante, cf. Galtier, *L'unité...* 47-52. Cf. J.de J.Pérez, *La Cristologia en los Simbolos Toledanos IV, VI y XI* (Romae 1939) 128-130.

sacram Virginem Deiparam (Θεοτόκον) appellare" (D 111a). "Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea *Dei* genitricem (Θεοτόκον) sanctam virginem (peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum), A. S." (D 113). "Si quis non confitetur *Dei Verbum passum* carne, et *crucifixum* carne, et *mortem* carne *gustasse, factumque primogenitum ex mortuis* [Col 1,18], secundum quod vita est et vivificator Deus, A. S." (D 124) [22] [23]

Confirmatio huius doctrinae habetur in documentis quibus contra Monophysitas statuendum fuit nec unitatem personae inducere unitatem naturae nec dualitatem naturae inducere dualitatem personae. Ita praesertim *Concilia Chalcedonense* (D 148) et *Constantinopolitanum II* (D 213-228) ss.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 111a 113 124) [24].

(53) Probatur ex sacra Scriptura. Ut Nestorii error directe refellatur, non sufficit ostendere attributa tum naturae divinae tum naturae humanae de uno eodemque *Christo* praedicari, hoc enim et Nestorius admittebat ac ideo Mariam dicebat χριστοτόκον, *Christi* genitricem [25]; sed debet ostendi quomodo A. *de Filio Dei* dicatur eum esse *natum, passum,*

22 Cf. M.Jugie, *Ephèse (Concile d')*: DTC 5,137-163; G.Bardy, *Les débuts du nestorianisme (Histoire de l'Eglise,* Fliche et Martin, Paris 1937, t.4 c.7) 163-196. Plura tum de historia tum de doctrina huius Concilii tractant M.Quera, S.I., F.Segarra, S.I., I.Puig de la Bellacasa S.I., J.M.Bover S.I., apud AnalSacraTarrac 7 (1931). Quaedam historica cf. apud G.Neyron, *Saint Cyrille et le Concile d'Ephèse* (Kyrilliana. Seminarium Franciscale Orientale Ghizae Aegypti, Cayri 1947) 37-59; Galtier, *L'unité...* 58-72; H.du Manoir, S.I., *Le Symbole de Nicée au Concile d'Ephèse:* Greg 12 (1931) 104-137. Quomodo ex solis verbis προσώπῳ, ὑποστάσει, καθ' ὑπόστασιν, persona..., non liceat argumentum facere, sed ad integrum controversiae sensum attendendum sit, cf. Galtier, n.113; Id., *L'unité... 27-29.* Expositionem de anathematismis S. Cyrilli, cf. apud Du Manoir de Juaye, *Dogme et spiritualité chez saint Cyrille...* 491-510. De formula "unio secundum hypostasim", cf. Galtier, n.91; Id., *L'"Union secundum Hypostasim...":* Greg 33 (1952) 351-398.

23 Plura documenta vide apud Galtier l (Parisiis 1926) n.80. De concordia doctrinae inter Concilium Ephesinum et S.Leonem I ac Concilium Chalcedonense, cf. Galtier, *L'Unité...* 72-88. In specie, de formula Concilii Chalcedonensis, cf. Richard, *L'introduction...:* MélScRel 2 (1945) 265-270; Sartori, *Il concetto di ipostasi...* 131-139.

Epistola 2 S.Cyrilli ad Nestorium (D 111a) lecta et *approbata* fuit in sectione prima Concilii Ephesini. Cf. ACG t.1 v.1 pars 2,13-31; cf. *ibid.,* pars 1,25; Grillmeier, *Die theologische... Vorbereitung... von Chalkedon* 1,161-164. Anathematismi vero S.Cyrilli (D 113-124), licet *Concilii Ephesini definitiones* non videantur esse, tamen iure dici potest eos propter *subsequentem confirmationem* Ecclesiae *sollemni definitioni aequivalere.* Cf. A.Deneffe, S.I., *Der dogmatische Wert der Anathematismen Cyrills:* Schol 8 (1933) 64-88.203-216. Cf. P.Galtier, *Les anathématismes de S.Cyrille et le concile de Chalcédoine:* RechScRel 23 (1933) 45-57; Diepen, *Les douze Anathématismes...:* Rev Thom 55 (1955) 300-338.

25 Cf. supra, n.30. Nostris diebus non desunt Nestorii defensores, qui traditionalem formulam existimant *"Christus* incarnatus" (!) et non *"Verbum* incarnatum". Cf. Galtier, *L'unité...* 51, nota 2. *Indirectum* argumentum ex sacra Scriptura posset quidem etiam illo modo efformari; at in hoc casu deductio quaedam argumentativa necessario est addenda. Cf. v.c. Galtier, n.92s.

et *B.* de *homine Iesu* eum esse *Deum;* etiam directa probatio contra Nestorium habetur, si C. *Christus* dicitur simpliciter *Deus;* tunc enim nulla est ratio dicendi *Christum* natum vel passum et non *Deum* natum vel passum [2e].

A. 1) Io 1,1.14: *In principio erat verbum* (ὁ Λόγο), *et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum... Et* verbum (δ Λόγο) caro *factum est* ET habitavit *in nobis,* ET VIDIMUS *gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.* Ergo illud ipsum *Verbum* factum est *homo, vixit* inter homines, *visum est*[2'].

2) Gal 4,4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus* Filium suum factum ex muliere, *factum sub lege.* De *Filio Dei* praedicatur novus modus essendi, nempe quod *ex muliere humanam naturam assumpserit*[23][28]. Cf. quoque Act 3,15; 20,28; 1 Cor 2,8; 1 Io 1,1-3.

36. B. 1) Rom 9,5 : *quorum* [Israelitarum] *Patres, et ex quibus est* Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. *Arnen.* Ille lesus qui *natus est* ex genere israelitico, ille Christus de cuius *humana natura* (κατὰ σάρκα) locutus fuerat S.Paulus, dicitur simpliciter *Deus* benedictus in saecula [2a].

2) Io 3,13 : *Et nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, Filius hominis. Homo lesus* dicitur descendisse de caelo, eo quod *Verbum* homo factum est (Io 1,14). Adhuc vis huius textus maior esset, si lectio latinac vulgatae *qui est in caelo* admitteretur[30]. Cf. quoque Phil 2,9-11 [31].

37. C. 1) Phil 2,6-8: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in* Christo Iesu : qui *cum* in forma Dei *esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Christus lesus* dicitur Deo aequalis, h.e. *Deus*[32].

2) Tit 2,13: *exspectantes beatam spem et adventum gloriae* magni Dei, *et Salvatoris nostri* Iesu Christi. *Christus* dicitur magnus *Deus* [33].

3) 1 Io 2,22: *Quis est mendax, nisi is, qui negat quo-*

·'e Qua forma concreta proponatur in sacra Scriptura doctrina de Christo, vide apud E.Masure, *Aux Origines du Dogme Chrétien: Le mystère de VJncarnaVion·.* RevApol 39 (1924) 129-151.203-222.257-273.321-339.

21 Cf. CeuppEns, *Theologia biblica* 3,68ss; M.-J.Lag®ange, O.P., *Evangile selon Saint Jean** (Etudes Bibliques, Paris 1927) in h.v.

28 Cf. CeuppEns, *o.c., 67s.*

2* Cf. Ceuppens, *o.c.,* 61ss; J.Huby. S.I., *Saint Paul, Epitre aux Romains™* (Verbum Salutis, 10, Paris 1940) 326-329.

30 Cf. Lagrange, *Evangile selon Saint Jean* in h.v. Etiam Bover admittit nuper hanc lectionem (J.M.BovEr, S.T., *Novi Testamenti Biblia gracca et latina9,* Matriti 1953).

31 Cf. J.M.BovEr, S.I., *Las epistolas de San Pablo9* (Barcelona 1950) in h.l.

32 Cf. Ceuppens, *o.c.,* 58-61.

83 Cf. Bover. *I.as epistolas...* in h.l.; CEuppEns, *o.c.,* 63ss.

niam Icsus est Christus? *Hic est Anlichristus, qui negat Patrem et* Filium. Ex parallélisme» patet *Christum* esse *Pilium*[84].

38. Probatur ex traditione. *Sancti Patres* traditionem multis modis referunt. Brevitatis ac facilitatis causa pauca exempla adducemus, quae in eundem fere ordinem redigentur ac testimonia sacrae Scripturae.

1) *Deus* dicitur *passus, crucifixus, mortuus.* Ita S.Ignatius Antioch.: "Ad vitam revocati per *sanguinem Dei".* "Concedite mihi imitatorem esse *passionis Dei mei"*[33]. Tertullianus: "Iam hic responde, interfector veritatis. Nonne vere *crucifixus* est *Deus?* nonne vere *mortuus,* et vere crucifixus? nonne vere *resuscitatus,* ut vere scilicet mortuus?" (R 353)[8te]. S.Ephraem: "Non, ut dicunt hodie, corpus tantum cruci affixum fuit. Sed, sicut ego credo, *Deus* homo *crucifixus est.* Qui voce magna clamavit et *exspiravit,* latusque lancea perforatum habuit, ipse est *Deus* absconditus" (R 709). S.Cyrillus Alex.: *"Homo* igitur factus est vere *is, per quem fecit et saecula* Deus Pater; et non, ut nonnulli existimant, in homine fuit, ut homo intelligatur a nobis tanquam Deum habens inhabitantem" (R 2124). Cf. R 394 1859 2171 2183[8I].

2) *Homo lesus* dicitur *Deus.* Ita S.Irenaeus: "Quoniam autem ipse *[Pilius hominis]* proprie praeter omnes qui fuerunt tunc homines, *Deus* et Dominus et rex aeternus et Unigenitus et Verbum incarnatum praedicatur" (R 222). S.Hilarius: "Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est, Deum et hominem praedicare, Verbum et carnem confiteri. neque Deum nescire quod homo sit neque *carnem* ignorare quod *Verbum* sit" (R 873)[38].

34 Cf. J.BonsirvEn, S.I., *Epitrcs de saint Jean* (Verbum Salutis, 9, Paris 1936) 138-140.

33 Ad Eph 1,1: M.G 5,643 (edit. I'unk-BihiaiEvEr 1,82). Ad Rom 6,3: MG 5,691.694 (Funk-BihlmEyer, 1,100). Cf. Rackl, *Dic Christologie des hl.Ignat.* 163.289; P.Th.Cameeot, O.P., *Ignace d'Antioche. Lettres* (Sources Chrétiennes, Paris-Lyon 1944) 20-24; GrillmeiEr, *Die thcologische... l^orbereitung... von Chalkedon* 1,31s.

3ĩ Cf. A.IZAi.Es, *La théologie de Tertullicn* (Paris 1905) 34; R.Favre, *La communication des idiomes dans l'ancienne tradition latine:* BullLittEccl 37 (1936) 130-137; GrillmeiEr, *o.c.,* 1,43-54.

87 De S.Ephraem, cf. Beck, *Die Théologie des hl.Ephraem...* 5.9ss. De S.Cyrille, cf. Weigl, *Christologie...* 151-164.176-192.195-203; Du Manoir de Juave, *Dogme et spiritualité chez saint Cyrille...* 114-143; A.Hulsbosch, *De hypostatischc vereniging volgens den H.Cyrillus van Alexandree*.* StudCath 24 (1949) 65-94; H.M.DiepEN, O.S.B., *Aux origines de l'anthropologie de saint Cyrille d'Alexandrie* (1957). De S.Augustino, cf. T.J.Van Bavel, O.E.S.A., *Recherches sur la Christologie de saint Augustin* (Fribourg· S. 1954) 13-44.57-63.

38 De S.Irenaco, cf. GrillmeiEr, *Die thcologische... VOrbcreitung... von Chai, kcdon* 1,34-38; A.IIoussiau. *La Christologie de saint Ircnéc* (Louvain-Gembloux 1955) 186-235. Cf. R.Favre, S.I., *La comnéunication des idiomes dans les*

39. 3) *Christus* dicitur simpliciter *Deus.* Ita S.Ignatius: "Medicus unus est, et carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, in carne exsistens *Deus,* in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc impassibilis. *Iesus Christus* Dominus noster" (R 39). *"Deus* noster *Iesus Christus* in utero gestatus est a Maria" (R 42). S.Ambrosius: "Adversus omnes tamen generalis ista est fides, quia *Christus* est *Dei Filius,* et sempiternus ex Patre, et natus ex Maria virgine" (R 1288)[39]. Cf. R 189 218 709.

4) Negatur in Christo esse aliquod *tertium,* diversum a Deo et ab homine. Sic Tertullianus: "Quodsi tertium quid esset [Deus et homo Iesus], ex utroque confusum, ut electrum, non tam distincta documenta parerent utriusque substantiae..." (R 379)[40].

5) Maria vocatur *Dei genitrix.* Ita S.Alexander Alexandrinus: "... Dominus noster Iesus Christus, qui carnem revera gestavit neque sola specie, sumptam ex Maria *Deipara.*" (R 680). S.Gregorius Nazianzenus: "Si quis sanctam Mariam *Deiparam* esse non credit, extra divinitatem est" (R 1017)[41]. S.Athanasius: 'Quod enim desuper ex Patre Verbum modo ineffabili... aeterne genitum est, ipsum in tempore inferius generatur ex virgine *Deipara* Maria" (R 788)[42]. Cf. R 711 1086 1400 2125 2171 2241 2364 2379[43].

Ratio theologica. Omne quod *inest alicui* personae, sive ad eius essentiam specificam sive ad eius membra seu partes sive ad eius accidentia pertineat, unitur ei *in persona,* h.e. illi personae ita inest, ut non nova persona resultet. Persona enim est quae colorem, manus, humanam natu-

oeuvres de saint Hilaire de Poitiers: Greg 17 (1936) 481-514; 18 (1937) 318-336; McMahon, *De Christo Mediatore...* 50-53.

[39] Cf. K.Schwerdt, *Studien sur Lehre des hl.Ambrosius von der Person Christi* (1937); J.Gapp, M.S.C., *La Doctrine de l'Union Hypostatique cites saint Ambroise* (Issoudum 1938); M.Drîzenick, *Doctrina S.Ambrosii de Christo Deo-Homine* (Pontificia Universitas Gregoriana, Maribor 1938) 1-20.

[40] Cf. D'Ales, *La théologie de Tertullien'* 198; Galtier. n.96 nota 7. Pro verbis "(de Christo enim differo)" (R 379), cf. D'Ales, *ibid.,* 78.

[41] Cf. Weigl, *Christologie...* 56-67.

[42] Cf. Weigl, *Untersuchungen sur Christologie...* 171-181. De doctrina Sti. Athanasii circa unitatem personalem Christi, cf. Grillmeier, *Die theologische... Vorbereitung... von Chalkedon* 1,9.9-102.

[43] Appellatio ipsa Θεοτόκο , Deipara seu Dei genitrix, prima vice apparet, in quantum scimus, c.220 apud S.Hyppolitum Romanum vel forte apud coëtaneum quendam aliquantulum posteriorem. Cf. H.Rahner, S.I., *Hippolyt von Rom ais Zeuge fur don Ausdruck* Θεοτόκο : ZkathTh 59 (1935) 73-81; Id., *Problème der Hippolytubcrliefcrung:* ZkathTh 60 (1936) 577-590. Cf. tamen C.Vagaggini, O.S.B., *Maria nelle opere di Origene* (Orientalia Christiana Analecta, 131, Roma 1942) 105-107. Plura testimonia SS.Patrum pro nostra thesi de una Christi persona, cf. apud D'Ales. 109-116; Xiberta, 1,137-143; vocis <θεοτόκο> testes antiquos, cf. *ibid.,* 132-135; 162s. De momento et natura argumentationis ex Patribus in controversia Nestoriana, cf. Du Manoir DI; Juaye, *Dogme et spiritualité chez saint Cyrille...* 454-490.

ram habet. Si ergo humana natura Verbo Dei non unitur in persona, ei non *inest* seu ei *nullo modo unitur.* lam vero fides incarnationis postulat praecise unionem inter Verbum et humanam naturam. Ergo natura humana Verbo unitur *in persona Verbi*4.*

41. Obiectiones. 1. Plures sunt textus sacrae Scripturae, in quibus Christus dicitur uno vel alio modo *templum* Dei (Io 2,19; 2 Cor 5,19; Coi 2,9). Atqui inter Deum et suum templum non datur unio *in persona.* Ergo unio Verbi incarnati non facta est *in persona.*

Dist. niai. Hae appellationes sunt affirmativae at non exclusivae, *conc. mai.;* sunt exclusivae, *subdist·:* si ipsa sacra Scriptura non doceret nos in Christo naturam humanam esse unitam in persona Verbi, *trans, mai.;* si hoc a sacra Scriptura docetur, *nego mai. Contradist. min.*

Explico. Etiam post multisaecularem affirmationem de unione personali in Christo, recentes litaniae Sacratissimi Cordis lesu dicunt: Cor lesu, *templum* Dei sanctum. Haec metaphora vera est, licet totam realitatem non exhauriat. Caeterum ipse S.Paulus in loco allato Coi 2,9 de incarnatione loquitur, eo sensu quo S.Ioannes (1,14) dixerat: *Et Verbum caro factum ẽsi*

2. Christus dicendo ex una parte: *Ego et Pater unum sumus* (Io 10,30) et ex altera parte: *Pater maior me est* (Io 14,28), videtur in sc distinxisse *duo Ego.* Atqui tot sunt personae quot sunt *Ego.* Ergo in Christo sunt *duae personae.*

Dist. mai. Christus haec dicens ostendit in se ipso dari *aliquid duplex,* ita ut ipse sit Deus, et simul homo Deo inferior ratione humanitatis, *conc. mai·;* ostendit dari in se praecise duas *personas, subdist.:* si duplicitas naturarum secum ferret *personarum* duplicitatem, *conc. mai.;* si non fert, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.*

42. 3. Scriptores ecclesiastici solent loqui de *homine* in Christo. Atqui hoc est quod Nestoriani defendebant, esse nempe in Christo *et Verbum et hominem.* Ergo traditio non recte sensit de unitate personali in Christo.

Admitto assertum et explico. Istis locutionibus significabant *quam veram ac integram 'naturam humanam* sibi Verbum unierit, *conc. mai.;* significabant illam naturam humanam esse in Christo *veram personam,* ita ut in eo fuerit et persona humana et persona Verbi, *nego mai. Contradist. min.41*

41 Ita videtur S.Thomas interpretandus contra plures. Cf. A.M.Rohner, O.P., *Dic unio in persona (.S.Thomas, S.Theol. P.III q.2 a.*2): JahrblliTh 23 (L909) 414-418. Cf. Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 175-192.212-217.

« Cf. Prat, *La Théologie...* 2,182-184.

«· Cf. GaltiEr, n.101-108. De theologico momento huius locutionis Patrum, cf. A.Gaudel, *Chronique de théologie dogmatique: La théologie de l' "Assumptus homo". Histoire et valeur doctrinale:* RevScRel 17 (1937) 64-90.214-234; 18 (1938) 45-71.201-217. De tendentia "Verhi-hominis" in oppositione ad tendentiam "Vcrbi-carnis" apud Patres, cf. Grii.i.mkiEr, *Die thcologische... Porbereitung... von Chalkcdon* 1,120-159. De primaevis scholasticis, cf. A.M. Lasdgraf, *Dogmengcschichte der Frilhscholastik, 2.n* pars, 1 (Regensburg 1953) 111. Ulteriores theologicas derivationes huius doctrinae, cf. apud L.Seiller, O.F.M., *L'activité humaine du Christ scion Duns Scot* (lOtudcs de Science Religieuse, 3, Paris 1944); Io.. *La psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne:* FranzStud 1948-194,9; de quo tamen articulo, cf. Decretum Sti. Officii: AAS 43 (1951) 561. De re ipsa, cf. P.Gautier, S.I., apud Greg 31 (1950)

43. Scholion 1. *De persona seu hypostasi Christi composita post incarnationem.* Hanc quaestionem tractat S.Thomas in a.4, eique respondet distinctione, sc. si persona seu hypostasis Christi *in se* consideretur, debet dici *omnino simplex* sicut et natura Verbi; si vero consideretur hypostasis, quatenus proprium eius est *subsistere m aliqua natura,* dicendum est personam Christi esse *compositam,* in quantum unum subsistens *in duabus naturis* subsistit.

Controversia *quoad rem* nequit esse inter catholicos. Tamen *quoad modum loquendi* discrimen aliquod datur. Dum enim antiqui Patres hypostasim Christi compositam dicere amabant, *scholastici* potius hanc expressionem vitabantl'.

44. Scholion 2. *De unione substantiali in. Christo.* Unionem Verbi cum natura humana esse *substantialem,* non accidentalem, significat illud resultans ex tali unione esse aliquid unum *in genere substantiae.* Ex thesi constat unionem factam esse *in persona;* quaeritur an substantialiter vel accidentaliter sit facta, accidentia enim uniuntur etiam in persona. Respondet S.Thomas a.6 hanc unionem esse substantialem et non mere__accidentalem aut moralem, quia ratione illius praedicatur de Verbo aliquid *substantiale,* sc. esse hqminem, et *per modum substantiae,* h.e. non recte diceretur Verbum esse *indutum humanitate* quasi veste quadam, sed dici debet Verbum esse *hominem* simpliciter secundum rei veritatem. Haec omnia ex probatis thesibus contra monophysitas et contra Nestorium clare constant.

45. Gressus tamen hic fieri debet, quia si unio est substantialis modo explicato, natura humana unitur Verbo non tantum *in persona* et substantialiter sed proprie *secundum personam aut secundum hypostasim.*

Ex una parte Filius Dei subsistit *ex* humana natura *et in* humana natura (cf. supra, n.18). Ex alia vero parte natura humana in Christo humana subsistentia caret; siquidem, cum sit ens *completum* in genere *naturae* (cf. infra, th.7 ubi de *perfecta* natura humana Christi), Verbo Dei deberet uniri accidentaliter, nisi traheretur ad communionem esse completi Verbi prout hoc est esse *hypostasis vel personae.* Ergo natura humana subsistit *per subsistentiam propriam Filii Dei* et non per seipsam/Unio igitur est *per modum subsistentiae* inter personam Filii Dei et naturam humanam, ac talis unio vocatur *secundum hypostasim 's./*

457s; 32 (1951) 531-568. Ipse Set11ER postea scripsit: *"Homo Assumptus" bei den Kirchcnvatern:* WissWeish 14 (1951) 84s.l69ss (florilegia patristica absque commentario); *Quelques reflexions sur lH*asswnptus homo" et la Christologie Traditionnelle* (Rennes 1951). De positione S.Thomae, cf. BullThom 5 (1939) 674-679. Cf. quoque infra, n.137.

4: Cf. Gat.tier, n.210-212; D'AiÆS, 183-186; Franzei.in, th.36; CaiETAnus, in h.l.; Suarez, in h.l. et <1.7 s.4: DTC 7,521-524.

40 Cf. CaiEtanum, in S.Th., 3 q.2 a.6 Comment, n.0; SirÂREz. in h.l. Corn-

46. Scholion. 3. *De naturarum circuminscssione in Christo.* Sicut in Trinitate tres *Personae* circuminsedere dicuntur, ita et in Christo duae *naturae.* Haec circuminsessio (περιχωρήσι) naturarum non differt a *commixtione* naturarum, de qua nonnulli Latini loquuntur. Salvatur ergo *perfecta distinctio naturarum,* ut inter tres divinas Personas circuminsedcntes distinctio personarum ; at simul exprimitur *naturarum arctissima copulatio.* Huius circuminsessionis fundamentum est unitas personae in utraque natura. Inde nec Deum in Christo sine hoc quod homo est, nec hominem licet cogitare sine hoc quod Deus est. Huius circuminsessionis momentum constabit ex dicendis infra, th.16 n.374".

47. Scholion 4. *De moderna doctrina circa personam.* Licet admodum diversae sint sententiae scholasticorum circa notionem personae, omnes tamen in eo conveniunt quod persona sit aliquid ordinis *ontologici.* /Tn Christo est una persona, quia solum Verbum utramque naturam, divinam et humanam, possidet. E contra, ,;io- *derna philo.s<ipJiicL-iiaix_scholastica* tanquam penitus acquisitam veritatem docet personam nihil aliud esse nisi *sui conscientiam,* aliquid proinde ordinis *phychologici.* Christus hoc sensu deberet omnino dici *persona humana,* cum habeat *conscientiam humanans/*

Pro theologis scholasticis conscientia seu τό ego *non constituit personam,* sed *supponit* naturam ontologice terminatam hypostasi, sive propria (generatim) sive aliena (in casu incarnationis)TC.

Scholion 5. *De unitate psychologica Christi.* Mysterium unionis hypostaticae secum fert unam personam divinam duas habere conscientias, divinam et humanam. Recenter a theologis tractatur quomodo Christi *unitas psychologica* explicanda sit, seu quale sit principium huius unitatis in Verbo incarnato.

In re valde disputata rectior videtur via a Galtier proposita. Christus nempe in sua humana natura conscientiam habet visionis beatificae, qua se ipsum videt uti ipse in se est. Huiusmodi visione natura Christi humana apparet et realiter distincta a persona Verbi cui haec humana natura pertinet et substantialiter unita huic divinae personae secundum hypostasim. Illud proinde "ego” quod os Christi profert non solam hanc humanam naturam respicit in qua haec vox efformatur, sed illud totum compositum theandnicum, cuius una persona est Unigenitus Patris in duabus naturis subsistens.

Centrum itaque psychologicae unitatis Christi in eius humana

ment. n.2. Cf. Galtier, I/“Unio secundum Hypostasem”...: Q.reg 33 (1.Q5P) 351-398. E.Schiltz, C.I.C.M., *De usu vocis "substantificarV' in Theologia Incarnationis apud Doctores Scholasticos·.* DivThom (Pi) 26 (1949) 179-186.

*® Cf. Petavium, 1.4 c.14; Scheeben, 1.5 § 233; Stentrup, 2, th.38, 666-676; D'Ai.es, 138s; Lercher, η.142. De historia et sensu vocis, cf. A.Deneffe, S.I., *Perichoresis, circumincessio, circuminsessio. Fine tcrminologischc Untersuchung:* ZkathTh 47 (1923) 497-532.

50 Cf. DTC 7,429-431; Galtier, *L'unité du Christ...* 123-141. De persona et ontologice et psychologice et moraliter considerata plura affert consideratione digna pro hodierna intelligentia· huius veritatis Garrigou-LagrangE, 93-9.9. Cf. quoque G.Cruchon, S.I., *Genèse et structure du moi humain à la lumière des Sciences biopsychologiques modernes:* NouvRevTh 73 (1951) 261-274.364-384; E.Boκέ, S.I., *Approches biologiques des notions d'individu et de personne:* NouvRevTh 81 (1959) 947-966. Vera “summa” circa personam humanam habetur in opere *Semaines Sociales de France, Clermont-Ferrand* 29® session (1.937). *La personne humaine en péril. Cemiptc rendu in extenso des Cours et Conferences* (Paris). De hac hebdomafda, cf. Descoqs, *Autour de la Personne...:* ArchPh 14 (1938) cahier 2.46-58 [2S0]-[292]. D.M.de ΓΈττεβ, O.P., *Personne et personnalisation:* DivThom (Pi) 26 (1949) 161-178.

conscientia habetur, visio autem beatifica hanc unitatem explicat, cum per hanc visionem totum illud personale quod est Christus magis praesens exsistat suo intellectui quam quaelibet alia persona praesens sit propriae conscientiae[51].

Thesis 4. Humana natura in Christo ideo non est persona humana quia caret modo substantiali subsistentiae, a natura realiter distincto.

A.MjchEl, *Hypostase'.* DTC 7,407-437.

48. Nexus. Definita Ecclesiae doctrina circa unionem hypostaticam, ulterius theologo procedendum est in speculativa huius dogmatis penetratione. S.Thomas quaedam iam attigerat in articulis *2N* quaestionis quos consideravimus; alia adhuc in hac 2" quaestione, alia in quaestionibus 3n, 4a, 17a, indicat.

Exposuimus in scholio altero theseos praecedentis naturam humanam uniri Verbo non tantum in persona sed proprie *secundum personam* aut *secundum hypostasim.* Natura igitur humana personalitate humana caret, ac subsistit subsistentia Verbi.

Hoc factum discrimen aliquod supponit inter naturam eiusque subsistentiam. De tali discrimine thesis nostra agit. In sequenti thesi *unionem* ipsam hypostaticam in se considerabimus.

49. Notiones. Natura humana in Christo intelligitur complexus substantiarum, virium, qualitatum quo Christus verus *homo* constituitur[1]. Sensu hoc natura idem est ac essentia seu substantia. *Philosophice* tamen haec nomina diversas habent definitiones. *Essentia* est id, quo res quaevis est id, *quod est;* vocatur etiam *quidditas. Substantia* est essentia, prout haec est id quo res quaevis *consistit* et *in se stat. Natura* est essentia, *prout* haec est *principium operandi.* Nos in thesi sumimus naturam sensu illo generaliori quo *non* contradistinguitur ab essentia vel substantia.

81 Cf. Galtter, *L'unité du Christ...* 235-371; Id., η.339-343; Id., *La conscience humain du Christ. Épilogue·.* Greg 35 (1954) 225-246. Bibliographiam· sat completam de integra, ac difficili controversia invenies apud E.GutwExger, S.I., *Bewusstscin and Wissrn Christi* (Innsbruck 1960). Cl. auctor novam viam· ingredi intendit. Cf. quoque C.Molari, *Aspctti metafisici e funsionali della eosciensa tmana di Cristo:* Divin 4 (1.960) 261-288; Philippe de la Trinité, O.C.D., *A propos de la conscience du Christ: un faux problème théologique:* EphCarm 11 (1960) 3-52. In genere de vita psychica ac de conscientia Christi, cf. J.Ternus, S.I., *Dgs Seclen- und Bcwusstscinslebcn Jcsu...: Das Konxil vom Chalkedon.* GrillmEier-Baciit, 3,81-237. De influxu conscientiae Christi in vitam psychologicam Domini, cf. C.Colombo, *Il triplice atriore di Cristo e la psicologia di Nostro Signore* apud A.Bea, S.I....» *Cor lesu* (Roma 1959), 1,. 307-345.

1 Cf. supra n.17.

Persona. Sensu iam scholastico definitur cum Boetio: "naturae rationalis individua substantia"2. *Substantia* dicitur ut accidentia excludantur, utpote quae sint entia *in alio. Individua* idem est ac *incommunicabilis;* excluditur ergo a notione personae omnis *communicatio,* sc. accidentis ad subiectum, partis ad totum; naturae universalis ad particularia vel singularia per realem communicationem, naturae singularis incompletae ad substantiam completam, naturae singularis completae vel ad plures personas per identitatem (in SS.Trinitate) vel ad unum suppositum nobilius (in incarnatione). *Naturae rationalis,* quia naturae irrationales constituunt *suppositum,* non vero *personam.* Definitur quoque persona: rationalis substantia singularis completa tota in se 3.

50. Subsistentia. Duplici sensu sumi potest, concreto et abstracto. Sensu *concreto* idem est quod res subsistens, suppositum, persona, hypostasis. Ita antiquitus sumebatur vox subsistentia. Sensu *abstracto* est *forma* seu formalitas vi cuius suppositum concipitur totum in se exsistere. Hoc sensu subsistentia dupliciter accipi potest: *adaequate,* sc. tanquam forma qua *ens* concipitur totum in se exsistere; *inadaequate,* sc. tanquam forma quae *substantiae singulari completae* concipitur advenire ut tota in se exsistat '.

Alio sensu essentialiter diverso accipitur subsistentia pro *exsistere in se,* et convenit *substantiae* cuilibet sive completae sive incompletae 5. In hac thesi accipimus subsistentiam non hoc sensu, sed sensu *abstracto* et quidem *inadaequato.*

51. Modus. *Late* sumptus significat quamcumquc determinationem. *Stricte,* seu modus *rcalis* vel *physicus,* est entitas positiva a subiecto distincta independenter a mentis consideratione, cuius totum esse consistit in ultima determinatione formali rei ad aliquod munus obeundum, vel ad aliquam realem denominationem actu habendam, sine qua determinatione, saltem in individuo sumpta, res eadem potest

3 *De persona ct duabus naturis* c.3: ML 64,1343 I). Praescindimus a quaestione *historica* de sensu quem haec definitio habeat *apud ipsum Boetium* (cf. M.NéüONCEi.LE, *Les variations de Boéce sur la personne:* RevScRel [195SJ 201-2 eam interpretamur sensu quo *scholastici* eam intelligunt cum S.Thoma (1 q.2Q a.1.2; q.30 a.1) (DTC 7,409-411 et cf. GutwengEr, *Zur Ontologie...:* ZkathTh 76 [1954] 392-396). De distinctione inter unitatem *singularem* et unitatem *individualem,* cf. P.DèSCOQS, S.I., *Mctaphysica generalis* (Paris 1925) 1,327s. De falsa distinctione inter *indiv'duum* et *personam,* cf. P.Descoqs, S.I., *Individu et personne:* ArchPh 14 (1.938) cahier 2, 1-34 [235]-[268].

3 Plura de generali notione suppositi et personae, cf. apud J.J.Urrâburu, S.I., *Institutiones philosophicae, Ontologie* (Vallisoleti 1891). 833-844; D.J.Mercier, *Cours de philosophie, Métaphysique générale ou ontologie7* (Louvain-Paris 1923) 302-306. Declarationem incommunicabilitatis, cf. apud SuârEz, *D'isp. Metaph.* d.34 s.5 n.53-62.

4 Maxime pro quaestione historica, cf. DTC 7,391-393.408.

« Cf. D.Mincoja, O.P., *De unione hypostatica* (Catanae 1926) n.20s.

exsistere absolute. Dicitur determinatio *ultima,* quia modus non est determinatio aptitudinalis seu exigitiva, qualia sunt accidentia absoluta, quorum essentia *exigit* determinare; modus e contra totus quantus est *actualis* determinatio, quae consequenter *ultima* vocatur, quia modus nulla ulteriore indiget determinatione ad munus suum exercendum, dum v.c. quantitas, utpote accidens absolutum, ad quantificandam substantiam indiget ulteriore determinatione, sc. unione seu inhaerentia. *Formalis* vero dicitur determinatio, quia modus communicatione sui ipsius effectum suum producit.

Modus tenuissimae entitatis est, quae nec divinitus a subiecto separari potest; ideo vocatur *ens entis.* Totum *esse* modi consistit in ultima determinatione formali alterius rei. Modus iuxta alios *vix aliquid perfectionis* addit rei modificatae, iuxta alios *nullam novam perfectionem* tribuit, sed perfectioni, quae iam adest, novum tantum modum se habendi tribuit ®.

Modus substantialis. Est modus qui ad constitutionem ipsius *substantiae* spectat, ut unio corporis et animae. Opponitur modus *accidentalis,* qui substantiam *accidentalitcr* modificat.

Subsistentia certe ad constitutionem ipsius substantiae pertinet, quia praecise est ultima terminatio seu ultimum complementum substantiae in ratione *essendi per se.* Modus itaque subsistentiae est modus substantialis.

52. A NATURA realiter distincto. Distinctionem rcalem intelligimus quae datur antecedenter et independenter a mentis consideratione. Modi a natura distinctionem plures volunt non realem sed mediam inter realem ac rationis, eo quod modus adeo est tenuis entitatis, ut *rei* nomen mereri non videatur. Rectius haec distinctio appellatur realis quidem at *realis minor,* quae etiam communissime *modalis* distinctio nominatur 7.*

53. Sententiae. A. Inter humanam naturam eiusque subsistentiam *sola distinctio rationis* datur.

Scotistae. Subsistentia est *negatio* dependentiae actualis et aptitudinalis ab alia hypostasi. Triplex dependentia habetur : *actualis,* quae actu exsistit, ut in humanitate Christi, quae est *actu* unita Verbo; *potentialis,* quae pura potentia est ac nihil in re ipsa dicit praeter non-repugnantiam, quam de-

e Cf. J.I.Alcorta, *La tcoria de los modos en Suârez* (Madrid 1949) 95-150; haec Breviter in compendium redigit J.IIei.lîn, S.I., *La teoria de los modos en Sudrez:* Pens 6 (1950) 216ss. Cf. quoque UrrXburu, *Institutiones..., Ontolotjia* 377-386: J.Donat. S.I., i'wwima *philosophiae Christianae, Ontologie9* (Oeniponte (Innsbruck] 1940) 195s.

T Cf. Alcorta, *o.c.,* 115-134; UrrAburu, *ibid.,* 376.386-388.

pendentiam potentialem omnes creaturae habent, siquidem nulla est entitas creata cui *repugnet contradictorie* dependere a Verbo; *aptitudinalis,* quae media est inter actualem et poientialem, quia vera est *aptitudo,* sicut in anima humana a corpore separata, quae habet *aptitudinem* ut iterum cum corpore uniatur. Ad rationem personae requiritur et sufficit *negatio dependentiae actualis et aptitudinalis.*

Inter naturam eiusque subsistentiam realis distinctio non datur, cum subsistentia sit *negatio.*

Humana Christi natura ideo iam non est persona, quia dependentiam *actualem* a Verbo habet. Videtur tamen negationem dependentiae *aptitudinalis* retinere, quae negatio est propria cuiuslibet naturae completae.

Hanc sententiam tenent praeter *scotistas* fere omnes, Molina, A.Mayr, Muncunill, aliique. A quibusdam tribuitur haec sententia Durando, Ockham et caeteris *Nominalibus*[8].

54. Tiphanus. Subsistentia non est *negatio,* sed quid *positivum,* quin immo in genere entis et substantiae subsistentia summe perfecta est. Haec perfectio est *totalitas* et integritas substantialis, opposita imperfectioni et accidentis et universalis et partis ; ita ut suppositum sit substantia prima, tota et integra, per se independens ac sui iuris [9].

Inter naturam eiusque subsistentiam realis distinctio non datur, sed *sola* distinctio *rationis.* Subsistentia quidem est *modus naturae,* at modus non physicus sed *metaphysicus,* talis sc. qui "ex natura sua re non differt ab eo, cuius est modus, cum sit *ipsa rei,* cuius est modus, *entitas aliter* et sub alia tantum ratione concepta" [10].

Humana Christi natura non est persona, quia est in Christo "ad modum partis, nec sua est, et quia extra eam est aliquid, nempe Verbum, cui ita est realitcr et substantialiter unita, ut in ratione substantiae et perfectionis minorem ad illud habeat proportionem, quam millesima guttulae pars ad totum mare"[11].

8 Cf. Minges, 1 n.491; Urràbvrü, *ibid.,* 849-851; Mvncvniu., n.151-165; DTC 7,411s. De sententia ipsius Scoti, cf. P.Descoqs, S.I., *Métaphysique. Systèmes et questions.* Art.3. *La nature métaphysique de la Personnalité:* ArchPh 14 (1938) cahier 3, 125-138 [547]-[560]; H.MühlEn, *Sein und Person nach Johannes Duns Scottis* [Framziscanische Forschungen, 11] (Werl-Westf. 1954); P.M.Migliore, O.F.M., *La teoria scotistiea della dipendensa ipostatica in Cristo:* MiscFranc 50 (1950) 407-480. De sententiis saec. XII et ineuntis saec.XIII, cf. Landcraf, *Dogmengescfcichte... 2.** pars 1,70-115.

9 C.Tiphanus, *Declaratio ac defensio scholastica doctrinae sanctoruwf Patrum Doctorisquc tA*ngclici de Hypostasi ct persona ad augustissima sanctissimae Trinitatis ct stupendae incarnationis mysteria illustranda?* (Parisiis 1881) c.18s.

'° Tiphanus, *ibid.,* c.49 n.3 p.269. Distinctionem esse tantum rationis per plura capita exponit Tiphanus, nempe a capite 21 usque ad 32, et similiter ubi de modis agit.

11 Tiphanus, *ibid.,* c.12 n.15 p.67.

Hanc sententiam tenent Thomassinus, Franzelin, Stentrup, Hurter, Pesch, Dalmau, Galtier, Pohle-GierEns ac plures alii[12].

55. B. Inter humanam naturam eiusque subsistentiam *distinctio realis* datur.

Capreoli nomine[13] insignitur sententia quam Billot valde notam reddidit. Subsistentia alicuius rei est substantialis eius *exsistentia* seu propria substantiae exsistentia. Natura seu essentia realiter distincta est a sua exsistentia ; actus vero exsistendi, eo ipso quod in natura tanquam in propria potentia recipitur, facit naturam seu essentiam simul exsistere et per se subsistere. Aliis verbis, *"esse quo subsistitur* nihil aliud audit... praeter substantialem actum exsistendi"[14].

Inter naturam igitur et subsistentiam *realis distinctio* datur, sicut realis est distinctio inter essentiam seu naturam et exsistentiam.

Humana Christi natura non est persona, quia *propria exsistentia* caret. *Ipsa exsistentia Verbi* supplet *propriam exsistentiam humanitatis*[15].

Hanc sententiam tenent Zumel, Terrien, Janssens, Van Noort, De la Taille, D'Ales, aliiie.

56. Caietanus. Subsistentia est actus seu modus substantialis, positivus, substantiae terminativus, exsistentiae receptivus. Actus vel modus substantialis dicitur, quia subsisten-

u PohlE-GiErEns, 79-84; Galtier, n.220-268. Pro reliquis auctoribus relatis, cf. DTC 7,413s vel D'AlES, 200-205. Inter reccntissimos philosophos pro hac sententia annumerandus est cl. P.Descoqs, S.I. Cf. *La nature métaphysique de la Personnalité* § 2. *Autour de la théorie Tiphaine-Franselin:* ArchPh 14 (1938) cahier 3, 114-122 [536]-[544]. Plures sunt qui credant inter sententiam scotisticam et sententiam Tiphani non esse discrimen nisi verbale. Cf. DTC 7,414. Hoc quoque supponit Galtier, n.221-238.

13 Falso hanc sententiam tribui Capreolo contendit F.P.Muniz, C.P., *El constitutivo forrrial de la persona crcada en la tradiciôn tomista:* CimeTom 68 (1945) 5-89. Capreolum potius habere elementa quaedam opinioni Caietani vere similia evolvit E.Quarelio, S.D.B., *Il problema scolastlco della persona nel Gaetano c nel Capreolo:* DivThom (Fi) 55 (1952) 34-46. Apud Muniz auctores referuntur qui inter ipsos Dominicanos tenent Capreolum hanc sententiam vere docuisse: cf. *l.c., 7,* nota 6. Billot recte interpretatum fuisse sententiam Capreoli tenet D.FouChEr, *La notion de personne d'après Capréolus et Billot:* RevThom 56 (1956) 659-687; similiter, J.Hegyi, *Die Bedcutung des Seins bei den klassischen Kommcntatorem des ht. Thomas von Atquin, Capreolus-Silvester von Ferrara-Caietan* (Pullach 1959). Defenditur haec sententia contra Caietanum a G.Frai-t.E, O.P., *EI constitutivo formal de la persona humana segfof Capréolo:* CiencTom 67 (1944) 129-199. Primus propugnator ac forte parens huius theoriae dicitur a Muniz Aegidius Romanus; cf. *EI constitutivo...:* CiencTom 70 (1946) 261S.288.

" Billot, 139. Hanc doctrinam exponit tota thesi 7.°

13 Fuse exponitur haec sententia a Muniz, *EI constitutivo...:* CiencTom 70 (1946) 201-211.

" M.de la Taille, S.I., *Entretien amical d'Eudoxe et Palamède sur la grâce d'union:* RevApol 48 (1929) 1-25.129-145. Pro reliquis, cf. DTC 7,423s vel D'Ai.es, 211-217.231. Plures thomistae pro hafe sententia adducuntur, at pauci eam sustinent. Cf. Muniz, *EI constitutivo...:* CiencTom 70 (1946> 205-207.260-288.

tia non est accidens, sed neque est proprie substantia, quia non est forma nec materia ; *reductive* tamen pertinet ad genus substantiae, quia eam terminat. Actus iste substantialis positivus est ex propria perfectione ultimus terminativus substantiae individuae in linea substantiae. Huiusmodi actus dicitur receptivus exsistentiae, quia *prius* subsistentia terminat naturam, *postea* vero naturae-subsistenti advenit exsistentia, ita ut exsistentia recipiatur *primo et immediate* in subsistentia, et, *hac mediante,* in natura.

Inter naturam et subsistentiam *realis distinctio* datur, quia huiusmodi actus seu modus substantialis est realiter distinctus tum a natura individua, etiam completa, tum ab exsistentia[17].

Hanc sententiam tenent Aegidius Romanus, Thomas ab Argentina, Ioannes a S.Thoma, Bânez, Salmanticenses, *plurimi alii thomistae*[18].

57. Suarez. Doctrinam proponit quam in notionibus exposuimus. Discrimen a sententia Caietani stat maxime in eo quod Suarez tenet essentiam ab exsistentia *non* distingui realiter, ideo modus subsistentiae nullatenus dici potest exsistentiae receptivus, sed advenit substantiae *iam* exsistenti. Subsistentia, igitur, non est proprie terminus aut modus naturae *secundum esse essentiae, sed secundum esse exsistentiae ipsius naturae.* At in ipso conceptu *modi* discrimen magnum adest inter Suarez et Caietanum, consequenter ad uniuscuiusque systema philosophicum[19].

Hanc sententiam tenent Lugo, Vazquez, Conimbricenses, Lossada, Ruiz de Montoya, Urrâburu, alii[20].

Valor theologicus. *Probabilior.*

58. Argumentum. Subsistentia est modus substantia-

17 Cf.MiNGOjA, *Dc unione hypostatica* n.49-89; Quarîulo, *II problema scolastieo delta persona...:* DivThom (Px) 55 (1952) 47-63.

18 Aegidium fuisse verum modi substantialis personalitatis inventorem ostendit MvSiz, *£/ constitutivo...*: CiencTom 68 (1945) 58-78. Cf. D.Trapp, O.E.S.A., *Aegid'i Romani dc doctrina modorum:* Ang 12 (1935) 449-501 ; J.M.OzaEta, O.S.A., *La union hipostâtica en la escudo egidiana:* CiudD 170 (1957) 433-448; 171 (1958) 60-82. Pro reliquis, cf. DTC 7,415-417 vel D'Ai.es, 205-209.

w Cf. Alcorïa, *o.c.,* 39s.

50 Cf. DTC 7,418-421 vel D'Aj.Es, 209-211. De sententia Patris Suârez cf. J.Iturrioz, S.I., *La nociôn de subsistenda y supôsito en Suâres:* EstEcl 17 (1943) 33-74. Propriam sententiam proponit D.Garcîa, *Dc rebus metaphysicc perfectis seu dc natura et supposito secundum primum totius philosophiae principium* (Barcinone 1930). Breviter indicat p.4 in quibus conveniat, in quibus discrepet ab aliis scholasticis. Contra novam sententiam a Philippo a SS.Trinitate propositam, cf. Descoqs, *La nature méthaphysique...:* ArchHi 14 (1938) cahier 3, 103-114 [525]-[536]. Sat peculiarem sententiam tenet Xiberta, 1,264-267. Plura circa varias sententias dc personalitate praebet L.DB RaymaekEr, *Metaphysica generalis* 22 (Lovanii 1935) 426-448. Integram quaestionem de notione personae funditus revisere aggressus est M.Febrer, O.P., *EI concepto dc persona y la uniôn hipostâtica. Revision tomista del problema* (Biblioteca de Tomistas Espanoles, 13. Valencia 1951): finis tamen non videtur adeptus, ut ecponimus in huius operis recensione arpud Pens 9 (1953) 240ss.

lis a natura realiter distinctus, si *a)* est aliquid positivum, *b)* a natura realiter distinctum et *c)* hoc aliquid est praecise modus substantialis. Atqui subsistentia est *a)* aliquid positivum, *b)* a natura realiter distinctum et *c)* hoc aliquid est praecise modus substantialis. Ergo subsistentia est modus substantialis a natura realiter distinctus.

Min. a) 1) Subsistentiam esse aliquid *simpliciter negativum* neque ab omnibus scotistis tenetur, cum censeant eam exprimi quidem verbis negativis, sc. "negatione dependentiae'', at esse realitatem positivam vel saltem non simpliciter negativam [21]. Inter ipsos auctores qui se ipsos scotistis annumerant, sunt qui tanquam evidens supponant in hac sententia subsistentiam esse perfectionem positivam verbis negativis enuntiatam2223Quin immo, ipsi qui aperte defendunt subsistentiam esse negationem, ita postea loquuntur ut huic negationi veram realitatem attribuere videantur

2) Re quidem vera, personalitas, utpote ultimum complementum substantiae, est magna perfectio nec tantum in ordine morali sed et in ordine physico, cum substantia physice debeat persona constitui. Atqui contradictorium videtur magnam aliquam perfectionem esse quid mere negativum seu non-ens. Ergo subsistentia nequit reponi in negativo.

Min. b) 1) Si subsistentia realiter identificetur cum natura, ubicumque sit concreta illa natura erit etiam sua subsistentia. Atqui in Christo est natura humana concreta. Ergo esset etiam huius naturae subsistentia, quod repugnat. *Maior* haec certa videtur ; si enim illa subsistentia posset ab illa natura separari, *non realiter identificaretur* cum ea, cum praecise separabilitas sit signum *rcalis distinctionis.* Ipsi adversarii hoc principium confirmare videntur, eo quod exempla quae in contrarium proferunt vel non sunt ad rem vel solum de *relativis* et *negativis* valent

2) Si subsistentia realiter cum natura identificetur, natura in se quoad entitatem *plene completa* ponitur. Atqui e duobus plene completis, sc. Verbo et natura humana sic cum sua subsistentia identificata, unum *per se* fieri nequit. Ergo si subsistentia realiter cum natura identificetur, unitas Christi adstrui videtur mere accidentalis seu moralis ac extrinseca ".

21 Cf. apud Mastrium, *In Metaph.,* d.11 q.4 n.62; Z.Van de WoESTYnE, O.F.M., *Cursus philosophicus..., Ontoloffia** (Mcchliniae 1933) 248.

23 V.c. Galtier, n.238.

28 Ita v.c. Muncuniix, n.155: "deest illi humanitati Christi aliquid negativum". Quomodo mera negatio potest alicui vere *deessef...*

31 Cf. SuXrez, *Disp. Metaph.* d.7 s.2 n.9s; d.34 s.2 n.S; Urrâburu, *Institutiones... Ontoioffia* 316s. Plura exompla in favorem propriae sententiae adducuntur a Tiphano, *Declaratio ac defensio...* c.23.50-53. Item a Pesch, n.93.

38 Cf. Salmanttcenses, d.3 dub.2 n.29.

59. *Min. c)* 1) *Non est exsistentia substantialis.* Si natura humana Christi exsistat per exsistentiam ipsam Verbi, non videtur primo quomodo haec natura sit *vere et realiter exsistens,* secundo quomodo haec natura sit *creata,* non videtur tertio quomodo *tantum Filius sit incarnatus* et non potius tota SS.Trinitas. Atqui hae tres veritates retinendae sunt. Ergo natura humana Christi non videtur exsistere exsistentia ipsa Verbi.

Mai. Primo. Exsistentia Verbi, utpote infinita, nequit vere *informare* naturam creatam. Atqui natura humana quae non vere informetur seu quae actum exsistendi *in se tanquam in potentia* non recipiat, nequit esse natura *vere et realiter exsistens.* Ergo si natura humana Christi exsistat exsistentia ipsa Verbi, non videtur quomodo haec natura sit vere et realiter exsistens.

60. Secundo. Saltem valde difficile intellectu est ens compositum potentia et actu, quod dici possit creatum, si tantum potentia est creata, actus vero est increatus. Praeterea, iuxta S.Thomam, creatio non respicit naturam vel essentiam nisi *mediante actu essendi,* qui est primus terminus creationis [2e]. Ergo si *actus essendi* naturae humanae est increatus, natura non erit creata.

Tertio. Iuxta adversarios, "relationes seu Personae divinae non habent exsistentias proprias relativas, sed exsistunt *una absoluta exsistentia* essentiae" [27 28]Ex alia parte subsistentia dicitur esse ipsa exsistentia. Inde argumentamur. Unio hypostatica formaliter et primario consistit in *exsistentiae* communicatione. Atqui haec exsistentia non est nisi *una* et *absoluta.* Ergo ex duplici capite videretur tota Trinitas incarnata, sc. ex eo quod illa exsistentia est tribus Personis *communis* et ex eo quod illa exsistentia est aliquid *absolutum;* absoluta enim sunt communia toti Trinitati Haec quidem magis adhuc urgent contra Billot, qui non solum *exsistentias* relativas in divinis, sed ipsas *subsistentias* relativas negat, ac ponit *unam* subsistentiam [29].

61. 2) *Est modus substantialis.* Entitas illa positiva, quae non est exsistentia substantialis, entitas *modalis* est, quia

M In S d.11 q.1 a.2 ad 2.

31 Billuart, *De SS.Trinitate* diss.3 a.4.

28 De toto hoc argumento, cf. GaltiER, n.250-255. Novum modum hanc theoriam defendendi a P. de la Taille propositum (cf. RechScRel 18 (1928) 253-268; RcvApol 48 [1929] 1-26.129-145) refutat breviter Descoqs, *La nature métaphysique...:* ArchPh 14 (1938) cahier 3, 120s [542]s, nota.

20 Cf. Billot, *De Deo uno et trino'* (Romae 1935) q.29, th.11. Coroll. Contra, cf. GaltiEr, n.186-191.256-260. Dc· tota hac quaestione, cf. SuXrEz, d.11. *De esse exsistentiae humanitatis Christi* agit expresse SuarEz, d.36.

distinctio haec modalis *sufficit* ad salvanda omnia quae fides docet de mysterio incarnationis, cum *res* possit separari *a mode* ex natura rei distincto, et sic humanitas Christi sine proprio subsistentiae modo esse possit. Aliunde aliqua entitas omnino distincta *vix potest concipi* quid aut qualis sit aut quomodo naturae uniatur. Immo vero, si subsistentia foret entitas absoluta, esset vera *natura,* siquidem actus absolutus substantialis qui non sit primum principium operationum et consequenter *natura,* communiter censetur repugnare.

Modus iste est *substantialis,* quia substantiam complet in ratione *substantiali,* nempe tanquam ultimus ac purus terminus naturae in ratione essendi *in se.* Iam vero substantia non potest ab accidente formaliter accipere suum complementum 80.

62. Obiectiones. 1. Sancti Patres et ipsa Concilia quando rationem dant cur in Christo persona humana non adsit, non attendunt quidquam *positivi,* quod sit praeter naturam ipsam, sed tantummodo utrum seorsim sibi, per modum totius distincti, an apud alium, per modum partis, exsistat. Atqui huiusmodi auctoritas longe prae philosophicis rationibus valere debet. Ergo *sola distinctio rationis* inter naturam ac suam subsistentiam admittenda est ".

Dist. mai. Patres ac Concilia volunt *ultimam rationem metaphysicam* assignare, cur natura humana Christi non sit persona, *nego mai·;* volunt *factum* efferre, sc. naturam Christi non esse personam quia in Verbo subsistit, *conc. mai, Contradist. min.* Si Patres et Concilia de *nostra metaphysica* quaestione agerent, *conc. min.;* si solum *dogma* proponunt, *nego min.*

63. 2. Sollemne est apud sanctos Patres effatum: *Quod non est assumptum 'non est sanatum* (v.c. R 1018 1254)Atqui si subsistentia humana esset aliquid *positivum* a natura humana *realiter distinctum,* aliquid esset quod Verbum non assumpsisset ideoque nec sanasset. Ergo subsistentia humana a sua natura non distinguitur *realiter.*

Dist mai. Sensus huius locutionis est Verbum assumpsisse quidquid ad perfectam *naturam* humanam pertinet, *conc. mai.;* sensus est Verbum assumpsisse quidquid positivi habeatur in homine sive ad ordinem naturae sive ad ordinem personae spectet, *nego mai. Contradist. min.*

Explico. Patres hanc locutionem adhibent ut inculcent *veram ac perfectam Christi humanitatem* maxime contra docetas, arianos, apollinaristas". Quam absurdum sit ex hoc effato argumentari sensu adversariorum, patet eo quod etiam sequeretur Verbum non sanavisse humanas omnes *individualitates,* seu illud omne quo unum individuum distinguitur ab alio.

M Cf. Suarkz, *Disp. Metaph.* d.34 s.4 η.32-41, ubi plura argumenta pro hac veritate habentur. Urrâburu, *Institutiones... Ontologin* 865s.

51 Cf. Galtier, n.223-229; J.PuiG de i-a Bellacasa, S.I., *De ratione allata ab ephesino Concilio cur Christi humanitas propriam personalitatem non habeat:* AnalSacraTarrac 7 (1931) 81-93.

52 Tlura apud Petavium, 1.5 c.11 n. 11-13.

83 Cf. Petavium, *ibid.,* n.1.11-13; Galtier, n.5.

64. 3. Complures ac doctissimi Patres propriam formam hypostasis seu personae dicunt esse "modum exsistendi". Atqui hac formula significant subsistentiam esse *exsistentiam* substantialem. Ergo subsistentia est *exsistentia substantialis.*

Cone. mai. M *Nego min.* Nam "exsistendi modus" est, iuxta illos Patres, proprietas personalis, quae est v.c. υἱότη id est "filietas". Et hanc praecise ponunt rationem differentiae inter divinas personas. Ergo admittendum esset divinas personas inter se differre *ratione exsistentiae.* Patres certe non sumebant vocem *exsistendi* in sensu illo contradistincto ab essentia". Ut appareat quam caute sit in hac re procedendum, notandum est apud Boetium et similiter apud auctores sequentes usque ad S.Bonaventuram "esse" et "quo est" fere semper significare *essentiam* sive *tale esse,* non vero exsistentiam ".

65. 4. S.Thornae auctoritas magni est facienda. Atqui S.Thomas aperte docet subsistentiam esse exsistentiam substantialem. Ergo subsistentia videtur dicenda exsistentia substantialis.

Cone. mai. Nego min. Status hodiernae scientiae circa hoc punctum tam parum definitus est, ut Galtier, S.I., potuerit a.1926, a.1939, a.1947 negare hanc esse doctrinam S.Thomae, D'Ales, S.I., a.1930 id affirmare. Item Garricou-Lagrange, O.P., a.1945 et Muniz, O.P., a.1946 non tantum negant hanc fuisse propriam S.Thomae sententiam sed negant insuper hanc doctrinam posse cum thomismo conciliari; e contra Fraile, O.P., a.1944 et Gazzana, S.I., a.1946 affirmant sententiam reponentem subsistentiam in modo substantiali esse "inventum" quoddam a thomismo alienum. Adhuc recentius Schweizer a.1959 negat esse thomistam tum theoriam exsistentiae substantialis tum theoriam modi, dum Degl'Innocenti, anno sequenti id refutat, asserens constitutivum formale personae, iuxta S.Thomam, esse "esse actualis exsistentiae". Anno 1959 KrEmpEl affirmat S.Thomam non quaerere solutionem huius problematis in campo realitatis cuiusdam absolutae sed relativaeSI.71

« Cf. Petavium, 1.3 c.14 n.1; DTC 7,404s.424.

35 Cf. Petavium, 1.3 c.16 n.14; *De Trinit.* 1.4 c.8 maxime n.6; Galtier, *L'unité du Christ...* 150-165.

:aJ Cf. H.J.Brosch, *Der Seinsbegriff bt*i Boethius* (Innsbruck 1931); F.Pelster, S.I.: Schol 3 (1928) 264-266; 5 (1930) 455; Id.. *Die Quaestio Alberts des Grossen Uber das Eine Sein in Christus nach Cod. Vat. lat. 4245:* DivThom (Fr) 26 (1948) 20s. Cf. quoque evolutionem notionis "esse" in schola thomistica, apud Hegyi, *Die Bedcutung des Soins bei den klassischcn Kommentatorcn des hl. Thomas...*

71 Galtier', n.259-264; Id., *L'unité du Christ...* 166-234; Id., n.260-268. D'Ales, *222-228.*234-237. R.Garrigou-I.agrange, O.P., in recensione operis C.Giacon, S.I., *La seconda scolastica...:* Aug 22 (1945) 84-88. Munie, *Bl constitutivo...:* CiencTom 70 (1946) 201-293. FrailE, *El constitutivo....'* CiencTom 67 (1944) 129-199. H.Gazzana, *Do formali constitutivo personae iuxta Caietanwn:* Greg 27 (1946) 319-326. O.Schweizer, *Person und hypostatische Union bei Thomas von Aquin* [Studia Friburgensia. N.F. 151, Freiburg i.d. Schw. 1957; Id., apud FreibZPhTh 6 (1959) 303-311. U.Degl'Innocenti, O.P., *Un recente studio sulla persona e Vunione ipostatica in S.Tommaso:* Divin 4 (1960) 141-153. A.KrEmpÉi., *Des hl.Thomas Natur- und Personbeyriff im Zusammenhang mit dem Dreifaltigkcits— und Mcnschwerdunqsverstdndms:* MiinchThZ 10 (1959) 114-122. Quin immo, tum Capreolum turn Caietanum turn Billot esse "ad marginem" traditionis patristicae et scholasticae contendit E.Sciiiltz, *Si Christus humanam naturam quam' assumpsit deponeret:* DivThom (Pi) 16 (1939) 3-16. De mente S.Thomae, cf. quoque H.Ruding, *Het Begrip persoon in de leer omirent de hypostatische vereniging.* Bijdragen... der Noord en Zuit-Nederlandse Jezuieten 7 (1.946) 231-273 (breviter, apud BullThAncMZd 5 [1947] n.652). Recta methodus ad interpretationem Sti.Thomae ea videtur esse quae sensum

66. 5. Eatenus tota SS.Trinitas diceretur incarnanda iuxta sententiam Billot, quatenus natura humana Christi exsisteret *una* et absoluta exsistentia divina. Atqui natura humana Christi exsistit quidem hac una et absoluta exsistentia divina, sed habita *modo relativo proprio Filii.* Ergo iuxta sententiam Billot non est cur tota SS.Trinitas dicatur incarnandaæ.

Cone. mai. Nego min. Haec solutio inadmissibilis videtur. Totum quod est in divinis *absolutum,* etiam si ôn persona aliqua determinata consideretur, *manet* tribus Personis *commune;* ita v.c. omnipotentia Filii est *identica cum omnipotentia* Patris. Logice debet admittere Billot in divinis *nihil* esse *commune,* quia omnia habentur de £acto prout in Patre vel prout in Filio vel prout in Spiritu Sancto. Nihilominus omnes catholici concedere debemus ea quae a parte rei non essent, in sententia Billot, *communia,* esse a parte rei *identica.* In divinis, enim, omnia sunt Mnum ubi non obviat relationis oppositio (D 703).

67. 6. Natura singularis completa *eo ipso* quod non assumatur ab altiori supposito iam est suppositum. Ergo ad hoc ut natura sit suppositum *sola non-unio* sufficit, quin ullus requiratur modus substantialis.

Dist. antec. Eo ipso *formaliter* est suppositum, *nego antec.; illative, conc. antec. Dist. pariter cotis.*

Theologi quidem admittunt talem naturam non assumptam esse suppositum. At quaestio ulterior metaphysica est de *formali ratione,* quae naturam non assumptam constituat personam.

7. Si lignum dividatur, *sola divisione,* sine accessione novae entitatis, exsurgunt tot supposita quot fragmenta ligni. E contra, si Deus unit iterum fragmenta in unum lignum, hae partes *sola unione* desinunt esse supposita. Ergo subsistentia non est nisi negatio unionis.

Dist. antec. Census non detegunt novam realitatem advenientem in divisione vel recedentem in unione, *cone, antec·; intellectus* talem realitatem non exigat, *nego antec. Dist. pariter cons.*

68. 8. Modus substantialis dicitur tenuissimae entitatis. Atqui personalitas est magna perfectio. Ergo personalitas nequit esse modus substantialis.

Dist. mai. Ita tamen ut haec tenuissima entitas *terminet* magnam aliam entitatem, sc. naturam, et hac ratione magna perfectio exsurgat, *conc. mai.;* ita tamen ut huic tenuissimae entitati *ratione sui et independenter a natura* quam terminat magna perfectio tribuatur, *negi mai. Conc. min. Contradist. čons.* l

9. Natura completa exsistens per propriam exsistentiam est aliquid *ultimo completum in linea substantiae.* Atqui enti, quod est ultimo completum in linea substantiae, si aliquid unitur, *accidentaliter* tantum ei unitur. Ergo natura completa *non per propriam exsistentiam exsistit.*

Dist. moi. Ultimo completum in linea substantiali *naturae, conc. mai.;* in linea substantiali *hyposiaseos, nego mai. Contradist. min.*

et positionem problematis apud theologos praecedentes ac maxime apud eius magistrum S.Albertum Magnum prae oculis habeat; de doctrina S.Alberti, cf. Pelstek, *Die Qvaestio Alberts...:* DivThom (Fr) 26 (1948) 3-25. Cf. quoque infra, n.407 nota 44.

' Billot, th.7, obiic. septimo.

A Plures alias difficultates contra modum substantialem solvit UrrAburu, *Inst tutivHes... Onrvloyia* 388-391.866-870.

Si est ultimo completum in linea substantiali *et* naturae *et* hypostaseos, *cone, tnin.;* si est ultimo completum in linea substantiali naturae *et non* hypostascos, *nego min.*

Explico. Quod advenit alicui post esse completum, accidentaliter ei unitur, nisi trahatur in communionem illius *esse completi.* Hoc *esse* intclligitur ab adversariis exsistentia, a nobis propter rationes allatas esse personale v.

Thesis 5. Unio naturae humanae cum persona Verbi importat in humanitate modum quendam substantialem, ex natura rei ab humanitate distinctum, qui modus fundamentum est relationis realis praedicamentalis unionis.

S.Th., 3 q.2 a.7; Suarez, d.8 s.3; SalmanticEnsEs, d.4 dub.l; Muncunux, a.192-216.

69. Nexus. Postquam S.Thomas *integrum terminum* per actionem unitivam productum consideravit, quaerit nunc *de ipsa unione in se* quid sit. Unio autem sumitur hic pro *relatione* exsurgente inter Verbum et naturam humanam unitam Verbo \

Probat S.Thomas hanc unionem esse aliquid *creatum,* quia realiter non est haec relatio nisi in natura humana, quae est creatura.

Hac occasione proponitur a theologis quaestio duplex: prima, utrum inter Verbum et humanitatem detur *relatio praedicamentalis unionis;* altera, quale sit *proximum fundamentum* talis relationis praedicamentalis, sc. an sit aliqua realitas independenter a mentis consideratione diversa vel non ab extremis unitis. Haec altera quaestio est per se independens a prima, et posset sic quoque proponi: an unio hypostatica sit aliquid *ex natura rei distinctum* ab extremis per actionem Incarnationis productum.

70. Notiones. Unio potest considerari: *active,* est *actio* uniendi, proprie vocatur *unitio;* in nostro casu est actio communis SS.Trinitati, cui respondet in natura humana *passio* sensu praedicamentali aristotelico; *passive,* est ipsa coniunctio in facto esse; haec vocabitur a nobis simpliciter *unio.* Unio est *mediata,* si efficitur per medium proprie dictum, v.c. unio

« Cf. S.Th., 3 q.2 a.6 ad 2.

1 T'rimo aspectu videretur S.Thomas agere de relatione inter *naturas,* humanam et divinam, ad inricem unitas, de qua relatione pauca dicamus infra, schol.l n.79. Sed ut alia omittamus, tum ex contextu huius secundae quaestionis, in qua tractat de modo unionis *Verbi* incarnati, tum ex hoc ipso articulo septimo (in corpore, ad 1 et ad 3), tum ex nota terminologia Sti.Thomae, iuxta quam "natura divinar" accipitur "suppositata" (cf. v.c. 3 q.3 a.2) patet S.Doctorem loqui in nostro loco de relatione inter *Verbum* et *naturam humanam* Verbo unitam.

duorum lapidum mediante calce; *immediata,* si inter extrema nihil habetur tanquam *id quod* haec extrema coniungat[2]. De hac unione *immediata* agimus.

In unione possunt distingui: 1) *unio ipsa,* prout est *coniunctio;* in nostro casu est substantialis coniunctio naturae humanae cum persona Verbi ; 2) unio *formaliter* considerata, prout est *id quo* extrema formaliter conjunguntur; de ea disputatur an sit aliquti realitas ab extremis ante mentis considerationem distincta, quae concipiatur tanquam vinculum extrema formaliter uniens, an vero sit realitas non extremis superaddita sed eis identica ; 3) unio *relative* considerata, prout est *relatio* quae resultat inter extrema unita[3] : de hac relatione quaeritur an sit praedicamentalis vel transcendentalis.

71. Modus substantialis. Explicatus manet in praecedenti thesi de constitutivo personalitatis, n.51.

Ex NATURA REI AB HUMANITATE DISTINCTUS. Quamvis distinctio modi a re, cuius est modus, fuerit in praecedenti thesi appellata *realis* (n.52), malumus in hac thesi de distinctione *ex natura rei* sermonem facere, ne videamur docere medium unionis inter Verbum et humanitatem esse medium proprie dictum (cf. n.70). Distinctio enim quam nos ponimus esi *realis minor seu modalis;* non est ergo distinctio *ut rei a re,* quamvis utique sit eo sensu distinctio realis, quatenus habetur *independenter a mentis consideratione.*

72. Relatio est respectus unius ad aliud. Relatio *realis* est talis respectus, qui *independenter a mentis consideratione* in rebus exsistit. Relatio *rationis* seu logica est talis respectus, qui *per apprehensionem mentis fit,* quatenus aliquid eorum quae ad relationem requiruntur, tantum mentis operatione ponitur.

Relatio realis est vel *transcendentalis* seu essentialis vel *praedicamentalis* seu accidentalis. Relatio *transcendentalis* est quae subiecto de quo dicitur *essentialis* est, v.c. creatura essentialiter refertur ad Deum, accidens ad substantiam, unio ad extrema unita. Relatio *praedicamentalis* est quae subiecto de quo dicitur *contingens* est, v.c. paries albus accidentaliter refertur ad alium parietem album[*]

[3] Cf. perspicue I. de Lossada, S.I., *Cursus Philosophicus, Physica* (Barcinone 1883) 5,76; Urráburu, *Institutiones... Cosmologia* 631.

[3] Unio *relative* vocatur unio *formaliter* a Mingoja, *De unione hypostatica* n.316ss.

[*] J. Donat, S.I., *OntologiaP* n.381-394; Urráburu, *Institutiones... Ontologia* 966-1015; Suarez, *Disp. Metaph.* d.47. Cf. A. Krempel, *doctrine de la relation chez saint Thomas* (Paris 1952); id., *S.Thomas et la notion de relation transccndentale:* RevScPhTh 43 (1959) 87-94; M.-D. Philippe. *La notion de rélation transccndentale est-elle Thomistef:* RevScIliTh 42 (1958) 265-275.

73. Sententiae. A. Ob philosophicas rationes circa modum loquendi in materia de relationibus, hanc relationem praedicamentalem unionis negat Lugo ; *solam* relationem *transcendentalem* seu essentialem *memorant* Durandus, Scotus, Vazquez '. B. Fundamentum relationis praedicamentalis : *Plueres dominicani,* Suarez, SalmanticensES, J.Müller assignant pro fundamento modum substantialem *unionis* ex natura rei distinctum ab extremis e. *Communius vero dominicani,* Valencia, Pesch, Galtjer talem modum reiciunt6. Dicunt enim fundamentum relationis unionis sufficienter constitui ex parte humanitatis per *dependentiam* seu tractionem passivam naturae humanae ad Verbum 8.* Huiusmodi tractio passiva est pro maiore parte horum auctorum *modus* quidam *realis superadditus* °; pro aliis vero est *modus metaphysicus seu qui nihil absoluti* ponat in re10.

Nos tenemus: A. Inter naturam humanam et personam Verbi datur relatio realis *praedicamentalis unionis.* B. *Fundamentum* huius relationis est in humanitate *modus quidam*

6 Luco, d.11 s.1 n.8-12. Durandus, *In 3 Sent.* d.5 q.2 n.S. De doctrina Durandi circa relationem, cf. UebEkweg-GeyHR, *Grundriss der Gcschichtc der Philosophie* (Berlin 1928) 2,521s; J.Koch, *Durandus de S.Porciano, O.P., Forschungen sum Streit tun Thomas von Aquin su Bcginn des 14. Jahrhunderts:* BeitrGPhMA 26 (1927) 193s; J.Koch, *Jakob von Mets, O.P., der Lehrer des Durandus de S.Porciano, O.P.:* ArchHistDoctrLittMA 4 (1929) 208-210.

Scotus, *In 3 Sent,* d.1 q.1 a.1 et resp. ad dubit. cont. a.3. Cf. Frassen, 7 d.1 a.2 s.1 q.1 concl.2. De doctrina Scoti circa relationem, cf. E.Longpré, O.F.M., *La philosophie du B.Duns Scot* (Faris 1924). Directe de nostra quaestione, cf. Déodat de Basly, O.F.M., *Scotus docens...* Supplément a la France Franciscaine 17 (1^34).

Vâzquez, d.18 a.7 c.3. Ut recte de Durando et Scoto notaverat Suârez (d.8 s.3 n.19), hi auctores tantum attendunt *ad modum ipsum substantialem unionis* eumque iure affirmant includere essentialem relationem ad Verbum. Circa *ulteriorem relationem praedicamentalem unionis* inter humanitatem et Verbum potius videntur tacere quam eam negare.

* De domînicanis, cf. SalmanticensES, d.4 dub.1 § 1. SuXrez, d.8 s.3 n.10-22; cf. n.8s. SalmanticensES, d.4 dub.1. Alios auctores vide s.1, apud Muncunill» n.193. MÜLLER, th.14 n.12.17s. bi abstrahitur a quaestione utrum hic modus sit necne *fundamentum* relationis praedicamentalis unionis, tenent quoque exsistentiam alicuius *novae rcalitatis* ab extremis unitis diversae Durandus, Scotus, Vâzquez, de quibus in paragraphe praecedenti. Similiter alii, ut L*LESsius, S.1. *(De perfec. div.* 1.12 c.6). Ulteriores differentias inter auctores huius sentenfae, cf. apud Muncunill, *l.c.*

7 *Dominicani,* v.c. Ioannes a S.Thoma, d.4 a.3 n.16 sqs. GonET, d.6 a·.3. Billuart, d.4 a.3. Mingoja, *De unione hypostatica* n.356 sqs. Valencia, d.1 q.2 punct.5. Pesch, n.99ss. Ibidem alii auctores pro hac sententia referuntur. Galtier, n.271s.

8 Clare y.c. Billuart, d.4 a.3 Solvuntur obi. Ulteriores distinctiones dat Mingoja, *ibid.,* n.357-359. Cave tamen ne unionem *naturae humanae* cum *persona Fcrbi,* de qua· sola agitur in nostra thesi, confundas cum unione *naturarum,* divinae et humanae, *inter se,* de qua in scholio 1 n.79.

® Ita Joannes a S.Thoma, d.4 a.3 n.34; Billuart, d.4 a.3 obi.1; Mingoja, *ibid.,* n.357s. Cum Suarez explicite defendat modum unionis a se admissum *ideniificari* cum dependentia suppositali humanitatis a Verbo (d.8 s.3 n.27-29), vix videtur inter praedicto·* auctores dominicanos et Suârez *rrale discrimen* intercedere, nisi ratione *diversae conceptionis* eiusdem rei. Maneret tamen discrimen quoad ipsam notionem modi physici, ut in thesi praecedenti n.57 indicavimus.

30 'xy IRCEBURGENSES, n.260; Pesch, 103-105; Galtier, n.272 admittit modum *virtuaiiter* ab ipsa natura distinctum.

substantialis physicus unionis ex natura rei ab humanitate distinctus.

Valor theologicus. A. *Communior inter theologos.* B. *Probabilior.*

74. Argumentum. A. Per unionem hypostaticam realiter uniuntur Verbum et humanitas. Atqui per hanc unionem exsurgit in humanitate respectus realis praedicamentalis unionis ad Verbum. Ergo inter Acerbum et humanitatem datur relatio realis praedicamentalis unionis.

Min. Talis respectus realis vel est essentialis vel praedicamentalis. Atqui essentialis nequit dici, cum naturae humanae *contingens* sit uniri cum Verbo. Ergo est respectus realis praedicamentalis [11].

75. B. Unio humanitatis cum Verbo est aliquid substantiale reale in humanitate, quod in humanitate potest esse et ab ea potest etiam tolli. Atqui separabilitas est signum distinctionis ex natura rei. Ergo unio humanitatis cum Verbo est aliquid substantiale reale in humanitate, ab hac ex natura rei distinctum. lam vero hoc substantiale reale, ab humanitate ex natura rei distinctum, nequit intelligi tanquam *id quod unit,* quia unionem faceret *mediatam;* ergo nihil restat nisi ut concipiatur tanquam *actuale exercitium uniendi,* quod modum substantialem unionis vocamus [12] [13]

76. Obiectiones. 1. Eo ipso quod hypostasis Verbi infinitae virtualitatis terminat naturam humanam, manet haec unita cum Verbo quin aliquid aliud requiratur. Ergo superfluus est modus quidam superadditus unionis.

Dist. antec. Ita ut haec terminatio non importet in humanitate quidquam rcalitatis, ab actione Smae. Trinitatis causatae, *nego antec.;* ita ut importet aliquid realitatis, *subdist.:* quae realitas non est nisi eadem humanitatis rcalitas relative considerata, *nego;* quae realitas est substantialis ac ex natura rei distincta ab humanitate, *conc.*

Explico. Quaestio agitatur praecise de ipsa actuatione passiva humanitatis quid *in se* sit. Certe debet esse quid reale, cum ipsi adversarii admittant illud esse fundamentum relationis realis. Remanet ergo quaestio an sit aliquid ex natura rei distinctum vel indistinctum ab humanitate. Ad hoc respondemus consequenter ad probationem in thesi propositam. Neque iuvaret dicere esse aliquid reale sed relativum; ex hypothesi quaeritur quid in se sit *fundamentum* relationis ".

77. 2. Ratio admittendi modum unionis est necessitas realis

[11] Cf. Donat, *Ontologia9* n.38S, b). *Uatde* ponderate SuÀREz, d.8 s.3 n.24; cf. In., *Disp. Mctaph.* <1.47 s.1 n.10-15; s.14 n.7s.

» Cf. Suarbz, d.8 s.3 n.8.27; Muncunil1, n.194-203. Fundamenta philosophica in thesi praecedenti de personalitate n.58 exposita manent.

[13] Cf. SalmanticrnsSS, d.4 dub.1 § 1-J 5.

fundamenti in humanitate pro relatione praedicamentali unionis ad Verbum. Atqui tale fundamentum, *absque ullo modo,* est ipsa sola humanitas non quidem nude sumpta sed *prout* ad Verbum refertur. Ergo non est ratio modum unionis admittendi.

Trans, mai. Dist. min. Et ad hoc ut humanitas possit considerari *prout* ad Verbum refertur, *praeintelligitur* mutatio realis in humanitate, quae sit verus modus substantialis, *co'nc. min.;* non praeintelligitur talis mutatio realis, *nego min. Dist. pariter cons.*

78. 3. Modus superadditus humanitati *ad instar passionis* sufficienter explicat realem humanitatis mutationem, quae sit reale fundamentum relationis unionis. Ergo inutilis est alius modus substantialis *unionis.*

Dist. antec. Si hic modus intelligitur ad instar merae cuiusdam *receptionis* seu passionis sensu praedicamentali, *nego antec.;* si intelligitur ad modum qualitatis seu formae, *subdist.:* sufficienter explicat *quoad realitatem* ipsam mutationis, *conc.;* quoad perfectiorem modum hanc realitatem *concipiendi, nego.*

Explico. Passio potest sumi aut quatenus actioni opponitur propriumque praedicamentum aristotelicum constituit, quo sensu est *receptio* novae formae productae in subiccto, aut quatenus significat terminum, hoc est, ipsam *formam* seu qualitatem receptam. Passio tanquam receptio transcendentalem relationem dicit ad formam seu ad qualitatem receptam neque intelligitur sine tali forma. Qui enim recipit vel patitur, aliquid recipit vel patitur. Dummodo admittatur hanc formam seu hunc terminum, concrete dependentiam humanitatis a Verbo seu tractionem ad subsistentiam Verbi, esse aliquem modum substantialem ex natura rei ab humanitate distinctum, *quoad rem* thesis nostra stat

Addimus tamen modum illum perfectius *concipi* tanquam modum *unionis* quam tanquam modum *dependentiae* seu passionis; traditio enim catholica mysterium incarnationis per *unionem* humanitatis cum Verbo significare solet atque ad ulteriorem declarationem huius mysterii nihil invenit S.Thomas huic unioni tam simile sicut *unionem* animae rationalis ad corpus". Praeterea, licet in casu unionis hypostaticae dependentia suppositalis et unio *re* coïncidant, tamen alius est *conceptus* dependentiae et alius *conceptus* unionis ".

Plures obiectiones dabunt Muncunill, n.207-215; Salmanticenses, d.4 dub.l § 6-§ 8.

79. Scholion 1. *Relatio unionis duarum naturarum, divinae et humanae, inter se.* Proprie haec relatio non est unionis, nisi mediatae. Est autem relatio *unitatis,* quatenus tum natura divina tum natura humana terminantur una et eadem subsistentia Verbi. lure ergo dicitur fundamentum huius relationis quae inter naturas vigeat, esse unitatem subsistentiae utriusque naturae. Relatio haec est ra-

14 Cf. supra, nota 9.

15 4 CG 41. Cf. P.Gavtier, S.I., *L'union hypostatiquc et l'cntrc deux de saint Thomas:* EphThI,ov 7 (1930) 444-448; Io., η.215s. Ibidem rectus quoque sensus exponitur iuxta quem hanc similitudinem ad incarnationis mysterium illustrandum applicaverit S.Thomas. Quam classica sit haec similitudo apud theologos, cf. apud E.Schiltz, C.I.C.M., *Aux sources de ta théologie du mystère de l'incarnation. La christologie de saint Augustin:* NouvRevTh 63 (1936) 711-713. De hac comparatione apud S.Augustinum: *ibid.,* 689-713; Van BavEu, *Recherches sur la Christologie...* 30-32. E.SCUT1.TE, *La comparaison du symbole Quicumquc vult:* EpliThLov 24 (1948) 440-454.

" Cf. Sl'Àhez, d.8 s.3 n.29.

tionis, cum fundamentum sit idem in utroque extremo”. Si sedulo distinguatur haec relatio *unitatis inter naturas* a relatione *unionis inter naturam humanam et subsistentiam Verbi,* facile imus e praecipuis ambiguitatis fontibus excluderetur ac diversi modi loquendi in hac materia ad concordiam redigerentur.

80. Scholion 2. *Terminus formalis actionis incarnativae.* Nomine termini formalis videtur intelligendum id quod per actionem incarnativam proxime inducitur et fit in rerum natura”. Si igitur haec actio consideretur ut est unitio extremorum, ex qua resultat hoc compositum Deus-homo, terminus formalis talis actionis erit *modus unionis in facto esse sumptus™.*

Scholion 3. *Unio et assumptio.* Unio, ut supra n.70 diximus, importat *relationem, assumptio* vero importat vel *actionem,* secundum quam dicitur aliquis assumens, vel *passionem,* secundum quam dicitur aliquid assumptum. Praeterea assumptio dicitur sicut *in fieri,* unio autem sicut *in facto esse.* Denique unio non importat nisi *extremorum coniunctionem,* ideo indifferenter dicitur naturam humanam unitam esse Verbo et vicissim, assumptio vero determinat *terminum a quo et ad quem,* inde Verbum non dicitur assumptum ab humana natura sed e converso, neque Pater dicitur assumpsisse naturam humanam sed solum Verbum, quamvis Pater utique *unierit* (active) naturam humanam cum VerboM.

81. Scholion 4. *Unio naturarum in Christo, maxima unio.* Sumendo unionem pro relatione, quaestio nunc movetur de hac relatione, non tamen ratione ipsius sed ratione fundamenti. Seu, aliis verbis, sumitur nunc unio pro ipsa coniunctione substantiali, et quaeritur an haec unio sit maxima in genere unionis.

Distinguendum est. Unio considerata *ex parte extremorum* quae uniuntur, non est maxima, quia natura divina et natura humana, prout apta sunt coniungi et actu coniunguntur inter se maxime distant; neque enim *naturae* proprie inter sc uniuntur, cum ex illis ut sic nihil *unum* componatur. Unio autem considerata *ex parte eius in quo uniuntur,* est vere maxima, quoniam ex parte personae Verbi, in quantum est persona utriusque naturae, *unitas* maxima habetur. Naturae enim uniuntur in persona divina substantialiter, absque partium imperfectione, in una simplicissima unitate substantiali personali communi utrique naturae”.

82. Scholion 5. *De causa efficiente incarnationis.* Hanc assignat S.Thomas divinam voluntatem, non utcumque operantem sed ut elevantem naturam supra omne debitum et meritum suum ”.

De fide vero catholica est *totam Trinitatem* incarnationem Filii Dei operasse, cum inseparabilia sint opera Trinitatis (D 284 429). Ipsa sacra Scriptura incarnationem nunc alii Personae nunc alii ad-

I' Cf. *ibid.,* n.23.
” Cf. *ibid.,* n.13; CaiETanus, *In 3* q.2 a.S n.Il.
” Cf. Suarez, *ibid.* Plura, SuArbz, *l.c.,* n.10-13. Contra, Ioaknes a S.Thoma, d.4 a.2.
20 Cf. S.Tu., 3 q.2 ar.8; Suarez, in h.l.
21 Cf. S.Tu., 3 q.2 a.9; CaiETanus, in h.l.; SuArez, in h.l. et <1.9 s.l.
22 3 q.2 a.10. Caeteruin de “gratia unionis", cf. A.Vvcrs. M.S.C.. *La grâce d'union d'après saint Thomas d'Aquin. Essai historique et doctrinale* (Tilburg 1946).

scribit (Gal 4,4; Phil 2,7; Mt 1,20). Speciatim vero Spiritui Sancto *appropriatur*[23].

Quidquid, igitur, *operationis* in incarnatione habetur, sc. corporis effectio, animae creatio, utriusque coniunctio, naturae inde resultantis cum Verbi persona unitio, haec omnia *a tota Trinitate pariter effecta sunt.* Unio autem ipsa in facto esse *ad solum Filium terminentur.* In ordine causae *efficientis* omnia sunt toti Trinitati communia; in ordine causae *quasi-formalis* incarnatio est Filio propria ac exclusiva.**

83. Scholion 6. *De causa meritoria incarnationis.* Distinguere solent theologi inter incarnationis *substantiam* et *circumstantias.* Quoad substantiam quidem omnes conveniunt *Christum* Dominum incarnationem suam non meruisse. Hoc sacra Scriptura indicat, beneficium incarnationis soli divinae misericordiae et caritati tribuens (Lc 1,78; Io 3,16). Ratio autem est quia Christus non prius fuit homo et postea per meritum obtinuit esse Filium Dei, sed a principio suae conceptionis vere Filius Dei fuit. Principium vero meriti, quod hic est unio hypostatica, non cadit sub merito.

De potentia Dei absoluta disputatur an Christus mereri potuisset *exsecutionem* incarnationis propter sua merita praevisa. Affirmant Suarez aliique, at communissime theologi negant propter rationem nuper allatam. Ipse Suarez concedit exceptionem quam proponit ad argumentum : principium meriti non cadit sub merito, secum ferre imperfectionem quandam “.

84. *Nullus alius* inter antiquos Patres quibus specialis revelatio Messiae facta fuit, neque B.Virgo Maria meruit *de condigno* incarnationem sed neque mereri potuit. Ratio est quia unio incarnationis est *in esse personali;* merita autem iustorum ordinantur ad bcatitudinem, h.e. ad unionem beatae mentis cum Deo, quae est per actum fruentis. Unio personalis est ordinis essentialiter altioris. In omni casu deesset proportio inter merita et ipsam incarnationem.

De congruo nullus meruit incarnationis *praedestinationem,* quia nullum fuit iustorum meritum quod ab incarnaiione independens fuerit. *Exsecutionem* vero incarnationis antiqui Patres de congruo meruerunt, “congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant”

23 Cf. S.Tn., 3 q.32 a.l; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 226-228; GaltiEr, n.172; D'Ales, 239-242. De variis Patrum locutionibus, cf. G.GiambErardini, O.F.M., *De incarnatione Verbi secundum S.Hilarium Pictavicnscm:* DivThom (Pi) 24 (1947) 38-40; P.GaltiEr, S.I., *Le Saint-Esprit dans l'incarnation du Verbe d'après saint Cyrille d'Alexandrie:* AnalGreg 68 (1954) 383-392. J.M.Bover, S.I., *La acciôn del Espiritu Santo en la cncarnaciôn del Hijo de Dios segiin cl cardcnal Toledo:* ArchTG 9 (1946) 69-101.

31 Cf. J.Solano, S.I.» *Algunas tendendas modernas acerca de la doctrina de las apropiacioncs y propiedades en la Santisima Trinidad:* EstEcl 21 (1947) 5-34. A communi theologorum explicatione discedit J.M.Delgado Varela, O. de M., *La Encarnaciân del Verbo, obra de Dios:* Est 15 (1959) 3-24. 179· 196. 345-368. Ulteriora de possibili cooperatione creaturae per modum *causae saltem instrumentons* ad hanc unionem efficiendam, similiter *de causa quadam dispositiva* ad hanc unionem, cf. apud Suârez, d.lOs. Is; DTC 7,1509s; I.Brinktrine, *Estnc E.M.V. causa physica instrumentons Incarnationis VerbiP:* DivThom (Pi) 25 (1948) 319-324.

20 Cf. SuXrez, d.10 s.4 n.ll. Sententiam sua'm proponit ibid., n.1-9. De hac quaestione, cf. SalmantiCENSES, d.7 dub.2. An Christi *humanitas* incarnationem meruerit vel mereri potuisset, cf. Suarez, d.10 s.3. De causa incarnationis meritoria, cf. DTC 7,1526-1530.

Λ S.Th., 3 q.2 a.11 c. Plura, apud Suârez, d.10 s.5s.

85. *Quoad incarnationis circumstantias. Christus* Dominus circumstantias quae *antecedunt* vel *comitantur* incarnationem non meruit, cum hae circumstantiae antecedant meritum saltem ordine naturae; circumstantias autem quae incarnationem subsequuntur Christus utique meruit, quod ad suam dignitatem magis conforme est. Item meruit ut haec unio hypostatica non certe multiplicaretur, sed ut eadem quasi iterum atque iterum in rerum natura poneretur, quod per augustissimum Eucharistiae mysterium fit".

B.Virgo Maria ac suo gradu *antiqui illi Patres de congruo* meruerunt plures circumstantias loci, temporis, stirpis, v.gr. quod de ipsorum genere Messias nasceretur, quod tempus eius adventus breviaretur".

ARTICULUS II

De persona assumente

Thesis 6. Quamvis Pater et Filius et Spiritus Sanctus incarnari potuissent, solus Filius incarnatus est.

86. Nexus. Explicata unione in se, agit S.Thomas de *extremis unitis.* Ac primo agit de extremo *assumente,* quod est persona ad quam fit assumptio.

87. Notiones. Potuissent. Agimus de possibilitate alius ordinis, seu de rei possibilitate *antecedenter* ad divinum decretum actuale, vi cuius solus Filius incarnandus erat.

88. Adversarii. Alteram thesis partem quoad sensum *exclusivum,* sc. *solum* Filium fuisse incarnatum *plures haeretici negarunt,* qui in genere *monarchiani* appellantur: volebant enim divinam *monarchiam* integram servare, *Patrem* solum Deum confitentes.

Primus qui *Patrem* fuisse incarnatum asseruit, est Noetus circa finem saeculi 2' in Asia. Eandem fere doctrinam Romae docuit Praxeas, qui deinde Carthaginem petiit. Prima medietate saec.3l Sabelius aliam formam huius erroris proponebat, ita tamen ut in Deo unam quoque tantum personam retineret. Hi auctores etiam *modalistae* vocantur, eo quod in Deo non plures personas, sed plures *modos* unius eiusdemque personae admittebant, ac simul *patripassiani* appellantur, quia Patrem passum dicunt x.

89. Doctrina Ecclesiae. Praeterquam *in symbolis* incarnatio tribuitur Filio et non Patri vel Spiritui Sancto, plura

27 Cf. SuXrkz, d.10 s.4 n.12-27.
28 Cf. *ibid.,* s.6. De ipsa *divina viatcrnitate* in ordine exsecutionis, cf. infra, 11, 20. De integra quaestione, cf. G.Koksa, *Die Lchre der Scholastiker des XVI. und XVII. Jahrhunderts von der Gnade der alttcstamentlichen Gercchtcn* (Rana 1955).
' Cf. G.BariW, *Monarchianisme:* DTC 10,2193-2209.

documenta habentur in quibus incarnatio vel *a)* tribuitur Filio in oppositione ad Patrem et Spiritum Sanctum vel *b)* expresse dicitur esse *solius* Filii.

a) *Concilium Constantinopolitamim II:* "Si quis non confitetur Patris et *Filii* et Spiritus Sancti unam naturam... Unus enim Deus et Pater... *et unus Dominus lesus Christus...* et unus Spiritus Sanctus..." (D 213). *Concilium Constantinopolitanum III:* "... definientes *Dominum nostrum lesum Christum verum Deum* nostrum, unum de sancta... Trinitate... ante saecula quidem *ex Patre* genitum secundum deitatem, in ultimis diebus autem eundem... *de Spiritu Sancto* et Maria Virgine... secundum humanitatem" (D 290). Cf. D 256 429.

90. b) *Concilium Toletanum XI:* "Item unius substantiae credimus esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo *Filium,* qui solus naturam nostram in unitatem personae suae assumpsit" (D 284)[2]. *Professio fidei* ab Innocentjo III *Waldensibus praescripta:* "Incarnationem divinitatis non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed *in Filio tantum,* corde credimus et ore confitemur" (D 422).

Valor theologicus. *Quamlibet* Trinitatis personam *incarnari potuisse* est *sententia communis et certa in theologia. Solum Filium fuisse incarnatum* est *de fide divina et catholica definita* (D 422).

91. Probatur ex sacra Scriptura. Solum Filium incarnatum esse proponitur: A. eo quod persona divina incarnata *contradistinguitur* a) *a Patre* et b) *a Spiritu Sancto;* B. eo quod expresse asseritur *Verbum* vel *Filium* incarnatum fuisse.

A. a) *Contradistinguitur a Patre±* 1) In evangeliis. Mt 11,27 : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit filius revelare.* Io 17,24: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Mc 1,11 : *Et vox facta est de caelis: Tu es filius meus dilectus* (υ'ώ ἀγαττητό : ut videtur, "filius unicus"), *in te complacui.* In his textibus sermo est de lesu tanquam persona divina. Atqui haec persona divina *contraponitur Patri.* Ergo lesus non est Pater. Caeterum integrum evangelium hanc veritatem ab initio ad finem proclamat. Mc 1,1 : *Initium EvangeUi lesu*[3]

[3] PêrHz, *La cristologia cn los simbolos tolcdanos...* 116-124.

Christi, Filii Dei. lesus loquitur saepissime de *Patre suo,* dicitur missus a Patre (v.c. Io 5,23.36s; 6,39s.44.58; 8,16; 20,21) e.

92. 2) In epistolis. Formulae salutationis diversitatem Filii a Patre monstrant, si ad integram doctrinam apostolicam attendamus, per utriusque Personae unionem ac simul oppositionem. Rom 1,7: *Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino lesu Christo.* 1 Cor 1,3; 2 Cor 1,2 etc. Idem probant plures loci in quibus Pater et lesus Christus iuxtaponuntur. 1 Thess 1,1 : *Paulus... Ecclesiae Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino lesu Christo.* 1 Io 1,3 : *et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius lesu Christo*.*

93. b) *Contradistinguitur a Spiritu Sancto,* Cum fere omnes textus quibus *personalitas* Spiritus Sancti in tractatu de Deo Trino probatur possent huc afferri, sufficiat contrapositionem indicare quam *ipse lesus* inter seipsum et Spiritum Sanctum proponit in ultima coena. Io 14,16: *Et ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Io 14,25s: *Haec locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.* Io 15,26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre...* Cf. Io 16,7-15. Spiritus Sanctus dicitur *alius* a lesu, missus in nomine lesu vel missus a lesu. Atqui haec dici nequeunt, si lesus et Spiritus Sanctus sunt unus idemque. Ergo lesus, persona divina incarnata, a Spiritu Sancto contradistinguitur 5.

94. B. Expresse *Verbum* vel *Filius* dicitur incarnatus. Io 1,14: *Et* Verbum *caro factum est.* 1 Io 1,1s : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt* r>E Verbo vitae... *ct annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem ct apparuit nobis.* Gal 4,4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus* Filium suum *factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Cf.* Hebr 1,2°.

3 De textibus allatis fuse agitur ubi de divinitate Christi. Cf. v.c. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,28-31. De Mc 1,11, cf. quoque D'Ales, 54s. Plura vide apud DTC 7,1514-1516.

[4] Plura, cf. DTC 7,1514-1516.

3 Cf. CKUPPENS, *o.c., 2. De Sanctissima Trinitate2* (1949) 264-274. Plura, DTC 7,1517s; J.Musger, *Dicta de Paracleto. Inquisitio cxegctico-dogmaticù. in quinque textus Evangel# S.Ioannis (cap.14-16)* (Pontificia Universitas Gregoriana, Romae 1938).

e De 1 Io Is, cf. BonsirvEn, *Epitrcs de saint Jean...* in h.l. De Gal 4,4, cf. Prat, *La Théologie...* 2,191-193. De Hebr 1,2, cf. J.Boxsirven, S.I., *Saint Paul. Epitre aux Hébreux...* in h.l.; Spicq, *L'épître aux Hébreux 2,* in h.l. Fro

95. Probatur ex traditione. Testes traditionis sancti Patres innumeris testimoniis *solum Filium* esse incarnatum affirmant.

1) Dicunt *Filium,* in oppositione ad alias Trinitatis personas, esse incarnatum. Ita S.Iustinus: "Cum eum [Christum] Filium Dei esse in commentariis apostolorum legamus, et *Filium* dicimus illum et esse intelligimus, ac ante omnes res creatas ex Patre, ipsius virtute et voluntate prodiisse... et ex virgine hominem esse factum" (R 141)[7]. S.Irenaeus: "Ecclesia enim... accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem... et in unum Iesum Christum, *Filium Dei,* incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam quae est ex virgine generationem, et passionem... dilecti Iesu Christi Domini nostri, et de caelis in gloria Patris adventum eius" (R 191). S.Athanasius: "Quod enim desuper ex Patre *Verbum...* genitum est, ipsum in tempore inferius generatur ex virgine deipara Maria" (R 788). Cf. R 218 290 907 1518 2059s.

96. 2) Explicite profitentur *solum* Filium esse incarnatum. Ita S.Iustinus: "Nam qui Filium Patrem esse dicunt, hi arguuntur, quod nec Patrem sciant, nec Filium esse universorum Patri cognoscant. Qui, cum Verbum sit primogenitura Dei, Deus etiam est. Ac prius quidem Moysi et caeteris prophetis in specie ignis et imagine corporea visus est; nunc autem, vestri imperii temporibus, ex virgine, ut iam diximus, homo factus secundum Patris voluntatem..." (R 127). Sed maxime in hac veritate insistunt qui contra *monarchianos* pugnarunt. S.Hippolytus, adversum Noetum: "Videamus nunc quod propositum nobis est: quod vere, fratres, virtus Patris, id est Verbum, e caelo descendit et non ipse Pater" (R 393). Tertullianus, iam montanista, adversus Praxeam: "Duos quidem definimus, Patrem et Filium, et iam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem oikonomiae, quae facit numerum, ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est" (R 377)[8].

tota hac materia, cf. J.Lebreton, *Le Dieu vivant. La révelation de la Sainte Trinité dans le Nouveau Testament* (Paris 1924) maxime 97-127.144-160.

[7] Cf. A.Puech, *Histoire de la littérature grecque chrétienne depuis les origines jusqu'à la fin du IVe siècle* (Paris 1928) 2,163-167. De relatione inter Filium et Spiritum Sanctum in incarnatione, cf. Puech, *ibid.,* 149 nota 2.

[8] De S.Hippolyto, cf. A.d'Alès, *La Théologie de saint Hippolyte* (Bibliothèque de Théologie historique, Paris 1906) 8-35.67.102. De Tertulliano, cf. D'Alès, *La Théologie de Tertullien,* 67-81.

97. Ratio theologica. A. Pater et Filius et Spiritus Sanctus *incarnari potuissent.* Assumptio humanitatis duo importat, sc. ipsum *actum* assumentis et *terminum,* assumptionis. Atqui quoad utrumque eodem modo se habet quaelibet Persona SS.Trinitatis. Ergo Pater et Filius et Spiritus Sanctus incarnari potuissent.

Prob. min. Principium actus assumendi est *virtus divina,* quae communiter et indifferenter se habet ad omnes Personas; terminus assumptionis, seu id ad quod fit assumptio, est *persona;* iam vero communis est ratio personalitatis in tribus personis, licet proprietates personales sint differentes [8].

98. B. *Solus Filius* incarnatus est. Tres praecipuas rationes proponit S.Thomas, quibus ostenditur convenientissimum fuisse personam Filii incarnari.

Prima, *ex parte unionis.* Similia convenienter uniuntur. Atqui Persona Filii et humana natura *a)* tam secundum communem rationem *creaturae b)* quam secundum propriam rationem *naturae humanae* sunt similes. Ergo convenientius Filius incarnatus est. *Min. quoad a).* Verbum Dei est similitudo *exemplaris* omnis *creaturae,* quia verbum seu conceptus artificis est similitudo *exemplaris* eorum quae ab artifice fiunt. *Min. quoad b).* Verbum Dei est conceptus aeternae *sapientiae,* a qua omnis *sapientia hominis* derivatur. Iam vero propria perfectio hominis, prout est rationalis, est perfectio *in sapientia.* Conveniens ideo fuit ad *consummatam* hominis perfectionem, ut ipsum Verbum Dei *humanae naturae personaliter uniretur* [10].

99. Altera ratio, *ex fine unionis.* Huiusmodi finis est impletio praedestinationis ad *haereditatem* caelestem. Iam vero *haereditas* non debetur nisi *filiis.* Congruum itaque ij.iit ut per eum qui est *Filius naturalis,* homines efficerentur *filii adoptivi.*

Tertia ratio, ex eo in cuius *remedium incarnatio* adhibetur, sc. ex peccato primi parentis. Hic enim peccavit appetendo *scientiam* (cf. Gen 3,5; 2,9.17). Unde conveniens fuit ut per Verbum *verae sapientiae* homo reduceretur in Deum.

100. Obiectiones. 1. Natura divina Filii est realiter *identica* cum natura Patris et natura Spiritus Sancti. Atqui Filius est incarnatus. Ergo et Pater et Spiritus Sanctus incarnati sunt.

Dist. mai. Ita tamen ut Filius sit realiter *distinctus* a Patre et a Spiritu Sancto, quamvis *una* sit eorum natura, *conc. mai.;* ita ut

8 Cf. S.Th., 3 q.3 a.5 c; Backes, *Die Christologie des hi.Thomas...* 218*220.
u' Cf. S.Th., *ibid.,* a.8 c; Caietamus, in h.l. Alias congruentias, cf. SuÂ· Hftz, d.12 s.1 n.3.

Filius sit *realiter idenlicus* cum Patre et Spiritu Sancto ratione unius eorum naturae, *nego mai. Cone. min. Cffntradist. cons.* Pater et Spiritus Sanctus incarnati essent, si Filius esset cum eis *identicus, conc. cons.;* si est realiter *distinctus,* quamvis una sit eorum natura, *nego cons.*

Explico. Versamur in uno e maximis *mysteriis* nostrae sacrosanctae religionis Christianae. Ideo sufficit si contradictio non appareat manifesta. Contradictio autem manifesta non est, si dicimus unionem naturae humanae cum Verbo terminari *primario* seu propriissime formaliter ad *personam, secundario* autem ad *naturam.* Quamvis enim tres Personae unam habeant naturam, sunt tamen *inter se realiter distinctae.* Ergo contradictio non apparet in eo quod natura humana uniri possit cum aliqua Persona et non ideo debeat cum reliquis Personis uniri, sicut contradictio non est evidens in eo quod tres Personae habeant naturam *unam* et nihilominus sint tres Personae realiter distinctae. Ad rem *Concilium Toletanum XI:* "Solus tamen Filius formam servi accepit *in singularitate personae,* non *in unitate divinae naturae,* in id quod est *proprium* Filii, non quod *commune* Trinitati" (D 284)".

101. 2. Hermas in suo *Pastore* tenet *identitatem* inter Filium "multos labores patientem", ideoque incarnatum, et Spiritum Sanctum (R 89 91). Atqui Hermae auctoritas in primaeva Ecclesia valde magna fuit. Ergo consensus Patrum quoad incarnationem *solius Filii* valde infirmatur.

Dist. mai. Hoc ita clare et aperte tenet ut aliis interpretationibus locus non sit, *nego mai.;* ita tenet ut haec interpretatio probabilis sit, *conc. mai. Conc. min. Contradis!, co'ns.* Si Hermas hoc tam clare aperteque docuisset, *trans, cons.;* secus, *nego cons.*

Explico. Hermae mens et loquendi modus in suo opere magnae confusioni ansam praebent. Ideo, quamvis admitteremus eum *reapse* Filium cum Spiritu Sancto identificasse, bene explicaretur Christianos primae Ecclesiae, qui ob alias rationes hunc librum venerabantur, sententias illas male sonantes non horruisse".

102. Scholion 1. *Naturam creatam assumere convenit propriissime personae, secundario autem naturae.* Convenit quidem *personae,* quia huiusmodi assumptionis persona est et principium et terminus. *Principium* est, quia personae proprie competit *agere,* camis vero assumptio per *actionem* divinam facta est. *Terminus* est, quia unio facta est *in persona,* non in natura, ut supra thesi 2 et 3 vidimus. *Propriissime* ergo competit *personae* naturam assumere.

Naturae id etiam *convenit,* quia esse *principium* assumptionis naturae divinae convenit secundum se ipsam, cum *eius virtute* assumptio facta sit. Esse autem *terminum* assumptionis, naturae divinae convenit ratione personae, in qua consideratur. At *secundario* naturae id convenit, quia esse terminum non convenit naturae *secundum se ipsam,* sed tantum *ratione personae,* in qua consideratur".

11 Cf. SuIkbz, d.12 s.1 n.4-11; s.2; Salmanticbnsbs, d.8 dub.2.

n De auctoritate Herniae in primaeva Ecclesia ac de eius doctrina, cf. G.Ba-rEilvB, *Hermas:* DTC 6,2278-2281.Adhuc a.1934 scribebat A i.es: "Sed frustra elaboraveris in explicanda illa [Hermae] christologia" *(De Deo trino* [Paris] 99). De quadam obiectionc ex Hilario Pictav., cf. GiambEraroïni, *De incarnatione...*. DivThom (Pi) 24 (1947) 37s.

» Cf. S.Th., 3 q.3 a Is.

103. Scholion 2. *De natura divina assumente, abstracta per intellectum divina personalitate.* Duplici sensu possunt haec verba et ipse S. Thomas, ex quo sumpta sunt, intelligi. Primus sensus est *conditionatus* et quidem ex hypothesi impossibili, sc. si divinae relationes abstrahuntur non modo ab actu incarnationis sed etiam *ab ipsa divinitate;* ita ut sensus quaestionis sit, an, si in se ipsa intelligatur divina natura esse sine relationibus, adhuc haec natura divina posset assumere.

Respondendum est naturam in hoc casu assumere potuisse. Nunc quidem convenit naturae assumere ratione personae *relativae;* si autem abstraherentur relationes, maneret persona *absoluta,* nara "in divinis idem est quo et quod est", et ita ratione illius personae absolutae posset natura assumere.

104. Alter sensus est *absolutus,* abstrahendo relationes non ab ipsa divinitate, sed tantum *ab actu incarnationis;* ita ut sensus quaestionis sit, an, exsistente Deo sicuti est, sc. uno in substantia et trino in personis, possit hic Deus, in quantum hic Deus, *secundum se,* non ratione Patris aut Filii aut Spiritus Sancti, assumere, hoc est, et facere et terminare assumptionem. Aliis verbis, an, exsistente natura divina coniuncta relationibus, possit nihilominus assumere per ea, quae praecise illi conveniunt *ut a relationibus abstrahitur.*

Responsum est quoque affirmativum. In hoc casu personae non secundum se, sed ratione subsistentis naturae, hoc est, in quantum sunt *hic Deus,* per se primo *terminarent* assumptionem. Ita fert communior theologorum sententia ".

105. Scholion 3. *Plures personae divinae assumentes unam numero naturam humanam,* Hoc fieri posse S.Thomas et theologi communius tenent. Ratio est, quia tres personalitates divinae, quintum est ex parte earum, possunt terminare eandem naturam, ut patet in *natura divina.* lam vero, ex parte naturae assumendae, h.e. ex parte naturae humanae, nulla est specialis repugnantia. In tali casu, ut videtur, verum esset dicere tres personas divinas *unum hominem* esse propter unam naturam humanam ".

106. Scholion 4. *Una persona divina assumens duas naturas humanas.* Possibilitatem hanc theologi communiter concedunt cum S.Thoma. Impossibilitas, enim, non apparet *ex parte naturarum,* cum utraque supponatur assumptibilis et inter eas non sit formalis repugnantia respectu eiusdem personae. Sed neque apparet impossibilitas *ex parte personae* assumentis, cum illa infinita sit atque ideo vim habeat infinitam terminandi.

Controvcrtitur autem utrum in tali casu illa persona in pluribus humanitatibus subsistens, deberet dici *unus homo* vel *plures homines.* S.Thomas cum thomistis tenet *unum esse hominem.* Hoc videtur dicendum, quia in eo casu ex omnibus illis naturis constitueretur *unum suppositum;* iam vero, iuxta communem loquendi modum, nullum suppositum dicitur simpliciter plura sub aliqua appellatione seu forma, etiamsi habeat plures formas seu rationes a quibus possit illa denominatio sumi. Sicut Christus Dominus, quamvis habeat

M Cf. S.Tn., *ibid.,* a.3; Caietanits, in h.l.; Suârez, in h.l. et d. 13 s.l.; Salmanticenses, d.S (lllb.4.

,s Cf. S.Tii., *ibid.,* a.6; Caietanus, in h.l.; Suarez, in h.l. ct d.13 s.2; Sai.manticenses, d.8 dub.6.

duas naturas substantiales, simpliciter est una substantia et non plures; sic etiam unus homo est unus artifex, quamvis plures habeat artes K.

107. Scholion 5. *Persona creata assumens aliam naturam.* S.Thomas ac thomistae asserunt repugnare personam aut personalitatem creatam terminare aliam naturam, sc. Deum non posse unire hypostatice *suppositum creatum* cum aliena natura. Ratio videtur desumenda praecipue ex natura personalitatis creatae. Haec, ut supra thesi 4 vidimus, est *modus substantialis.* Iam vero, modus unius rei ab illa realiter indistinctus non potest, in quantum videtur, nisi *rem illam modificare,* minime vero aliam rem distinctam. Conditio, enim, essentialis modi est ut cum ea habeat intrinsecam adaequationem in praestando suo effectu vel quasi effectu formali ".

108. Scholion 6. *Pater et Spiritus Sanctus speciali modo sunt in Christo.* Ratione unionis hypostaticae Filii, Pater et Spiritus Sanctus singulari et altiori modo quam in omnibus creaturis, sunt in illa humanitate. Argumentum pro hac assertione praecipuum petitur ex connexione quae est inter divinas personas quoad praesentiam realem *propter unitatem in natura.*

Haec specialis praesentia Patris et Spiritus Sancti in humanitate Christi a quibusdam vocatur impropria quaedam *circuminsessio* harum personarum cum natura humana Christi. Huiusmodi circuminsessio tamen non nisi *analoga est* cum trium personarum in divinis circuminsessione. Nam inter humanitatem Christi et personas, quae illi dicuntur insidere, non datur illa *naturae identitas,* qua imprimis nititur trium in divinis mutua circuminsessio ".

ARTICULUS III

De natura assumpta

/ Thesis 7. Filius Dei assumpsit verum corpus carneum animamque rationalem, inter se substantialiter unita.

S.Th., 3 q.5; Galtier, th.1.

109. Nexus. Postquam S.Thomas de extremo assumente egerat, nunc agit de *extremo assumpto.* Assumpsit autem Filius Dei humanam naturam et partes eius. Unde triplex consideratio occurrit: prima est, quantum *ad ipsam naturam* humanam (q.4); secunda est quantum *ad partes eius* (q.5); tertia, quantum *ad ordinem assumptionis* (q-6). Praecipua quae in q.4 tractat S.Thomas in scholio proponemus, in quantum non in ipsa thesi praeoccupata iam fuerint. De q.6 agemus in th. sequenti.

Cf. S.Th., *ibid.,* a.7; Caietanus, in h.l.; Suarez, in h.l. et d.13 s.3; Salmanticenses, d.8 dub.5.
n Cf. S.Th., *ibid.,* a.1 ad 2; Caietanus, in h.l.; Suarez, d.13 s.4; Salmanticenses, d.8 dub.7.
" Cf. Suarez, d.12 s.1 n.12-19; Galtier, n.185.

110. Notiones. Assumpsit, seu sibi univit.

Corpus. Pars *materialis* hominis seu hoc quantum et resistens quod nobiscum gerimus quodque nostrum esse sentimus.

Verum corpus. Christus non meram corporis *apparentiam,* sed reale corpus habuit.

Corpus carneum. Christus non corpus aliquod v.c, *caeleste* sed corpus vere carneum assumpsit. Itaque Christi corpus fuit eiusdem materiae ac rationis cum nostro.

Anima. *Primum* seu *substantiale* a materia diversum principium vitae in viventibus corporeis.

Anima rationalis. Principium hoc substantiale, quatenus est *intelligendi* primum principium.

Inter se substantialiter unita. Anima ita unitur corpori, ut cum eo constituat *naturam humanam,* compositam quidem ex materiali et spirituali substantia, Vfere tamen et realiter *unam.*

111. Adversarii. A. *Verum corpus* denegavit Christo *docetismus* (a δοκέω, apparere, videri), iuxta quem Christus *apparentem* tantum seu phantasticam humanitatem gestavit. Quae evangelia ac Ecclesia docent de Christi nativitate, vita, passione, morte, mera illusio seu fallax apparentia reputanda sunt. *Docetismus* potius quam nomen cuiusdam particularis sectae, punctum aliquod doctrinale est quam plurimorum systematum *gnosticorum* duobus primis saeculis christianismi.

Docetismus apparet iam tempore ipso apostolico. Praecipui *gnostici* qui eum docuerunt sunt Simon Magus et Saturninus ac maxime Marcion; aliquo modo etiam Basilides et Valentinus. Post *gnosticos,* hunc errorem tenuerunt *tnaniehaei* [1].

112. *Corpus carneum* Christo denegabat inter *gnosticos* aliquo modo Appelles, qui cum carnem Christi diceret non ex Maria sed *de sideribus* et de substantiis superioris mundi formatam, illi carni caelesti caelestes quasdam proprietates, saltem logice, attribuebat. Clarius denegavit Christo corpus carneum Valentinus, qui carnem Christi spiritualem imaginatus est[2].

1 Cf. G.BarEil1E, *Docétisme:* DTC 4,1484-1493. Idem auctor ostendit haereticos qui docetae apud *Philosoplwumcna* appellantur, ad quandam sectam gnosticam pertinuisse, in qua docetismus non praecipuum occupat locum. Cf. tamen, Camelot, *Ignace d'Antioche...* 19 nota 1.

3 Cf de Apelle, Tertullianum, *De carne Christi* 6-9: MIL 2.762-773 (edit. Oehler, 2,435-445); D'Ales, *La Théologie de Tertullicn* ISSs; Ê.i>E Faye, *Gnostiques et Gnosticisme. Etude critique des documents du gnosticisme chrétien aux IIe et III9 siècles?* (Paris 1925) 173-188. De Valentino, Tertull., *ibid.,* 15: ML 2,779s (Oehler, 2,451s); D'Ales, *ibid.,* 191.193-195.

113. B. *Animam* Christo denegavit *arianismus* et *apollinarismus. Arianismus* unitatem Christi nequibat intelligere si *duo spiritus,* Verbum et anima, *simul adessent.* Ideo Verbum unitum est immediate *carni* seu corpori, locum animae occupans. Ipse Apollinaris (c.310-c.390) initio suae activitatis Christo humanam animam denegavit.

Animam rationalem Christo denegavit postea idem Apollinaris, atque hic est error qui *apollinarismi* nomine insignitur. Christo esset quidem animalis anima (ψυχή) at minime *intellectualis anima* (νοῦ, πνεῦμα). *Apollinarismus* prae primis Christi *unitatem* salvare intendit; iuxta eum, e duobus *completis* nequit aliquod vere *unum* exsurgere; ideo humanitati Christi aliquid deesse debet. Hoc quod illi deest est id quod unitatem totius ac ipsum redemptionis opus maxime poterat impedire, nempe *anima intellectualis ac libera.* Consequenter Verbum factum est *caro* at non *homo.* Ipsum Verbum fuit carni pro mente[3].

114. C. Christum assumpsisse corpus ac animam *inter se substantialiter unita* negaverunt *quidam veteres scholastici.* Videbant enim personam humanam resultare *ex unione animae et corporis;* timebant igitur ne in Christo *persona humana* poneretur, si admitteretur eum corpus ac animam *unita* assumpsisse[4].

115. Doctrina Ecclesiae. A. *Quoad verum ac carneum Christi corpus.* Praeter claram *symbolorum* doctrinam[5], expresse hanc veritatem tradit *Concilium Toletanum I:* "Non *imaginarium* corpus aut forma sola compositum, sed solidum. Atque hunc [Christum] et esuriisse et sitiisse et doluisse et flevisse et omnia corporis exitia sensisse" (D 20). Innocentius III *in professione fidei Waldensibus proposita:* "homo verus ex matre, *veram carnem habens* ex visceribus

[3] Cf. J.Tixîront, *Histoire des dogmes dans l'Antiquité chrétienne* 2s (Patris 1924) 94-108; F.Cayré, A.A., *Precis de patrologie ct d'histoire de la thcoloffic* (Paris 1931) P,436.440; Weigl, *Christologie...* 6-18. De arianismo, cf. Grillmeiër, *Die theologische... Vorbcrcitung... von Chalkcdon* 1,68-77. De Apollinare, patre monophysismi, cf. A.d'Auês, *Apolhna;rc. Les origines du monophysisnte:* RcvApol 42 (1926) 131-149; plura de exacta positione Apollinaris, cf. H. de RiEDMAfTEx, O. P., *La Christologie d'Apollinaire de Laodicée:* Studia Patristica, 2 apud TU 64 (1957) 208-234. De historica theologia "Verbi carnis" in oppositione ad posteriorem theologiam "Vcrbi-hominis", cf. Grillmeikr, *o.c.,* 67-120; de ipso Apollinare, *ibid.,* 102-120. Neque defuerunt qui, animam Christi rationalem admittentes, dixerint eam res cognovisse *per sr:entiam incrcatam:* cf. SuXrE?., d.24 s.2 n.3; Galtikr, *L'unité du Christ...* 278.

[4] Cf. S.Th., 3 <i.2 a.5 ad 1; E.Portalijs, *Adoptianisme au XII9 siècle:* DTC 1,414 ad 3; Galtikr, n.218s; Landgraf, *Dogmcngcschichte...,* 2.· pars, 1,273-319; F.Pelster, S.I., *Der Oxforder Theologe Richardus Rufus O.F.M. iiher die Frage: "Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo":* RechThAnc-Mêd 15 (1949) 264-272.

[5] Cf. DTC 8,1246s.1262-1265.

matris... natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate" (D 422). *Concilium Lateranense IV:* "lesus Christus... ex Maria... conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et *humana carne* compositus" (D 429). Cf. D 462.

Expresse utrumque docet *Concilium Florentinum* in Decreto pro lacobitis: "Anathematizat autem, exsecratur et damnat omnem haeresim contraria sapientem... Anathematizat etiam Manichaeum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed *phantasticum* sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. Necnon Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus *caeleste* sumpsisse atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit" (D 710).

116. B. *Quoad animam eamque rationalem.* Cf. D 40 65. *Concilium Ephesinum:* "... ex *anima* et corpore constitutum : asserimus autem Verbum, unita sibi secundum hypostasim carne animata *rationali anima*" (D Illa). *Concilium Chalcedonensc:* "... eundem *ex anima rationali* et corpore" (D 148).' *Concilium Constantinopolitanum II:* "... sed non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam *anima rationabili et intellectuali...* talis A.S." (D 216). *Concilium Florentinum:* "Anathematizat autem... Arium etiam, qui asserens, corpus ex Virgine assumptum *anima caruisse,* voluit loco animae, fuisse deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, solam posuit animam sensitivam, sed deitatem Verbi vicem *rationalis animae tenuisse*" (D 710)

117. C. Quoad corpus et animam *substantialiter unita. Concilium Ephesinum:* "... asserimus autem Verbum, unita sibi secundum hypostasim *carne animata rationali anima*" (D Illa). Cf. D 216 255. *Concilium Viennense:* "... confitemur, Unigenitum Dei Filium... humanum videlicet *corpus* passibile et *animam intellectivam* seu rationalem, *ipsum corpus per se et essentialiter informantem, assumpsisse*" (D 480)

• Plura cf. apud DTC 8,1266-1270.

' Cf. DTC 8,1270. Pro Coucilio Viennensi, cf. E.MOuuEr, O.F.M., *Das Koncil von Vienne,* 1311-1312. *Seine Quellen und seine Gesch.chte* (Vorreformationsgeschichtliche Forschungen, 12, Münster i.W. 193 1); pro sensu nostrae definitionis, maxime 352-384. Caeterum, de duplici sensu quem definitio Conciili Viennensis pro nostra quaestione habere potest, cf. C.BoyKR, S.I., *Tractatus de Deo creante et elevante3* (Romae 1940) 165s. Pro thesi nostra generalior sensus sufficit, de quo theologi Concilii Vaticani: "... hoc solum declaratur, animam corpori ita coniunctam esSe, ut cum eo constituat naturam humanam'

Valor dogmaticus. Thesis quoad tres partes est *de fide divina catholica definita* (A.B. D 710; C. D 480) [8].

118. Probatur ex sacra Scriptura. A. Quoad *verum corpus carneum Christi.*

1) Textus qui *narrant proprietates veri corporis carnei,* eiusdem rationis cum nostro corpore, *a)* Referuntur varii *situs* illius corporis: sedere (Mt 5,1), stare (Io 7,37), recumbere (Mt 26,7), ambulare (Mt 4,18), positis genibus orare (Lc 22,41), super terram procidere (Mc 14,35).

b) Explicitas sermo fit de Christi capite (Io 19,30), oculis (Io 11,41), ore (Mt 5,2), voce (Mt 27,46), manibus (Mt 19,15), amplexibus (Mc 10,16), pedibus (Lc 7,38), sanguine (Mt 26,28), latere (Io 19,34).

c) Christus dicitur conceptus (Lc 1,31), natus ac pannis involutus (Lc 2,7), crescere ac confortari (Lc 2,40), sitire (Io 19,28), fatigari (Io 4,6), manducare et bibere (Lc 7,34).

Iam vero haec omnia aperte manifestant evangelistas de corpore Christi locutos fuisse, omnino sicut de corpore alius veri hominis. Si autem haec omnia sensu quodam *apparenti* aut *spirituali* sumenda essent, de evangeliorum veritate actum esset.

119. 2) Textus qui explicite *verum corpus probare intendunt.* a) *Ipse Iesus.* Lc 24,39: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere, b) Apostoli.* 2 Io 7: *quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem* (ἐν σαρκί): *hic est seductor et antichristus.*

3) Textus qui Christum *verum hominem explicite dicunt.* a) *Ipse Iesus* vocat se "filium hominis", quod qualitatem suam *humanam* aperte exprimit, licet simul dignitatem suam messianicam insinuaret[9], *b) Apostoli* Iesum dicunt factum ex

compositam quidem ex materiali et spirituali substantia, vere tamen et realiter unam. Hoc vero est id ipsum, quod antiquorum Conciliorum formula edicitur": CL 7,554 c.

8 De valore *definitionis* illius partis decreti pro Iacobitis in qua ea continentur quae ad probationem allata sunt, cf. J. de Guibert, S.I., *Le décret du Concile de Florence pour les Arméniens. Sa valeur dogmatique:* BullLittEccl 10 (1919) 154s.

9 Cf. P. Joüon, S.I., *L'Evangile de Notre-Seigneur Jésus-Christ* (Verbum Salutis, 5, Paris 1930) Appendice A, 601-604; F. RoSLANIEe, *Sensus genuinus et plenus locutionis "Filius hominis" a Christo Domino adhibitae* (Romae 1920): DTC 8,1202-1205; Cl. M. Henze, C.SS.R., *Quis sit genuinus sensus locutionis* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου: DivThom (Pi) (1947) 69-80; J. Dupont, O.S.B., *Filius meus es tu...:* RechScRel 35 (1948) 524s; A. Feuillet, P.S.S., *Le Fils de l'homme de Daniel...*: RevBibl 60 (1953) 344s; Id., *Jésus et la Sagesse divine...*: RevBibl 62 (1955) 195s.

muliere (Gal 4,4)[10], tam verum hominem ac Adamum (Rom 5,12)- tam verum hominem ac nos, quorum ille mediator est (1 Tim 2,5).

120. B. Quoad *animam Christi rationalem.* 1) Textus qui *animae rationalis proprietates narrant.* Christo tribuuntur affectus irae: Mc 3,5: *Et circumspiciens eos cum* ira; reprehensionis seu increpationis: Mc 8,33: *Qui conversus et videns discipulos suos,* comminatus *est Petro, dicens: Vade retro me, Satana;* zeli: Io 2,17; *Recordati sunt vero discipuli cius quia scriptum est:* Zelus *domus tuae comedit me;* tristitiae, pavoris, taedii: Mt 26,38: coepit contristari *et* maestus *esse;* Mc 14,33: *et coepit* pavere *et* taedere. Hi autem affectus, utpote spirituales, ab obiecto *per intellectum* cognito exorti *in voluntate* animam rationalem supponunt, plene sicut in reliquis hominibus quibus tribuuntur (cf. infra, th.15 schol.3 n.364). Maxime affectus tristitiae, pavoris, etc. *Verbo,* quod locum animae rationalis supponeretur, habere, nequeunt convenire.

121. 2) Textus qui *explicite de anima Christi loquuntur. a)* ψυχή. Io 12,27: *Nunc* anima *mea* (ψυχή) *turbata est.* Mt 26,38; *'Pristis est* anima *mea* (ψυχή) *usque ad mortem.*

b) πνεύμα. Mc 2,8: *Quo statim cognito lesus* spiritu *suo* (πνεύματι), *quia sic cogitarent intra se, dicit illis.* Io 11,33: *lesus ergo... infremuit spiritu* (πνεύματι). Lc 23,46: *lesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (πνεύμα)· Cf. Mt 27,50[11]. Hoc πνεύμα esse *Verbum* satis excluditur eo quod Verbum non possit "fremere" neque Patri posset "commendari" vel a lesu per mortem "emitti" (Mt 27,50).

3) Textus qui Christum *verum hominem explicite dicunt,* de quibus nuper, etiam probant Christum *animam vere humanam ideoque rationalem* habuisse. *Homo* enim non solum constat corpore sed et praecipue anima.

122. C. Quoad corpus et animam *inter se substantialiter unita.* Id probant textus omnes qui asserunt Christum fuisse *verum hominem.* Nam si in Christo corpus et anima non *unum* principium *unamque* substantiam constituissent, sicut id in reliquis hominibus constituunt, Christus minime verus *homo* dici potuisset[12].

123. Probatur ex traditione. A. *Quoad verum corpus carneum.* S.Ignatius: 'Omnia autem haec passus est

10 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica 3,673.*
" Cf. DTC 8,1155s.
13 1'lura de vero Christi corpore ac de Christi humanitate, cf. IXTC 8,1141-1155.1219-1223.1226-1230.1237s.1241-1246.

propter nos, ut salutem consequeremur; et *vere* passus est, ut et vere se ipsum resuscitavit, non, ut quidam *infideles* dicunt, *secundum apparentiam* eum passum esse, ipsi secundum apparentiam exsistentes: et quemadmodum sapiunt sic et continget iis, quippe qui sint sine corpore et instar daemoniorum" (R 63). Cf. R 51 62 64. S.Melito Sardensis: "Non est necessarium his, quos ratio non fugit, ex actionibus Christi post baptismum adstruere et demonstrare animae et *corporis* eius et humanae naturae *nobiscum convenientis veritatem* et ab omni fictione remotionem" (R 189). Tertullianus: "Christus eius [Marcionis]... non erat quod videbatur et quod erat mentiebatur: caro nec caro, homo nec homo. Proinde Deus, opinor, nec Deus. Cur enim non etiam Dei phantasma portaverit?... Sic nec passiones Christi eius fidem merebuntur; nihil enim passus est, qui *non vere* est passus; vere autem pati *phantasma* non potuit. *Eversum est, igitur, totum Dei opus"* (R 336). Cf. R 343 353 357 [13].

124. B. *Quoad animam rationalem.* 1) *Factum simpliciter affirmatur.* S.Clemens Romanus: "Dominus noster Iesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis tradidit, et carnem pro carne nostra et *animam pro animabas nostris"* (R 26). S.Hippolytus: "Credamus igitur, dilecti fratres, secundum traditionem apostolorum, quod Deus Verbum e caelis descendit in sanctam virginem Mariam, ut ex ea incarnatus sumpta *anima humana,* rationis inquam participe (ψυχήν... λογικήν...)" (R 394). Didymus Alexandrinus: "Quomodo nosse potuissemus eum [Christum] factum esse carnem *animatam* vere, non vero imaginarie, cum ipsum putent Manichaei quidem corpus apparenter habuisse, Ariani vero fuisse inanimatum, nisi dixisset: *Tristis est anima mea,* et timorem ostendisset, et cibum ac potum et somnum cepisset? (R 1076). S.Epiphanius: "...qui carnem et *animam humanam* assumpsit atque... in nobis incarnatus est non in specie, sed in veritate, et perfectum effinxit in se hominem e Maria deipara per Spiritum Sanctum... Hominem dico perfectum, hoc est, quaecumque insunt in homine et qualis est homo" (R 1086).

13 De S.ïgnatio, cf. G.BarEil1E, *Ignace d'Antioche (Saint):* DTC 7,704s. Fusius Rackl, *Die Christologie des hl.Ignatius...* 127-144. Cf. quoque Camelot, *Ignace d'Antiochc...* 18-20; de loco allato ex Smyrn. 2; 3,1, cf. *o.c.,* 122s, nota 3s. I)e Tertulliano, cf. D'Ales, *La Théologie de Tcrtullicn* 185-200. Plura *nomina* quibus S.Augustinus Christum designat ac quibus eum verum corpus sumpsisse ostendit verumque hominem esse, cf. apud J.Mohan, *Do nominibus Christi doctrinam divi Augustini christolog.eam' ct soteriologicam exponentibus* (Fac. theol. S.Mariae ad Cacum, Mundelein [Illinois] 1936) 19-23; de S.Augustino, cf. praetera Van Bavîl, *Recherches sur la Christologie...* 52. Plura Patrum testimonia, R, Index Theolog. 376s; cf. DTC 4,1493-1501.

125. 2) Factum *probatur* ex principio Patrum : Verbum carni unitum est *mediante anima.* S.Gregorius Nazianzbnus: “Mens menti, ut propinquiori et coniunctiori iungitur, ac *per eam* carni, inter divinitatem et carnis molem *intervenientem* ➢➢ S.Ioannes Damascenus: “Ergo Dei Verbum *per intermediam mentem* carni unitum est, interiectam scilicet inter Dei puritatem et carnis crassitiem” 1S#7

3) Factum *probatur ex* alio Patrum principio: Quod non est assumptum non est sanatum ie. S.Gregorius Nazianzenus: “Si quis in hominem *mente* carentem sperat, amens vere est, nec dignus cuius salus omnino afferatur. Quod enim assumptum non est, sanari nequit” (R 1018). S.Gregorius Nyssenus: “... resurrexit... in hunc finem ut, in utraque parte naturae suae proprietates exhibente manens, naturam corporum per corpus et naturam animarum *per animam* sanaret” (R 1055). ,S.Augustinus : "Si homo non perisset, Filius hominis non venisset... Non enim alterius naturae caro nostra et caro illius, nec alterius naturae anima nostra *et anima illius.* Hanc suscepit naturam, quam *salvandam* esse indicavit” (R 1517)”,

126. C. Quoad corpus et animam *substantialiter unita.* 1) *Explicitas* sermo fit *de carne animata* Christi. S.Cyril-Lus Alex.: “Sanctissimo corpore assumpto ex sancta virgine et *anima intelligente animato* (σώμα... ψυχωΟέν ψυχή νοερήί...)” *(R* 2138). S.Sophronius : “neque sine *carne rationaliter animata* (σαρκό λογικώ ἐψυχωμένη) gerebantur [in incarnato Dei Verbo]” (R 2289). lam vero, *intima ac substantialis corporis et animae unio* non poterat vividius exprimi quam praedicta formula.

127. 2) *Implicite* huiusmodi substantialis unio asseritur, ubi Christus *verus ac perfectus homo* dicitur *nobisque consubstantialis.* Ita S.Cyrillus Al'EX.: “Confitemur itaque Dominum nostrum lesum Christum... *hominem perfectum* ex anima rationali et corpore constitutum... et *nobis con-*

[14] *Epist. 10] ad Cledonium:* MG 37,187 A.
u De fide orthod. 1.3 s.6: MG 94,1006 B. Plura, apud Petavium, 1.4 c.IJ, ubi etiam de *sensu* huius principii. Cf. infra, n.157s.
De recto sensu huius principii, cf. supra, th.4 obi.2 n.63.
[17] Plura, cf. Petavium, 1.5 c.ll n.11-13. De anima Christi rationali plura· Patrum testimonia, cf. apud F.Diekamp, *Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi...* (Minister i.\V. 1908) ad nominum rcrumque indicem, p.361. De doctrina S.Grcgorii Nysseni, cf. J.Lenz, *Jesus Christus nach der Lehre des hl.Gregor voit Nyssa. Elite dogmcngesch'ichtlichc Studie* (Trier 1925). De doctrina S.Athanasii, cf. J.Ortiz de Urbina, S.I., *L'aniina umana di Cristo secondo S.Athanasio:* OrChP 20 (1954) 27-43; P.Galtier, S.I., *Saint Athanase et l'âme huntame du Christ:* Greg 36 (1955) 553-589. De S.Ambrosio, cf. Gapp, *La doctrine di-sunion... \9-26.* De S.Augustino, cf. Van Bavel, *Recherches...* 50-52.119-145,

substantialem secundum humanitatem" (.R 2060). S.Vincen-Tius Lirinensis: "Unus idemque Christus Deus et homo... idem in saeculo ex matre generatus, perfectus Deus, *perfectus homo...* in homine *plena humanitas...*" (R 2170). S.Ioannes Damascenus: "Eundem Dominum nostrum lesum Christum perfectum Deum et *perfectum hominem* praedicantes, dicimus eundem et omnia habere, quae Pater habet, excepta ingeniti proprietate ; et omnia item, quae *primus Aciam,* excepto solum peccato, hoc est, corpus et animam ratione et intelligentia *praeditam"* (R 2365)1S.

128. Ratio theologica. Quoad integram hanc thesim hae rationes valent quas in quaestione quinta iterum iterumque tradit S.Thomas. Supposita convenientia assumptionis naturae humanae, oportuit Verbum ea assumere quae *ad humanam naturam* pertinent, sc. verum corpus carneum animamque rationalem inter se substantialiter unita.

Probatur hoc non tantum ex eo quod secus falso diceretur Verbum factum esse *hominem* ac per suam *passionem* nos redemisse, sed etiam quia *ad dignitatem personae assumentis* spectat, ut, cum ipsa sit Veritas, nulla in eius opere fictio inveniatur ie.

129. Obiectiones. 1. In sacra Scriptura Veteris Testamenti îpsi *Deo* explicite *anima* tribuitur (Prov 6,16; Is 1,14). Atqui haec attributio non nisi *metaphorice* potest intelligi. Ergo neque ex textibus allatis Novi Testamenti probatur *Christum vere* animan habuisse.

Dist. mai. In V.T. ipsi Deo anima ac quidam animae affectus ita tribuuntur ut sensu proprio de anima intelligi *debeant, nego mai.;* ut sic intelligi *possint, subdist.:* si hae locutiones in se spectentur, *trans.;* si considerentur in contextu V.T., in quo Dei simplicitas ac spiritualitas extollitur, *nego ". Cone. min. Dist. pariter cons.* Si in N.T. haberentur textus qui de vera Christi anima intelligi tantum *possent, trans, cons.;* si tales habentur ut sic intelligi *debeant* prout in argumento theseos ostendimus, *nego cons.*

130. 2. Sacra Scriptura Novi Testamenti explicite asserit Christum missum *in similitudinem* carnis peccati (Rom 8,3), factum *in*

18 De S.Cyrillo, cf. Du Manoir de Juave, *Dogme et spiritualité...* 172s. De prioribus operibus Sti.Cyrilli, cf. J.LiébaErt, *La doctrine christologiquc de saint Cyrille d'Alexandrie avant ta querelle nestoricnne* (Lille 1951); de hoc tamen opere, cf. J.Daniélou, apud RechScRcI 38 (1951) 270ss; P.Galtier apud Greg 33 (1952) 644-649. Aliter ac Liébaert, cf. G.Iouassard, *Une intuition fondamentale de S.Cyrille d'Alexandrie en christologie dans les premières années de son épiscopat:* RevEtByz 11 (1953) 175-186. Utrarque positio examini subicitur a Dieben, *Aux origines de l'anthropologie de saint Cyrille...;* huîc consentit C.Molari, *La Cristologia di S.Cirillo e l'antropologia neoplatonica:* EuntDoc 12 (1959) 223-229. Plura de tota hac thesi, apud DTC 8.1247-1262. Cf. quoque A.GsscirÉ, *L'Ame humaine de Jésus dans la christologie du IY· s.l* RevHistEccl 54 (1959) 385-425.

" Plura, cf. apud Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 137-144.207-212.

80 Cf. Heisisch, *Théologie des alien Tcsiamentcs* 29-32. De anthropomorphismis V. T., cf. *ibid..* 32s.

similitudinem hominum et *habitu* (σχήματι) inventum ut hominem (Phil 2,7). Atqui haec ostendunt Christum non veram carnem habuisse neque verum hominem fuisse. Ergo Christus non veram carnem habuit neque verus homo fuit.

Cone. mai. Nego min. 1) Quoad Rom 8,3. Non dicit S.Paulus simpliciter in similitudinem *carnis,* sed *carnis peccati.* Sensus est carnem Christi non nisi apparenter esse carnem *peccatricem. /lpparenter quidem,* quia erat caro sicut reliquorum hominum caro, quae est caro peccatrix. *Apparenter tantum,* quia neque habet in se peccati haereditatem neque est peccati instrumentum.

2) Quoad Phil 2,7. S.Paulus in hoc textu *non respicit* ad *veritatem* humanae naturae Christi, sed propter idearum connexionem exponit Christum *apparuisse* tanquam hominem. Haec *apparentia* hominis servi et morientis momentum habebat pro contrapositione cum *agnitione gloriosa,* de qua in vv.9-11. Ergo nihil contra nostram thesim. Caetcrum non tantum in aliis textibus n.119 allatis, sed in eodem textu aperte profitetur S.Paulus Christum esse verum hominem qui *oboedire* ac *mori* potuerit

131. 3. In sacra Scriptura Veteris Testamenti de quibusdam *angelis* legitur eos manducasse, deambulasse, visos ab hominibus fuisse, ctc. Atqui, his non obstantibus, certum est angelos non nisi *apparentia* corpora sumpsisse. Ergo argumentum Novi Testamenti pro nostra thesi valde infirmatur.

Dist. mai. Ita tamen ut vel ex ipsa illorum angelorum confessione (Tob 12,14-19) vel ex contextu, in quo proprietates valde diversae, immo vero et oppositae his quae hominum sunt propiae apparent, deducatur eos *non veros homines* esse, *conc. mai.;* ita ut hoc deduci non valeat, *nego mai Cone. min. Dist. pariter cons.* ~.

132. 4. Antiquissimi Patres non raro dicunt Christum constare *carne et spiritu* (σαρξ, πνεῦμα). Atqui sub nomine "spiritu" intclligebant hi Patres *divinitatem.* Ergo hi Patres not admittunt in Christo nisi carnem *et divinitatem.*

Dist. mai. Ita ut «ub voce "carne" intelligant *solam* carnem in oppositione ad animam, *nego mai.;* ita ut sub hac voce intelligant carnem *animatam* in oppositione ad *divinitatem, conc. mai. Conc. min. Contradist. cons. ".*

5. S.Paulus expresse dicit Christum *de caelo, caelestem* (1 Cor 15,47). Atqui hoc *de origine corporis Christi* accipiendum est. Ergo Christus habuit *corpus caeleste.*

Conc. mai. Nego min. Hoc loco allusio est ad id quod in Christo est divinum ac caeleste, non autem ad naturam et originem corporis eius. Christus enim v.45 propositus fuerat ut *spiritus vivificans,* quod competit Christo homini quatenus ratione divinitatis habet plenitudinem Spiritus Sancti vivificantis. Hoc autem munus vivificandi non plene exercet Christus nisi inde a resurrectione sua, in qua apparuit "corpus spirituale" (v.44)

31 Pro Rom 8,3, cf. Prat, *La Théologie...* 2,197. Profundius, ut videtur, A.Hulsbosch. O.E.S.A , *Possibilitas et tn'ors Christi in doctrina sotcriologica S.Pauli:* DivThom (Pi) 21-23 (1944-46) 213s. Pro Phil 2,7, cf. Huby, *Les épUres; de la captivité* in h.l.; DBS 5,30-32.

22 De angelorum doctrina et apparitionibus in V.T., cf. Hminisch, *Théologie...* 100-107.

23 Cf. Pohle-Gierens, 37s.

x Plura, cf. Prat, *La Théologie...* 1,165; 2,204-209.

133. Scholion 1. *De origine adamitica Christi.* Quamvis plura testimonia in thesi adducta clare dicant Christum *cx Maria* ideoque *ex Adam* originem ducere, nihilominus hanc quaestionem expresse proponimus, utpote quae ad theseos complementum multum valeat. Quin inuno, *historice* Christus eatenus est verus homo quatenus ex Mana vere genitus est. Hac sua origine est Christus caro de carne nostra ac ossa de ossibus nostris.

Fuerunt quidam inter *Paulicianos* (a sacc.7) qui assererent Christum corpus suum e caelis attulisse, impossibile enim esset illud e terra mala sumere (cf. quoque supra, n.112). Christum non vere factum cx Maria similiter tenuerunt aliqui *pseudomystici* saec.lô3.

134. Veritas haec est nihilominus *dogma fidei,* ut fusius in mariologia probabitur, ubi de Maria Dei Genitrice sermo fiet. Cf. interim D 422 710 (contra ValEntinum).

In V.T. Messias promittebatur tanquam semen mulieris (Gen 3,15), germen David (1er 23,5), conceptus et natus ex Virgine (Is 7,14) ".

In N.T. tum uno vel alio modo Christus dicitur filius David (Lc 1,32; Rom 1,3; cf. Rom 9,5) tum eius genealogia describitur usque ad David, Abraham, Adam (Mt 1,1-17; Le 3,23-38), tum explicita ratio originis ex Adam assignatur, ut Christus "qui sanctificat" sit eiusdem generis ac illi "qui sanctificantur" (Hebr 2,11)

Ex multiplici Patrum testimonio referre sufficiat eos valde insistere in formula Sti.Pauli: *factum* Ex *muliere* (Gal 4,4). Ita v.c. Tertullianus et S.Bastlius Similiter, in formula: *quod nascetur* ex *te sanctum* (Lc 1,35). Ita Adamantius, Eutropius, S.Epiiraem20.

Huius rei ratio generatim affertur soteriologica. Ita S.Irenaeus: "Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quae sanaretur, sed eadem ipsa recapitularctur, servata similitudine" ".

135. Scholion 2. *De convenientia assumendi naturam humanam et quidem ex stirpe Adae. Congruitatem,* quam *humana natura* pro assumptione habebat prae aliis naturis, desumit S.Thomas tum *ex dignitate,* in quantum utpote rationalis apta est attingere aliqualiter ipsum Verbum cognoscendo et amando ipsum, tum *ex necessitate,* in quantum indigebat reparatione. Haec autem, duo *sol·' humanae naturae* conveniunt, quia angelorum peccatum irremediabile dicitur a S.Thoma, prout fusius in tractatu de angelis exponetur ".

Si non de intrinseca congruitate, sed simpliciter de *non repugnantia* agitur, communior omnino theologorum sententia tenet non solum naturam angelicam sed etiam naturam irrationalem uniri posse

-· Cf. R.Janin, *Paulicicns:* PTC 12,56-62; H.Grégoire, *Précisions géographiques et chronologiques sur les paulicicns:* Bulletin de l'Acadetnie R. de Belgique (Classe des Lettres [1947] 5e série, t.33) 289-324; In., *Pour l'histoire des églises paulicicnncs:* OrCliP 13 (1947) 509-514. De illis pseudomysticis, *ci.* PoilLE-GIERENS, 41.

M Cf. Hristscn, *Théologie...* 300-303.

27 De hoc loco Hebr 2,11 cf. SrtcQ, *L'épltrc aux Hébreux* 2,40s. Flurar de origine davidica Christi, cf. DTC 8,1142-1144.

28 Tertullianus, *De carne Christi* 20: ML, 2,785-787 (edit. Oehler, 2,457-459). S.Basilius, *De Spiritu Sancto* c.5 n.12: MG 32,86.

79 Cf. O.BardEkhEwer, *Maria Verk-ilndigung* (Biblische Studicn, 10,5, Freiburg i.Br. 1905) 144.

30 Adv. haer 3,21,10; MG 7,955 (edit. Harvey, 2.121). Plura, cf. PohlB-GîErens, 44; Diekamr, *Doctrina Patrusnl...* ad nominum rcrumque indicem p.361.

:" 3 q.4 a.l.

Dec hypostatice. Neque enim deesset Deo modus et ratio propter quam decenter et sapienter irrationalem naturam assumeret; ad ostendendam v.gr. potentiam suam et sapientiam humanam confundendam

136. *Ex stirpe /Idae* convenientius assumpsit Verbum humanam naturam, "ut de ipso quod victum fuerat genere assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum". Hoc autem melius fuit et propter *iustitiam,* ut ille satisfaciat qui peccavit, et propter *maiorem hominis dignitatem,* dum victor diaboli ex illo nascitur genere quoti per diabolum fuerat victum, et propter maiorem *potentiae Dei ostensionem,* qui de corrupta et infirma natura assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem promotum est M.

137. Scholion 3. *De homine assumpto.* Quaerit S.Thomas in eadem q.4 utrum persona divina assumpserit *hominem.* Cum vox "homo" significet naturam humanam *in supposito,* et cum illud quod assumitur non sit *terminus* assumptionis, sed *praeintelligatur* assumptioni, patet non posse cum proprietate dici Verbum assumpsisse *hominem:* hoc enim esset ponere in Christo *duo supposita* vel saltem supponere naturam assumptam exstitisse ante assumptionem terminatam personalitate humana.

Plures tamen Patrum locutiones habentur, quae uno vel alio modo asserunt Verbum *hominem assumpsisse* vel *hominem gestasse* ".

Haec dicta ita intelligenda sunt, non ut duo supposita in Christo admittantur, sed ut, concreta pro abstracta voce adhibita, realitas *naturae humanae* Christi extollatur ".

Nihil ergo mirum *veteres quosdam scholasticos,* hoc Patrum loquendi modo male intellecto, tenuisse *hominem quendam* compositum ex corpore et anima a principio suae conceptionis fuisse assumptum a Dei Verbo. Hoc autem, si stricte sumitur, non est nisi in nestorianam haeresim incidere, quamvis illi veteres scholastici explicite negarent dari duas personas in Christo ".

138. Scholion 4. *De tribus substantiis in Christo.* Contra *apolhnarislas* rectum sensum habebat formula "*tres substantiae* in Christo_ Dei Filio", ut designaretur corpus, anima, divinitas. Hoc sensu adhibita est haec formula a Patribus *Concilii Toletani XI* cum S.Iuliano, archiepiscopo Toletano. Tamen Benedictus 11 hanc formulam non approbavit, donec, recta tradita explicatione a Concilio Toletano XV (D 295), Sergius I orthodoxam eam esse agnovit. Concilium Francofordcnsc iterum hanc formulam reiecit (D 312) r. Eam tamen sine scrupulo adhibet S.Thomas ".

Recte quidem tres substantiae dicuntur, ut expresse in Christo praeter divinitatem non tantum corpus, sed et anima ponatur. Falso

52 Cf. SuArez, d.14 s.2; Samianticesses, d.9 dub.3. Plura, cf. SalmasticessEs, *ibid.,* dub.4s.

33 S.Th., 3 q.4 a.fi; BackES, *Die Christologie des hl.Thomas...* 222.225s.

:M Cf. supra, n.42.

" Cf. S.Th., 3 q.4 a.3; Galtibr, n.lOfis.

33 Cf. S.Th., 3 q.2 a.6; Gautier, n.218s; Backes, *Dic Christologie des hl. Thomas...* 192-206.

a Cf. J.Forget, *Julien de Tolède (Saint):* DTC 8,1941; Gautier, η.9. nota; J.Maook, S.I., *Lc symbole du XIe Comble de Tolède* (Spicilegium Sacrum Lovaniense, Etudes et Documents, fasc.19, Louvain 1,938) 88ss; F.X.Murphy, C.SS.R., *Julian of Toledo and the Condemnation of Monothclitism in Spain:* Mélanges Joseph de Ghellinck, S.l. (Museum Lessianum. Sect, hist., n.!3s. [1051]) 1.369-372.

33 In 3 *Sent,* d.6 q.1 a.3; 4 CG 34 initio.

autem tres substantiae dicerentur, si corpus et anima in Christo *non* ponerentur *substantialiter unita.*

139. Scholion 5. *De assumptis partibus integrantibus.* Verbum omnes partes assumpsisse quae sint de *integritate* corporis humani, v.c. utramque manum, utramque aurem, est conclusio omnino certa, in qua omnes Patres ac theologi conveniunt, qui de hac materia loquuntur. Christus enim, ut in thesi vidimus, homo *perfectus* dicitur. Neque aliud decebat et maiestatem Verbi Dei, cuius illud corpus erat futurum, et omnipotentiam Spiritus Sancti, cuius virtute corpus illud fabricatum est[39].

140. Scholion 6. *De assumpto sanguine.* Extra dubium est Christi corpus sanguinem habuisse sicuti nostrum corpus. Quaestio tamen a theologis proposita fuit, utrum Verbum sanguinem proprie *assumpserit, ita ut divina subsistentia sanguinem terminaverit.*

Pauci omnino antiqui theologi sunt qui existiment sanguinem proprie assumptum non fuisse, sed tantum exsistere *in corpore assumpto* ideoque non nisi *mediate assumptum* fuisse.

Communissima tamen theologorum sententia docet sanguinem a Verbo assumptum fuisse. Ac ut rem clarius exprimant, dicunt sanguinem fuisse Verbo *immediate* unitum sive non tantum in hypostasi sed *secundum hypostasim.*

141. Huius rei ratio independens est a quaestione controversa de informatione sanguinis per animam[40]. *Speculativa* ratio sumitur ex eo quod sanguis vere ac proprie ad veritatem humanae naturae pertineat.

Positiva autem argumenta plura sunt. Sacra Scriptura eodem modo tribuit sanguini Christi ac eius corpori remissionem peccatorum (Lc 22,19s). Verba Clementis VI: "... non guttam *sanguinis* modicam, quae tamen *propter unionem ad Verbum* pro redemptione totius humani generis suffecisset..." (D 550). In aliis documentis in eadem linea ponuntur, quoad unionem, corpus et sanguis (D 117). In Concilio Tridentino corpus et sanguis eodem modo vocantur "partes Christi Domini" (D 876). Simile argumentum ex sanctis Patribus confici posset[41].

142. Scholion 7. *De assumptis capillis, unguibus, lacrimis, sudore,* etc. Similiter ac de sanguine diximus, nullum dubium est Verbum haec omnia habuisse. Quaestio est, utrum haec *assumpserit proprie necne,* seu utrum haec *immediate vel secundum hypostasim* assumpserit nec tantum *mediate vel in hypostasi.*

Dicendum est hypostasim Verbi ad ea terminari, ad quae humana hypostasis in reliquis hominibus terminatur. Lacrimae ac sudor v.c. non iam subsistunt subsistentia humana, licet in homine sint.

Ex hoc principio plures deduci possunt consequentiae, quae tamen non ab omnibus antiquioribus theologis aeque probantur propter diversas ac minus perfectas ideas circa corporis humani constitutionem[42].

[39] Cf. Suarez, d.15 s.5.
[40] Cf. de hac quaestione, A. Michel, *Forme du corps humain:* DTC 6,585.
[41] Cf. Suarez, d.15 s.6; Salmanticenses, d.10 dub.1; DTC 7,521. De distinctione inter duplicem speciem sanguinis, cf. Suarez, *ibid.,* n.414s; Salmanticenses, *ibid.,* dub.2.
[42] Suarez, d.15 s.7; Salmanticenses, d.10 dub.3 n.58-60; DTC 7,521.

143. Scholion 8. *De assumptis accidentibus.* Multo communius negant theologi accidens posse a Verbo *proprie vel secundum hypostasim assumi.* Ratio est quia forma *accidentalis* videtur omnino incapax subsistentiae, cum subsistere importet *esse per se* non solum negative sed etiam positive, sc. *cum repugnantia* ad essendum in subiecto sustentationis et dependentiae. lam vero, si accidens est *incapax subsistentiae,* impossibile est ut uniatur *secundum subsistentiam.*

Patet autem Verbum accidentia humana habuisse. Cum eis vero *mediate* tantum uniebatur Verbum seu *in Verbi hypostasi* erant, non ab hac hypostasi proprie *terminabantur* “.

144. Scholion 9. *De Christi aspectu physico.* lure affirmatur communiter a theologis Christum perfectam corupris pulchritudinem habuisse, quam in humano ac virili corpore esse oportebat. Derelinquenda est, igitur, paucorum veterum opinio tenens formam Christi despectam ac ignobilem °.

Thesis 8. Corpus et anima Christi non prius exstiterunt quam a Verbo assumpta essent.

S.Th., 3 q.6 a.3; q.33 a.3; Galtier, n.192-194; 200-203.

145. Nexus. Postquam S.Thomas de extremo assumpto egerat, transit ad considerandum *ordinem* huius assumptionis (q.6). Duplex autem est ordo: alius quidem *temporis,* alius vero *naturae-* De hoc duplici ordine in assumptione agemus infra, schol.Zs, n,157s.

Hac occasione quaestio tractanda venit intime cum his connexa, quam S.Thomas l.c. exponit; nempe, utrum corpus illud humanum vel anima illa humana, quae Verbum hypostatice secum univit, iam exstiterint *antequam* Verbum ea assumpserit.

146. Notiones. Satis patent ex dictis thesi praecedenti, n.110, et ex ipsa huius theseos enunciatione.

147. Adversarii. Origeni tribuitur sententia affirmans “*prius* formatum esse *corpus* Domini nostri lesu Christi in

43 Cf. SuXrEz, d.14 9.4; d.15 s.8; Salmanticenses, d.9 dub.5.

41 Cf. SuXrkz, d.32 s.2 n.3s; P.PraT, S.I., *Jésus Christ. Sa vic, sa doctrine, son oeuvre3* (Paris 1933) 1,529-532; Pohj.e-GierEns, 45, ubi etiam de apocryphis Christi imaginibus; DTC 8,1272; L.FerrETTI, O.P., *De Christo Deo ct Hom'ine pulchritudinis prototypo iuxta doctrinam D.Thomae Aquinatis:* XenThom 2,319-333. De Christi imagine, cf. G.de Jerphanion, S.T., *L'image de Jesus-Christ dans l'art chrétien,* apud *La voix des monuments* (Etudes d Archéologie, Nouvelle Série, Roma-Paris 1938) 1-26. Haec sub forma articuli sine illustrationibus paulo antea apparuerant apud NouvRevTh 65 (1938) 257-283; ILLeclErcq, *Jésus-Christ:* DACL 7,2397-2462; G.Bardy-A.Tricot, *Le Christ.* Encyclopédie populaire des connaissances christologiques (Paris 1932) 879-975; P.Barcellini, *Gesù Cristo ncll'arte: Cristo vivente net mondo* (Roma 1956) 893-904.

utero beatae Virginis, ac *postea unitum* ei esse Deum Verbum" (D 205) \

Animam Christi praeexsiitisse assumptioni docuit Origines. luxta eum, anima Christi, omnino sicut reliquae animae, *ab initio* inundi seu ab aeterno creata est. Haec tamen Christi anima *sola* Deo plene fidelis permansit. Verbum hanc animam ac, ea mediante, perfectum corpus sibi univit[2 3]

148. *Corpus et animam* constituentia *hominem* praeexstitisse assumptioni docuerunt *haeretici* illi qui Christum prius purum hominem fuisse ac deinde in eum Verbum descendisse affirmabant. De quibus nihil addendum est his quae in thesi de divinitate Christi exponuntur.

149. Doctrina Ecclesiae. *Corpus* non prius formatum quam a Verbo assumptum. *Explicite* hic error damnatur in *Synodo endemousa* (σύνοδο ἐ^δημοῦσα, eorum sc. episcoporum qui *in civitate erant)* sub Menna Patriarcha Constantinopolitano a.543: "Si quis dicit aut sentit, *primum* formatum esse *corpus* Domini nostri lesu Christi in utero beatae Virginis ac *postea unitum* ei esse Deum Verbum... A.S." (D 205)8. *Concilium Toletanum XI:* "... Maria eodem Sancto Spiritu obumbrante concepit... *In quo mirabili conceptu,* aedificante sibi Sapientia domum, *Verbum caro factum est"* (D 282s). Verbum dicitur hominem factum *in ipso* Mariae *conceptu;* non ergo Maria *prius* concepit ac *deinde* corpus a Verbo assumptum est. S.Gregorius I Magnus: "Non (autem) *prius* in utero Virginis *caro* concepta est, et *postmodum* divinitas venit in carnem" (D 250).

150. *Anima* non prius creata quam a Verbo assumpta. *Explicite* Origenis error damnatur *in eadem Synodo endemousa:* "Si quis dicit aut sentit, Domini animam *prius* exstitisse... ante incarnationem et generationem ex Virgine, A. S." (D 204).

151. *Saltem corpus* non prius exstitisse quam a Verbo assumeretur, implicite affirmant *Symbola et Concilia* quando dicunt *Verbum* esse ex Virgine *genitum* seu *conceptum* vel Mariam dicunt *Dei genitricem.* Ita *Symbolum Epiphanii:* "Credimus in... *Filium Dei, genitum* a Deo Patre... *qui* ex Maria semper virgine per Spiritum Sanctum perfecte *geni-*

1 De valore attributionis Origcni huiusmodi sententiae, cf. G.Fritz, *Origénitmc:* DTC 11,1578.

3 Cf. G.Baruy, *Origine:* DTC 11,1541. De aeternitate creationis apud Origenem. cf. DTC ll,1529s.

• Dc hac synodo, cf. F.Dif.kamp, *Die Origenistischen Streitigkcitcn* tni *scch. iten Jahrhundert* (Münster iJW. 1899) 47-50; DTC ll,1577s.

tus, homo factus est" (D 13). *Verbum* nequit dici a Maria *genitum,* si *prius* genitum fuit humanum Christi corpus ac *deinde Verbum* illud sibi univit. S.Gregorios I Magnus: "Nec ante conceptus [Deus] et postmodum unctus est; sed hoc ipsum de Spiritu Sancto cx carne Virginis *concipi* a Sancto Spiritu ungi fuit" (D 250).

Concilium Ephesinum: "Non enim primo vulgaris quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde se demiserit; sed *in ipso utero* carni unitum secundum carnem *progenitum* dicitur, utpote *suae carnis generationem sibi ut propriam vindicans...* Ita [Sancti Patres] non dubitaverunt sacram virginem Deiparam (Ὀβοτόχον) appellare" (D Illa). De hac re, plura in thesi de Maria *Dei matre* seu *Dei genitrice.*

152. Valor theologicus. Relate ad *corpus, est.doctrina catholica* (D 205) *et videtur implicite definita* (D Illa; cf< n.151). Relate ad *animam, saltem* est *doctrina catholica* (D 204) \

Valorem theologicum maiorem assignamus veritati de *corpore* Christi non praeexsistente antequam a Verbo assumeretur. Documenta enim symbolorum ac conciliorum oecumenicorum implicite non necessario asserere videntur nisi hoc: *quod* a Maria fuit in Christi conceptione ministratum, *hoc* fuit in ipsa conceptione assumptum a Verbo, cum a,:tcr Maria non proprie *Verbum* concepisse dicenda esset. Haec tamen B.Virginis divina maternitas per se et absolute stare posset, etiamsi anima quae illud corpusculum a Maria formatum animavit, ab initio mundi exstitisset ad mentem Origenis.

153. Probatur ex sacra Scriptura. Argumentum fere eodem modo procedit ac ubi de doctrina Ecclesiae. Proprium tamen locum habet in thesi de Mariae divina maternitate.

154. Probatur ex traditione. Huius traditionis praecipui testes sunt *sancti Patres,* qui *explicite* hanc veritatem confitentur. Ita S.Gregorius Nazianzenus: "Si quis sanctam Mariam *deiparam* (Θεοτόκον) esse non credit, extra divinitatem est... Si quis formatum *hominem* fuisse, Deumque *postea* subintrasse dicat, damnabilis est; hoc enim non *Dei generatio* est, sed generationis fuga" (R 1017). S.Augustinus: "Ipse namque unus Christus et Dei Filius semper natura, et hominis Filius qui ex tempore assumptus est gratia: nec sic

• De valore synodi endeniousarc, cf. Diekamp, *ibid.,* 50. Infallibilitas huic damnationi, licet a Papa Vigilio approbatae, tribui non posse videtur. Cf. de simili casu a.553, DTC 11,1587. Gautier (n.200) *tum corpus tum animam non* praeexstitisse assumptioni dicit esse de fide catholica ex magisterio ordinario. Idque non sine fundamento asseritur.

assumptus est ut prius creatus post assumeretur, sed ut *ipsa assumptione crearetur*" 5.

S.Sophronius Hierosolym. in sua ad Sergium Constantinop. synodica epistola: "Incarnatur ergo Verbum Deus... non *praefactae carni* copulatus, praeformatove atque in sese praesubsistenti aliquando corpori conlinitus, vel *animae praeexsistenti* coniunctus: sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum et Deus copulatus est... et *non ante* verissimum ipsius Verbi conventum in seipsis unquam exstiterunt" e.

155. Ratio theologica. 1. Ex recta *incarnationis* intelligentia. Si caro Christi fuisset concepta antequam susciperetur a Verbo, habuisset aliquando aliquam hypostasim, praeter hypostasim Verbi Dei. Ergo vel unio non facta est *in unitate hypostasis* vel praeexsistentem hypostasim naturae humanae Verbum Dei sua assumptione *destrueret.* Primum clare est contra superius tradita, thesi 3. Alterum videtur dici contra sanam huius mysterii intelligentiam a traditione propositam, iuxta quam Verbum sua assumptione *nihil destruxit* humanae naturae, sed tantum *assumpsit*

2. Ex eo quod secus Maria non esset *Dei genitrix.* Id quod Maria proprie in Christi conceptione praestavit fuit humanam materiam ministrare, quae, per Spiritum Sanctum fecundata, ab anima rationali informari exigeret. Iam vero, si quando B.Virgo hanc materiam ministravit, aliis verbis, si quando B.Virgo *concepit,* proles illa non fuit assumpta a Verbo, nequit dici Mariam concepisse *Verbum.*

156. Scholion 1. *De immediata animatione corporis Christi.* Quamvis veteres theologi admittere solebant corpus humanum non informari ab anima nisi aliquo tempore post conceptionem, relate ad Christi corpus unanimiter tenebant informatum fuisse *eodem conceptionis instanti* '.

157. Scholion 2. *De ordine naturae in assumptione.* Haec prioritas attenditur vel *ex parte rei assumptae* vel *ex parte ipsius agentis seu assumentis.* 8

6 *Contra sertn. Arian.* S: ML 42,688.
* Msi 11,474 C-D: MG 873,3162 B. Alia testimonia Patrum, cf. apud GaltiEr, n.192-194; R, Index Theol. 386.
' Cf. S.Tn., 3 q.33 a.3; Caietan., in h.l.; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 144.146; F.MalmbErg, *"Ipsa assumptione creatur". Een poging tot scholastick thcologische geloofsinterprctatic:* Jubileum bundel Prof. Mag. Dr. G. Kreling (1953) 63-84.
8 Cf. S.Th., *ibid.,* ar.2; BackES, *o.c.,* 231-233; A.ChollET, *Animation:* DTC 1,1308-1310.1319. Plura circa modernae biologiae principia dogmati applicanda, vide apud A.BrEITUNG, S.L, *De conceptione Christi Domini inquisitio physiologica-thrologica:* Greg 5 (1924) 391-423.531-568; A.Mitterer, *Dogma und Biologie der keligen Familie.* Nach dem Weltbild des h.l.Thomas von Aquin und dem der Gegenwart (Wicn 1952), in quo tamen opere quae de virginitate in partu B.M.V. dicuntur, nobis sub aspectu dogmatico non probanda videntur.

Ex parte rei assumptae. Una pars prior alia invenitur, ut anima quam corpus, tum dignitate tum causalitate; reddit enim carnem informatam et consequenter humanam. Item una pars prior alia invenitur dignitate, non causalitate, ut spiritus prior quam anima.

158. *Ex parte agentis.* Ordo attenditur tum *in intentione* tum *in exsecutione.* Ordine *intentionis* prius assumpsit *totam naturam humanam* quam partes, sc. corpus et animam. Prius enim intenditur completum quam incompletum, et per consequens totum quam partes. *Anima* prius assumpta fuit quam caro, cum principalior sit et quasi finis corporis. *Unio animae ad corpus* et *unio corporis ad animam* prius intenduntur quam unio animae vel corp-ris ad Verbum: nam corpus et anima non sunt assumpta nisi prout constituentia *humanitatem,* ergo prout unita *inter se.*

Ordine vero *exsecutionis* e contra res se habet, quia prius in executione incipitur ab imperfecto quam consummetur et compleatur perfectum. Ideo assumptio inchoata est a partibus'.

Thesis 9. Caro et anima Christi a divinitate seiungi non possunt, nec in Christi morte fuerunt seiuncta; quin immo, etiam sanguini in passione effuso Verbum mansit hypostatice unitum.

S.Th., 3 q.50 a.2s.

159. Nexus. Quamvis S.Thomas quaestionem de separatione divinitatis a corpore et ab anima Christi in q.50, ubi de Christi morte, tractet, nihilominus eam nunc exponimus tanquam *proprietatem* quandam huius unionis hypostaticae, quam hucusque consideravimus. Ab ordine S.Thomae discedimus, quia problemata quae in quaestionibus de mysteriis Christi S.Doctor tractat, ad quas quaestio 50 pertinet, nunc generalius *apud exegetas novi Testamenti* expenduntur.

160. Notiones. Sanguini in passione effuso. In thesi praescindimus a quaestione utrum *lotus* sanguis in passione effusus permanserit Verbo hypostatice unitus. Id asserimus de sanguine *quem Christus in corpore resuscitato iterum habuit.* Ex hac thesi ergo non excluderetur *aliquas guttas* sanguinis, si quas forte Christus resuscitatus non iterum habuerit, amisisse unionem cum Verbo; quod caeterum de sanguine in circumcisione effuso videtur concedendum [1].

• Cf. S.Th., 3 q.6; Backes, *o.c.,* 223-225; Caietan., *In 3* q.6; Ioan. a S.Thoma, *Isagoge,* in h.l.; SuArez, d.17; Saimanticenses, d.11. Plures subtiliores quaestiones inveniuntur locis relatis. Cf. quoque LandgraF, *Dogmengeschichtc...* 2.· pars, 1,150-171; A.GrillmEier, S.I., *D*r Gottessohn im Totcnrcich:* ZkathTh 71 (1949) SOs.202.

1 Sanguinis in passione effusi *aliquas guttas non* iterum ad corpus resuscitatum Christi *reassumptas* fuisse tenet i c. Gonet, d.9 a.7 § 4 n.155. Negat S.Th., 3 q.54 a.2 ad 3 (in editione I^conina, a.3). In negationem inclinat SuAREZ, *De mysteriis...* d.47 s.3 n.8e.

161. Adversarii. A. Praeter absurdum *Seleucianorum* errorem, iuxta quos Christus in sua ascensione corpus in sole reliquisset, indissolubilitatem unionis hypostaticae negavit Marcellus Ancyranus († c.374). Hic, inter alios errores, docuisse videtur Christi regnum finem habiturum, eo quod *unio Verbi cum carne* in fine mundi *cessatura sit. Origenistae* etiam opinabantur Christum corpus suum in novissimo die depositurum esse[2].

B. *Non pauci sancti Patres* afferuntur, qui separationem corporis a divinitate *in morte Christi* asseruerint. Res tamen adhuc non plene liquet[3].

C. Quaestio *de sanguine in passione effuso* acerrimam controversiam inter scholasticos saec.15 excitavit. *Fratres Minores* tenebant contra *Fratres Dominicanos* sacratissimum sanguinem Christi in passione effusum a divinitate *separatum fuisse* [4].

162. Doctrina Ecclesiae. A. *Symbolum Nicaeno-Constantinop.:* "Credimus in... unum Dominum Iesum Christum... *cuius regni non erit finis*" (D 86). Haec locutio non ad Verbum ut tale sed *ad Verbum incarnatum,* Iesum Christum, sese referre debet, sicut praecedentes locutiones: "crucifixus... sepultus... resurrexit... ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos". *Concilium Toletanum XI:* "In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate *possit aliquando seiungi*" (D 283) [5]. *Origenistas* damnavit *synodus quaedam ende-*

2 De Seleucianis, cf. DTC 14,1790 et G.Bareille, *Hermias:* DTC 6,2306. De Marcello, cf. M.-D.Chenu, *Marcel d'Ancyre:* DTC 9,1993-1998; J.M.Fondevila, S.I., *Ideas cristològicas de Marcelo de Ancyra:* EstEcl 27 (1953) 56-64. De origenistis, cf. DTC 11.1583.

3 Cf. R.Favre, S.I., *Credo... in Filium Dei... mortuum et sepultum:* RevHistEccl 33 (1937) 687-724. Ibi refertur articulus J.Lebon (RevHistEccl 23 [1927] 5-43; 209-241) qui hanc sententiam tribuerat iam S.Athanasio et S.Hilario aliisque. Iuxta Favre addendi sunt alii, ut S.Ambrosius, Leporius, S.Hieronymus, S. Gaudendus Brixin., S.Augustinus. Cf. quoque Grillmeier, *Der Gottessohn in Totenreich:* ZkathTh 71 (1949) 23-53. Res tamen non plene liquet, ut bene notat D'Alès, 141. In specie de S.Ambrosio, cf. Gapp, *La doctrine de l'union...* 90-95; Drzecnik, *Doctrina S.Ambrosii de Christo...* 20-27. De S.Athanasio, cf. Grillmeier, *Die theologische... Vorbereitung... von Chalkedon* 1,88ss. De S.Augustino, cf. Van Bavel, *Recherches... 67-73.* Generalius, cf. A.Grillmeier, S.I., *Der Logos am Kreuz* (München 1956) 10-15.

4 Cf. DTC 7,538s; M.-D.Chenu, *Sang du Christ:* DTC 14,1094-1096; Salmanticenses, d.10 dub.3 n.48-51.

5 De symbolo nicaeno-constantinopolitano, cf. C.A.Maly, S.S., *De verbis Symboli Nicaeno-Constantinopolitani "Cuius regni non erit finis"* (Pontificia Universitas Gregoriana, München 1939). Afferri quoque solent Concilia Chalcedonense (D 148) et Romanum (D 288), in quibus Iesus Christus dicitur "in duabus substantiis... *inseparabiliter".* Haec tamen expressio sese refert in contextu ad hoc quod duae Christi naturae non sint eo separatae sed unitae *in unitate personae,* contra haeresim Nestorii; *forte* lateat etiam idea

mousa Constantinopoli a.553, a Vigilio Papa approbata, can. 10[e].

163. B. *Expressa* Ecclesiae declaratio non habetur, nisi *in communi a saeculis theologorum sententia* et *in Catéchisme Romano* [']. *Deducitur* tamen ex modo loquendi *symbolorum:* "qui [lesus Christus, *Filius Dei]* mortuus et *sepullus* descendit ad inferna" (D 6). Iam vero si *corpus* non erat unitum Verbo, nequiret dici *Filius Dei sepultus,* et si anima non erat unita Verbo, nequiret dici *Filius Dei descendisse ad inferos.*

C. Pius II prohibuit ne diceretur haereticum aut peccatum esse "tenere vel credere sanguinem ipsum sacratissimum..·. triduo passionis eiusdem Domini nostri lesu Christi ab ipsa divinitate quomodolibet fuisse vel non fuisse divisum vel separatum", donec res a Sancta Sede decisa fuisset (D 718).

164. Valor theologicus. A. Contra doctrinam Marcelli Ancyr. *de fide divina catholica definita;* contra Origenistarum doctrinam, *implicite definita* (I) 86)[8]. B. *Communis et certa in theologia.* C. *Probabilior ac multo communior*[9].

165. Probatur ex sacra Scriptura. A. *lesu* adseribitur regnum aeternum. Lc 1,33: *et regni eius* [Zejuj] *non erit finis.* Explicite asseritur *lesum Christum* semper manere. Hebr 7,24: *hic [lesus] autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Hebr 13,8: Iesus Christus *heri et hodie ipse et in saecula*[10]. Cum *lesus* non vocetur nisi Verbum *incarnatum,* patet has locutiones non posse referri ad Verbum *nisi incarnatum.*

B. Argumentum quod deduximus ex modo loquendi symbolorum, fere simili modo fieri posset ex 1 Petr 3,19: *In quo [spiritu* îuo] *et his, qui in carcere erant, spiritibus, veniens [Christus] praedicavit.* Hoc in textu sermo est de descensu Christi ad inferos triduo mortis [11]. Iam vero vix posset dici

de non separatione Verbi a proprio corpore, durante triduo: cf. Ortiz nE Urbina, *Das Symbol van Chalkedon...* 1,409.

f Cf. DiEkamp, *Dic origenisfischen...* 88-98; DTC 11,1580-1587.

' 1,5,6.8.

• Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum expresse refertur ct approbatur in sua *de/unlione fidei* a Concilio Chalcedonensi, act.5: ACÛ T.2 vol.i pars 2 p.[324]128.

e Cf. SalmanticensES, d.10 dub.3 n.36-38; DTC 7,539: Galtier, n.199.

10 Cf. Lagrange, *Evangile selon saint Luc,* in h.l.; Bonsirven, *Epitre aux Hébreux,* in h.l.; SriCQ, *L'épitre aux Hébreux,* in h.l. De quadam difficultate ex 1 Cor 15,24-28, cf. Maly, *De verbis Symboli...* 49-59.

11 Cf. U.Holzmeister, S.I., *Commentarius in epistulas SS.Petri et ludae apostolorum* (Cursus sacrae Scripturae, Parisiis 1937) in h.l. Fuse exponitur totum problema de descensu Christi ad inferos, 306-354. Cf. quoque Bo Reicke,

Christum descendisse ad inferos, si eius *anima tantum* descendit. Ergo *Verbum* descendit *unitum cum anima,* quae durante hoc triduo a *corpore* erat *separata,* siquidem Christus vere fuit *mortuus.*

166. Probatur ex traditione. A. Sancti Parres, traditionis testes, multipliciter indissolubilitatem unionis hypostaticae proponunt. 1) *Utraque natura* divina et humana dicitur *manere in Christo in aeternum.* S. Vincentius Eirin.: "Neque enim illa coniunctio alterum in alterum convertit..., Christo singularitate unius eiusdemque personae, *in aeternum quoque permaneat proprietas uniuscuiusque naturae"* (R 2170). S.Leo I Magnus: "...quia, etsi unum [Deus] manet ab aeternitate, aliud [homo] coepit a tempore; quae tamen in unitatem convenerunt, nec *separationem* possunt habere nec *finem"* (R 2199)12. S.Ioannes Chrysost.: "Semper habitat in hoc tabernaculo: carnem quippe nostram induit, non ut relinqueret, sed *illam semper secum habiturus"* 13.

2) *Error Marcelli explicite condemnatur.* S.Cyrillus Hierosol.: "Quod si forte aliquem audiveris dicentem, quod finem habeat Christi regnum, hanc haeresim exsecrare; draconis est alterum caput, quod novissime circa Galatiam succrevit" 14.*

167. B. 1) *Corpus* non est in Christi morte a divinitate separatum. *Scriptum contra Apollinarium,* quod S.Athanasio attribuitur: "Si igitur Verbum excessit a *corpore,* atque ita mors obvenit, adversus Deum ludaei invaluerunt, cum indissolubilem commixtionem solverint... Quomodo autem corpus ab incorruptibili Deo separatum in incorruptibilitate remanere potuit?" (R 800).

2) *Neque corpus neque anima* sunt in Christi morte a divinitate separata. S.Leo I Magnus: "Resurrectio salvatoris *nec animam* in inferno *nec carnem* diu morata est in sepulcro,... quoniam *deitas,* quae *ab utraque suscepti hominis substantia non recessit,* quod potestate divisit, potestate coniunxit" (R 2210). S.Fulgentius: "... et licet in Christi morte carnem morientem fuisset *anima* desertura, *divinitas* tamen

The disobedient Spirits and Christian Baptism (Actar Semin. N.T. Upsaliensis, ed.A.Fridrichsen, 13, Copenhague 1946) in kJ.

32 Cf. Kuhn, *Die Christologie...*

13 *In loan. hoin.* 11,2: MG 59,80. Plura Patrum testimonia, cf. apud PetaVIUM, 1.12 C.18 η.8-12.

a' *Catech.* 15,27: MG 33,910. Quorundam veterum vacillationes non quidem in hoc errore damnando, sed in *personali* Marcelli sententia diudicanda, videas apud DTC 9,1994-1996. Plura de Patribus, cf. Maly, *Dc verbis Symboli...* passim.

Christi *nec ab anima nec a carne posset separari suscepta*" (R 2248). S.Ioannes Damasc.: "Quamvis igitur Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen *a neutro,* hoc est *nec ab anima nec a corpore* quoquo modo *seiuncta est*" 15. Cf. R 1055.

168. 3) Expresse negatur verba Christi in cruce morientis: *Deus meus, Deus meus...* indicare separationem deitatis ab humanitate. S.Leo I Magnus: "... ne simplex et incuriosus auditor ita acciperet verba dicentis: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?,* tanquam, fixo Iesu in crucis ligno, paternae ab eo deitatis omnipotentia recessisset; cum in tantam unitatem Dei et hominis natura convenerit, ut nec supplicio potuerit dirimi, *nec morte disiungi*" (R 2208)16.

169. Ratio theologica. A. Nulla apparet ratio cur Verbum in vita sua gloriosa relinquat humanitatem, in qua et cum qua triumphavit. Tota oeconomia divinae providentiae, qua *Christus* est ille in quem universae creaturae ordinantur, exigit ut *Christus* maneat in aeternum. *Christus* autem est Verbum *cum sua humanitate.*

B. Pro *corpore* argumentatur sic S.Thomas. Corpori Christi a Deo gratia unionis concessa est. Atqui Deus neminem privat gratia illi concessa absque propria culpa. Ergo sicut ante mortem caro Christi unita fuit secundum hypostasim Verbo, ita et remansit unita post mortem 17.

Pro *anima* vero argumentum valet a fortiori, quia anima unita est Verbo immediatius et per prius quam corpus; corpus enim unitum est Verbo *mediante anima,* ut supra n.157s explicavimus 18.

170. C. Quidquid Verbum assumpsit et necessarium erat ut Verbum habitualiter haberet *in vita* integritatem moraliter eandem et eandem moraliter integritatem haberet *a momento resurrectionis,* nunquam dimisit. Atqui Verbum sanguinem assumpsit, ut supra n.140s exposuimus, et ille sanguis

15 *De fide orthod.* 1.3 c.27: MG 94,1098. Plura circa relatum *Scriptum contra Apollinariuni* ac circa quoddam fragmentum Fs.Hippolyti, cf. apud Grillmeier, *Der Gottcssohn ini Totenrcich:* ZkathTh 71 (1949) 185-197. Cf. quoque, J.Danielou, *L'état du Christ dans la mort d'après Grégoire de Nysse:* Histjahrb 77 (1958) 63-72.

16 De historia exegeseos circa hunc textum Evangeliurum, cf. L.Mahieu, *L'abandon du Christ sur la croix:* MélScRel 2 (1945) 200-242. Circa ipsum textum Mt 27,46 ac circa triplicem Patrum interpretationem multo fusius agit R.T.A. Murphy, O.P., *The Dereliction of Christ on the Cross* (Pontificium Institutum "Angelicum", Washington 1940). Flura Patrum testimonia circa non separatam divinitatem, cf. apud Petavium. 12,19,5-10.

17 Cf. S.Th., 3 q.50 a.2 c; Caiet., Suarez, in h.l.; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 233s.

18 Cf. S.Th., *ibid.,* a.3 c.

effusus necessarius iani erat tempore passionis, ut corpus Christi haberet integritatem eandem *a momento resurrectionis.* Ergo Verbum sanguinem illum effusum in passione non dimisit.

171. Vis argumenti nititur in principio: "Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit" Hoc principium, a theologis communiter receptum, de *anima* Christi valet *absolute;* de *corpore* valet hoc sensu, quod Christus idem corpus habuit semper in sua vita terrestri idemque nunc in caelis habet; at haec corporis *identitas* non praecise physica dicenda est, sed talis qualis in *nostris* etiam corporibus habetur, quae sc. est identitas moralis. Principium hoc praeterea non valet de his corporis elementis quae *definitive* a sacratissimo illo corpore separabantur, ut v.c. lacrimae, sudor.

Conditiones, itaque, apponendae erant in syllogismo antecedenti, ne principium illud perperam applicaretur.

172. Obiectiones. 1. Mortuo Petro, Petrus dicitur sepultus et esse in caelo ratione utriusque suae partis constitutivae, quin tamen Petri persona maneat saltem corpori coniuncta. Atqui eaedem sunt locutiones circa Christum, in quibus nostrum nitebatur argumentum. Ergo ex eo quod dicatur Christum sepultum fuisse, descendisse ad inferos, non sequitur *personam Christi* manere et corpori et animae coniunctam.

Dist. mai. Hoc vere de Petro dici potest, quia *Petri persona* proprie *nullibi est, conc. mai.;* si haec Petri persona per impossibile esset *simul* viva, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Hoc non sequeretur, si Christi persona nullibi esset, *cone, cons.;* si haec Christi persona est *simul* viva, *nego cons*.[50]

2. Remoto medio uniente, extrema separantur. Atqui corpus Verbo unitur *mediante anima.* Ergo remota anima a Christi corpore, etiam Verbum et corpus separantur.

Trans, mai. Dist. min. Unitur media anima, hoc sensu quod anima sit quid *ligans* corpus cum Verbo, *nego min.;* hoc sensu quod anima, carnem informans, eam redlat *humanam* ideoque congrue a Verbo assumptibilem (cf. supra, n.157s), *conc. min. Contradict. cons.* Si anima esset medium vere *ligans, canc. cons.;* secus, *nego cons.*

173. 3. Anima et corpus ab invicem *separata* sunt *duae* hypostases. Atqui Verbum dicitur remansisse unitum tum corpori tum animae *separatis.* Ergo Verbum, durante Christi morte, fuisset non una sed *duae* hypostases.

Dist. mai. Sunt duae *hypostases* in reliquis viventibus, *trans, mai.;* in Christo, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Si corporis et animae separatio induceret relate ad corpus et animam *Christi* ea esse duas hypostases, sicuti apud reliquos viventes, *trans, cons·;* si hoc non inducit *in Christo, nego cons.*

In Christi morte corpus et anima sunt quidem *ab invicem* separata. Sed utrumque remansit unitum *uni* Verbi hypostasi, quae infinitae virtualitatis cum sit, non difficilius terminat corpus .et animam separata quam unita. Itaque non duae hypostases, sed *una*

" De incerta origine huius principii, cf. E.Sc›u i.t z, *I.c problème théoloyique du Corps du Christ datis ta mient:* DivThom (Pi) 12 (1935) 372 nota 34s.

» Cf. Galtikx', n.200.

hypostasis dicenda sunt corpus et anima etiam separata in triduo mortis

174. 4. Dicere Verbum *effusum in terram* Christianas aures offendit. Atqui eodem hire hoc dici deberet ac Verbum dicitur *sepultum,* si Verbum unitum fuisset *sanguini in passione effuso.* Ergo Verbum non fuit unitum sanguini in passione effuso.

Trans, mai. Nego min. In his locutionibus ad usum maxime est attendendum. De ipso Christo *vivo* nemo dicet *Verbum* moveri eo quod eius *sanguis intra corpus* moveatur, licet sanguis credatur *immediate* unitus Verbo *secundum hypostasim* (cf. supra, n.l40s) ; e contra, omnes dicent *Verbum* moveri, si *corpus* eius movetur. Sanguis enim, ut ab aliis considerationibus abstrahamus, est *pars* corporis, de qua non praedicantur proprietates sicut praedicari solent de *loto corpore.* Similiter quando quis movet digitum, non tam dicere solemus : Titius movetur, quam Titius movet digitum ; quando vero totum corpus quis movet, v.c. in ludis vel deambulatione, tunc proprie dicitur *persona ipsa* moveri. Usus etiam loquendi de homine *mortuo* est ut denominationes, quae *soli animae* vel *soli corpori* separatis conveniunt, tribui soleant *toti homini;* ideo S.Petrus dicitur Romae *sepultus, in caelis vivens.* Usus tamen loquendi hanc *exceptionem* (exceptio est enim quod *partes* praedicentur de *supposito)* non extendit ad *minores partes;* ita si casu quodam *brachium* Titii inhumetur diverso loco ac *corpus* Titii, nemo dicet de loco ubi brachium inhumatum est: Hic est Titius; sed hanc locutionem adhibebit solummodo de loco ubi corpus iacet. Ideo bene dici potest : Deus *sepultus est,* quin dicatur: Deus *effusus* est. Sepultum est enim *corpus,* effusus vero *solus sanguis* l.

175. 5. Plures ac magni nominis Patres tenuerunt *corpus* Christi *a divinitate* fuisse *triduo mortis separatum.* Atqui hoc Patrum testimonium ostendit traditionem contrariam nostrae assertioni. Ergo saltem valor nostri argumenti ex traditione pro hac parte valde infirmatur.

1) *Peto probationem maioris,* cum res adhuc eliquata non appareat. Cf. supra n.161, ad B.

2) *Trans, mai. Nego min.* Ipsi enim auctores qui recentius tenent hos Patres revera separationem divinitatis a corpore docuisse, explicite affirmant hoc factum momento carere *pro valore theologico* huius doctrinae ".

176. Scholion 1. *De forma cadaverica corporis Christi triduo mortis.* Multa scholastici disputabant de quaestione utrum in corpore Christi mortuo *nova forma substantialis* illi materiae unita fuerit, forma sc. cadaverica. Communius id affirmatur, ac iure, ut videtur. Consequenter enim ad aristotelicam doctrinam de materia et forma, et consequenter ad doctrinam *unius formae* in homine, in morte reliquorum hominum in materiam corporis nova forma cadaveris introducitur. Hoc tamen negant Scotistae, iuxta quos recedente anima

" Cf. S.Th., 3 q.SO a.3 ad 4.

11 Cf. Galtibr, n.199 nota.

33 Cf. J.Eebon, *Vne ancienne opinion sur ta condition du corps du Christ dans la mort:* RevlïistEccl 23 (1927) 238s; Favre, *Credo...:* RevHistEccI 33 (1937) 723s.

manet *forma corporeitatis,* quae ad materiam conservandam sufficeret M.

177. Scholion 2. *Utrum Christus potuerit dici homo vel Christus durante triduo mortis. Ad veritatem mortis* cuiuslibet hominis vel animalis pertinet quod homo vel animal *desinat esse* homo vel animal, quia mors provenit ex separatione *animae,* quae complet rationem animalis vel hominis. Ideo dicere Christum in triduo mortis *hominem* fuisse, absolute loquendo est erroneum. Quidam autem scholastici hoc modo erroneo locuti sunt a. Bene dici potest Christus triduo mortis: *homo mortuus.*

Christus proprie et in rigore nequit illo triduo dici, quatenus Christus significat subsistentem in duplici natura integra. Tamen per synechdochen, tribuendo parti appellationem totius, dicitur *Christus* fuisse in triduo mortis, multo potiori hire quam nunc dicitur S.Petrus esse in caelo.

Posset etiam dici *Christus* eo triduo, quatenus Christus significat personam divini Verbi secundum eam dispositionem quam de facto habebat in triduo illo, sc. quod erat illa persona unita animae et corpori Christi separatis ab invicem M.

178. Scholion 3. *De adoratione sanguinis Christi forte in passione relicti.* Huiusmodi sanguis iam non esset unitus hypostatice Verbo, cum non sit pars humanitatis Christi neque actu neque in potentia. Adorationem tamen valde singularem ille sanguis mereretur propter praecedentem unionem et veluti contactum ad Verbum ac propter contactum etiam ad camem Christi'

ARTICULUS IV

Di·; indole mysteriosa unionis hypostaticae

Thesis 10. Unio hypostatica est mysterium stricte dictum, ideoque demonstrari nequit eam repugnare.

4 CG 40s.49; SuXrBz, d.3 8.1; d.8 s.4.

179. Nexus. Antequam expositionem de unione ipsa hypostatica absolvamus, praecipuae difficultates contra hanc veritatem fidei catholicae examinandae veniunt. Ne tamen nimium in difficultatum solutione exigatur, quid rationis vires circa hoc dogma valeant praemittendum est.

180. Notiones. Unio hypostatica. Est substantialis illa coniunctio Verbi cum natura humana, vi cuius Filius Dei Unigenitus simul est verus homo, utraque natura, divina et

31 Cf. Caiet., 7h *3* q.50 a.5; SuArez, *De mysteriis...* <1.38 s.3; Schiltz, *Le problème théologique...:* DivThotn (Pi) 12 (1935) 361-378.481-501.

e Cf. S.Th., 3 q.50 a.4; Backes, *Die Christologie des hl.Thomeis...* 234; Landgraf, *Dogmengeschichte...* 2. pars, 1,273-319; PelstEr, *Der Oxforder Theologe Richardus Rufus...:* RechThAncMéd 16 (1949) 259-280.

28 Cf. Caiet., Suarez, Biu.uart, *In 3* q.50 a.4.

27 Cf. Suarez, *De mysteriis...* <1.47 s.3 n.9s. Ibi etiam sermo est de *h slorica quaestione* reliquiarum sanguinis Christi. De hac re, cf. etiam PohlE-GlERENS 104; DTC 14,1096s.

humana, inconfusa remanente. Hanc notionem in praecedentibus thesibus 2 et 3 probatam reliquimus [1].

Mysterium stricte dictum. Est veritas quae non solam humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendit, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerit et ipsa fide fuerit suscepta, tamen quoad intrinsecam eius possibilitatem intellectui impervia manet (cf. D 1673 1796) [2][3] Satis haec in tractatu de vera religione, ubi de mysteriorum exsistentia et revelatione, declarantur.

181. Ideoque demonstrari nequit eam repugnare. Duo his verbis comprehenduntur. Aliud, unionem hypostaticam non esse *quid absurdum.* Aliud, hanc non repugnantiam a nobis probari non quidem positive, sed tantum *negative,* sc. ostendendo non concludere evidenter rationes eorum qui hoc dogma impugnant. Dicimus *ideoque,* quia ex ipsa notione mysterii stricte dicti sequitur tum eius non repugnantia, cum sit veritas a Deo revelata, tum modus solummodo negativus hanc non repugnantiam ostendendi, si enim positive eam possemus ostendere, iam huius rei intrinsecam possibilitatem essemus adepti, quod in mysteriis stricte dictis nec post eorum a Deo revelationem fieri potest.

182. Adversarii. A. Unionem hypostaticam esse mysterium stricte dictum negant *sentirationalistae,* qui tenent rationem, supposita mysteriorum revelatione, posse, saltem progrediente philosophia, eorum essentiam plene intelligere. Hoc de incarnatione expresse affirmavit v.c. Froiischammer (cf. D 1669)s.

(Π) Unionem hypostaticam repugnare non nisi *Christianae fidei adversarii* tenent. Logice quidem essent hi quoque auctores adversarii, qui hanc unionem non concipiunt nisi haeretico modo, ut *monophysitae et nestoriani;* at de his egimus proprio loco, sc. thesibus 2 et 3.

183. Doctrina Ecclesiae. A. Unionem hypostaticam esse stricte dictum mysterium docet Pius IX contra Frohschammer: "Namque auctor in primis edocet... sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et

1 Dc aliis nominibus in traditione occurrentibus ad hanc veritatem designandam, cf. DTC 7,440-443.

3 Cognitionem *possibilitatis intrinsecae* mysterii non posse separari a cognitione *essentiae* illius, optime ostendit cum theologorum fere unanimi consensu, P.Descoqs, S.I., *Le Mystère de notre élévation surnaturelle* (Paris 19*38) 94-103. Distinctionem quandam, cf. apud G.de Broglie, S.I., *Le mystère de notre élévation surnaturelle. Réponse au R.P.Descoqs:* NouvRevTh 65 (1938) 1153s nota 2.

' Cf. G.Fem, *Srmi-rationalistes:* DTC 14,1853s.

philosophiae provinciam pertinere, rationemque, dato hoc obiecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire" (D 1669). Ac postquam quaedam testimonia sacrae Scripturae attulit, quae cum Incarnatione arctum servant nexum, addit: "ea nobis in Christo revelari mysteria, quae non solam humanam philosophiam, verum etiam *angelicam* naturalem intelligcntiam transcendunt..." (D 1673).

Concilium Vaticanum definit dari mysteria stricte dicta (D 1795 et maxime 1796). lam vero, quod statim probabimus, traditio testatur Incarnationem ad *stricte* dicta mysteria pertinere.

B. Non posse demonstrari unionem hypostaticam repugnare docetur ab Ecclesia in *Concilio Vaticano,* ubi definitur nullam unquam inter fidem et rationem veram dissensionem esse posse (cf. D 1797). lam vero, unio hypostatica est fidei dogma. Ergo demonstrari nequit hanc unionem rationi repugnare.

184. Valor theologicus. A. Quoad mysterium stricte dictum. Est *saltem doctrina communis et certa in theologia,* ita ut contraria sit falsa et temeraria (cf. D 1669 1671). Quin immo, *videtur doctrina catholica* (D 1669 simul cum 1673), et *-forte theologice certa* tanquam conclusio ex Vaticano (D 1795s) *

B. Quoad impossibilitatem demonstrandi unionem hypostaticam repugnare. Videtur veritas *de fide divina catholica implicite definita* (D 1797). Videtur enim casus de unione hypostatica implicite contineri in generali affirmatione Vaticani. Alii tamen hanc veritatem dicunt *proximam fidei* ex eodem D 1797 54 vel *theologice certam* °.

185. Probatur ex sacra Scriptura. Unionem hypostaticam esse mysterium stricte dictum non videtur ex sacra Scriptura posse probari. Textus qui magis ad rem faceret est 1 Cor *2,7s; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quae abscondita est, quam praedestinavit Deus mite saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit.* Sed ut hic textus probaret, deberet in eo exprimi non solum homines sed neque angelos Incarnationis *possibilitatem* posse

4 Luc.o suo tempore scribebat: "Est etiam certum aut *fere certum* non posse naturali lumine evidenter constare possibilitatem Incarnationis" *(De Ineam.* d.l s.l n.l). Hoc post documenta Pii IX et concilii Vaticani sustineri iam non potest: est enim *omnino certum* et non tantum *fere certum.*

* V.c. GaltiEr, th.8 initio, ubi propositio circa quam haec qualificatio theologica versatur sic exprimitur: "mysterium posse aliquatenus demonstrari non repugnare".

* V.c. Pxsch, prop.5.

naturaliter attingere et quidem neque *post* huius mysterii revelationem. Hoc tamen vix videtur hoc textu contineri7.

186. Probatur ex traditione. Sancti Patres, consequenter ad assertam ab eis distinctionem inter veritates naturaliter cognitas et veritates omni creato intellectui, etiam post earum revelationem, impervias (cf. D 1673 cum nota), sat aperte docent unionem hypostaticam ad haec stricte dicta mysteria pertinere.

1) Unionem hanc dicunt *ineffabilem seu supra cogitationem.* S.Ioannes Chrysostomus: "Nam unitate et coniunctione unum sunt Deus Verbum et caro... *ineffabili quadam et inexplicabili* unione" (R 1160). S.Cyrillus Alexandrinus: "Admirabilis et *supra mentem et orationem* est incarnationis, modus. Magnum hoc et augustum mysterium" (R 2138). S.Ioannes Damascenus: "... consimili modo in divina et arcana, *omnemque mentis aciem et captum exsuperante* unius Dei Verbi... incarnatione" (R 2362). Cf. R 910 1014 1103· 1953 2134 2219 2281.

2) *Expresse excluditur posse nos* huius unionis modum *perspicere.* S.Gregorius Nyssenus: "... modum autem conjunctionis divinitatis cum humanitate *perspicere non valemus"* (R 1031). S.Leo Magnus: "Utramque enim substantiam [in Christo] in unam convenisse personam, *nisi fides credat, sermo non explicat"* (R 2198). S.Ioannes Damascenus: "Quemadmodum et ex sancta Dei genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quae in se ipso subsistere, nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest, modus vero> *investigari prorsus nequit"* (R 2371). Cf. R 2048 2054 8.

187. Ratio theologica. Λ. Intellectum creatum internam Incarnationis possibilitatem perspicere non valere patet 1) tum ex divina immutabilitate, 2) tum ex infinita distantia, quae inter Deum mediat et creaturam.

1) *Ex immutabilitate.* Omnis unio creata substantialis secum fert quandam mutationem utriusque extremi, quae vide-

7 Plurcs tamen theologi hoc argumento utuntur; cf. DTC 7,1455. De sensu quem "mysterium", de quo hic est sermo, habeat apud S.Paulum, cf. l RAT, L<j *Théologie...* 2,3-9.50.467 s; Bover, *Las epistolas..,* in Ro>n 16,25-27 et in I Cor *2.7,* Fusius, Id., *Teologia de San Pablo** (Bibliotcca de Antores Cristianos,. Madrid 1961) 74-109. De evolutione semantics huius vocis etiam in scriptis, novi Testamenti, cf. Jos. C.M.Fruytier, S.I., *Hot* woordMYSTHPlON *i" de Catechesem van Cyrillus van Jerusalem* (Nimegue 1950), in introductione. Quinam sint "principes huius saeculi", cf. J.Huay, S.I., *Saint Pani. Première Épître aux Corinthiens* (Verbum Salutis, 13, Paris 1946) in h.l.

8 Alia testimonia, cf. apud DTC 7,1456; DiEkamp, *Doctrina Patrum'...* adi nominum rerumque indicem, p.361. De vi huius argumenti ex Patribus, cf. SüÂREZ, <l.3 s.l n.3 ad finem.

retur esse de *ratione huiusmodi unionis.* Intellectus itaque saltern evidenter agnoscere nequit ut possibilem unionem substantialem quae *nullam* supponat mutationem in. uno ex extremis quae uniuntur.

2) *Ex infinita distantia.* Intellectus maximam difficultatem videt in eo quod e duobus infinite distantibus, qualia sunt Ens a se et creatura, efficiatur *unum per se.* Ergo huius unionis possibilitatem non valet saltem evidenter intelligere.

Difficultatem etiam in recte concipiendis his quae fides docet, historia haeresium christologicarum, de quibus supra in thesibus 2.37.8 egimus, abunde probat.

Caeterum in altera theseos parte patebit quomodo difficultates adsint circa hanc unionem, quae non nisi negative solvi possint.

188. B. Demonstrari nequit unionem hypostaticam repugnare.

A priori. Verum vero contradicere non potest, cum idem Deus sit auctor luminis fidei et luminis rationis. Ergo nequit aliquid a Deo revelatum, quale est unio hypostatica, contradicere veritatibus per lumen rationis habitis.

A posteriori, solutione praecipuarum rationum quae adducuntur tanquam probativae huiusmodi contradictionis. Rationes istae petuntur *a)* ex parte Verbi, *b)* ex parte naturae humanae, *c)* ex parte totius compositi.

189. a) *Ex parte Verbi.* 1. Verbum *substantialiter unitum est* cum natura humana. Atqui quod substantialiter unitur, mutatur. Ergo Verbum mutatum est.

Cone. mai. Dist. min. In his quae substantialiter uniuntur aliqua mutatio intercedit *saltem in alterutro extremo, cone, min.; in utroque extremo, subdist.:* si utrumque extremum naturalem ordinem habet ad invicem vel *mutuo* se perficit, *conc.;* secus, *nego. Dist. pariter cons.*

In omnibus forte unionibus substantialibus quas nos naturaliter novimus, aliud extremum ad aliud ordinatur ac mutuo sese complent. Unio hypostatica non ideo simpliciter his naturalibus unionibus aequiparanda. Ratio enim et fides ostendunt aliud huius unionis extremum, se. Verbum, omnis realis ad aliud extremum ordinationis omnisque perfectibilitatis *incapax esse.* Quo iure ergo ex unionibus creatis ad hanc *singularem* unionem argumentum fit?

Nos quidem *positive* non explicamus quomodo Deus sine mutatione praestet id quod creaturae nonnisi cum mutatione praestant. Theodicaea nihilominus id ita esse docet, ubi de actu creandi libero sermonem facit“.

• Cf. SuArbz, <l.8 s.4 n.19-23; Galtier, n.148-150.

190. Quod *incipit* erga aliud *veram causalitatem formalem exercere,* mutatur. Atqui Verbum veram causalitatem formalem exercet erga naturam humanam, quam propria divina personalitate subsistere facit. Ergo Verbum per unionem hypostaticam mutatur.

Cone. mai. Dist. min. Verbum naturam humanam propria divina personalitate subsistere facit hanc naturam *mere terminando, conc. min.;* eam *proprie informando, nego min. Contradist. cons.*

Si doctrina catholica assereret Verbum proprie naturam humanam *informare,* absurdum id esset. Nam proprie dicta informatio secum fert ut forma per informationem *suum ordinem vel habitudinem* ad materiam *expleat.* Absurditas vero non clare apparet in eo quod *infinita* Verbi personalitas absque ulla sui mutatione mere *terminet* humanam naturam, seu sit *terminus unionis.* Tamen tota mutatio est in humanitate, "quae veluti est insita Verbo, ipso quidem manente unito, sed immutato" 1°.

S.Thomas rem declarat eo quod unio importet seu connotet *relationem:* "ideo esse hominem praedicatur de novo de Deo absque eius mutatione *per mutationem humanae naturae,* quae assumitur in divinam personam; et ideo cum dicitur: "Deus factus est homo", non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed *solum ex parte humanae naturae" ".*

191. 3. Verbum esse hominem est *denominatio intrinseca* Verbi. Atqui denominatio intrinseca non potest advenire *per solam mutationem alterius.* Ergo Verbum per incarnationem vere mutatum est.

Dist. mai. Haec denominatio est intrinseca eo modo quo in creaturis dicitur intrinseca denominatio a forma inhaerente vel a modo intrinseco, *nego mai.;* est denominatio intrinseca, quatenus desumitur a natura substantialiter Verbo unita, *subdist.:* ita ut haec substantialis unio sine Verbi mutatione facta sit, *conc.;* cum Verbi mutatione, *nego. Contradist. min.*

Utrum terminus hic "denominatio intrinseca" debeat proprie in hoc casu adhiberi necne, ad rem non multum facit. Generatim appellatur quidem denominatio *intrinseca.* Suarez mallet eam dicere *mediam* inter extrinsecain et intrinsecam ; desumitur enim haec denominatio a natura humana, quae Verbo est ex una parte *realiter distincta,* sed ex alia parte *substantialiter unita,J.*

192. b) *Ex parte naturae humanae.* Natura humana, quam Verbum assumpsit, dicitur *substantialiter completa.* Atqui ex duobus substantialiter completis nequit fieri *unum substantiale,* quale est Christus. Ergo repugnat illam naturam humanam a Verbo assumptam esse.

10 SuXrez, d.8 s.4 n.19.
11 3 q.16 a.6 ad 2. Cf. CaiET.. in h.l.
13 Cf. SuArez, d.8 s.4 n.21. Cf. quoque Lugo, d.11 s.7 n.83s.

Dist. mai. Substantialiter completa in linea *naturae, conc. mai.;* in linea *personae, nego mai. Dist. pariter min.* Ex duobus substantialiter completis in linea naturae nequit fieri unum substantiale *in hac linea naturae, conc. min.;* ex duobus substantialiter completis in linea naturae nequit fieri unum substantiale *in linea personae, nego min.*

Explicatio iuxta diversas sententias supra facta est thesi 4 maxime n.68 obi.9ls.

193. c) *Ex parte totius compositi.* Inter ea quae *infinite distant* nulla est proportio. Atqui inter ea quae uniuntur aliqua *proportio* requiritur. Ergo Verbum et natura humana, quae infinite distant, *nequeunt uniri.*

Dist. mai. Nulla est proportio *entitativa, conc. moi.;* nulla est proportio habitudinis, *nego mai. Contradist. min.*

Proportio entitativa idem est ac proportio in entitate; id est, proportio quae faciat res illas vere posse *comparari* in entitate, ita ut ■entitas A possit per augmentum entitatem B aequare. Talis proportio inter Deum *infinitum* et creaturas certe non datur. Inde tamen non necessario sequitur infinitum cum finito *non posse uniri* seu ea non posse *habitudinem* inter se habere. Imaginatio difficultatem auget cum inter Verbum et naturam humanam *materialem* •distantiam infinitam fingit, quam nullus transgredi valeat. Re tamen vera, infinita distantia non indicat nisi defectum proportionis *in entitate,* ut nuper exposuimus.

Huiusmodi proportio *habitudinis* nullatenus est quaedam naturalis *exigentia* ad unionem. Sed est pura proportio *obedientialis seu non repugnantiae* ex parte naturae humanae ut assumatur ad Verbum ".

Rectius vitatur locutio Verbum esse *partem* in hoc composito; omnis enim pars habet rationem imperfecti

Aliae difficultates in propriis thesibus indicantur.

194. Obiectiones. Contra indolem *mysteriosam* unionis hypostaticae. 1. Aliquod stricte supernaturale demonstrari potest. Atqui omne supernaturale est eiusdem generis. Ergo etiam unio hypostatica potest demonstrari.

Nego mai.

Ubi agitur de vera *demonstratione* mysteriorum, non de quadam probabili ac suasoria notitia de eorum intrinseca possibilitate, omnino tenendum videtur nihil *stricte* supernaturale posse naturaliter •demonstrari. Scribebat enim Pius IX contra Frohschammer: "Et sane cum haec dogmata sint *supra naturam,* idcirco *naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt"* (D 1671) ". Maior ergo syllogismi neganda est. Fuerunt quidem aliqui theologi qui

13 Plura, cf. apud SuÂRgz, d.8 s.4 n.2-17, ubi etiam ostenditur quomodo natura humana Christi habet quidem *capacitatem* naturalem, non vero *appetitum* propriae personalitatis, ideoque nec manet *violenter* in Verbo.

11 De discrimine quodam *verbali* ac de discrimine *reali* inter theologos circa naturam potentiae obedientialis, quod tamen nonnisi indirecte ad rem nostram tfacit, cf. Urrâburu, *Institutiones... Ontologia* 605-612.

u' Cf. S.Th., 3 q.2 a.4 ad 2; SuXrez, in h.l. n.6.

De hoc principio *theologice* considerato, cf. R.Garricou-Lagrangk, O.P., ■*Ah supcrnaturalia possint naturaliter cognosci:* Ang 13 (1936) 241-248.

docuerint angelos mysteria *gratiae,* postquam facta sunt, naturali virtute intueri". Nostris vero temporibus affirmata est naturalis dcmonstrabilitas *possibilitatis visionis Dei,* uti fusius in tractatu de Deo uno exponitur. Quidquid de veterum illorum theologorum sententia historice dicendum sit, theologus ad sanum progressum in dogmatum intclligentia attendere debet, qualis progressus in notione *supernaturalis* certe datus est". Hodiernorum autem auctorum sententia quae possibilitatem visionis beatificae demonstrabilem indicat, neque obvium sensum documentorum Ecclesiae salvare videtur neque in traditione firmum habet fundamentum". Hi tamen auctores minime negant *Incarnationem* esse *stricte dictum mysterium* neque de Incarnatione dicunt intellectum creatum naturaliter valere ad *huius mysterii possibilitatem* demonstrandam. Consequens igitur obiectionis neque ipsi admitterent.

195. 2. *Ndturaliter* potest cognosci personam divinam esse *infinitam in ratione subsistendi.* Atqui *naturaliter* etiam cognoscitur infinitum in ratione subsistendi posse praestare totum id quod *finitae subsistentiae* praestant. Ergo naturaliter cognoscitur *personam divinam* posse praestare id quod *praestat subsistentia humana.*

Conc. mai. Dist. min. Naturaliter cognoscitur infinitum in ratione subsistendi *continere saltem eminenter* omnem perfectionem quam finitae subsistentiae habent, *conc. min.;* naturaliter cognoscitur infinitum in ratione subsistendi posse *formaliter aut quasi formaliter praestare* id quod finitae subsistentiae praestant, *subdist.* : si ex aliis capitibus, supra ad secundam thescos partem expositis, non maxima appareret difficultas, *trans.;* si talis difficultas apparet, *nego. Contradist. cons.*

196. 3. De facto ad posse valet illatio. Atqui *daemones* agnoverunt Christum esse *filium Dei naturalem.* Ergo unio hypostatica *naturaliter* cognosci potest.

Conc. mai. Dist. min. Daemones cognoverunt *essentiam seu intrinsecam possibilitatem* unionis hypostaticae, *nego min.;* cognoverunt *factum* huius unionis, *subdist.: naturaliter* hoc cognoverunt, *nego;* mediantibus Dei manifestationibus *supernaturalibus, trans. Contradist. cons.*

Inter theologos disputatur utrum daemones revera cognoverint *certo* Christum esse *Deum;* haec quaestio agitatur maxime de tempore vitae publicae *ante resurrectionem*". Videtur tamen affirmandum daemones certo cognovisse, saltem post Christi resurrectionem, cum esse filium Dei naturalem. Probata enim sententia theologorum docet angelos *in via* habuisse revelationem mysteriorum supernaturalium, in specie mysterii SS.Trinitatis, probabilius autem et ipsius *incarnationis".* Ergo positis prophetiis messianicis V.T., Christi dis-

17 Cf. apud SuArEZ, *Dc angelis* 1.2 c.29 n.7. De quaestione in se, cf. R.Garricou-Lagrange, O.P., *La possibilité de la grâce est-elle rigoreusemc-nt demonstrable:* RevThom 1.9 (1936) 194-217.

w Cf. H.LennErz, S.I., *Kann die Vcrnunft die Môglichkcit der bcsePigenden Anschauung Gottcs beweisenf:* Schol 5 (1930) 102s.

18 Cf. Descoqs, *Le mystère de notre élévation...* maxime 7s.21s.34-103; SThS 2, tr.1 n.60.

20 Cf. Suàrez, *De mysteriis...* d.31 s.3; GonEt, d.2 a.2 n.73; Muncuniia, n.15.

21 Cf. S.Th., 1 q.64 a.1 ad 4. Plura de S.Thoma, cf. apud P.Benoist d'Azy, *Le Christ et ses Anges dans l'oeuvre de saint Thomas:* BullLittEccl (1943) 94-97. Suârez, *De angelis* 1.5 s.5s. Generalius, cf. F.Benoist d'Azy, O.S.B., *Les anges devant le mystère de l'incarnation:* BullLittEccl (1948) 87-106.129-147.

sertis affirmationibus de sua divinitate, eius miraculis ac tota vita sanctissima, etiam invitus debuit daemon agnoscere lesum esse naturalem Dei filiuma. Haec tamen cognitio, ut patet, non fuit *naturalis,* sed supponebat multiplicem Dei manifestationem *supernaturalem* ipsamque *revelationem.*

Inde vero nullatenus sequitur novisse daemones *essentiam* ipsam seu *intrinsecam* huius veritatis *possibilitatem.* Divina namque mysteria non modo intellectum humanum sed intellectum *creatum* excedunt (cf. D 1796)".

197. Scholion 1. *De probabili quadam naturali cognitione circa incarnationis possibilitatem.* Quidam theologi putaverunt posse naturaliter cognosci *probabilibus* rationibus incarnationis possibilitatem. Communiter tamen theologi etiam in hanc mere probabilem cognitionem negandam inclinant. Intellectus itaque creatus, suis viribus relictus, "vel nullam de tali mysterio cogitationem unquam habebit, vel certe, si fingamus eum in talem quaestionem incidere et velle illam suo ingenio discutere, vel cohiberet assensum et dubius penderet, vel potius in errorem inclinaret"

198. Scholion 2. *Incarnatio, veritas specifice Christiana.* Ex supra expositis satis patet nullam religionem praeter christianam praebere notionem *verae incarnationis,* cum haec sit veritas omnem creatum intellectum naturaliter superans et cum eius aperta revelatio non nisi per ipsum Verbum incarnatum facta fuerit Analogiae quae ex historia religionum desumi solent, non verae sed apparentes tantummodo probantur M.

lure incarnationem extollit sic S. Thomas: "Quod quidem [incarnationis mysterium] inter divina opera *maxime* rationem excedit nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum quam quod verus Deus, Dei Filius, fieret homo verus. Et quia inter omnia mirabilissimum est, consequitur quod ad huius maxime mirabilis fidem omnia alia miracula ordinentur"2'. Etiam sub hoc aspectu apparet *lesus Christus* totius ordinis supernaturalis *centrum.*

199. Scholion 3. *Analogiae ad hoc mysterium illustrandum.* Theologus aliquam huius mysterii intelligentiam assequi conatur, sedulo, sobrie et pie quaerens ex eorum quae naturaliter novit analogia (cf. D 1796). S.Thomas docet nihil unioni hypostaticae tam simile inveniri sicut unionem animae rationalis ad corpus (cf. supra n.78).

– Cf. Suârez, *De mysteriis...* <1.31 s.3 n.6-13.

23 Alias obicctiones, cf. apud MuwcuxttJL, n.10-15.

31 SuArbz, d.3 s.l n.4 ad fin. Cf. Pesch, n.SOs; DTC 7,1456s.

x De praenuntiatione incarnationis in Veteri Testamento insinuata, cf. Gaintierl, n.156-174. Pro ulteriori singulorum textuum explicatione, cf. P.F.Ceuppens, O.P., *De Proftteriis messianicis in Antiquo Testamento* (Romae 1935).

20 Cf. DTC 7,I457s; E.Hocedbz, S.I., *L'Idée d'incarnation ct les religions non-chrétiennes:* NouvRevTh 53 (1926) 401-408; ïd.. *Le mystère de l'incarnation est-il sféćifiquem'cnt chrétien!: ibid.,* 481-499; V.Whitb, O.P., *Incarnations and the Incarnation. An Essay in the Theological History of Religion:* DominicSt 7 (1954) 1-21. Ilura collegit, quamvis eius conclusiones infirmae sint ac longe distent a doctrina catholica, W.Staerk, *Dic Erlosercrwartwtg in den ostlichcn Religioncn* (Stuttgart 1.938) (cf. RevBibl 54 [1947] 152-154). De singulis religiosis doctrinis, cf. Fr.Konic, *Christus und die Rcligionen der Erde* 3 vol. (Wien 1951); Id., *Rcligionsuâsscnschaftlichcs Wortcrbuch* (Freiburg Br. 1956).

K 4 CG 1.4 c.27. Item, Svari'z, d.3 s.l n.4.

Sed haec unio comparatur etiam cum implantatione surculi in arborem *(inferto),* cum unctione quadam, cura spirituali quodam connubio inter Verbum et humanitatem[28].

CAPUT III

De coassumptis a Verbo in humana natura

ARTICULUS I

De his quae PERTINENT ad perfectionem

Thesis 11. In anima Christi fuit gratia sanctificans quae recte infinita dici potest quaeque de potentia Dei ordinaria augeri nequit.

S.Th.; 3 q.7 a.9-12; Suârez, d.18 et d.22; Saluanticenses, d.13 et 15.

200. Nexus. Hactenus egerat S.Thomas *de ipsa unione* Verbi incarnati ac *de utroque extremo assumpto.* Nunc ea considerat quae a Filio Dei in humana natura *coassumpta* sunt. Primo quidem agit de his coassumptis quae pertinent *ad perfectionem;* ac inter haec, prima consideratio est *de gratia* Christi, quae et *maxima* animae perfectio et gratiae unionis *propinquior* est[1].

Gratia autem Christi dupliciter spectari potest, sc. secundum quod Christus est *singularis quidam homo* et secundum quod Christus est *caput Ecclesiae.* In thesi agimus de gratia Christi secundum quod est *quidam singularis homo.*

(20L Notiones. Gratia sanctificans. Est donum supernaturale creatum, homini internum, quod a Deo datur non per modum actus seu auxilii Iranseuntis, sed per modum habitus. seu *qualitatis physicae physice permanentis,* quod homjnem facit iustum seu accidentaliter sanctum.

In anima Christi. Gratia enim sanctificans *in anima* inhaeret tanquam accidens in subiecto. Plura de his in tractatu de gratia.

202. Quae recte infinita dici potest. Infinitum in genere est quod caret fine vel limite seu termino. Potest esse infinitum *simpliciter* vel extra genus et *secundum quid* vel in aliquo genere. *Simpliciter infinitum* est quod *in essentia-* in-

[28] Cf. Lercher, n.78; DTC 7,539-541. De unctione, plura postea, n.217 sqs.

[1] Quomodo notio "coassumptorum" et notio eorum quae unionem hypostaticam "consequuntur" conveniant ac simul differant, videas apud L.-B.Gillon, O.P., *La notion de conséquence de l'union hypostatique dans le cadre de qq.2-26:* Ang 15 (1938) 17-34.

finitum est ac proinde continet in se omnem possibilem perfectionem in latitudine entis. Huiusmodi infinitum est solus Deus. *Secundum quid, infinitum* est illud quod tantum in *aliqua peculiari ratione vel in aliquo genere* caret limitibus, v.gr. in extensione, intensione, duratione.

Secundum quid infinitum potest esse tale vel *positive,* quod alii dicunt etiam *simpliciter,* vel *negative,* quod vocatur etiam *secundum quid. Positivum* est illud quod, in eo genere in quo est infinitum, *omnem limitem excludit. Negativum* est quod, licet absolute finitum sit et terminis intrinsecis clausum, nihilominus habet in sua linea *quidquid potest habere.*

Infinitum hoc negativum duplex esse potest. Aliud *absolutum* et per respectum ad quamcumque potentiam, sc. quod in aliqua linea eam perfectionem habet quae, licet finita positive sit, in ea linea est *omnis* perfectio possibilis nec alia perfectio in eadem linea *dari potest.* Hoc modo natura cuiuslibet angeli est negative infinita in propria specie, in sententia S.Thomae et eorum qui singulos angelos singulas species constituere credunt; repugnat enim quod in tali specie detur alia natura. Aliud infinitum negativum potest esse *non omnino absolutum* sed *solum per habitudinem ad providentiam praesentem,* sc. quod in aliqua linea eam perfectionem habet, quae pertingit ad eum gradum qui *secundum huiusmodi providentiam* est summus et omnes alios gradus de facto exsistentes superat[2].

203. Gratia habitualis Christi potest considerari dupliciter: uno modo, secundum quod est *quoddam ens;* alio modo, secundum *propriam rationem gratiae.* Secundum quod gratia est *quoddam ens,* Christi gratia non est infinita, quia nihil aliud praeter Deum est in essentia sua infinitum [3]. Ergo gratia *in ratione entis* est finita. Gratia autem *in ratione gratiae* quaeritur in hac thesi utrum fuerit *quoad suam physicam intensitatem* in anima Christi finita vel infinita. Ut si ageretur de albedine infinita intensive, constaret eam esse finitam in ratione entis, utpote accidens; quaeri tamen posset utrum esset infinita *in ratione albedinis* [4].

Asserimus gratiam hoc sensu intellectam fuisse in anima Christi infinitam non quidem positive sed *negative et tantum per habitudinem ad providentiam praesentem.* Aliis verbis, gratia animae Christi infinita dicitur quatenus *non est limitata*

2 Cf. Salmanticenses, d.16 dub.unic. n.16.28.
3 Cf. S.Th., 1 *q.7* a.2. Ita communis theologorum sententia: cf. Salmanticenses, *ibid.,* n.6.
4 Clare distinctionem explicat Caietanus, *In 3* q.7 a.11.

secundum aliquam creatam mensuram, sed *lota* ei data est quae *in hac providentia possibilis* est. Gratia enim Christi habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae et Christo data est sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura.

204. Gratia Christi de potentia Dei ordinaria augeri nequit. Duo indicantur. Aliud est corollarium assertionis praecedentis. Si enim gratia Christi est in praesenti providentia infinita, augeri nequit in praesenti providentia.

Aliud affirmat gratiam Christi augeri posse *de potentia Dei absoluta.* Aliquid fieri posse *de potentia Dei ordinaria* significat illud fieri posse stante ordine a divina sapientia praefixo *in praesenti providentia. De potentia* vero *Dei absoluta* fieri potest quidquid *nullam involvit repugnantiam aut contradictionem*[5].

205. Adversarii. A. *Aliqui veteres theologi* negaverunt Christo gratiam habitualem, tanquam superfluam ad effectum sanctificationis [6].

B. *Per excessum* adversantur nostrae thesi *pauci antiqui auctores* qui admittebant gratiam Christi esse *positive seu simpliciter infinitam,* cum non implicet contradictionem fieri gratiam in esse qualitatis intensive infinitam. *Per defectum* vero tanquam adversarii referuntur *auctores magni nominis* qui gratiam Christi *solum finitam dicunt,* ut ScoTUS, S.Albertus M., Durandus [7]. Tamen *quoad rem* discrimen non videtur adesse; tantum differunt a nobis praedicti auctores in eo quod summam illam Christi gratiam *non vocent* infinitam [8].

C. S.BonaVEntura *cum magnis aliis theologis, etiam ex thomistis,* docet gratiam Christi *neque de potentia Dei absoluta* augeri posse[9], *contra communiorem sententiam* statuentem Christi gratiam *solum de potentia Dei ordinaria* non posse augeri, bene tamen de potentia Dei absoluta [10].

6 De historia huius notionis, cf. E.BorchBrT, *Der Einfluss des Nominalismus auf die Christologie der Spatscholastik...* (BeitrGPhMA [Münster 1940] 35,4/5) 46-74.

° Cf. Salmanticenses, (1.13 dub.1 n.20.

T Cf. Suârez, *d.22* s.1 n.1.

8 Ita de Scoto expresse· testatur Minges, 1 n.524. Durandus autem scribit: "Et pro tanto dicitur non habuisse gratiam ad mensuram, non quod gratia cius infinita fuerit, sed quia habuit eam *secundum totam sui plenitudinem intensive et extensive*** *(In 3* d.13 q.1 tertium).

9 Cf.Schoiion PP.editorum ad Quaracchi *In 3 Sent,* d.13 q.2; Suârbz, d.22 s.2 n.6s. Plura de sententia Caietani, cf. apud Garrigou-Lagrange, 219s.

,0 Plurcs auctores relatos vide apud Salmanticenses, d.15 dub.unic. n.11. Pro controversiae expositione, cf. Schwalm, O.P., *Le Christ d'après saint Thomas d'Aquin* (Paris 1910) 90-98.

206. Valor theologicus. A. Christum habuisse *gratiam sanctificantem* est doctrina *saltem communis et certa in theologia.* Nec desunt qui hanc doctrinam dicant *de fide out fidei saltem proxima*[11].

B. Hanc gratiam esse *infinitam* ac *de potentia Dei ordinaria* augeri non posse est *sententia communior et probabilior.*

207. Probatur ex sacra Scriptura. 1) Io 1,14-16: *Et Verbum caro factum est... et vidimus gloriam eius, gloriam qtiasi unigeniti a Patre,* plenum gratiae *et veritatis... et* de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia (χάριν ἀντὶ χάρι-ο) (rectius legeretur iuxta graecum: gratiam respondentem gratiae) [12]. *Gratiam* esse complexum donorum supernaturalium quae Deus homini per Christum concedit supponimus ex theologia biblica maxime Novi Testamenti [13].

Hoc posito, arguimus. Gratiam, *quam nos habemus,* accepimus ex Christo in quo est *gratia* et quidem *plene.* Atqui ad gratiam *quam nos habemus* pertinet *essentialiter ac fundamentaliter gratia sanctificans.* Ergo in Christo est, et quidem plene, gratia sanctificans. *Minor* patet tum ex theologia biblica Novi Testamenti tum ex tractatu theologico de gratia [14].

208. 2) Is 11,2: *Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* In hoc textu habetur prophetia de Messia et affirmatur Messiam creata quaedam dona Spiritus Domini habiturum ad perfectam suae missionis adimpletionem. Atqui haec dona in oeconomia actuali non communicantur a Deo *nisi cum gratia sanctificante.* Ergo deducendum est Christi animam non solum dona Spiritus Sancti sed *et gratiam sanctificantem habuisse* [15].

209. Probatur ex traditione. Maxime apparet haec

11 Cf. Salmanticenses, d.13 dub.l n.8; DTC 8,1280s; GaltiEr, n.318. De caritate infusa in anima Christi, quae "humanam ditat Christi voluntatem", loquitur Pius XII in Kncycl. *Haurietis aquas:* AAS 48 (1956) 327s.343s.

12 Cf. I.M.Bover, S.I. Χάριν ἀντὶ χάριτο (Ioh.1,16); Bibl 6 (1925) 454-460; P.Joüon: RechScRel 22 (1932) 206. Aliter, cf. D.Frangipane, *Et gratiam pro gratia* (Io 1,16): VerDom 26 (1948) 3-17. De voce «πλήρη » *indeclinabili,* cf. M.ZErwick, S.I., *Analysis philologica novi Testamenti graeci* (Romae 1953) in h.l.

13 Cf. P.Bonnetain, *Grâce:* DBS 3,701-1319. In specie de *scriptis S.Ioannis,* cf. *ibid.,* 1106-1147. De gratia *Christi,* cf. praeterea, *ibid.,* 1205-1214.

14 De hoc argumento, cf. CeuppEns, *Theologia biblica* 3,74s; MaldonaTus, TolETüs, in h.l.

15 Cf. CeuppEns, *o.c.,* 75s. De messianitate ac interpretatione loci ex Isaia, Id., *De prophetiis messfianicis...* 246-248.255-274; R.Koch C.SS.R., *Der Gottcsgeist und der Messias:* Bibl 27 (1946) 241-268; Id., *Geist und Messias* (Wien 1950).

doctrina in locis in quibus gratia nostra uno vel alio modo comparatur cum *Christi gratia.* Ita S.Ioannes Chrysostomus: "Illic [in Christi templo] quidem est integra gratia, *in hominibus* autem parum quid, *et stilla ex illa gratia*" (R 1208). S.Augustinus: "Dominus ipse Iesus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam *accepit ut homo;* propterea dictus est *plenus gratia* et *Spiritu Sancto.* Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *Quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto:* non utique oleo visibili, sed *dono gratiae,* quod visibili significatur unguento quo *baptizatos* unguit ecclesia" (R 1680). S.Cyrillus Alexandrinus: "Sanctificat enim ipse [Filius], cum sit sanctus secundum naturam in quantum Deus; sanctificatur vero *nobiscum* quoad humanitatem" (R 2088)[16].

210. Ratio theologica. A. Necessitatem gratiae habitualis in anima Christi probat S.Thomas non absolutam, sed tantum secundum ordinem rebus consonum seu secundum potentiam Dei ordinariam[17]. Triplex autem optima ratio huius necessitatis adducitur.

1) Prima ratio desumitur ex eo quod anima Christi *maxime propinqua* est principio gratiae, sc. Verbo; et ideo maximum gratiae influxum ab eo recipit. Quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Hoc argumentum *supponit* Christum gratiam sanctificantem *habere potuisse,* hoc est, nullum fuisse inconveniens in eo quod Christus gratiam sanctificantem haberet. In obiectionum solutione patebit, quomodo haec veritas iure supponi possit a S.Thoma. Ex sola hac prima ratione iam pateret quam recte dicatur gratiam unionis *praecedere* gratiam habitualem in Christo non ordine temporis sed *naturae*[18].

[16] S.Ioannem Chrysostomum agere de gratia sanctificante constat ex immediate sequentibus, ubi sermo fit de illa "quae in baptismo suscepta est gratia" (MG 55,186). Qualis sit haec gratia baptismatis, cf. J.Solano, S.I., *La παλιγγενεσία (Mt 19,28; Tit 3,5) según San Juan Crisóstomo:* MiscCom 2 (1944) 91-138, maxime 101-122. De S.Augustino, cf. Van Bavel, *Recherches sur la Christologie...,* 96-99. De testimonio S.Cyrilli, cf. Galtier, n.319. Plura de S.Cyrillo, cf. apud E.Weigl, *Die Heilslehre des hl.Cyrill von Alexandrien* (Forschungen zur christlichen Literatur-und Dogmengeschichte. Ehrhard-Kirsch, Mainz 1905) 89-92.101s; Bouessé, *Le Sauveur du monde. 2. Le Mystère...* 241-245. Alia Patrum testimonia, cf. DTC 8,1279s; cf. quoque A.Orbe, S.I., *Nondum receperat typum:* Greg 42 (1961) 106-112. De difficultate quorundam Patrum, qui viderentur unctionem per Spiritum Sanctum tribuere Christo demum *in baptismo,* cf. Petavium, l.11 c.9-14; Salmanticenses, d.13 dub.1 n.18.

[17] Cf. Caietanum et Suarez, *In 3* q.7 a.1.

[18] Cf. S.Th., 3 q.7 a.13; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...,* 252s. Plenius, Gillon, *La notion de conséquence...:* Ang 15 (1938) 17-30. De mente Alex.Halensis et S.Bonaventurae, cf. praeterea Scholion (ed. Quaracchi) ad *3 Sent,* d.2 a.3 q.2. Gratia sanctificans a gratia unionis non videtur dimanare

211. 2) Altera ratio petitur ex eo quod anima Christi sit *nobilissima,* et ideo eius operationes debebant attingere Deum propinquissime per cognitionem et amorem. Haec maxima propinquitas obtinetur per operationes *supernaturales.* Ad eliciendas vero has supernaturales operationes anima indiget *connaturaliter* aliquo principio interno eam *physice* elevante, sc. gratia sanctificante.

3) Tertia ratio accipitur *ex habitudine Christi ad genus humanum.* Christus enim, in quantum homo, est *mediator* Dei et hominum ac gratiam sanctificantem hominibus largitur. Ergo multo magis eam in se habere debet. Nam perfectio quae effectui communicatur, praeexsistit in causa, maxime si sit *perfectio simpliciter* et causa etiam *perfecta* sit[18].

212. B. Haec gratia recte dicitur *infinita.* Gratia Christi est negative infinita in ratione gratiae tum propter *dignitatem personae divinae Verbi,* quae postulat ut eius anima sit Deo tam grata etiam accidentaliter, quantum in hac providentia possibile sit, tum propter *universalitatem in ratione principii gratiae,* quod exigit ut in Christo non habeatur gratia secundum mensuram, sed ut inveniatur in eo quidquid potest pertinere ad rationem gratiae[20].

213. C. Gratia Christi *de potentia Dei ordinaria augeri nequit.* Non *ex parte ipsius gratiae.* Nam mensura unicuique formae praefigitur per comparationem ad suum finem. Finis autem gratiae est *unio* creaturae rationalis ad Deum. Maior vero unio intelligi non potest quam ea quae est *in persona.* Ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae.

Neque *ex parte subiecti* seu suscipientis gratiam. Quia Christus a primo instanti suae conceptionis fuit verus et plenus comprehensor S1.

214. Gratia Christi *de potentia Dei absoluta potest augeri.* Non enim *repugnat* hoc augmentum, ut videtur, neque ex parte gratiae neque ex parte subiecti. *Ex parte gratiae* repugnaret vel ex generali ratione formae cuiusdam *finitae* vel ex speciali ratione *talis formae.* lam vero, non omnis progressus in infinitum repugnat *formae finitae,* quia forma ipsa non ideo habet aliquando infinitam perfectionem, sed semper21

physice sed solum *moraliter.* Cf. Salvanticenses, d.13 dub.2. Brevius, Suârez, d.Î8 s.3 η.5-16.

*· S.Th., *ibid.,* a.1; Caietanus, in h.l.; Suârez, in h.l. et d.18 s.1; Backes, *o.c.,* 253s.

M S.Th., a.11; Caietanus, in h.l.; SuArez, in h.l. et d.22 s.1; BouEssé, *Le Sauveur du monde. 2. Le mystère...* 274-290.

21 S.Th., *ibid.,* a. 12; Caietanus, in h.l.; Suârez, in h.l. et d.22 s.2; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 254s.

finitam. *Specialis ratio gratiae* potius favet eiusdem intensioni sine limite, cum gratia sit participatio *infinitae* naturae divinae et ei nunquam adaequetur.

Ex parte subiecti non videtur augmentum gratiae repugnare, siquidem potentia obedientialis animae Christi est utique finita categorematice et in actu, sed est infinita syncategorematice et in potentia 22.

215. Objectiones. 1. Humanitas Christi perfectissime et infinite *a Verbo* sanctificatur. Ergo superflua est *alia sanctificatio* per gratiam habitualem.

Dist. antec. Humanitas Christi sanctificatur a Verbo in linea sanctitatis substantialis, *conc. antec.;* accidentalis, *nego antec. Co'ntradist. cons.* Esset superflua, si sanctificaretur a Verbo et in linea sanctitatis substantialis et in linea sanctitatis accidentalis, *conc. cons.,* si sanctificatur tantum in linea sanctitatis substantialis, *nego cons.*

Certe non requiritur gratia sanctificans ad hoc ut Christus sit absolute sanctus, cum formaliter sanctificetur substantialiter ex unione hypostatica humanitatis ad Verbum, ut exponetur th.12. Sed utique requiritur gratia sanctificans tum ut Christus sit sanctus *omnibus modis* tum ad eliciendum *connaturaliter* supernaturales operationes tum ad *connaturali modo* merendum praemium supernaturale. Natura enim humana in se non habet principium ad actus supernaturales eliciendos. Ergo saltem ut connaturaliter eos eliciat, requiritur aliquod principium *quo* naturam creatam elevans. De facto gratia sanctificans est accidens animae inhaerens ac cum anima efformans *unum* principium supematuralis operationis ".

216. 2. Si humanitas Christi haberet gratiam sanctificantem *deificaretur.* Atqui repugnat in Christo, Deo *per essentiam,* eius humanitatem deificari *per participationem.* Ergo humanitas Christi gratiam sanctificantem non habet.

Conc. mai. Dist. min. Id repugnaret, si cum unione hypostatica non remaneret distinctio naturarum, *conc. min.;* si talis distinctio remanet ideoque anima Christi non est *per suam essentiam* divina, *nego min. Dist. pariter cons.*

217. 3. Proprius effectus gratiae sanctificantis est constituere *filium Dei adoptivum.* Atqui Christus non est filius Dei adoptivus. Ergo in Christo non est gratia sanctificans.

Dist. mai. Proprius et primarius effectus gratiae sanctificantis est reddere hominem participantem divinae naturae, *conc. mai.;* praecise participantem *per filiationem adoptivam, subdist.·.* in persona quae sit iam *filius naturalis, nego;* in aliis personis *iterum subdist.:* tanquam effectus primarius, *nego;* tanquam effectus secundarius, *conc. Conc. min. Contradist. cons.* Ulterior explicatio dabitur in thesi de Christo *nullo modo* filio Dei adoptivo, infra th.19.33

33 Cf. SuÀasz, d.22 s.2 n.10; Salmasticbnses, d.15 dub.unic. n.34-39. De mente S.Thomae, *ibid.,* η.30-33.

33 Cf. SalmasticbnsBs, d.13 dub.4 n.60-62; Suârez, d.18 s.1 n.16-20. De quaestione utrum gratia sanctificans fuerit Christo necessaria tantum ad *connaturaliter* operandum et merendum in ordine supernatural! an etiam fuerit ei *absolute* necessaria ad tales operationes et meritum, cf. Salmanticknsrs, qui cum Dominicanis communius aliisque absolutam necessitatem defendunt, d.13 dub.4 n.63-99.

Plurcs obiectiones contra possibilitatem augmenti gratiae in Christo *de potentia Dei absoluta* cum suis solutionibus videas s.l. apud Salmanticenses, d.15 dub.unic. n.30-39.

218. Scholion 1. *De momento a quo Christus hanc infinitam gratiam habet.* S.Thomas aperte docet Christum *a primo instanti suae conceptionis totam* hanc gratiam habuisse, quin gratia Christi decursu vitae potuerit augeri (q.7 a.12). Suarez hanc sententiam dicebat *communem scholasticorum.* Salmanticenses *nullos* reperiebant auctores *contra* hanc assertionem. Galticr hanc sententiam vocat certam ex doctrina communi Ratio autem manifesta videtur. Gratia enim Christi manabat *ab unione hypostatica,* quae primo instanti conceptionis Christi facta est.

Recenter tamen P.Minges scribit: “Secundum sententiam *scotisticam* autem hoc augmentum [per *cooperationem* Christi cum gratia] admittendum esse videtur, etsi Scotus ipse adversari videtur" ®. Sed cum nec alii auctores pro hac opinione adducantur nec rationes allatae satis probabiles appareant, a communi theologorum sententia nullatenus recedendum putamus.

219. Difficultas quae fieri posset ex Lc 3,2: *Ht lesus* proficiebat *sapientia et aetate et* gratia apud Deum *et homines,* solvi solet cum S.Thoma, distinguendo inter *ipsos habitus* sapientiae et gratiae et inter *effectus.* Primo modo augmentum non dabatur in Christo. Altero autem modo Christus proficiebat, “quia secundum processum aetatis *perfectiora opera faciebat,* ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum et in his quae sunt ad homines”2".

Si tamen praecipue ad usum vocis χάρι in evangelio S.Lucae attendimus, obvium est dicere sub hac voce significari nostro loco Christum crevisse *amabilitate* (encantos; beauté, charme). Sic quoque plenius habetur ratio contextus, qui circa profectum in aetate scu statura et in sapientia (sc. acquisita: cf. infra, n.285) intelligendus est sensu cuiusdam *realis* progressus".

220. Scholion 2. *De intensione gratiae Christi comparative ad creaturas.* Tanta videtur esse haec Christi gratia, ut quotquot gratiae gradus inveniuntur dispersi *in omnibus creaturis,* angelis et hominibus, tot et eo plures reperiantur uniti in unica gratia Christi. Sic docent communiter graves theologi.

Duplex praecipua ratio assignari potest. Iuxta S.Thomam, “Christus in primo instanti suae conceptionis accepit non solum tantam gratiam, quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem” (q.34 a.4 c). At eadem saltem ratione debuit Christi gratia excedere gratiam etiam omnium *viatorum,* argumentatur enim S.Thomas ex principio quod Christus acceperit gratiam

SiMrez, d.18 s.3 n.1; Salmanticenses, <l.13 dub.1 n.19s; cf. d.15 dub.unic. n.4; Gautier, n.321.

25 Minges, 1, n.529s. Nec solum Scotus sed etiam S.Bonæventura communem sententiam explicite tenet: *In 3* d.13 a.1 q.3. Ipsi Editores operum S.Bonaventurae notant (Schol. *ibid.,* q.2) *omnes* antiquos in hac re consentire.

* S.Th., 3 q.7 a.12 ad 3. Cf. Salmanticenses, d.13 dub.1 n.19; DTC 8, 1284; Ceuppens, *Theologia biblica* 3,76. Ulteriorem bibliographiam dat Knabenbauer (Cursus sacrae Scripturae) in h.l.

27 Cf. Ceuppens, *o.c.,* 76s; J.E.Renie, S.M., *“Et lesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines":* StudAnselm 27-28 (1951) 340-350.

non ad mensuram. Idem probatur ex universalitate in ratione principii gratiae (cf. supra, n.212)

221. Scholion 3. *De specifica identitate gratiae Christi cum nostra gratia.* Theologi communiter tenent gratiam Christi non differre *specifice* a nostra sed esse eiusdem speciei et rationis essentialis. Atque hoc videntur exigere fere omnes rationes sive speculativae sive positivae quas in thesi adduximus ut probaremus Christum gratiam habitualem habuisse ”.

Recentius tamen haec doctrina negata est : at immerito, in quantum videtur ”.

Non tam absolute communis fuit inter antiquos consensus circa *generaliorem* quaestionem de *impossibilitate diversarum specierum* gratiae sanctificantis “.

Moraliter seu in ordine ad prudentem aestimationem bene dici potest gratiam Christi *essentialiter* a nostra gratia *distingui.* Erat enim gratia Christi *infinitae* dignitatis ratione divinae personae cui coniungebatur ”,

222. Scholion 4. *De plenitudine gratiae apud B.I/.Mariam aliosque sanctos.* Cum S.Thoma duplex plenitudo distinguitur, alia *ex parte ipsius gratiae,* et haec est Christi propria, alia *ex parte subiecti,* cum sc. subiectum habet omnem gratiam quae requiritur *iuxta ipsius conditionem aut statum.* Hoc sensu non solus Christus, sed et B.Virgo, S.Stephanus, Apostoli pleni gratia vel repleti Spiritu Sancto dicuntur (q.7 a.10).

Gratia itaque Christi fuit tanta quanta in hac providentia *esse potest.* Gratia reliquorum sanctorum, de quibus nuper, fuit tanta quanta *pro suo statu* necessaria erat, non vero *quanta in se* et *absolute* poterat esse : hoc enim solius Christi gratiae proprium fuit

223. Scholion 5. *De aliis donis supernaturalibus animae Christi.* Simul cum gratia sanctificante animae Christi infusi sunt alii habitus supernaturales virtutum et donorum, qui sunt in aliis iustis.

Quoad virtutes ratio est, quia sicut in homine non est tantum essentia animae sed etiam sunt *potentiae* animae, ita in ordine supernatural! non est tantum *gratia,* quae comparatur naturae, sed etiam esse debent *virtutes,* quae *potentiis comparantur.* Gratia autem Christi perfectissima fuit, ergo ex ea processerunt virtutes ad perficiendum singulas potentias animae quantum ad omnes animae actus (q.7 a.2).

Quoad dona ratio est, quia haec dona proprie sunt perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a

28 Cf. SuArEz, <1.22 s.2 n.12; Salmanticenses, d.15 dub.unic. n.3s. Quoad quaestionem utrum gratia viatoris sit in sua essentia quantitative deficiens a gratia comprehensoris necne, differunt Caietanus, qui affirmat, et SuArez, qui id negat. Cf. hos auctores in cotmment. ad 3 q.34 a.4. Suârez de hoc latius agit in tractatu *De caritate* d.3 s.4.

29 Cf. SuArez, d.18 «.2 n.8; Salmanticenses, d.13 dub.1 n.11s. Difficilior est quaestio *de diversitate tnodali* inter gratiam Christi ct nostram: cf, SuArez, l.c., n.9; Salmanticenses, l.c., n.13-15.

30 Cf. A.Ceccato, *La specie della grasia abituale di Cristo secando San Tom· maso:* DivThom (Pi) 17 (1940) 193-214.289-309, ubi P.Mattiussi et card. Billot refutantur.

31 Cf. DTC 8,1283.

32 Cf. Salmanticenses, d.13 dub.1 n.16, contra scotistas.

33 Cf. Salmanticenses, d.15 dub.unic. n.25.

Spiritu Sancto. lam vero anima Christi perfectissime a Spiritu Sancto movebatur; in Christo itaque fuerunt excellentissime dona (q.7 a.5)[**]

224. *Virtutes* habuit omnes quae cum unione hypostatica et statu comprehensuris non pugnant. *Fidem* theologicam non habuit, quia fuit semper beatus. Haec est communis scholasticorum sententia ®. *Spem* Christus non habuit, quatenus spes est habitus respiciens Deum, ut obiectum *nondum habitum* *Virtutes morales per se infusas* accepit Christus a principio suae conceptionis, sine imperfectionibus tamen quae vel peccatum supponunt vel statui beatitudiuis repugnant. Quod enim caeteris iustis conceditur, male Christo negaretur. Multo communius negant theologi Christum habuisse *poenitentiam;* fortasse tamen potest in eo paenitentia poni, quae *non proprium peccatum* respiciat sed peccatum absolute *ut divinam offensam". Virtutes morales per se acquisitas* etiam habuit Christus; disputatur autem utrum eas acceperit tanquam *per accidens infusas* an eas ipse *propriis actibus acquisierit, sicuti caeteri iusti ".*

225. Scholion 6. *De gratiis gratis datis·* Tenendum est cum S.Thoma in Christo excellentissimas fuisse omnes gratias gratis datas. Hae enim gratiae ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem ordinantur. Christus autem est primus et praecipuus fidei doctor".

226. Scholion 7. *De gratia actuali.* Christus ad supernaturales actus eliciendos gratiam actualem *adiuvantem accepit.* Utrum loco gratiae *excitantis* ei fuerit *visio* ipsa beata, non satis liquet ".

227. Scholion 8. *De gratia capitis.* Ex eminentia gratiae habitualis quam Christus accepit, ei competit quod gratia illa ad alios derivetur. Hoc autem est quod pertinet ad rationem *capitis,* et ideo *eadem* est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, et gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiae iustificans alios; differt tamen ratione[41]

Sermo est de *Christo, secundum quod est homo* seu secundum humanitatem *specificative.* Aliis verbis, *secundum* humanitatem non sumitur *reduplicative,* ac si humanitas esset *causa* cur Christus constituatur caput Ecclesiae, sed sumitur *specificative,* quatenus humanitas est subiectum *quo* illius gratiae, qua Christus in ratione capitis constituitur (cf. infra, th.19 n.493-496). Dignitas suppositi divini est vcluti radix huius dignitatis, quae in humanitate et per humanitatem exercetur.

« Cf. SuArez, d.20; DTC 8,1287s.

33 Cf. S.Th., 3 q.7 a.3; Salmanticenses, d.14 dub.2 n.31s.

33 Cf. S.Th., *ibid.,* a.4. 'Ulteriores quaestiones circa spem pendent a doctrina quam quis habeat in tractatu de virtutibus. Cf. Suarez, *In 3* q.7 a.4; SalmasticensES, d.14 dub.2 n.33s; DTC 8,1285s; P.Charles, S.I., Aper *Christi:* NouvRevTh 61 (1934) 1009-1021; 64 (1937) 1057-1075.

" Cf. SuArez, d.19 s.l; Salmanticenses, d.14 dub.2 n.29s.34-51; P.Galtier, S.I., *De poenitentia* (Romae 1957) n.33.

38 Cf. Suarez, d.19 s.2; SalmasticensEs, d.14 dub.l n.6-28; DTC 8,1285.

39 Cf. S.Th., 3 q.7 a.7; SuArbz, d.21; Salmanticenses, *In 3* q.7 a.7 (post d.14). Ibidem, plura de *singulis gratiis* gratis datis ac in specie de *prophetiae* gratia. Cf. M.A.Vas den Oudenrijn, O.P., iamsMr *Theologicae de Christo propheta doctrina:* XenThom 2,335-347. Doctrinam sacrae Scripturae, cf. apud CburpEns, *Theologia biblica* 3,77s.

40 Cf. Suarez, d.18 s.4 n.1-3; Salmanticensss, d.13 dub.4 n.100-105. Aliter, DTC 8.1289.

41 S.Th., 3 q.8 a.5 c. Cf. Caietanum, in h.l.; Suarez, in h.l. et d.23 s.2 n.2-5.

228. *Caput* dicitur Christus, ad imitationem naturalis capitis, ratione *ordinis,* quia Christi gratia est *allior et prior* non quidem tempore sed ut finis in intentione; ratione *perfectionis,* quia Christi gratia *plenitudinem* habet ex probatis in hac thesi; ratione *virtutis,* quia Christus *virtutem* habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae. Haec ultima proprietas *duplicem influxum gratiae* in Christo supponit; alius est proprie ac *physice effectivus,* qui pertinet ad potestatem faciendi opera supernaturalia, de quo postea, th.14; alius influxus est per modum *meriti,* de quo in tractatu soteriologico agentium erit, th.24. De Christo capite secundum exteriorem gubernationem (q.8 a.6 c) agemus infra, th.29.

Ecclesia intclligitur non solum congregatio ex hominibus sed et ex angelis.

Tota haec doctrina de Christo capite Ecclesiae, eius mystici corporis, in tractatu de Ecclesia exposita manet.

229. Dubium esse potest quomodo Christus dicatur caput *angelorum.* Difficultas quae posset provenire ex eo quod Christus angelis gratiam non videatur meruisse, postea melius intelligetur, quando de *merito Christi* agamus, sc. th.24 schol.4 n.622. Nihilominus hi qui tale meritum Christi non admittunt, tenent Christum esse caput angelorum, dicentes sufficere quod Christus in eos influat aliquid pertinens ad accidentalem gloriam vel supernaturalem cognitionem. Christus *secundum humanitatem* potest esse angelorum caput, quia influxus Christi etiam super homines principaliter quidem est quantum *ad animas,* secundum quas homines conveniunt cum angelis in natura generis, licet non in natura speciei

Thesis 12. Humanitas Christi substantialiter ex vi gratiae unionis formaliter sancta est.

Salmanticenses, d.12 dub.1; Lercher, th.7.

230. Nexus. S.Thomas specialem quaestionem de sanctitate *substantiali* non habet, sed expresse tantum agit de sanctitate *accidentali per gratiam sanctificantem,* ut modo exposuimus. Multipliciter tamen indicat *gratiam unionis* humanitatem sanctificare \ et theologi hanc substantialem sanctificationem simul cum quaestione de gratia Christi accidentali considerare solent.

Hanc quaestionem *post* tractatam gratiam Christi *accidentalem* proponimus, ut a notioribus ad minus nota progrediamur.

42 Cf. S.Th., 3 q.8 a.1-6; Caietanus, in h.l.; SuÂREz, in h.l. et d.23; Saluanticenses, d.16; DTC 8,1349-1355; Benoist d'Azy. *Le Christ et ses anges...:* BullLittEccl (1943) 101-117; Bouessé, *Le Sauveur du monde. 2. Le mystère...* 297-368.

1 Cf. Saluant:censes, d.12 dub.1 n.6-14. De loco tamen ex S.Th., 3 q.22 a.2 ad 3 notandum est editionem Leoninam hunc locum in textu critice restituto non recipere. Λ traditional Sti.Thomae interpretatione dissentit J.Eichinger, *Die Heiligkeit dcr menschlichen Seele Jesus (nach dem hl.Thomas):* ThQschr 129 (1949) 101-111.

(ζ23Ï) Notiones. Sanctus (ï>'Ιτρ· ἁγιο). *Etymologice* significare videtur abscissum, separatum 23 *Realiter: a)* si *de. Deo* dicitur, significat in sacra Scriptura et traditione 1) Ileum esse ipsam subsistentem infinite excelsam *Bonitatem* ideoque sibi ipsi ac aliis omnibus esse ultimum finem ac supremum obiectum ordinis moralis et supernaturalis. Haec vocatur sanctitas Dei *ontologica, obiectiva, entitativa, physica.*

Notio haec sanctitatis considerat in Deo celsitudinem ac maiestatem suam infinitam, qua supra omnia creata eminet, vi cuius plene intangibilis ac inviolabilis est; sed indicat simul notam specificam, ob quam haec celsitudo non simpliciter maiestas sed *sanctitas* appellatur ; ratio haec est *bonitas* ipsa subsistens, quae est fundamentum totius manifestationis ac communicationis Dei ad extra8. Ita frequentissima ac non omnino facilis notio sanctitatis determinanda videtur 46

232. Significat praeterea "sanctus", cum de Deo dicitur 2) Deum esse *in ordine morum* absolute perfectum, quin ulla peccati umbra in Eo reperiri possit. Huius infinitae perfectionis ea ratio est, quod sc. Dei *affectus* semper indefectibiliter coniunctus remanet cum infinita *Bonitate,* itnino vero *identicus cum ea est.* Haec vocatur sanctitas Dei *moralis, subiectiva, in operando.* Sequitur necessario e sanctitate Dei ontologica s.

233. *b)* Sanctus cum *de creaturis* dicitur, significat 1) creaturam illam cum Deo, auctore ordinis supernaturalis, obiective *unitam* esse ac divinae dignitatis et inviolabilitatis participare ; v.c. in templo erat pars quae appellabatur "sane-

2 Cf. G.Kittel, *Thcologisches Worterbuch sum Neusn Testament* (Stuttgart 1932) 1,88-98; Heinisch, *Théologie des alien Tcstamentcs* 39. Aliter, S.CavallETTI, *L'ctimologia di q-d-sh traita dai suoi sinonimi c dai suoi opposti:* Ant 25 (1950) 501-512. De ἁγον tamen aliisque graecis vocabulis, cf. A.M.Horvath, O.P., *Formale und objektive Heiligkcit:* DivThom (Fr) 17 (1939) 263-270.

3 Cf. J.Muller, S.I., *Ucbcr den Bcgriff der Heiligkcit und deren Ausnahmstcllung unter den gottlichen Attributen in Bezug auf die Mitthcilbarkcit an die mcnschlichc Natur Christi:* ZkathTh 20 (1896) 491-501; cf. 489s. De sensu ac historia vocis ÙTTp, ἁγιο tum apud profanos tum in sacra Scriptura tum apud iudaismuim rabbinicum plurima habet Kittel, *ibid.,* 87-112. Cf. quoque J.D.Barthélemy, O.P., *Essenischc und christliche Heiligkcit im Lichte der Handschriften vom Toten Meer:* FreibZFhTh 6 (195.9) 249-263. De voce latina *sanctus* in usu profano et Christiano, cf. H.DElehayE, S.I., *Sanctus. Essai sur lc culte des saints dans l'antiquité* (Bruxelles 1927) 1-59.

4 Distinctio sanctitatis Dei *moralis* a sanctitate physica seu *ontologica* non est in usu apud antiquiores. Primus qui eam proponit videtur esse Scheebcn (cf. Müller, *Ueber den Bcgriff der Heiligkcit...:* ZkathTh 20 (1896] 473.481.491). Recentiores theologi distinctionem hanc adhibere solent. Ulteriorem explicationem sanctitatis ontologicae a nobis indicatam tenent plus minusve v.c. LErcher, n.90 nota 3; J.Gummersbach, S.I., *Unsündlichkeit und Bcfcstigung in der Gnadc nach der Lehre der Scholastik mit besonderer Berii-cksichtigung des Sudres* (Frankfurt 1933) 14. Cf. quoque P.Van Imschoot, *La Sainteté de Dieu dans* VieSpir (1946) 30-44.

6 Cf. Müller, *Ucbcr don Bcgriff der Heiligkcit...:* ZkathTh 20 (18.96) 500s.

turn sanctorum" (Ex 26,34) ; sacerdotum vestimenta (Ez 42,14), terra in qua Deus apparuit (Ex 3,5), libri Scripturarum (1 Mac 12,9), gladius quo inimici populi Dei debellantur (2 Mac 15,16), plurimaque alia *sancta* vocantur. Similiter personae, v.c. angeli (Apoc 14,10), summus sacerdos Aaron (Ps 105,16), quilibet summus sacerdos (Ex 28,36), sacerdotes (Lev 21,6), totus populus (Ex 19,6), omnes Christiani (Eph 1,1 ; Phil 4,21s)'. Dicimus creaturam uniri cum Deo, *auctore ordinis supernaturalis,* quia non quaelibet unio, v.c. unio cum Deo *creatore,* sanctam reddit creaturam, sed requiritur unio cum Deo ut subsistente *Bonitate,* quae se *communicat* hominibus et quidem se communicat *de jacto* in ordine quodam *supernaturali*7. Sanctitas haec vocatur *ontologica, obiectiva, entitativa, physica.*

234. Significat insuper "sanctus", cum de creaturis *rationalibus* praedicatur 2) eas esse *in ordine morum* perfectas, a peccato, in quantum possibile est, quam remotissimas. Sanctitas haec obtinetur actibus liberis recte ordinatis in Deum, infinitam Bonitatem ac ultimum finem. Est sanctitas quae vocatur *moralis, subiectiva, in operando.*

235. Humanitas Christi sancta est. Directe *non* agimus de sanctitate *morali;* haec enim tractanda est in thesi de Christi impeccabilitate. Asserimus igitur Christi humanitatem, animam sc. et corpus, esse *ontologice* sanctam. Aliis verbis, affirmamus humanitatem Christi obiective cum Deo, auctore ordinis supernaturalis, unitam esse ac divinae dignitatis et inviolabilitatis participare.

236. Frustra tamen in antiquis theologis hanc sanctitatis notionem quaereremus. Ideo, ne diversum statum quaestionis habeamus ac illi, loqui *etiam* debemus de sanctitate humanitatis Christi, quam *gratificantem* appellare possumus. Communis enim theologorum sententia tenet formalem sanctitatem consistere in eo quod homo *Deo gratus* efficiatur8.

Notae autem huius sanctitatis petuntur a conceptu sanctitatis *accidentalis,* quae per gratiam sanctificantem habetur. Sanctam igitur esse humanitatem Christi significat Christum *ut hominem* esse *a)* divinae naturae consortem, *b)* Dei filium

e Cf. Kittel, *Theologischcs Wortcrbuch...* 1,89-96.107-112; A.Michel, *Sainteté:* DTC 14,841«; Müller, *Ucbcr den Begriff der Heiligkcit...*. ZkathTh 20 (1896) 482s.

7 Cf. Müller, *ibid.,* 486-490.

8 Cf. Salmanticenses, <1.12 dub.1 n.6. De notione sanctitatis Dei et Christi apud S.Thomam, cf. A.M.Horvath, O.P., *Heiligkcit und Sünde im Lichtc der thomistischcn Théologie* (Thomistische Studien [Freiburg in der Schweiz 1943] t.1).

(quo sensu verba "ut hominem" intelligere debeamus, quando de divina filiatione Christi fit sermo, melius patebit infra, th. 19 maxime n.492-494.496), *c)* Deo gratum, *d)* ornatum iure ad aeternam haereditatem [9].

Sanctitatem hanc *gratificantem* e sanctitate quam *ontologicam* appellavimus dimanare, facile apparet, cum *in praesenti ordine* obiectiva *unio* creaturae rationalis cum Deo (sanctitas *ontologica)* ad hoc tendat, et *perfecta* unio necessario has quatuor notas in homine inducat[10].

(23^> Substantialiter sancta. *Unio* illa cum Deo, in qua ontologica sanctitas consistit, potest esse vel accidentalis vel substantialis. *Accidentaliter* sanctificatur creatura, cum inter Deum et creaturam non exsurgit nisi *unum per accidens.* Concrete habetur haec unio in homine iusto mediante *gratia sanctificante,* quae est accidens physicum animae, quod hominem reddit divinae naturae formaliter participantem.

Substantialiter sanctificatur creatura, cum inter Deum et eam exsurgit *imum substantiale.* Talis est casus unionis *hypostaticae,* in qua humana Christi natura unitur unione substantiali secundum hypostasim cum Verbo, uti supra n.44s exposuimus.

238. Formaliter sancta. Quoad sanctitatem *ontologicam,* significat Christi humanitatem sanctificari per Verbi personalitatem tanquam per principium *quasi-formale* seu tanquam per formam intrinsecam *terminantem.* Sicut enim homo iustus ontologice sanctus est, quia cum Deo unitur mediante *gratia* sanctificante, quae animae inhaeret et animae est physica *forma;* simili modo humanitas Christi ontologice sancta est, quia cum Deo unitur *immediate,* ita ut Verbum sit principium *quasi-formale* illius sanctitatis[11].

239. Quoad sanctitatem intellectam illo alio sensu, apud veteres theologos usurpato, nempe tanquam sanctitatem *gratificantem. In controversia cum scotistis* vox "formaliter" idem valet ac *actualiter, intrinsece, immediate,* et distinguitur contra *extrinsece, mediate, virtualiter, causaliter, radicaliter, exigitive.* Quando ergo hoc sensu dicimus humanitatem Christi esse *formaliter* sanctam substantialiter, exprimere tantum volumus eam *vi ipsius unionis* cum Verbo substantialiter sanctificari. Aliis verbis, "formaliter" *quoad hanc controversiam* vult dicere hoc: etiamsi humanitas Christi gratiam sanctifi-

[9] Cf. SalmanticensES, <1.12 dub.1 n.10; SuârEz, d.18 s.1 n.4.
[10] Cf. MHh.LER, *Ucbcr dcn Bcqriff der Hciligkcit...:* ZkathTh 20 (1896) 504.
[11] Cf. Mïïller, *ibid.,* 485s.501-508.

cantem non haberet, esset *actu sancta;* sanctificatur enim independenter et antecedenter ad illam gratiam 12.

Gratia unionis. Unio substantialis naturae humanae .cum _Verbo vocatur *gratia unionis,* quia revera facta est ex Dei voluntate *gratis* talem unionem faciente, quin ulla merita praecesserint, et quia *gratissimum* Deo facit hominem. Christum 13 14 S.Thomas gratiam unionis definit: "ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi, quod quidem est terminus assumptionis" (3 q.6 a.6 c) M.

Theologi solent hanc gratiam unionis considerare tanquam sanctificantem Christi humanitatem sanctitate a nobis dicta *gratificante.*

Addere tamen debemus consequenter ad notionem sanctitatis *ontologicae,* in unione hypostatica Christi *sanctitatem ontologicam* consistere; ideoque gratiam unionis sanctificare Christi humanitatem sanctitate *etiam ontologica.*

241. Adversarii. Si de sanctitate *ontologica* agitur, nullus videtur eam Christi humanitati denegare posse. Si vero sermo est de sanctitate *gratificante,* in genere *scotistae* asserunt per gratiam unionis non nisi *radicaliter* seu *exigitive* seu *in actu primo* Christi humanitatem sanctificari ". Quamvis quaestio magna ex parte sit lis de voce, nihilominus *reale* aliquod oppositionis *fundamentum* habetur inter sententiam sic dictam scotisticam et sententiam magis communem inter theologos, quani/in thesi proponimus. Radix quaedam profunda huius controversiae in diverso modo concipiendi *suppositum* reponenda est, ut postea in thesi de satisfactione Christi patebit (th.26 n.650 660).

242. Valor theologicus. Quoad sanctitatem substantialem *ontologicam, videtur theologice certum.* Notio enim sanctitatis ontologicae videtur ea esse quam sacra Scriptura praebet; quo supposito, Christi humanitatem esse hoc modo sanctam necessario ex revelatis *deducitur.* Quin immo, videretur hoc in sacra Scriptura et Traditione *formaliter* contineri, unde valor theologicus forte superior assignari deberet.

Quoad sanctitatem substantialem *gratificantem* seu *notas*

13 Cf. SalmanticensES, d.12 dub.l n.1; DTC 8,1276. Dc sanctitate Christi substantiali, sensu veterum theologorum, cf. J.Rohof, S.C.J., *La sainteté substantielle du Christ dans la théologie scolastique.* [Studia Friburgensia, 5. Freiburg i.d. Schweiz 1952].

« Cf. S.Th., 3 q.2 a.10; *Compend. Thcol.* c.214.

14 De hac gratia·, cf. VüGTS, *La grâce d'union d'après saint Thomas d'Aquin...*

15 Cf. SalmanticensES, d.12 dub.l n.15; DTC 8,1276; Minges, 1, n.518-521; Editores operum S.Bonaventurae (Quaracchi), Scholion, *In 3 Sent,* d.13 q.l a.l.

illas petitas ex conceptu sanctitatis *accidentalis:* eas omnes *formaliter* haberi ex vi unionis hypostaticae est sententia *communiar et longe probabilior.*

243. Probatur ex sacra Scriptura. Sanctitas *ontologica.* Duplex aspectus debet praecipue attendi, ne argumentum vi careat, sc. probari debet a) *humanitatem* Christi seu Christum *ut hominem,* b) habere sanctitatem *ontologicam substantialem;* ideo textus non inserviunt qui de sanctitate *Verbi* incarnati agant vel qui proprie *moralem,* et multo minus qui *accidentalem* Christi sanctitatem efferant.

1) Textus qui Christum dicunt *unctum. Unctio* in sacra Scriptura intime nectitur cum *sanctitate,* ita ut ipsum oleum unctionis vocetur sanctum (cf. v.c. Ex 30,25.31), quod expresse praeterea apparet in casu Messiae: Dan 9,24: *et* ungatur *Sanctus sanctorum* w. Atqui haec unctio sese refert ad *humanitatem* Christi, cum vix dici possit *divinitatem ungi* ", et haec unctio denotat sanctitatem *ontologicam,* ut alias in sacra Scriptura per unctionem significante *consecrationem* Deo 18, et quidem denotat sanctitatem ontologicam *substantialem,* quia munus salvatoris et primatus omnium creaturarum, ad quod humanitas illa assumitur, habetur per unionem *personalem* cum Verbo (cf. supra, th.3 n.35ss). Ergo Christus quoad suam humanitatem est ontologice sanctus.

244. 2) Textus qui explicite loquuntur de Christi *sanctitate.* Inter alios[19]* eminere videtur Io 6,69:. καὶ ἡμεῖ πεπίστεὐκαμεν... δτι σὐ εἶ ὁ ἅγιο τοῦ Θεοῦ *(et nos credidimus... quia tu es* sanctus Dei; Vg. minus recte legit ... *quia tu es Christus Filius Dei).* Appellatio "sanctus Dei" ex modo loquendi sacrae Scripturae denotat aliquem a Deo electum et consecratum pro aliqua missione salutis 20. Atqui haec sanctificatio et consecratio non videtur nisi de *humanitate* Christi intelligenda, et ex alia parte talis consecratio est sanctitas illa obiectiva seu *ontologica* quam in notionibus exposuimus, et *substantialis,* ut numero praecedenti diximus. Ergo Chris-

,β I)c unctione in sacra Scriptura, cf. H.LesetrE, *Onction:* DB 4,1805-1809. De textu Danielis, cf. L.Linder, S.I., *Commentarius in librum Daniel* (Cursus sacrae Scripturae, Parisiis 193.9) in h.l. Contra, sed immerito, ut videtur, Ceuppens, *De prophetiis...* 493s.506s.521. De nomine ipso Christi seu uncti, cf. H.LEsetre, *Messie:* DB 4,1032-1064; LbrchEr, n.78.

" Cf. tamen singulares quasdam Patrum locutiones apud Petavium, 1.11 c.8 n.9-13.

18 Cf. DB 4,1805s; BonsirvEn, *Epitres de saint Jean* in 1 Io 2,20.

,v Omnes locos colligit Kittel, *Theologischcs Worterbuch...* 1,102-104.

20 Cf. F.Tillmann, *Das Johannesevangeliwn* (Bonncrbibel 1916) in h.l.; Knabenbauer, Lagrange, in h.l.

tus quoad suam humanitatem est ontologice sanctus. Ut apparet, haec est alia forma argumenti propositi sub 1) 21.

245. Probatur ex traditione. Solent quidem plures textus sanctorum Patrum adduci ad Christi sanctitatem *substantialem* probandam. Difficulter tamen in his textibus apparet sermonem esse *et de humanitate* Christi *et de sanctitate substantiali;* potius dubium remanet ne forte agatur de *persona Christi* vel de eius sanctitate *accidentali* per gratiam sc. sanctificantem, infusam quidem simul tempore cum unione hypostatica et ab hac derivatam 22.

Nihilominus tot sunt Patrum loca in quibus de *unctione* humanitatis Christi per divinitatem fit sermo, tam clare uniuntur conceptus unctionis et sanctitatis ontologicae in sacra Scriptura, ut vix potuerint Patres hanc unctionem non tanquam *ontologicam* humanitatis Christi consecrationem ideoque *sanctificationem* intelligere, et quidem *substantialem,* ut nuper exposuimus 23.

246. Ratio theologica. Quoad sanctitatem ipsam *ontologicam.* Sanctitas haec ontologica consistit in unione cum Deo, ordinis supernaturalis auctore, et consequenter in participanda divina dignitate ac inviolabilitate, ut supra n.233-235 exposuimus. Atqui humanitas Christi a Verbo assumpta est *in unitatem personae* et quidem *eo fine* ut reparatio ordinis *supernaturalis* locum haberet. Ergo humanitas Christi est sancta *sanctitate ontologica* ac Dei dignitatem et inviolabilitatem eminenti gradu participat.

• Hanc sanctitatem ontologicam dari in Christi humanitate a) *substantialiter* et b) *formaliter* patet, quia *a)* haec humanitas Verbo unita est unione *substantiali* hypostatica et *b)* huius humanitatis sanctitas ontologica "habet Verbum tanquam principium *quasi formale* seu terminans, cum unio ad Verbum *terminetur.*

247. Quoad sanctitatem *gratificantem.* Huius sanctitatis notae sunt: *a)* consortium divinae naturae, *b)* filiatio divina, *c)* Deo gratum esse, *d)* ius ad aeternam haereditatem. lam vero, haec omnia in Christo u/ *homine* habentur *substantia-*

21 De aliis argumentis minus validis, cf. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,72s. Cf. quoqne I. υε la PotteriE, S.I., *L'onction dit Christ. Étude de Théologie bblique:* NouvRevTh 80 (1958) 225-252; J.Cl. Dhôtel, *La "sanctification" du Christ d'après Hébreux* 11,11: RechScRel 47 (1959) 515-543; 48 (I960) 420-452.
22 Cf. Galtier, n.309s; DTC 8,1277. Clare substantialis sanctitas apparet in S.Cyrillo Alex.: cf. Weici., *Die Hcilslchre des hl.Cyrill...* 84-89. Cf. F.FaEssIER, O.S.B., *Dcr Hagios-Bcgriff bei Origcncs: Ein Bcitrag sum Hagios-Probicm,* Freiburg Schw. 1958
23 Plures textus colligunt Salmanticenses, d.12 dub.l n.2; Petavius, 1.11 c.8s.

liter et independenter ac antecedenter ad gratiam sanctificantem. Dicendum est ergo Christi humanitatem esse *substantialiter ex vi gratiae unionis formaliter sanctam.*

Sanctitatem hanc, si forte ea detur, esse *substantialem,* ulterius probandum non est; constat enim non oriri ex *accidentali* animae unione cum Deo vi gratiae sanctificantis, sed ex *substantiali* humanitatis unione cum Verbo.

248. *Ex vi gratiae unionis* hoc modo sanctificari Christi humanitatem sic potest probari per singulas notas.

a) *Consortium divinae naturae.* Per gratiam sanctificantem homini communicatur quaedam participata similitudo divinae naturae; per unionem hypostaticam autem humana natura non dicitur participasse *similitudinem* aliquam divinae naturae, sed dicitur coniuncta divinae naturae in persona Filii. Maius autem est *ipsa res* quam similitudo eius participata [24]. Ergo *perfectius* est natura humana Christi *consors divinae naturae per unionem hypostaticam* quam per gratiam sanctificantem.

249. b) *Filiatio divina.* Per gratiam sanctificantem efficimur filii Dei sed *adoptivi; per unionem hypostaticam* Christus homo tam vere est *filius Dei* et quidem *naturalis,* ut nullo modo dici possit filius Dei adoptivus. Hoc postea probabitur in thesi 19.

c) *Deo gratum esse.* Cum amor Dei sit infundens et creans bonitatem in rebus[25], nequit dici Deum non amare et gratum habere hominem cui tantum bonum communicat, quale est unio personalis cum Verbo. Ergo *hoc donum substantiale* constituit humanitatem illam magis incomparabiliter *Deo gratam* quam quaelibet gratia habitualis valeat subiectum Deo gratum constituere.

250. d) *Ius ad aeternam haereditatem.* Hoc ius homini per gratiam sanctificantem tribuitur, quatenus per eam homo efficitur filius Dei; *si autem filii et haeredes* (Rom 8,17). Iam vero, si filiatio *adoptiva* tale ius confert, multo excellentius filiatio stricte *naturalis* id conferet. Ideo opera Christi sunt *meritoria in ordine supernaturali,* hic est enim ordo haereditatis aeternae, in quo Deus, qualis ipse in se est, se filiis communicat per visionem beatificam. Id tamen non excludit necessitatem gratiae sanctificantis, quae naturam Christi humanam *intrinsece elevaret* ad ordinem supernaturalem. Unio enim hypostatica Christi opera dignificat quidem ut

[24] Cf. S.Th., 3 q.2 a.10 ad 1; Salmanticenses, d.12 dub.1 n.10.
[25] Cf. S.Th., 1 q.20 a.2 c; 1.2 q.110 a.1 c.

principium qztod, quia *suppositum* est divinum ; non tamen physici aliquid confert per se ipsam humanitati, quo *humana natura* intrinsece tanquam *a principio quo* elevetur.

251. Has quatuor sanctitatis notas *formaliter* haberi in humanitate Christi ex vi gratiae unionis, partim iain declaratum est in ipso argumento, partim ostendi potest per comparationem cum sanctificatione collata a gratia habituali. Haec, iuxta omnes, formaliter sanctificat conferendo animae illas quatuor sanctitatis notas. At probavimus has notas *excellentiori ratione* haberi in anima *ex sola unione hyposta·tica.* Ergo *formaliter* humanitas Christi sanctificatur per sanctitatem *substantialem*20.

252. Obiectiones. 1. Si humanitas Christi redderetur *formaliler sancta* vi unionis hypostaticae, redderetur etiam *formaliter aeterna, formaliter omnipotens...* Atqui hic esset error monophysismi. Ergo humanitas Christi non efficitur formaliter sancta vi unionis hypostaticae.

Dist. mai. Si eadem esset ratio participandi sanctitatem ac ratio participandi reliqua attributa Dei, *conc. mai.;* si valde diversa est ratio participandi sanctitatem et ratio participandi reliqua Dei attributa, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.*

253. Uti ex notionibus apparet, *sanctitas ontologica* praecise consistit in *unione* seu relatione ad Deum. Per hanc unionem creatura participat sanctitatem ac consequenter dignitatem ac inviolabilitatem ipsius Dei sancti. Ergo non solum Christi humanitas, sed quaelibet creatura quae Deo consecrata sit, quae proinde cum Deo sit *unita,* efficitur suo gradu *sancta* vi huius consecrationis seu unionis ad Deum.

E contra aeternitas, omnipotentia Dei non participantur per solam *unionem* cum ipso. Nullus enim dicet aliquam rem esse *aeternam,* quia cum Deo aeterno *coniuncta.* Ratio vero intima est, quia aeternum esse significat immutatam durationem habere absque initio et absque fine. Ut ergo humana Christi natura diceretur aeterna, requireretur non ut *unita* esset sed ut *identica* esset cum Deo. Quod absurdum monophysismum induceret ".

In rebus humanis simile quid accidit. Eo quod aliquis efficiatur *amicus hominis sapientis* non efficitur eo ipso *sapiens* per sapientiam amici. At si quis ad immediatum regis servitium assumitur, hac ipsa unione seu relatione ad regem efficitur vir magnae *dignitatis* ac *aestimationis* per dignitatem regis.

Quoad sanctitatem *gratificantem* cum suis quatuor notis, difficultas non adeo urget. Per eam enim non ipsa *Dei sanctitas in se* eodem modo concipitur participari, sed, conceptu sanctificationis petito ex sanctitate *accidentali,* homo constituitur *Deo gratus* in ordine supernatural!.

254. 2. Nihil proprie *divini* potest fieri formaliter praedicatum

34 Cf. SalmanticBnsss, d.12 dub.l n.11-14.16.20; GaltiSR, n.308.314; SuArEz, d.39 s.1 n 5s.

31 Cf. MtlixSs, *Ueber den Begriff der Heiligkeit...:* ZkathTh 20 (1896) 5O5s.

entis *non divini.* Atqui Christi humanitas est ens non divinum. Ergo Christi humanitas nequit esse sancta *formaliter sanctitate Dei.*

Dist. mai. Nihil proprie divini potest praedicatum entis non divini fieri *per identitatem, conc. mai·;* per *unionem hypostaticam, nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Si ad participandam Dei sanctitatem *ontologicam* requireretur *identitas* inter humanam Christi naturam et Dei sanctitatem, *cone, cons.;* si tantum requiritur *hypostatica unio, nego cons.*

255. Verbum de facto est per suam subsistentiam principium quasi formale seu terminans *naturae* Christi *humanae.* Est autem Verbum quasi formale principium *sanctitatis* ontologicae huius naturae, quia sanctitas ontologica consistit in *unione* ipsa; principium ergo quasi formale *unionis* esse debet quoque principium quasi formale *sanctitatis ontologicae.*

Sancta est igitur ontologice natura humana Christi *per Dei sanctitatem;* hanc autem sanctitatem ipsa habet participatam. Tota difficultas in hac re provenit ex eo quod sanctitas haec Dei ontologica consideretur tanquam *accidentalis quaedam proprietas* naturae Christi humanae. Hoc quidem impossibile est. Recta autem conceptio est, ut sanctitas humanitatis Christi consideretur tamquam *unio substantialis* cum Dei sanctitate. In hoc nulla est iam difficultas, supposito facto unionis hypostaticae a.

256. 3. Effectus primarius gratiae sanctificantis est *formaliter sanctificare.* Atqui effectus primarius alicuius formae ab alia re formaliter praestari nequit. Ergo humanitas Christi formaliter non sanctificatur nisi per gratiam sanctificantem seu habitualem.

1) *Dist. niai.* Effectus primarius gratiae sanctificantis est sanctificare formaliter sanctitate *substantiali, 'nego mai.;* sanctitate *accidentali, conc. mai. Trans, min. Dist. pariter cons.* Formaliter sanctitate *substantiali, nego cons.;* formaliter sanctitate, *accidentali, conc. cons.*

2) Trans, mai. Dist. min. Effectus primarius alicuius formae ab alia re formaliter praestari nequit *sub eadem ratione, conc. min.; sub alia ratione altiori* et eminentiori, *nego min. Contradist. cans.* Humanitas Christi formaliter non sanctificaretur nisi per gratiam sanctificantem, si effectus primarius alicuius formae ab alia re formaliter praestari nequiret *neque sub eadem ratione neque sub eminentiori ratione, conc. cons.;* si effectus... ab alia re formaliter praestari nequit, sed tantum *sub eadem ratione, nego eous.* Formae vegetativae effectus primarius est tribuere vitam vegetativam ; nihilominus idem hic effectus formaliter praestatur animalibus per formam sensitivam, homini per formam rationalem2".

257. 4. Si per solam unionem hypostaticam natura humana assumpta redderetur formaliter sancta, assumpta a Deo *natura irrationali,* haec natura efficeretur formaliter sancta. Atqui hoc est absurdum. Ergo per solam unionem hypostaticam natura humana assumpta non redditur formaliter sancta.

Dist. mai. Efficeretur haec irrationalis natura formaliter sancta sanctitate *ontologica, conc. mat.:* notis illis sanctitatis petitis e notione *sanctificationis per gratiam accidentalem, subdist.:* et haec

28 Cf. *ibid.,* 502.506s.
20 Cf. Muscusiu., n.499; Salmaktichnsss, d.12 dub.l n.ISs.

sanctificatio impeditur per defectum *ex parte unionis hypostaticae, nego;* per defectum *ex parte subiecti,* quod sc. est absolute incapax talis sanctificationis essentialiter ordinatae *ad visionem* beatificam, *conc. Contradict, min.* Est absurdum naturam irrationalem sanctificari sanctitate *ontologica, nego min.; notis* illis, *conc. min.*[30]

258. Scholion 1. *De principio quo seu de formali ratione quae principium quod constituat in esse sanctificantis formaliter.* Ex thesi constat per assumptionem ad Verbum fuisse Christi humanitatem formaliter sanctificatam. Ergo in hac assumptione habetur *aliquod* sanctificans, seu principium *quod* sanctificat.

In hac tatnen assumptione plura concurrunt, sc. modus creatus unionis hypostaticae, personalitas Verbi, natura divina cum hac personalitate realitcr identificata. Quaestio est, igitur, quaenam ex his fuerit *ratio formalis* ad constituendum sanctificans *quod.*

lure scribit Suarez Verbum et modum illum creatum in humanitate exsistentem ita esse coniuncta et inseparabilia, ut vix possint comparari et quasi seiungi in hoc effectu ; neque enim unio creata esset sufficiens ad conferendam talem sanctificationem, nisi quia terminatur ad Verbum, nec Verbum posset hanc sanctificationem conferre, nisi, unione intercedente, terminaret humanitatem[31][32]

259. Quodsi velimus singulis attribuere quod eis *propriissime* convenit, communior theologorum sententia iure tenet non modum sed *Verbum* esse quasi formam humanitatem sanctificantem. Modus autem est quasi via ad hanc sanctificationem vel conditio ad illam necessaria “.

260. Difficilius dirimitur quaestio inter theologos controversa an ratio formalis sanctificandi sit personalitas Verbi an natura divina an personalitas et natura *simul* sumptae an denique et personalitas et natura etiam *seorsim* consideratae. Hoc ultimum videtur probabilius. *Personalitas* enim Verbi, Deo infinite grata, est quae proprie terminat humanitatem, eamque non potest non Deo gratam reddere. *Natura divina* ex alia parte seu divinitas extollitur a Patribus tanquam *ungens* humanitatem seu eam sanctificans. Et praeterea, cum gratia habitualis vim sanctificandi habeat eo quod est *participatio* divinae *naturae,* a fortiori *ipsa* divina natura formaliter sanctificabit subiectum rationale cui uniatur[33].

261. Scholion 2. *De infinita Christi sanctitate substantiali.* Quoad *ontologicam* sanctitatem. *Simpliciter infinita* videtur dicenda, eo modo quo S.Thomas *gratiam unionis* infinitam dicit, nempe “secundum quod ipsa persona Verbi est infinita” (q.7 a.11 c). Sic in nostro casu *principium quasi formale* sanctificans Christi humanitatem est simpliciter infinitum. Confirmatur hic dicendi modus ex eo quod humana Christi natura, ut postea th.20 probabimus, *uno eodemque latrie cultu absoluto adoranda est* quo Verbi divinitas. Cultus autem respondet praecise *sanctitati.* Ergo dicendum est sanctitatem

30 Cf. SalmanticEnsZS, *ibid.,* n.18-20.
81 SuârEz, (1.18 sJ n.10.
32 Cf. SuArEz, *ibid,* (contrarium tamen docere videtur, d.53 s.3 n.17); Salmanticenses, d.12 dub.2 n.26-33.
33 Cf. Muncunill, n.502-504; Sai.manticenses, qui tamen opinantur naturam divinam per Verbi personalitatem applicatam, fuisse rationem formalem sanctificationis Christi, d.12 dub.3s. De toto hoc scholio, cf. DTC 8,1278.

humanae Christi naturae esse Verbi sanctitatem quam illa natura participat, sensu explicato supra n.254s.[14]

262. Perperam ex hoc modo argumentandi quoad *Christi hominis infinitam sanctitatem* deduceretur *omnem unionem* cum Deo reddere subiectum illud Deo unitum *infinite sanctum*. In reliquis enim casibus Deus creaturae unitur aut mediante re quadam *creata,* v.c. gratia sanctificante, aut saltem *accidenlalitcr*. Christi autem humanitas cum Deo unitur *substantialiter,* ita ut vere unum quid substantiale exsurgat, in quo *principium quasi formale unionis* sit ipse Deus seu ipsa Dei sanctitas.

Si vero quaeritur de ontologiica sanctitate humanitatis Christi praecise *prout ab hac natura participatur,* dicendum est, sicut de unione hypostatica quatenus haec est relatio rcalis creata in humanitate, Verbi sanctitatem participari *modo finito* ab humana natura.

263. Quoad sanctitatem *gratificantem*. Etiam videtur haec sanctitas *infinita* dicenda, eo modo quo multo communius theologi tenent opera Christi fuisse *infiniti valoris* propter infinitam *suppositi* dignitatem, de quo infra, th.26 n.660-663. Christi humana natura infinite grata Deo fuit, amabilitate communicata a divino suo supposito. Neque contrarium deducitur ex co quod amor quo Deus fertur in humanitatem Christi ut substantialiter sanctam non sit tantus quantus amor quo Deus fertur in ipsam Verbi sanctitatem. Cum in thesi 26, de Christi satisfactione, haec sint fusius exponenda, sufficiat hic meminisse operationes Christi satisfactorias non ita a Deo diligi sicut operationes ad intra diliguntur a Deo, amore sc. *necessario*. Nihilominus hae Christi operationes valoris *infiniti* existimantur[15].

264. Scholion 3. *Utrum Christi hominis sanctitas sit aliquid ordinis physici vel moralis*. Quoad sanctitatem *ontologicam,* dubium esse non potest eam esse *quid physicum,* sicut ipsa hypostatica *unio* est physica[16]. Est etiam aliquid ordinis *moralis* seu prudentis aestimationis propter *dignitatem* huic sanctitati correspondentem.

Quoad sanctitatem *gratificantem*. Haec Christi humanitas sine dubio est physice Deo grata propter unionem cum Verbo. Ex hac autem physica amabilitate huius Christi naturae resultant perfectiones etiam *in ordine morum,* de quibus agemus in thesi de Christi impeccabilitate[17].

[14] Cf. MOi.t.Sr, *Uebcr (ten Begriff der Heiligkeit...:* ZkathTh 20 (1896) 503.513s.

[15] Cf. SalmanticbnsEs. d.12 dub.4 n.65. Varias theologorum opiniones, cf. apud DTC 8,127.9; A.MorAn, S.I., *La santidad sustancial de la humanidad de Cristo en la Teotogta de los ss.XVI y XVII·.* EstEcl 25 (1951) 41-62.

[16] Cf. MÜLI.KR, *Uebcr den Begriff der Heiligkeit...·.* ZkathTh 20 (1896) 490.511. Cf. *ibid.,* 485s.501-508.

[17] DTC 8,1279 insinuat theologorum controversias de hac quaestione, quae tamen diversum statura quaestionis supponunt. Cf. quoque Morân, *La santidad sustancial...:* EstEcl 25 (1951) 35-41

Thesis 13. Praeter scientiam divinam, Christus habuit scientiam humanam, quae complectitur scientiam beatam, scientiam per se infusam supernaturalium et naturalium, veram scientiam propriis actibus acquisitam.

S.Th., 3 q.9-12; SauçanticEnsBS, d.17-22; A.Michel, *Science de Jésus-Christ:* DTC 14,1628-1665; E.Gutwenger, S.I., *Bewusstsein und Wissew Christi* (Innsbruck 1.960).

265. Nexus. Inter coassumpta a Filio Dei in humana natura quae ad *perfectionem* pertinent, consideravimus gratiam Christi, quae animam et voluntatem perficit. Nunc vero agendum nobis est de Christi *scientia,* quae perficit *intellectum.* Christi autem scientia dupliciter a nobis cum S.Thoma consideratur, primo *in communi,* quatenus in Christo est scientia *creata;* deinde *in particulari,* percurrendo hanc scientiam creatam in triplici eius genere, quatenus nempe in Christo est *scientia beata,* est *scientia infusa,* est denique *scientia naturaliter acquisita*[1].

266. Notiones. Praeter scientiam divinam. Supponimus Christum, utpote verum Deum, cognitionem seu scientiam Dei propriam habere. Qua scientia praesupposita, quaestio movetur utrum *praeter* eam, *etiam* cognitionem seu scientiam *creatam* habuerit.

267. Scientia. Sumitur hic sensu quodam lato pro "qualibet cognitione intellectus humani"[2]. Cognitio intelligitur tum in actu secundo tum in actu primo, aliis verbis, tum actus tum facultas intelligendi.

Scientia humana. Sic vocatur cognitio quam *homines* habent aut habere possunt sive in hac vita sive in futura.

Scientia beata. Est cognitio *beatorum,* quae in Dei visione consistit. Christus quidem intelligentia sua *divina* Deum videt; hic vero quaeritur utrum etiam intelligentia sua *humana* Deum videat, sicuti sancti in caelis *humano intellectu* Deum vident.

268. Scientia infusa. In genere est quae non per investigationem rationis acquiritur, sed homini per species a Deo humano intellectui immissas communicatur.

Scientia per se infusa. Dicitur illa quae non solum per investigationem rationis non acquiritur, sed nec acquiri potest. Sic scientia per se infusa haberetur, si anima htunana in mortali exsistens corpore, quae *pure spiritualia* sunt no-

1 Cf. IoannKm a S.Tkoma, *Isagoge...* in h.l.
2 S.Th., 3 q.9 a.1 c.

tionibus *propriis* intelligeret aut universim essentias rerum cognosceret *prout sunt in se.* Species istae non sunt e rebus *abstractae* sed immediate participantur ex influentia divini luminis[3]. Cum in sua *origine* sint hae species a phantasmatibus seu sensibilibus repraesentationibus independentes, homo in eorum *usu* non pendet necessario a sensibus, ut infra scholio 2, n.304, indicabimus. Cognitio haec est propria animae a corpore separatae vel angeli. Etiam ea esset scientia per se infusa, qua creatura rationalis futura contingentia libera praevideret.

269. Scientia per se infusa supernaturalium et naturalium. Scientia per se infusa *supernaturalium* ea est, quae terminatur ad omnia mysteria supernaturalia vel ad cogitationes cordium actusque liberos futuros. *Naturalium* vero ea est, quae terminatur ad substantias separatas et caetera objecta ad quae naturalis hominis cognitio se extendit vel extendere potest.

Scientia per se infusa semper est in se *supernaturalis* ratione *luminis.* Tale enim *lumen* quod ipsas res *stricte supernaturales* cognoscere *valet,* est aliquid ordinis specifici *divini,* ideoque a Deo conceditur omnino supra conditionem animae humanae, tam coniunctae quam separatae. Unde in scientia per se infusa non solum res supernaturales, sed etiam naturales *superncturali modo* cognoscuntur [4].*

270. *Scientia per accidens infusa.* Dicitur illa quae de facto non acquiritur labore rationis, acquiri tamen potest. Haec scientia est eiusdem rationis cum nostra humana naturali rerum scientia, per species ergo *abstractivas;* sed a Deo hae species sine proprio hominis labore infunduntur. Quamvis in sua origine de facto hae species non fuerint ab homine ex sensibilibus acquisitae, nihilominus, cum sint species abstractivae, homo in earum *usu* a sensibus dependet.

271. Scientia acquisita. Est scientia quam homo naturaliter acquirere valet usu sui intellectus, species intelligibiles a phantasmatibus abstrahendo.

Scientia propriis actibus acquisita. Scientia acquisita potest per accidens aliquando haberi per infusionem, ut de Adamo dicitur. Haec nuper a nobis dicebatur scientia *per accidens infusa.* Per se tamen scientia acquisita habetur per

3 Cf. S.Th., 1 q.89 a.1 ad 3; B.Beraza, S.I., *Tractatus de Deo creante* (Cursus theologicus Oniensis, Bilbao 1.921) n.478.
4 Cf. SuXrEz, d.30 s.1 n.5; Salmanticenses, d.19 dub.l n.1-8, ubi alii aspectus supcrnaturalitatis scientiae per se infusae considerantur.

proprios actus naturales intellectus. Haec est scientia acquisita quam homines generatim habent.

272. Vera scientia propriis actibus acquisita. Scientia *vera* dicitur, ut a *cognitione* intellectuali *experimentali* distinguatur[6]. Adversarii enim facile concedunt Christum exercitio sensuum acquisivisse suo intellectu novam aliquam *experimentalem* cognitionem et species intelligibiles ad illam necessarias, quas a principio non habuit[6].

Quaestio ergo est utrum *praeter* hanc *experimentalem* cognitionem, Christus perfectos habitus scientiarum et virtutum intellectualium cum speciebus ad eorum usum necessariis habuerit a Deo infusos an ipse sua activitate eos acquisierit. Aliis verbis potest sic etiam quaestio proponi. Utrum scientiam per se acquisibilem habuerit Christus per accidens infusam quantum ad habitum et species necessarias *ad demonstrationem* rerum faciendam, licet non quoad experimentalem cognitionem[7].

273. Si Christus scientiarum habitus haberet a Deo infusos, intellectus sui activitate proprie nihil novi acquireret, sed fieret tantum conversio nova ad species quae erant iam in phantasia; sicut est in eo qui habet habitum sciendi respectu eorum quae imaginatur vel videt[8]. Progressus itaque non esset *in scientia ipsa,* sed tantum *in exercitio scientiae,* ut quod prius sciebatur *theoretice* postmodum sciatur *practice*[9].

Affirmamus igitur in hac theseos parte Christum scientiam acquisitam non habuisse infusam per accidens sed eam *propriis sui intellectus actibus acquisivisse.* Christi scientia erat eiusdem rationis ac scientia nostra et a Christo acquirebatur *eo modo quo nostra acquiritur.*

274. Adversarii. A. Exsistentiam scientiae *humanae* in Christo negaverunt qui renuebant admittere Christum animam *rationalem* assumpsisse. De eis in thesi 7 egimus.

B. Exsistentiam scientiae *beatae* in Christo aut negaverunt aut circa eam dubia moverunt *quidam catholici* tempore *illuminismi* saec. 19, maxime vero Sciiell[10].

6 Interim a quaestione praescindi potest, utrum haec cognitio *experimentalis* dici debeat *vere intellectualis* necne. Cf. Salmanticenses, d.17 dub.4 n.62.

° Cf. SuXnEz, d.30 s.2 n.9.

7 Cf. Gonet, d.18 a.2 n.14.

• S.Tu., *In 3* d.14 q.1 a.3 q.5 sol. ad 3.

° Cf. S.BonavEnt., *In 3* d.14 a.3 q.2 ad 3.

10 Cf. DTC 14,1660s. B.Stattler (t 1797) non videtur primus fuisse qui scientiam beatam Christo denegaverit, quamvis huic negationi viam utique comparaverit. Cf. H.'Weisweiler, S.I., *Hat Bencdikt Stattler die Gottcschau Christi geleugnet?'.* Schol 5 (1.930) 573-578. De aliis adversariis, cf. Gutwenger, *o.c.,* 81-83. De quadam limitatione a K.Adam proposita, cf. *ibid.,* 86s.

C. Exsistentiam scientiae *per se infusae* in Christo negasse videntur *Nominales ac aliqui franciscani,* qui solam scientiam *per accidens infusam* in Christo admittebant[11].

Relate ad *extensionem* scientiae per se infusae in Christo *non omnes theologi* admittunt quae nos ad notiones (supra n.268s) indicavimus. Nostra tamen assertio est omnino communior, ut fusius exponemus infra ad scholion 1, n.301s [12].

275. D. *Veram scientiam propriis actibus acquisitam* Christo denegaverunt *plurcs theologi,* inter quos S.Thomas junior, S.Bonaventura, Scows, Suârez [13]. Perfectius enim putabant hanc acquisitam scientiam fuisse Christo *a principio infusam,* quam ut Christus hanc rerum scientiam propriis actibus *progressive* acquisierit.

Medias quasdam sententias *aliqui theologi* proposuerunt[14].

276. Doctrina Ecclesiae. A. Christum habuisse scientiam *humanam* docet Ecclesia, tradens ex una parte Christum habuisse veram animam *rationalem* (cf. supra n.116) et ex alia parte affirmans contra *monotheletas* Christum duas naturales *operationes* habuisse (cf. infra n.415s). Ergo affirmatur non solus intellectus sed et *intellectualis operatio humana.*

B. Scientiam Christi *beatam* docet damnatio sequentis propositionis: "Non constat fuisse *in anima Christi* inter homines degentis scientiam, quam habent *beati* seu comprehensores" (D 2183). Pius XII: "Eiusmodi vero amantissima cognitio, qua divinus Redemptor a primo Incarnationis suae momento nos prosecutus est, studiosam quamlibet humanae mentis vim exsuperat; quandoquidem per beatam illam visionem, qua vixdum in Deiparae sinu exceptus, fruebatur, omnia mystici Corporis membra continenter perpetuoque sibi praesentia habet, suoque complectitur salutifero amore" (D 2289).

C. De scientia *beata* et *infusa* agit item Pius XII : "... et cuius actus [caritatis in Christi animum infusae] duplici scien-

11 Cf. DTC 14,1654; Salmanticenses, d.17 dub.4 n.53.

12 Cf. Suârez, d.27 s.1-3; Salmanticenses, d.19 dub.1-3.

13 S.Tn., *In 3* d.14 q.5 a.3 ad 3; d.18 q.l a.3 ad 5. Cf. G.de Gier. M.S.C., *La science infuse du Christ d'après saint Thomas d'Aquin. L'évolution de sa doctrine* (Pontificia Universitas Gregoriana, Tîlbourg 1941). L-Scheffczyk, *Der Wandel in der Auffassung vom incnschlichcn Wissen Christi bei Thomas von Aquin...:* MünchThZ 8 (1957) 278-288. S.BonavenT., *In 3* d.14 a.3 q.2. Scorus, *In 3* d.14 q.3; Suârez, d.30 s.2. De aliis, cf. Salmanticenses, d.22 dub.l n.9; P.Mascarucci, O.P., *L'onnisciensa del Cristo in S.Alberto Magno {Studio comparativo con i tcologi del suo tempo):* Sap 3 (1950) 251-256.

14 Cf. Muncunill, n.674; Salmanticenses, *ibid.;* Stentrup, th.71,1093-1095. De primaevis scholasticis, cf. Landcraf, *Dogmengeschichte..., 2.** pars, 2,44-131.

tia perfectissima collustratur et dirigitur, hoc est beata et indita vel infusa" [14] [15]

277. Valor theologicus. A. Exsistentia scientiae humanae in Christo est veritas, ut videtur, *de fide divina catholiea implicite definita.* Nam definitum est Christum habere animam *rationalem* seu *intellectualem* (cf. supra n.117); item definitum est formam seu naturam *humanam* Christi *agere quod proprium est* (cf. infra, n.415s). Ergo exsistentia scientiae humanae in Christo videtur dicenda veritas *implicite definita.*

B. Christi animam habuisse scientiam *beatam* est *sententia communis et certa in theologia* [15], et videretur *doctrina catholica* (D 2289).

278. C. Christum habuisse scientiam *per se infusam* est *sententia fere communis et videtur certa.*

Quoad determinationem obiectorum ad quae se *extendit* haec scientia, sc. naturalia ac inter supernaturalia tum cogitationes cordium et futura contingentia tum entia creata supernaturalia et mysterium SS.Trinitatis aliaque mysteria cum eodem connexa, est *sententia longe communior.*

D. *Vera Christi scientia propriis actibus acquisita* est veritas praesertim inter recentiores *valde communior.*

279. Probatur ex sacra Scriptura. A. De scientia Christi *humana in genere* nihil particulare notabimus, cum haec partim ex thesibus 7 contra *apollinaristas* et 17 contra *monotheletas,* partim ex probatione *singularum* scientiarum Christi abunde constet.

B. *Scientia beata.* Plures solent textus adduci. 1) Io 1,14.16: *Et Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quamvis verba χάρι καὶ ἀλήθεια respondeant illis DON} ιρπ veteris Testamenti [16], ex contextu iam immediato v.17s clare apparet vocem *veritatis* involvere etiam sensum alicuius cognitionis intellectualis ordinatae ad manifestationem earum quas nos vocamus "veritates" seu certas propositiones. Plenitudo autem veritatis tanta significare videtur *plenam* Dei cognitionem. Iamvero ex 1 Cor 13,9-12, *plena* Dei cognitio

Encyclica "Haurietis aquas": AAS 48 (1956) 328.

[15] Cur haec veritas non possit dici *theologice certa* seu conclusio theologica, cf. apud Galtier l, n.316 ad finem; hanc tamen argumentationem Auctor infirmam reddit ex his quae ipse affert in nova editione eiusdem operis, n.328 A).

[16] Cf. Jouon, *L'Evangile de Notre-Seigneur Jésus-Christ* in h.l.; Lagrange, *Evangile selon Saint Jean,* in h.l. De terminis ipsis Veteris Testamenti, cf. F.Asensio, S.I., *Misericordia et veritas* (Analecta Grcgoriana, 48. Romae 1949).

non datur nisi, ubi evacuata fide, datur *visio.* Ergo *plenitudo veritatis* in Christo dicit *visionem.*

Cum ex th.11 (cf. supra, n.207) *gratia* accipiatur in hoc loco de gratia *humanitatis* Christi, idem dici debet de *veritate.*

280. 2) Io 1,18: *Deuni nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Io 3,32: *Qui de caelo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Cf. Io 8,38[17]. Minus proprie haec verba ad visionem solius intellectus divini, Christi restringerentur, nam visio etiam pro humano eius intellectu possibilis est, et evangelista Christum *hominem* enarrantem qua enarrantem et qua testificantem inducit, "ergo *in humana natura* testem asserere vult immediatum ex ipso Deo viso" [18].

281. C. *Scientia per se infusa.* Hebr 10,5-9: *Ideo ingrediens in mundum dicit: Hostiam et oblationem- noluisti... Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* In hoc textu apparet Christus *a momento sui ingressus in mundum* offerens se Patris voluntati pro hominibus[19].

Theologi ex hoc textu iure argumentantur. Communiter enim asserunt hunc actum Christi fuisse *meritorium.* Meritum autem proportionatam supponit *cognitionem.* Iam vero haec cognitio erat ab organis corporeis et a phantasmatibus independens, cum *de primo momento* vitae Christi infantuli ageretur. Ex alia parte talis cognitio non videtur fuisse scientia beata, quia finis visionis est quiescere in Deo eoque frui, non vero dirigere actus *in ordine ad merendum.* Ergo non restat, nisi ut Christus *scientiam per se infusam habuisset*[20].

282. D. *Vera scientia propriis actibus acquisita.* 1) Iesus pluries *interrogat.* Mc 6,38: *Et dicit eis: Quot panes habetis?*

17 Alios textus, cf. apud DTC 14,1651; D'Ales, 261; B.Leeming, S.I., *The human knowledge of Christ: the beatific Vision:* IrishThQuart 19 (1952) 237ss.

18 Knabenbauer, in h.l. Cf. Lagrange, in h.l.; Leeming, l.c., 239.246; Gutwenger, *o.c.,* 94-95.108-110. Cf. I.de la Potterie, S.I. 018a et γιγνώσκω *Les deux modes de la connaissance dans le quatrième évangile:* Bibl 40 (1959) 709-725. Eandem vim huic argumento non tribuunt Ceuppens, *Theologia biblica* 3,98ss; Galtier, n.329. Alia via visionem Dei in Christi humano intellectu demonstrat J.Galot, S.I., *Science et conscience de Jésus:* NouvRevTh 92 (1960) 118-124.

19 Cf. Spicq, *L'épître aux Hébreux,* in h.l.; H.M.Esteve, O.Carm., *De caelesti mediatione sacerdotali Christi iuxta Hebr. 8,3-4* (Matriti 1949) 86-90. De relatione cum sacrificio Christi, cf. *ibid.,* 77s.104.

20 Cf. Suarez, d.25 s.3 n.4; Galtier, n.333 ad B); Ceuppens, *ibid.,* 100s. Aliter, Bouessé, *Le Sauveur du monde. 2. Le Mystère...* 384. Alibi quaerit speculativum fundamentum scientiae infusae Gutwenger, *o.c.,* 133-142. Abstrahimus a quaestione, de qua in tractatu de gratia, utrum intrinseca supernaturalitas actuum necessario desumenda sit ex obiecto formali an potius ex principio efficiente. Cf. v.c. G.Huarte, S.I., *Tractatus de gratia Christi* (Romae 1923) 189-214; H.Lange, S.I., *De Gratia* (Friburgi Br. 1929) 212-220.585-589.

ite et videte. Mc 9,20: *Et interrogavit patrem cius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit?* Mc 11,13: *Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea.* Lc 8,30: *Interrogavit autem illum lesus, dicens: Quod tibi nomen est?* Cf. Mc 5,30[21]; Io 11,34, etc.

283. Non quidem ex omnibus interrogationibus, quas lesus fecisse dicitur, argumentum potest deduci. Aliquando enim *forma interrogandi non realem* supponit interrogationem, uti etiam in nostro ordinario dicendi modo accidit (v.c. Mt 7,16; 9,4s; Mc 7,18). Aliquando ipse evangelista testatur lesum interrogasse quidem, non quasi nescientem sed quasi amabiliter tentantem (v.c. Io 6,5s). Neque obliviscendum est Christum omnia ex scientia beata et per se infusa iam novisse (cf. v.c. Mc 2,8; Io 2,25).

Nihilominus tot sunt occasiones in quibus lesus aliquid interrogat, tam spontanee hoc facit eo modo quo nos interrogationes ponimus, ut vis esset textibus inferenda, si hae omnes interrogationes *mere simulate* a Domino factae dicerentur. Hoc a fortiori valet quando ipse evangelista expresse notare videtur *intentionem* quam lesus habebat aliquid cognoscendi. Ita textus supra relatus ex Mc 11,13.

284. 2) lesus *miratur.* Mt 8,10: *Audiens autem lesus miratus est, et sequentibus se dixit: Arnen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Mc 6,6: *et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Iam vero admiratio supponit *aliquid novi et insperati* lesum novisse; id vero de scientia beata et per se infusa dici nequit, ergo asserenda est in Christo alia scientia, quam ille *suis actibus paulatim acquirebat*[22]

285. 3) Expresse testatur evangelium *progressum* Christi in sapientia. Lc 2,52: *Et lesus proficiebat sapientia.* Progressus autem non est scientificus neque realis, ubi nihil proprio marte acquiritur. Hunc autem progressum ad cognitionem *mere experimentalem* reducere, ut vellent adversarii, vix videtur conforme cum amplitudine huius sententiae evangelii et speciatim vocis "sapientia" (σοφία) (cf. de Christi *sapientia* v.c. Mt 13,54; Mc 6,2).

286. 4) *Ipse modus popularis* quo Christus loquebatur, desumptus ex auditorum peculiaribus moribus ac ex illius

2' Cf. Lagrange, in h.l.

22 Plura de Christi admiratione, cf. apud J.B.ManyX, *Dc ratione admirationis in Christo. Commentarius theologicus in Matthaeum, VIII, 10:* AnalSacraTarrac 2 (1926) 431-4S9. Minus tamen recte, ut videtur, cl. Auctor *veram admirationem* in Christo *negat.* Cf. quoque eiusdem auctoris, *Thcologoumena III. Dc Christo beato simulque patiente* (Detrosae 1951) 74.

regionis populique adiunctis, satis aperte ostendit Christum rerum notitiam eo modo acquisivisse quo et nos, sc. labore intellectuali circa ea quae per sensus menti obiciuntur [23].

287. Probatur ex traditione. A. De scientia Christi humana *in genere* nihil particulare notandum venit, ut supra n.279, ad arg. ex sacra Scriptura monuimus [24].

B. *Scientia beata.* 1) Iure in *plena perfectaque* scientia quam Christo, adhuc in terris degenti, tribuunt Patres, vident theologi assertam scientiam beatam Christi [25].

288. 2) *Explicita testimonia.* Solus indubius in hac scientia Christo explicite tribuenda videretur S. Augustinus: “Quantum autem intersit inter hominem quem Dei Sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et caeteros homines, hinc intellegitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur; id est, etiam renata anima nisi resolutione corporis libera ad omni peccato et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum et in aenigmate videt Dominum: illius autem linteamina et sudarium, qui peccatum non fecit et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse enim solus in carne non tantum monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret aut ab itinere retardaret” [26]. Ergo in hoc differret Christus a caeteris iustis, quod hi in vita mortali Deum non vident *nisi analogice,* Christus vero e contra, iam in terris *Deum videt* [27].

Quamvis textus allatus sit classicus in hac materia, alius videretur magis explicitus: “Illud autem quod ait: *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem* (Io 6,46), ad homines referri potest quod dictum est *quisquam.* Et quia ipse homo erat qui tunc loquebatur in carne,

23 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,102.

24 Plurimos textus ordine chronologico dispositos rideas apud D'Ales, 256-259. De doctrina Patrum, cf. E. Schulte, O.F.M., *Die Entwicklung der Lehre vom menschlichen Wissen Christi bis sum Beginn der Scholastik* (Forschungen zur christlichen Literatur- und Dogmengeschichte, 12, 2, Paderborn 1914); B.M. Schwalm, O.P., *Les controverses des Pères grecs sur la science du Christ:* RevThom 12 (1904) 12-47.257-297.

25 Cf. Galtier, n.328. Plura de hoc argumento apud Patres, cf. J. Knabenbauer, S.I., *Ein Kapitel aus dem Leben Jesu:* Stimm 16 (1879) 1-21.

26 *De diver. quaest. 83* q.65: ML 40,60.

27 Vim huius testimonii auctores generatim agnoscunt. Cf. Galtier, n.328 B), qui alios textus e Patribus allatos impugnat. Cf. quoque A. Caron, *La science du Christ dans saint Augustin et saint Thomas:* Ang 7 (1930) 501s; Mohan, *De nominibus Christi doctrinam divi Augustini...* 36s. Nihilominus post studium a P. Dubarle factum res dubia effecta est. Cf. A.M. Dubarle, O.P., *La connaissance humaine du Christ d'après saint Augustin:* EphThLov 18 (1941) 6-14. De his quae possent colligi in favorem scientiae per se infusae et scientiae propriis actibus acquisitae, cf. Caron, *l.c.,* 507-514.

ita hoc dixit, ac si diceret: Non quia Patrem vidit quisquam hominum, nisi ego..."[2*]

289. *Theologorum amnium scholarum consensus,* praesertim in doctrina quae graves patitur difficultates neque clare et explicite invenitur proposita in sacra Scriptura vel sanctis Patribus, *certum* est argumentum rei veritatis. Rationes in quibus theologi innitantur, considerabimus infra, ubi de ratione theologica, n.291s.

290. Ratio theologica. A. *Scientia humana.* Triplicem rationem praebet S.Thomas cur Christus scientiam aliquam humanam *praeter divinam* habere debuerit[20]. Radix autem argumentationis est *integritas* naturae assumptae. Primam tantum rationem indicabimus.

Propter animae perfectionem. Anima est in potentia ad intelligibilia cognoscenda. Ideo, ut esset *perfecta* illa anima, sicut capiti et restauratori *humani generis* decebat, debuit perfici per aliquam scientiam quae esset *proprie perfectio eius.* Talis autem non erat scientia divina, sed *humana.*

Verum est *non paucos apud primaevos scholasticos* existimasse animam Christi Deum et alia in Deo cognovisse scientia ipsa *increala,* quam, ratione unionis hypostaticae, sibi communicatam habuerit[25] At eiusmodi opinio merito est omnino derelicta, cum *monophysismum* sapiat. Actus enim *vitalis,* qualis est cognitio, non potest attribui alii naturae nisi ab eius intrinseco formalitcr procedat. Ergo vel asseritur cum monophysitis naturam humanam esse formaliter naturam divinam vel statuitur absurda quaedam actio *vitalis humana* procedens a natura *non humana*[31].

291. B. *Scientia beata.* Quamvis ex ipsa *notione* unionis hypostaticae non ostendatur *contradictorium* naturam esse in Verbo subsistentem et tamen Deum solummodo *analogice* cognoscentem, *summa* utique *convenientia* in eo cernitur, quod humanitas Christi *visionem* beatificam haberet.

1) *Ratione personae.* Anima Christi ita erat Deo coniunc-

25 *Contra Maxim.* 2,9,1 : MI, 42,763. De hoc textu, cf. Van Bavel, *Recherches sur la Christologie...* 166-168. Idem auctor integram quaestionem de omniscicntia ac de scientia beata Christi exponit *o.c.,* 146-175.

50 Cf. 3 q.O a.l c. De tota hac materia scientiae humanae Christi, cf. Backes. *Die Christologie des hl.Thomas...* 255-260; E.M.Bosco, O.Carm., *La scieusa umana del Cristo in San Tommaso e San Bonaventura; divergence e concordance* (Napoli 1054) ; P.Mascarucci, O.P., *11 progresso di Cristo nclla scienca in Sant'/liberto Magno. Studio comparativo con i teologi dei suo tempo:* DivThom (Pi) 51 (1*048) 217-250.

" Cf. Galtier, n.325; Landgraf, *Dogmengeschichte...,* 2.® pars, 2,63-70.120s.

" Cf. Caietanum, *In 3* q.9 a.l; SuArez, d.24 s.2 n.6-12; Salmanticenses, d.17 dub.2s; Galtier, n.325s.

ta ut esset *substantialiter* anima *Dei.* Iam vero absonum foret talem animam non plenam illam cognitionem *suae personae* habere, qua fruuntur angeli et homines beati, Deo tantum *accidentaliter coniuncti.*

292. 2) *Ratione muneris.* Christus ex ipsa sua constitutione erat caput *angelorum* ab his *a primo conceptionis instanti* adorandum. Dedeceret autem illum esse angelis inferiorem praecise in cognoscendo Deum, quod est creaturarum ultimus finis.

3) *Ratione amoris Dei.* Deus Christi humanam naturam ita dilexit, ut ei *summum quid* in ratione *doni* contulisset, videlicet unionem personalem. Ergo non videtur quomodo illi naturae non contulisset *donum inferius,* quod est visio beatifica, quam angelis et hominibus iustis concedit[82].

Hae rationes valent a primo momento unionis hypostaticae. Ideo omnes theologi merito tenent Christum *a primo instanti suae conceptionis* scientiam beatam habuisse.

293. C. *Scientia per se infusa supernaturalium et naturalium.* 1) *Ex perfectione naturae assumptae.* Omne quod est in potentia est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Iam vero intellectus humanus est in potentia *ad omnia intelligibilia,* hoc sensu quo *secundum esse naturae* est in potentia ad sciendum omnia *naturalia,* et quidem in aliquo statu, sc. animae *separatae,* ad ea scienda in proprio genere seu *secundum proprias species,* et *secundum esse gratiae* intellectus est in potentia ad cognoscenda omnia *revelata.* Reducitur autem intellectus ad actum *per species intelligibiles,* quae sunt quaedam formae completivae ipsius. Ergo in intellectu humano Christi datur scientia per se infusa supernaturalium et naturalium, in quantum per Verbum animae Christi sibi personaliter unitae impressae sunt species intelligibiles ad omnia ad quae intellectus est in potentia sive secundum esse naturae sive secundum esse gratiae[a3].

Iam vero *scientia beata,* cum sit *supra* potentiam naturalem animae humanae, non actuat seu non perficit illius *naturalem* potentiam ; ideo animae separatae praeter visionem habent scientiam infusam, ne earum *naturalis petentia* frustra sit. Inde apparet quomodo scientia infusa neque excludatur neque inutilis reddatur a scientia beata[34].

” Cf. GaltiEr, n.328; SuArez, d.25 s.1 n.4s; Salmanticenses, d.17 drh.4 n.43.

33 Cf. S.Th., 3 q.9 a.3 c; Caietanus, SuArez, in h.l.; Salmanticenses, d.17 dub.4 n.50.

M Cf. GaltiEr, n.333.

294. 2) *Ex Christi capitis dignitate.* Indecens apparet Christum, a momento unionis hypostaticae angelorum caput, inferiorem esse eis in cognoscendis rebus; dum angeli eas vident in Deo *et simul per species rerum proprias,* Christus res *solum in Deo cognosceret.*

3) *Ex merito Christi a primo suo ingressu in mundum.* Haec iam exposuimus supra n.281, ubi de argumento ex sacra Scriptura circa Hebr 10,5-9.

295. D. *Vera scientia propriis actibus acquisita.* 1) Ratio fundamentalis est quam indicat S.Thomas, sc. *perfectio naturae humanae a Christo assumptae.* Non enim apparet quomodo *perfectissimus* ille intellectus humanus Christi *inoperans* remanere potuisset, praecise operatione *maxime connaturali* huic intellectui, qualis est species e rebus abstrahere ac discursus efformare30.

2) *Ex similitudine* quam Christus nobiscum habere dignatus est, iure argumentamur eum sua facultate intellectuali usum fuisse *sicuti nos.* Hic enim usus nec impossibilis est, quamvis per scientiam beatam ac per se infusam res iam cognoverit, nec fini redemptionis ullo modo contrarius ostenditur; immo vero, uti ex argumento ex sacra Scriptura, supra n.282-286, vidimus, positive a doctrina revelata postulari videtur Christum *plene sicuti nos* intellectu suo res cognovisse.

296< Obiectiones. 1. E visione Dei necessario sequitur *gaudium beatificum,* omnem dolorem ac tristitiam excludens. Atqui Christus pro nobis doluit et tristitiis est. Ergo non habuit visionem Dei seu scientiam beatam.

Dist. niai. E visione Dei necessario sequitur gaudium beatificum omnem dolorem ac tristitiam excludens in his qui sunt iam *simpliciter comprehensores, conc. mai.;* in eo qui erat *simul* viator et comprehensor, *nego mai. Conc. min. Contradist. cons.*

Explicationem huius difficilis problematis proponemus th.15 scholio *4* n.365-368. Ibi enim agemus de defectibus pertinentibus ad animam Christi.

297« 2. Perfectius est omnem acquisibilem cognitionem ab initio infusam habere quam eam decursu temporis progressive acquirere. Ergo Christus scientiam acquisitam habuit per accidens infusam, non vero propriis actibus acquisitam.

Dist. antec. Si attendatur sola ratio *cognitionis, conc. antec.;* si attendatur praetera ratio *modi* cognitionem obtinendi, *nego antec. Dist. pariter cons.*

298j Perfectius quidem videtur omnem cognitionem ab initio iam possidere, si ad *cognitionem* seu ad *'notitiam* rerum tantum attendamus. Ita perfectior iudicatur qui adhuc iuvenis talem rerum

w Cf. 3 q.9 a.4 c.

cognitionem habet, qualem alii non nisi diuturno labore consequuntur. Sed in Christo haec ratio nihil urget relate ad scientiam per se acquisibilem, cum omnia ab eo perfectissime cognita iam sint scientia beata atque scientia per se infusa.

E contra, urget pro Christo necessitas admittendi veram scientiam propriis actibus acquisitam, si attendatur *modus* scientiae acquisitae. Haec enim scientia non solum potest propriis actibus acquiri, quod de scientia per se infusa non valet, sed etiam *exigit* propriis intellectus actibus acquiri, ne haec facultas naturalis hominis privata maneat sua operatione *maxime connaturali,* ut ad argumentum, supra n.295, indicavimus.

299. 3. Plures Patres progressum Christi in scientia aperte negant. Ergo Christus veram scientiam propriis actibus acquisitam non habuit.

Dist. antec. Plures Patres progressum Christi in scientia aperte negant, ita tamen ut *alii Patres* hunc progressum affirment, *conc. antec.;* ita ut sit Patrum *consensus* hunc progressum reiciens, *nego antec. Contradist. cons.* Res magis constabit, cum de ignorantia Christi apud Patres, infra tli.15 schol.2 n.357 agamus

300. Scholion 1. *De extensione scientiae humanae in Christo. Scientia beata* fuit certo clarior quam ullius creaturae, ut rationes factae pro exsistentia huius scientiae manifestant. *Comprehensiva* autem esse non potuit, cum intellectus Christi humanus *finitus* sit. Quamvis non omnia videat quae sunt *Deo possibilia,* hoc enim esset divinam virtutem comprehendere, omnia utique videt quae *ulli creaturae possibilia sunt.* Videt praeterea "in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia, quae Deus scit scientia visionis" (D 2184) Controvertitur an haec visio sit *actualis* an *mere habitualis.* Actualem iure tenet S.Thomas cum theologorum communiori sententia. Habitualem vero potius docent S.Bonaventura, Scotus aliique ".

301. *Scientia per se infusa,* a) Quoad *supernaturalia.* Christus cognovit "omnia illa, quae per rcvftitionem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodeumque donum Spiritus Sancti : omnia... ista abundantius et plenius caeteris cognovit anima Christi" ". Concrete : res *creatas* superuaturales, ut gratiam, Christus hac scientia cognovit quidditative in essentia aut modo suo per proprias earum species et in proprio genere ". Rem vero *increatam,* h.e. Deum, non cognovit *quidditative,* sed utique quoad *unitatem* eius et omnia attributa essentialia cognovit evidenter tum ut auctorem naturae tum ut aucto-

M Sufficiat interim retulisse Petavium, 1.11 c.2; Strntrur, th.73,1140-1152. De S.Cyrillo tamen, cf. J-Uerreton, S.I., *Histoire da dyme de la Trinité...* (Paris 1927) 1,573-576, ubi apparet S.Cyrillum verum progressum scientiae Christi humanae docuisse. Similiter de S.Ambrosio, cf. Drzeckik, *tiuctrina S'..Avnb-osii de Christo...* 32s.

Λ Cf. S.Th., 3 q.10; SalmanticensES, d.18.

M S.IIonav., *In 3* d.14 a.3 cum Scholio Editorum. Scotus, *In 3* d.14 q.2 n.20. Cf. SalmanticensES, d.18 dub.2 n.32s; Galtier, n.330; Mascarvcci, *L'onnis cientia del Cristo...:* Sap 3 (1950) 251-265.420-440; Axiam, *Der Christus des Claubens* 290s.

" S.Th., 3 q.ll a.l c.

" Cf. Suarez, d.27 s.3; SalmanticensES, d.19 dub.3. Quoad cognitiones» *quidditativutn* dissentiunt aliqui pauci theologi. Cf. SalmanticensES, ibid., n.39-43.

rem gratiae, et hoc per effectus Dei naturales vel per effectus supernaturales respective. *Trinitatem* ipsam etiam evidenter cognovit quoad *an est,* ut fere communiter theologi tenent".

Cagitationes cordium et futura contingentia Christus scientia per se infusa cognovisse dicendus est cum longe communiori theologorum sententia. Id enim pertinere videtur ad perfectionem huius scientiae, cum secus non omnis potentialitas animae Christi reduceretur ad actum".

302. b) Quoad simpliciter *naturalia.* Cum fere omnibus qui scientiam per se infusam admittunt, dicendum est Christi animam novisse tum quaccumque ab homine per virtutem naturalem intellectus cognosci possunt tum omnes res naturales quas angeli per species infusas cognoscunt. Per hanc tamen scientiam Christus non *simul actu* omnia obiecta sed solum *successive et habitualiter* cognovisse videtur".

303. Pera *scientia propriis actibus acquisita.* Patet hanc scientiam non incepisse nisi quando Christi intellectus naturaliter agere iam poterat eamque successive seu temporis tractu suam perfectionem obtinuisse S.Thomas quidem cum theologorum praevalenti opinione tenet Christum per hanc scientiam scivisse "omnia illa, quae possunt sciri per actionem intellectus agentis"".

Verum est Christi intellectum humanum fuisse potentissimum supra omnem hominis intellectum. At cum plura sciri non possint *solo discursu,* sed multiplex *experientia* accedere debeat, ut v.c. in scientiis physicis, non videtur posse concedi Christum sua scientia acquisita *omnia* de facto novisse quae *ab homine possunt cognosci.* Voluit ipse etiam in hoc nobis assimilari ".

304. Scholion 2. *De usu scientiae per se infusae.* Duae quaestiones solent circa hoc punctum a theologis agitari. Alia est utrum Christus in exercitio scientiae infusae usus fuerit *conversione ad phantasmata;* alia vero quaestio est utrum in eiusdem scientiae exercitio usus fuerit *discursu.*

1) *De conversione ad phantasmata.* Intelligimus conversionem ad phantasmata concomitantiam illam actus potentiae *imaginative* cum actu potentiae *intellectivae". Acquisitio* scientiae infusae Christi fuit a tali conversione independens. *In exercitio* huius scientiae Christus *non indigebat* conversione ad phantasmata, quin immo, *de**·

41 Cf. Sv.Irez, d.27 s.5; SalmanticensES, d.19 dub.4.
·' Cf. ShXrez, d.27 s.2: Salmanticenses, d.19 dub.2.
4J Cf. S.Th., 3 q.11 n.1 c; SvArez, d.27 s.1: SalmanticensES, <1.19 dub.1.
44 Cf. S.Th., 3 q.12 a 2: Salmanticenses, d.22 dub.2 n.19sqs.
·' Ibid., ad corpus. Cf. SalmanticensES, ibid., n.1t-18: PTC 14,1658.
*· Ita quoque Galtier, n.338: P.Vtcvé, *Curiones précisions concernant l'ob)ct de la science acquise du Christ:* Rech Scitcl 10 (19201 1-27. Cf. quoque F..Cl.Fillion, *Le développement intellectuel et moral de Jésus:* RevClerFr 78 (1914) maxime 167-188; A.Puranp, S.I., *La science du Christ:* NouvRevTh 71 (1949) 497-503. Hanc scientiae *acquisitae* limitationem ittre videntur postulare recentiores aliqui auctores qui caeterum a recto tramite in aliis doctrinae capitibus diversimode recedunt. Cf. J.RiviErE, *Le problème de la science humaine du Christ. Positions classiques et nouvelles tendances:* BullLittEccI 7 (1915-1916) 241-261.289-314.337-364.
4Î Cf. S.Th., 1 q.84 a.7; SalmanticensES, d.20 dub.1 n.1; UrrArurv, *Institutiones Philosophicae... Psychologiac pars secunda* (Vallisoleti 1898) 74-76. Concomitantiam *imaginis* cum intellectione etiam moderna psychologia experimentalis plene agnoscit: cf. T.Prores. S.T.. *Tratado de ps-coloqto empirica y experimental* (vcrsiôn espanola por J.A.Menchaca. S.T. Madrid 1944) 1s,480s.

facto Christi scientia per se infusa etiam ab hac conversione *independents* fuit aliquando saltem, quod rationes pro *existentia* huius scientiae probant. Ad quaestionem utrum *potuisset* Christus in usu huius scientiae se convertere ad phantasmata, ubi de cognitione obiectorum *materialium* agitur, generalius respondent theologi *affirmative* cum S.Thoma [8].

2) *De discursu.* Intelligimus discursum eam mentis operationem, qua ab uno prius, saltem natura, cognito proceditur ad cognitionem alterius posterius cogniti dependenter a primo Ex definitione constat hanc Christi scientiam infusam *comparatam* fuisse *sine discursu.* Christum *in exercitio* huius scientiae *non indiguisse* discursu, communiter sentiunt theologi contra Durandum. Acriter tamen disputatur utrum Christus in exercitio scientiae infusae *potuisset* uti discursu '°.

Thesis 14. Humanitas Christi physice concurrit ad Christi miraculorum aliorumque supernaturalium effectuum patrationem, idque tanquam instrumentum coniunctum Verbi illi humanitati substantialiter uniti.

S.Tn., 3 q.13 a.2.4; SuXrez, d.31; Salmanticenses, <1.23; Tii.TschipkE, O.P., *Die RIeiischheit Christi ais Ucilsorgan der Gottlicit unter besonderer Beriicksichtigitng der Lehre des heiligen Thomas von Aquin* (Frciburger Theologische Studien, A1lgeiEr-Krebs, 55, 1940).

305. Nexus. Consideratis iani duabus *perfectionibus* a Filio Dei *coassumptis,* sc. gratia et scientia, agit nunc S.Thomas de ultima perfectione coassumpta, sc. *potentia.* Non quia *omnipotentia* divina sit animae Christi communicata[1], sed quia *potestatem* habuit dupliciter. Uno modo *ut causa principalis,* et ad gubernandum proprium corpus et ad disponendos actus suos et ad illuminandum per gratiae et scientiae plenitudinem omnes creaturas rationales. Alio modo habuit anima Christi potentiam *ut causa instrumentalis* non quidem ad creandum vel annihilandum, sed utique ad omnes immutationes miraculosas ac supernaturales faciendas quae ordinari possunt ad finem Incarnationis[2]. De hac *potentia* animae Christi tanquam *causae instrumentalis* disputamus in hac thesi.

306. Notiones. Humanitas Christi. Quamvis S.Thomas in hac quaestione sermonem faciat directe de sola *anima* Christi, id provenit ex eo quod duo coassumpta priora, gratia et scientia, proprie ad animam pertineant, ct ipsa *potentia* ad animam eiusque facultatem volitivam maxime spectet[3]. Nihi-

48 3 q.11 a.2. Cf. SüÂREz, d.28 s.1; Salmanticenses, <1.20 dub.1.

49 Cf. SalmanttcensES, d.20 dub.2 n.15; Urkâburu, *Institutiones Philosophicae... Logica* (Vailisoleti 1890) 312-317. Plura, *ibid.,* 811-852.

00 Cf. SuArez, d.28 s.2; Salmanticenses, d.20 dub.2.

1 Cf. 3 q.13 a.1-3; Salmanticenses, d.23 dub.1; Galtier. n.411.

2 Cf. 3 q.13 a.2 c; Ioan. a S.Thoma, *Isagoge...* in h.l.

8 Quomodo potentia praecipue sed non exclusive ad *animam* spectet, cf. apud SchEEben, *Handbuch...* 1.5 § 253 n.1 115-1117.

lominus generalius dicimus "humanitatem", sicut etiam alias S.Thomas[*] ut tum animam tum corpus Christi comprehendamus.

307. Christi miracula. *Omnia* opera miraculosa a Christo effecta includuntur[5*] Praescindimus *tantum* a creatione et annihilatione quae a S.Thoma *soli* Deo tribuuntur[6]. Caeterum haec quaestio pendet ab alia quae agitari solet in tractatu de Deo creante, utrum creatura *possit* a Deo adhiberi tanquam instrumentum ad creandum.

Aliique supernaturales effectus. Intelligimus supernaturales effectus non actiones supernaturales *ipsius Christi,* ut videre Deum, sed omnes effectus supernaturales *in aliis* a Christo productos, maxime gratiam sanctificantem[7].

Non comprehenduntur *solum* effectus supernaturales patrati a Christo durante sua vita terrestri. Sed *insuper,* omnes effectus supernaturales quos *post* Christi ascensionem homines recipimus[8].

308. Concurrit. Extra omnem controversiam est *aliquis* concursus humanitatis Christi ad miraculorum aliorumque effectuum supernaturalium patrationem. Constat enim evidenter Christum voce, tactu, imperio humano miracula effecisse, voluntate sua humana remisisse peccata ac instituisse sacramenta. Patet igitur illi humanitati communicatam fuisse virtutem supernaturalem ad hos effectus faciendos[9.10]

Habuit ergo Christus *ut homo* potestatem multo perfectiorem potestate caeterorum quos thaumaturgos iure nominamus[10].

309. Physice concurrit. Cooperatio seu concursus hu-

* Cf. v.c. 3 q.8 a.1 ad 1; q.43 a.2 c; q.48 a.6 c. Aliquando S.Thomas dicit Christi "carnom" fuisse divinitatis instrumentum: v.c. 3 q.49 a.1 c, et ad 1 et ad 2.

[5] Non desunt quidam theologi, qui physicam instrumentalitatem admittentes, distinctionem insinuent inter miracula a Christo magis immediate seu *contactu* peracta et miracula quae *a longe* patraverit. Ita v.c. A.Vega, O.F.M.. *Tridentini decreti de iustificatione. expositio ct defensio...* 1.7 c.14 ad fin.; Ceuppens, 126s. Cf. Vazquez, d.57 c.5 n.28-35; ubi tamen immerito refertur Caietanus.

[6] 3 q.13 a.2 c.

7 Cf. Salmanticenses, d.23 dub.2 n.9.

8 Pauci theologi concursum physicum humanitatis Christi restringunt fere ad tempus vitae terrestris Salvatoris. Ita Vega, *Tridentini decreti de iustificatione...* 1.7 c.14: "verissimile est nunc solum uti [Deuml sua humanitate ad] justificationem eorum qui justificantur per sacramentum eucharistiae, et per se immediate nullos alios regulariter iustififcare". Cf. E.Hugon. O.P., *La causalité instrumentale dans l'ordre surnaturel* (Paris 1924) 100-117. Per excessum erravit B.Medina, O.P., qui "tolerabile" ccnsuit in effectus supernaturales etiam *Veteris Testamenti* Christum physice influxisse: *In 3* q.13 a.2 (Vcnetiis 1590) p.194. Cf. de hac re, Salmanticenses, d.23 dub.4 n.39s.

[9] Cf. Suarez, d.31 s.2; Salmanticenses, d.23 dub.2 n.10.14s; Gaitier, n.412s; DTC 8,1314s.

10 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica...* 3.121ss.

manitatis Christi duplex esse potest, moralis et physicus".

Concurreret humanitas Christi *moraliter,* si actione quadam huius humanitatis, v.c. oratione, tactu, imperio induceretur seu moveretur Deus, ita ut *solus Deus* miraculum immediate efficeret in ordine physico. Principium enim moraliter influens non attingit suum effectum nisi *mediante* influxu causae physicae quam movet.

Concurreret autem *physice,* si *aliquid* poneret immediate *in patratione ipsa* miraculi, ita ut miraculum etiam ab humanitate in suo esse penderet *immediate* in ordine physico '2.

In hypothesi concursus *moralis,* miraculum in sua physica realitate est immediate *a solo Deo.* In hypothesi concursus *physici,* miraculum est immediate *et a Deo et ab humanitate Christi.*

Nos in thesi concursum hunc *physicum* propugnamus. Ulteriora circa *modum* huius concursus dabimus infra, in scholio n.325-328.

310. Instrumentum Verbi. Causa physica duplex est, principalis et instrumentalis. *Principalis* in effectum influit virtute, quae effectui proportionata est, sicut pictor relate ad picturam. *Instrumentons* vero ad effectum virtute quidem propria concurrit, attamen improportionata et causae principali subordinata sicut peniciilus quoad picturam [13]

Verbis S.Thomae : *principalis* causa operatur per virtutem suae formae, cui assimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; *instrumentons* autem causa non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quae est in mente artificis Instrumentum quidem aliquid agit secundum illud quod est *sibi proprium,* sed praeterea agit secundum quod est *motum a principali agente* ".

u Recte notatum est vocem "physicum" in hac nostra quaestione malae intellectioni ansam praebere posse. Cf. H.Bouessé, O.P., *La causalité efficiente instrumentale de l'humanité du Christ ci des sacrements chrétiens:* RevThom 39 (1034) 383. Cf. quoque GarrïGOU-Lagrange, 288 nota 2.

12 Cf. Salmanticenses, d.23 dub.3 n.15.

° Cf. DonAT, *Ontologie** n.406; SiMrez, *Disp. Metaph.* d.17 s.2 n.16.19.

'· 3 q.62 a.1 c.

13 Cf. 1 <|.45 a.5 c; *De ver.* q.27 a.4 c. Plura, cf. J.StufflEr, S.I., *Bernetkunycn sur Lelue des h!.Thomas Uber dic virtus instrumentalis:* ZkathTh 42 (1918) 719-762; Id., *Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante* iw *omni operatione voturae creatae praesertim liberi arbitrii* (Innsbruck 1923) 122-136 (bibliographiam circa Stuffier, cf. apud Lange, *De gratia* n.577); F.Mitzka, SJ., *Das Wirken der Mcnschheit Christi su unscretn Heil nach dem hl.Thomas von Aquin:* ZkathTh 60 (1947) 189-208. Aliter, Hugon, *La causalité instrumentale...* 8-33; Tschipke, *Die Menschheit Christi...* 139-143. Cf. quoque D.van Meegeren, O.E.S.A., *De causalitatc instrumentait humanitatis Christi iuxta divi Thomae doctrinam...* (Venlo 1939). Sententiarum expositionem circa naturam instrumenti, cf. apud ÛrrAburu, *Institutiones... Ontologia* 1119-1130. Breviter, Donat, *Ontologia* n.406. De Suârez, cf. F.BasabE, S.I., *Exposicion suareciana de la ca-usa instrumental:* Tens 16 (1960) 189-223.

Humanitatem Christi non esse causam *principalem physicam* miraculorum aliorumque supernaturalium effectuum, iure nunc *supponimus* cum theologorum communi sententia [16].

311. Instrumentum conjunctum Verbi illi humanitati substantialiter uniti. Humanitas itaque Christi vocari solet *instrumentum Verbi coniunctum,* quia principali agenti per unionem eamque arctissimam, nempe hypostaticam, coniungitur. E contra, "alii sancti, qui moventur a Deo" sunt "instrumenta non unita, sed separata" [17].

312. Adversarii. Solam causalitatem instrumentalem *moralem* defendunt *plures theologi,* ut Alexander Halensis, S.Bonaventura, qui de *gratiae productione* expresse agunt [18]. Mastrius, qui *Scotistas moraliter consentientes* pro hac sententia allegat [19]. Vázquez, Cano, qui, causalitatem *physicam sacramentorum* negans, id etiam de Christi humanitate negare videtur, sicuti generatim *auctores negantes physicam causalitatem sacramentorum* [20]. Inter recentiores vero, Pesch, Billot, Galtier, aliique [21].

313. Valor theologicus. Causalitas instrumentalis physica est sententia, ut videtur, *longe probabilior,* quam tuemur cum S.Thoma ac *omnibus theologis O. P.* praeter Cano, cum Vega, Suarez, Valencia, Tanner, Salmanticensibus, Scheeben aliisque [22].

[16] Cf. Salmanticenses. d.23 dub.3. Ili auctores cum satis communi theologorum sententia tenent Christi humanitatem fuisse causam *principalem moralem* miraculorum et effectuum supernaturalium.

[17] S.Th., 3 q.7 ar.7. Cf. quoque Suarez, *Disp. Metaph.* d.17 s.2 n.22; Petavius, 1.7 c.13 n.3s.

[18] Halensis, 3 q.12 m.2. S.Bonavent., *In 3* d.13 a.2 q.3. De doctrina Sti.Bonaventurae, cf. L. Murra, S.D.B., *Cristo, su gracia, su influjo capital* (Santiago 1949) 153-166).

[19] *In 3* d.2 q.3. Apud aliquos scotistas tamen diversus status quaestionis habetur, ut apud Minges, 1, n.540.

[20] Vazquez. *In 3* d.57 c.5s; Cano, *Relectio de Sacramentis* p.4,5.6. Concl.

[21] Pesch, 4 n.348-352; Billot, th.22, initio. Quamvis Billot instrumentalitatem *intentionalem* proponat, iure eam ad moralem causalitatem revocamus: cf. Suarez, d.31 s.5 n.6. Caeterum virtutem "intentionalem" propositam a Billot valde diversam esse a virtute quam S.Thomas *intentionalem* vocat, ostendit Hugon, *La causalité instrumentale...* 22-25. Galtier. n.414-426. Cf. DTC 8,1318 Neque tamen hi Auctores semper eundem statum quaestionis ac nos habere videntur.

[22] S.Th., 3 q.13 a.2. Plura quidem afferuntur, ut monstretur S.Thomas adversarius huius physicae causalitatis. Cf. v.c. Galtier, n.427-434; Mitzka, *Das Wirken...*: ZkathTh 69 (1947) 189-208. Sed iam Salmanticenses, d.23 dub. 4 n.21-26 rectam mentem S.Doctoris exposuisse videntur. De evolutione huius doctrinae apud S.Thomam, cf. Tschipke, *Die Menschheit Christi...* 118-145. De integra mente S.Thomae, cf. *ibid.,* 146-194. Brevius ac exactius pro nostro statu quaestionis, Backes, *Die Christologie des hl.Thomas... 270-287 et* apud ThKev 40 (1941) 111-113. Vega, *Tridentini Decreti...* 1.7 c.10-18, inclinat tamen Vega ad hoc ut Christus non iustificet per suam humanitatem nisi eos qui Eucharistiam recipiunt: *l.c.,* c. 11 ad finem et c.18 ad finem. Suarez, d.31 s.3. Valencia, d 1 q.13 punct.2. Tanner, d. 1 q. 5 dub.7 n.180-188. Salmanticenses. d.23 dub.4; plures auctores pro hac sententia referuntur *ibid.,* n.20. Scheeben

314. Probatur ex sacra Scriptura. A. Ex locis ubi apparet *imperium voluntatis humanae* Christi, *a)* Quoad *miracula.* 1) Circa *personas.* Mt 8,2s: *Et ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens:* Volo. Mundare. *Et confestim mundata est lepra eius.* Lc 7,14: *Et accessit et tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt). Et ait: Adolescens,* tibi dico, surge. *Et resedit qui erat mortuus et coepit loqui.* Io 11,43s: *Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare,* veni *foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.*

2) Circa *naturam inanimatam.* Mc 4,39: *Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari:* Tace, obmutesce, *Et cessavit ventus: et facta est tranquillitas magna.* Mt 21,19: *Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.*

315. b) Quoad *alios effectus supernaturales.* 1) Circa *remissionem peccatorum.* Lc 5,20.23-25: *Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo,* remittuntur tibi peccata tua... *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico)* tibi dico, surge, tolle *lectum tuum et* vade *in domum tuam. Et confestim consurgens coram illi., tulit lectum, in quo iacebat: et abiit in domum suam, magnificans Deum.* Lc 7,48: *Dixit autem ad illam:* Remittuntur *tibi peccata.*

2) Circa *sacramentorum institutionem.* Lc 22,19: *Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Io 20,23: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

316. Christum haec omnia operasse etiam voluntate sua *humana* theologi omnes admittunt, atque est necessarium consequens ex indole unionis hypostaticae, quae utramque naturam integram reliquit, et ex munere Verbi incarnati, haec omnia ad finem incarnationis ordinantis. De *sacramentorum* institutione specialis probatio habetur in tractatu de sacramentis in genere.

Similes sunt hae expressiones ex evangeliis allatae illis formulis Veteris Testamenti: Gen 1,3: *Dixitque Deus:* Fiat

quidem aliud *nomen* adhibet, sed quoad rem aperte physicam causalitatem propugnat: *Handbuch...* 1.5 § 253.

lux. Et facta est lux. 2 Reg 12,13: *Dominus quoque* transtulit *peccatum tuum.* Iam vero has locutiones V.T. ita iure interpretamur, ut dicamus Deum sua voluntate *immediate* effecisse illum effectum sive naturalem sive supernaturalem.

Sensu itaque obvio locutiones evangeliorum praedicant Christum voluntate sua *humana,* miracula illa seu effectus illos supernaturales *immediate effecisse,* ita ut tales effectus a voluntate Christi humana revera *pendeant immediate in suo esse,* sicuti illi effectus ex Veteri Testamento commemorati pendebant a divina voluntate.

317. B. Ex locis ubi apparet *contactus physicus* humanitatis Christi in miraculorum effectione. 1) Casus *particular res.* Mt 8,14s: *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem et febricitantem: et* tetigit *manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis.* Mt 9,29s: *Tunc* tetigit *oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Mc 8,23.25: *Et* apprehensa manu *caeci,* eduxit *eum extra vicum: et* exspuens *in oculos eius* impositis manibus suis, *interrogavit eum si quid videret... Deinde iterum* imposuit manus *super oculos eius... et restitutus est ita ut clare videret omnia.* Io 9,6: *Haec cum dixisset, exspuit in terram et fecit lutum ex sputo et* linivit *lutum super oculos eius.* Mc 7,33-35: *Et* apprehendens *eum de turba seorsum,* misit digitos suos *in auriculas eius: et exspuens,* tetigit *linguam eius: et suspiciens in caelum, ingemuit et ait illi: Ephpheba... Et statim apertae sunt aures eius et solutum est vinculum linguae eius.*

318. 2) Casus *generaliores.* Mc 3,10: *Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum* tangerent *quotquot habebant plagas.* Lc 6,19: *Et omnis turba quaerebat eum* TANGERE: *quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.*

Plures ergo sunt casus in. quibus *physicus Christi contactus* nullam rationem deprecationis aut benedictionis habebat 23. Dicendum est itaque Christum aegrotos tetigisse, quia hic contactus *aliquid conferebat immediate* ad infirmorum sanationem; secus ad miram quandam *praestabililam harmoniam* recurrendum esset. Id maxime clare apparet in casibus in quibus non simplex contactus, sed *multiplex ac omnino singularis* contactus locum habebat, sicuti nuper commemoravimus ex Mc 8,23.25; Io 9,6; Mc 7,33-35. Hae actiones vix explicari

23 Ideo noluimus casus afferre in quibus de sola *manuum impositione* sermo est. quamvis et hi cffsus suam habeant vim.

possent, si nihil ad miraculum ipsum *immediate efficiendum* contulissent.

Admisso quoque hoc *physico* concursu humanitatis Christi, pleno sensu donantur verba evangeliorum *de virtute a Christo exeunte:* Lc 6,19; 8,46 [24].

319. Probatur ex traditione. 1) *Ipsi carni* Christi *potestas miraculorum* tribuitur. S.Cyrillus Alexandrinus: "Imponit etiam infirmo cuique manum, demonstrans potentis Verbi efficaciam a sancta carne geri, quam suam fecerat, Deo congruam (θεοπρεπῆ) virtutem illi inserens: ut discamus quod etiamsi nostram subiit conditionem unigenitum Dei Verbum, nihilo tamen minus sic quoque Deus est, cuncta facile efficiens etiam per carnem propriam: nam revera per ipsam miracula operabatur. Neque id magnopere mireris; cogita potius, quod et in aeneo vase positus ignis, proprii caloris communicat illi vim" [25].

2) *Ipsi corpori* Christi *potestas vivificandi* tribuitur. S.Gregorius Nyssenus: "Quid hoc ergo est? Nihil aliud quam illud corpus, quod et morte ostensum fuit esse potentius et nostrae vitae fuit initium... Necesse est ergo, eo modo quo natura potest, spiritus vivificam suscipere virtutem. Cum autem solum illud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit..." [26]. S.Cyrillus Alex.: "Communem vero quodammodo hanc rem faciens cum administratione in carne propter unitatem, etiam ut homo inspiravit corporaliter. Inspiravit enim apostolis, dicens: *Accipite Spiritum sanctum"* [27].

Haec aliaque dicta SS.Patrum propria vi destitui videntur, si de mera causalitate *morali* humanitatis Christi interpretentur.

320. Ratio theologica. 1) *Ex cooperatione humanitatis Christi in dolorosa redemptione* peragenda. Supposita *immediata ac physica cooperatione,* quam Christi humanitas *in*

[24] Cf. Ceuppens, *Theologia biblica...* 3,125ss. Distinctio a cl. Ceuppens adhibita inter miracula quae *tactu* a Christo fiunt et quae *procul* fiunt noti videtur tenenda, ut supra nota 5 et infra obi.2 n.323 indicatur. Plura de argumento ex sircra Scriptura, cf. apud Tschipke, *Dic Menschheit Christi...* 6-20.

[25] *In Luc. comment.* 4,38; MG 72,550 D). Cf. Weigl, *Dic Heilslchrc des hl.Cyrill...* 64s; Manoir du Juaye, *Dogme ct spiritualité...* 180s; Tschipke, *Die Menschheit Christi...* 41-53; GRILLMEIER, *Die tcologischc... Porbereitung... von Chalkcdon* 1,173s.

[26] *Orat. catech.* 37: MG 45,94 B-C.

[27] *De incarn. Unigeniti:* MG 75,1242 A. Plura de *natura* physicae illius potvntiae, quam S.Cyrillus Christi humanitati attribuit, cf. apud Weigl, *Die Heilslchrc des hl.Cyrill...* 66-73; B.Fraigneau-Julien, p.s.s., *L'efficacité de l'humanité du Christ selon saint Cyrille d'Alexandrie:* RevThom 55 (1955) 615-628. Plures locos ex Patribus praesertim graecis colligit Tschipke, *Die Menschheit Christi...* 20-86. De S.lrenaco, cf. E.E.Fabbri, S.I., *El Cuerpo de Cristo, instrumento de salud segün S.lrcnco:* CiencFe 13 (1.957) 273-292.4 15-465.

redemptione peragenda habuit, de qua in sequenti libro de Christo Redemptore agemus (cf. maxime th.29 schol.2 n.744), quae quidem cooperatio huic humanitati *maximi doloris* fons effecta est, congruum omnino videtur, ut eadem haec humanitas etiam in *gloriosis illis signis,* quae Christus ad gloriam suam manifestandam patraverit, ac *in redemptionis applicatione* quoad singula individua, *immediate et physice* quoque cum divinitate cooperetur[28].

2) *Ex analogia cum hominis elevatione ad supernaturaliter operandum,* intellectus et voluntas hominis a Deo elevantur ad efficiendos actus totam virtutem naturae superantes, alias quidem per inhaerentem habitum, alias sine illo, ut in tractatu de gratia monstratur [29].

Hinc imprimis sequitur Deum de facto elevare aliquando creatam naturam ad opera exsequenda quae illam naturam superant. Maxime vero ad rem nostram aliud hinc sequitur. Deus enim *potuisset* operibus nostris *naturaliter* bonis visionem beatificam ex pura benevolentia *tanquam donum* concedere. Voluit tamen ut iam ipsa opera bona iusti *a principio physice elevato immediate* procedant et sic *proportionem cum praemio* habeant. *Analogice* ergo dicendum videtur Deum determinasse, ut Christi humanitas *physice et immediate* ad supernaturales effectus a Redemptore causandos concurreret.

Huc posset etiam revocari cooperatio *physica* quam sancti in miraculis efficiendis saepe habuisse videntur[30].

321. 3) *Ex analogia elevationis rerum insensibilium ad superiores effectus producendos.* Praecipua analogia haberetur *ex physica causalitate sacramentorum,* de qua tamen non conveniunt theologi, ut in tractatu de sacramentis in genere explicabitur.

Sed theologorum longe maior pars tenet ignem inferni *materialem* in substantias separatas *spirituales* influere *physice et immediate* ad tormentum. Posset quidem *Deus ad praesentiam ignis* ipse per se immediate dolorem causare. At haec quasi praestabilita harmonia non est modus a Deo electus. Si ergo ad punitionem damnatorum elevat Deus materialem substantiam ad *physice et immediate* effectum *sibi superiorem* producendum, cur non multo rationabilius dicemus Deum *Christi humanitatem* elevasse, ut *physice et immediate* coope-

[28] Plura, cf. apud H.BOUESSE, O.P., *La causalité efficiente instrumentale et la causalité méritoire de la sainte humanité du Christ:* RevThom 44 (1938) 256-298.
[29] Cf. SUÁREZ, d.31 s.3 n.3s.
[30] Cf. HUGON. *La causalité instrumentale...* 173-183.

raretur ad effectus cum fine incarnationis tam arcte connexos?

Addi posset ipsas creaturas *materiales* non raro ad miracula efficienda *physice coopérasse,* ut graves rationes suadent 81.

322. Obiectiones. 1. Doctrina de cooperatione humanitatis; Christi ad effectus supernaturales facilius intelligitur in theoria cooperationis *tantum moralis* quam in theoria cooperationis *physicae.* Ergo theoria cooperationis *tantum moralis* praeferenda est.

Conc. antec. Nego cons. et consequentiam. Obiciens enim non auderet expresse indicare propositionem subauditam, in qua nititur tota consequentia, sc. in theologia eas esse praeferendas theorias, in quibus veritates fidei *facilius intclligantur.* Tale principium esset ruina theologiae, immo vero etiam fidei. Theologo non tam interest qua theoria veritates fidei *facilius possint intelligi,* quam qua theoria *sensus maxime obiectivus* testimoniorum sacrae Scripturae et traditionis *fidelius referatur ac congruentius cum aliis veritatibus theologicis in concordiam redigatur.* Facilitas ipsa explicationis *rationalis* est in theologia, scientia *fidei,* non rarum argumentum contra theoriam quae *facilem* hanc explicationem propugnat.

323. 2. *Physicus* concursus humanitatis Christi necessario exigit *contactum immediatum.* Atqui talis immediatus contactus neque in omnibus Christi miraculis datus est neque nunc in gratia producenda habetur. Ergo physicus concursus humanitatis Christi non admittendus est.

Trans, mai. Nego min. Difficultas haec supponit conceptum causalitatis *physicae ex* parte humanitatis Christi, qui minus rectus videtur, cum contactum causalem supponat tanquam aliquid ordinis *quantitativi.*

Ad humanitatem non tantum pertinet corpus, sed pertinet, et quidem primario, *anima.* lam vero Christi anima *voluntate* sua operari potest tanquam instrumentum Verbi, etiam in effectus supernaturales ab hac anima materialiter distantes. Thesis nostra propugnat imprimis *voluntatem* humanam Christi elevatam fuisse ad opera supernaturalia immediate causanda efficientia sua *volitiva,* in qua voluntatis efficientia partem habet reliqua Christi humanitas sub humanae voluntatis imperio **

Non itaque necessarium videtur ad alias difficiliores solutiones propositae obiectionis recurrere ".

324. 3. Concilium Tridentinum causas justificationis enumerans (D 799) huius physicae causalitatis humanitatis Christi non meminit. Ergo durum videtur *novam* aliquam iustificationis causam introducere.

1) *Retorqueo argumentum.* Concilium l.c. neque causalitatis *moralis* humanitatis Christi mentionem facit ; ergo et obiciens eandem habet obiectionem solvendam. Loquitur quidem Tridentinum de causalitate *meritoria* Christi, sed de causalitate meritoria *passionis* Christi ; adversarii nullatenus reducunt influxum humanitatis Christi ad

" Cf. *ibid.,* 184-190. De momento huius doctrinae in systemate theologico, cf. TschipkE, *Die Menschhcit Christi...* 3-5.

n Cf. BouESSé, *La causalité efficiente instrumentale ae l'humanité du Christ...;* RevThom 39 (1934) praccipur 378-393.

83 Cf. Sai.manticenses, d.23 dub.4 n.37s: GonET. d.19 a.2 n.34-37.

meritum ac multo minus possunt talem influxum moralem humanitatis ad *passionem* restringere ".

2) *Dist. antec.* Voluit Concilium hac enumeratione tradere ea quae *omnes catholici* tenere *debent* ut de fide, *conc. antec.;* voluit (Concilium ulteriores *theologorum determinationes* excludere, *nego [antec. Contradist. cons.*

luxta normam sibi a Concilio statutam, ne in theologorum opiniones sese immisceret, speciatim notatum est hoc caput septimum de justificatione nullam scholarum opinionem praeiudicarex.

4. Plures afferuntur locutiones Patrum, quae influxum *physicum* humanitatis excludere videntur ". Ergo argumentum ex traditione saltem valde infirmatur.

1) *Dist. antec.* Hae locutiones sanctorum Patrum, ut e contextu apparet, volunt contra varios haereticos divinitatem Christi aut realitatem naturae humanae aut duplicitatem operationis in Christo extollere, *conc. antec.;* volunt excludere physicam cooperationem naturae humanae, sensu a nobis in notionibus explicato, in operibus quae a Verbo per naturam divinam *principaliter* efficiuntur, *nego antec. Contradist. cons.*

2) Retorqueo iterum argumentum. Si hae locutiones absolute sumerentur, *nulli causalitati* humanitatis Christi in miraculis efficiendis relinqueretur locus; ergo tum physica tum moralis causalitas esset reicienda.

325. Scholion. *De modo concreto quo Christi humanitas elevata sit ad supernaturales effectus physice producendos.* Valde gravis est de hac re disputatio inter theologos illos tenentes Christi humanitatem *physice* concurrere ad effectus supernaturales tanquam Verbi *instrumentum.*

Omnes quidem supponunt nullam rem posse agere *sine virtute activa* proportionata causalitati eius. Si ergo est causa instrumentalis, habere debet *vim activam instrumentaient;* ita ut actio, eo modo quo dicitur esse ab instrumento, supponat in illo *vim agendi*3'.

326. *Praevia quaestio,* de qua iam aliqua controversia exsistit, est utrum humanitas Christi instrumentaient hanc virtutem habuerit per aliquid illi humanitati intrinsecum an forte per aliquid illi tantum extrinsecum. Pauci theologi credunt Christi humanitatem donari vi ad instrumentaliter cooperandum cum Verbo *per solam coniunctionem* et actualem subordinationem ad virtutem Dei principalis agentis, *quin* Deus produxerit in humanitate *quidquam intrinseci.* lure haec sententia communissime reicitur, quia si humanitas per talem subordinationem nihil intrinsecum recipit, non apparet quomodo efficiatur proxime potens ad attingendos instrumentaliter effectus, qui naturalem potentiam illius humanitatis superantæ.

327. *Fundamentalis* vero quaestio est an humanitas Christi ad hoc ut instrumentum physice concurrens efficiatur, indigeat aliqua virtute *de novo sibi realiter superaddita necne.* Suârez docet nullam

" Cf. v.c. Gautier, n.415.434; Pesch, n.348.

* Cf. Cb.J.HeeBl E.I'I.I,ECLERCÔ, *Histoire des Concites...* 10, 1." pars, *Les Décrets du Concile dc Trente* par A.Michel (Paris 1938) 94-97. Alias obiectiones, cf. apud SalmanticEnses, d.23 dub.4 n.31-42.

M Cf. v.c. GaltiBr, n.420-424.

37 Cf. Suârez, d.31 s.6 n.10.

" Cf. Suârez. *ibid.,* n.19-44; Bii.luart, diss.13 a.2 obi.3; Sai.manticE.vses, d.23 dub.5 n.51-54.

talem virtutem realiter superadditam requiri. Iuxta eum, virtus instrumentalis in Christi humanitate est *potentia obedientialis actwa* huius humanitatis. Eiusmodi vero potentia obedientialis activa in humanitate non est nisi ipsa entitas humanitatis per se ipsa, quae dicitur potentia obedientialis activa, quatenus per eam efficere potes: humanitas opera supernaturalia ut instrumentum Dei, ipso concurrente per auxilium vel concursum proportionatum effectui et excedentem concursum debitum *naturali* virtuti illius humanitatis. Caeterum potentia obedientialis activa *in omnibus rebus* invenitur".

Reliqui vero theologi communissime tenent Christi humanitatem elevatam fuisse per aliquid sibi *realiter et intrinsece superadditum*

328. *Ulterior* disceptatio est inter hos theologos aliquid *intrinsece superadditum* admittentes, *quidnam* hoc sit. *l'lures* tenent hoc intrinsecum superadditum esse *motionem* Dei transeuntem elevantem humanitatem Christi ad rationem instrumenti miraculorum et gratiae, *nec solum applicantem* virtutem ad actum, sed etiam conferentem hu inanitati *virtutem* activam in actu primo. *Maior vero pars theologorum* asserit hoc intrinsecum superadditum esse *qualitatem,* non quidem completam et habitualem sed *incompletam et habentem esse fluens et transiens cum effectibus".*

ARTICULUS II

De his quae pertinent ad defectum

Thesis 15. In Christo nullum peccatum fuit; immo vero, Christus, secundum se consideratus, formaliter ex sola unione hypostatica absolute impeccabilis constituitur.

S.Tu., 3 q.15; Suakez, d.33s; Salmanticsksks, <1.25; L.Atzbexcb», *Dic Unsiindlichkeit Christi* (München 1883); Gummersbach, *Unsiindlichkeit und Befcstigung in der Gnadc...* 45-90.

329. Nexus. Expositis perfectionibus assumptis in natura humana, sc. gratia, scientia, potentia, considerat nunc S.Thomas *defectus* seu imperfectiones quas Verbum asstimnsit.

Ac primum quidem de *corporis* defectibus agit (q.14), ostendens Verbum assumpsisse defectus illos qui comitantur corpus passibile. Quin immo, ex suppositione quod assumpse-

3U Cf. SuârEz, d.31 s.5 n.7-9; s.6 n.45-111. Contra hanc sententiam, cf. SalmanticEnses, d.23 dub.5 n.45-50.55-61. SuArez nequit huius doctrinae proprius "inventor" dici; cf. M.Alonso, S.I., *jEs original en Suârcs la tcoria de la potencia obcdicncial activa* (Pontificia Universitas Gregoriana 1940).

43 Cf. SaluanttcENSES, d.23 dub.5 n.43s. De doctrina ipsa, cf. E.Elorduy, S.I., *La potencia obcdicncial en Snares·.* LCicnc 9 (1944) 815-833; J.MartIn Palma, *La potencia obcdicncial activa en cl plano nictaffsico scgûn Suârcs:* ArchTG 16 (1953) 327-375; cf. J.Roig Gironella, S.I., *La "potencia obtdicncial" segun Sudrcc, cn los confines entre filosofta y tcologia:* Pens 17 (1961) 77-87.

" Cf. Bili.uart, d.13 a.2 obi.3; Salmanticenses, d.23 dub.6; DTC 8,1323. Contra utramque explicationem, cf. SuArez, d.31 s.5 n.1-5.

rit corpus passibile, etiam assumpsit *necessitatem* subiacendi eis ex parte naturae, non necessitate *contracta* ex peccato: simpliciter tamen voluntarie eos assumpsit, assumendo tale corpus.[1]

In hac thesi solos defectus *animae* (q.15) considerabimus[2,3], et quidem directe nonnisi quaestionem de *impeccantia et impeccabilitate* Christi tractamus, reliqua amandantes ad scholia.

330. Notiones. In Christo nullum peccatum fuit. Asseritur in hac prima piarte theseos Christum *de facto* nunquam peccasse; aliis verbis, Christo tribuimus *impeccantiam*. *Nullum* peccatum dicimus fuisse in Christo, sc. neque actuale, sive grave sive leve, neque habituale, sive originale sive personale. Has vero notiones ex tractatu de peccatis hic supponimus.

331. Christus secundum se consideratus. Ut in hac altera parte theseos *scholasticam* quaestionem pressius determinemus, dicimus imprimis nos considerare Christum *secundum se,* h.e., secundum illa intrinseca ex quibus substantialiter ac necessario constituitur, nempe naturam humanam, personam Verbi, ipsam unionem hypostaticam. Abstrahimus ergo in hac consideratione ab omnibus aliis donis animae Christi, praeter donum ipsum unionis hypostaticae[4].

332. Impeccabilis. Impeccabilitas est *impossibilitas* peccandi seu *indefectibilitas* in ordine morali. Huiusmodi indefectibilitatem possemus dividere in 1) naturalem, 2) personalem, 3) accidentalem.

1) Indefectibilitas *naturalis* est quae *ab ipsius voluntatis natura* provenit. Est privativa *solius Dei,* quia omnis res creata, utpote ex nihilo facta, defectibilis est.[5]

333. 2) Indefectibilitas *personalis* est quae provenit a subiecto seu *a persona, cuius* est illa voluntas. Hanc tribuimus in thesi Christo.

Quamvis igitur voluntas humana Christi non *naturali* indefectibilitate gaudeat, iure dicitur *Christus* proprie et per se loquendo non habere potentiam peccandi[6]. Voluntas, enim,

1 Cf. Ioan. a S.Thoma, *Isagoge...* in h.l.

2 Defectum *corporis* Christi ex parte *deformitatis* naturalis supra th.7 schol. 9 n.144 negavimus. De tota quaestione *circa corporis Christi defectus,* cf. Suarez, d.32; Salmanticenses, d.24; Galtier, n.436-438; Lercher, th.13.

3 Cf. Salmanticenses, d.25 dub.2 n.7.

4 Cf. S.Th., *De ver.* q.24 *a.7* c. Varias sententias, cf. apud DTC 7.1268-1270 Plura, cf. apud H. de Lubac, *Surnaturel. Etudes historiques* (Paris 1946) 187-321, ubi de *impossibilitate,* iuxta traditionem, cuiusdam spiritualis creaturae tam perfectae ut *natura sua* esset impeccabilis.

6 Cf. S.Th., *In 3* d.12 q.2 a.2 c.

pertinet ad naturam non secundum quod natura est absolute considerata, sed secundum quod est *in tali hypostasi* °. Itaque, licet Christus ratione suae humanae voluntatis haberet potentiam quae *in aliis* est potentia peccandi7, ipse proprie dicitur *non habuisse potentiam peccandi* seu non habuisse voluntatem defectibilem, ratione *participatae* indefectibilitatis naturalis: hanc enim participabat voluntas Christi ex unione *hypostatica* cum persona *naturaliter* indefectibili utpote divina.

334. 3) Indefectibilitas *accidentalis* est quae provenit ab aliquo tum voluntati tum personae *subcradd-ito.* Huiusmodi esset v.c. donum confirmationis in gratia homini libere a Deo concessum vel donum visionis beatificae. In his casibus *voluntas* manet naturaliter defectibilis, immo vero *et persona,* si ipsa *in se* consideretur. Donum illud quamvis homini intrinsecum, est homini superadditum.

Indefectibilitas naturalis et personalis vero sensu *excludunt potentiam peccandi,* dum indefectibilitas *accidentalis* stricte solam *actuationem defectibilem* potentiae excludit.

335. Ex sola unione hypostatica. Addimus haec verba, quibus nostra thesis modernis temporibus enuntiari solet 8, ad maiorem rei declarationem, quae caeterum iam sufficienter indicabatur formula: "Christus, *secundum se consideratus"*. Unio hypostatica est *ratio, unde* Christus est absolute seu totaliter impeccabilis.

Formaliter Ex sola unione hypostatica. Unionem hypostaticam esse rationem unde Christus absolute impeccabilis sit, accipi potest formaliter et materialiter. *Formaliter* significaret *conceptum* unionis hypostaticae metaphysice pugnare cum conceptu peccabilitatis in Christo. *Materialiter* autem seu *virtualiter* significaret unionem hypostaticam non quidem ex conceptu ipso sed utique *ex dono aliquo* ab ipsa unione *derivato* pugnare cum conceptu peccabilitatis in Christo.

336. Constituitur. Non quaerimus in thesi de modo concreto quo Christus *in ordine exsecutionis* reddatur impeccabilis. Haec potius ad thesim de Christi libertate sub praecepto spectant (infra th. 18). Attendimus tantum ad quaestionem utrum Christus *ex conceptu ipso* unionis hypostaticae debeat iam dici absolute impeccabilis, quidquid sit *de mediis*

« Cf. S.Tit., 3 <1.18 a.1 ad 4.

' Cf. S.Tii., *In 3* <1.12 q.2 a.2 c.

s Quo modo veteres scholastici rem proponerent, cf. apud Gummersbach, *Unsiindlichkcit...* 57.

quibus *in praxi* voluntas Christi humana impeccabilis efficiatur. Ideo malumus dicere Christum impeccabilem *constitui,* quod *essentiam* rei connotât, quam *effici,* quod magis *ad realizationem* pertinere videretur.

337. Adversarii. A. *Quidam inter antiquiores protestantes* aliquod peccatum Christo viderentur attribuisse, quatenus eum dicunt in cruce *desperationem* admisisse [9].

B. *Radicitus* ipsam nostram positionem problematis de impeccabilitate Christi negat Günther. Iuxta hunc auctorem eiusque discipulos, Christus quidem non peccavit de facto, sed utique *peccare potuit;* si enim sua libertate *abuti* non potuit, ergo neque *uti,* ideoque Christus nullum potuisset meritum habere [10] [11] Solummodo possemus dicere Christum fuisse impeccabilem *consequenter* ad meram *praevisionem* Dei de nullo peccato admisso a Christo [11].

Contra *modum* a nobis propositum concipiendi Christi impeccabilitatem, Scotus et generatim *scotistae* docent Christum ab initio accepisse *gratiam summam,* qua ab initio impeccabilis fuerit, idque vi unionis hypostaticae, etsi *tantum virtualiter, non formaliter* [12] [13]

338. Doctrina Ecclesiae. In Christo nullum fuit peccatum. *Anathentatismi* S.Cyrilli: "Aut si quis dicit et pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), A.S." (D 122). *Concilium Florentinum* in decreto pro Iacobitis: "qui sine peccato conceptus, natus et mortuus..." (D 711). Cf. D 13 148 286. Idem constat ex definita constanti subiectione voluntatis humanae ad divinam: D 291.

339. Valor theologicus. A. In Christo nullum fuisse peccatum est *de fide divina et catholica definita* (D 122 711) [13].

B. *Factum* ipsum impeccabilitatis Christi *antecedenter* ad praevisum usum eius liberi arbitrii est *doctrina saltem theologice certa* ex definita subiectione voluntatis humanae ad divinam (cf. D 291) ; quin immo, videtur dicenda *de fide*

[9] Cf. Mahieu, *L'abandon du Christ...*: MélScRel 2 (1945) 227s. De quibusdam reliquiis doctrinae desperationis Christi apud quietistars, Id., *l.c.,* 236s. Neque Nestorius neque Theodorus Mopsuert. neque Calvinus, contra id quod non raro asseritur, Christo peccatum attribuerunt: cf. Galtier, n.361 nota 2.

[10] *Vorschule... 2,266* (apud Kleutgen, *Die Théologie der Vorzeit* 3, n.253.260 vel apud Orbán, *Theologia Guenthcriana..,* 2,68s.).

[11] Cf. *ibid.,* 2,441sqs (apud Gummersbach, *UnsUndlichkcit...* 50): DTC 8,1291.

[12] Cf. Minges, 1,297. Plura, cf. apud Gummersbach, *Unsiindlichkeit...* 64-69.

[13] De *valore* quem habeant anathematismi S.Cyrilli, cf. supra th.3 nota 24. De decreto pro Iacobitis, cf. supra th.7 nota 8. Quidam scrupuli forte restarent de stricta *definitione* impeccantiae Christi, co quod non tam in *recto* ea proponeretur.

catholica ex magisterio ordinario, iam per consensum Patrum manifestato.

Sensus huius impeccabilitatis in thesi affirmatus est *sententia moraliter certa ac omnino longe communior* non solum cum S. Thoma *eiusque discipulis,* sed etiam cum ipsis S. Bonaventura, Halensi *aliisque franciscanis*[14].

340. Probatur ex sacra Scriptura. A. Iu Christo *nullum fuit peccatum.* 1) *Ipse lesus* sollemniter hoc factum testatus est. Io 8,46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* His verbis vult Dominus declarare se nullam habere relationem cum diabolo, sed a Deo missum esse. Clare ergo manifestat suam impeccantiam, sicuti in alio loco ex Io 14,30: *venit enim princeps mundi huius et in me non habet quidquam.* Princeps mundi huius est diabolus, qui in lesu nihil habet, quod aliquo modo ad se pertineat; iam vero quod proprie ad diabolum dicitur pertinere non est nisi peccatum. Ergo in lesu nihil peccati habetur [15].

341. 2) *Apostoli* hoc factum de lesu testantur. 1 Petr 2,22: *qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius*[16]. Hebr 7,26: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.* Maxime ex huius testimonii verbis generalibus *innocens* (&>&-κο), *impollutus* (ἀμίαντο)[17] iure deducitur in Christo nullam fuisse maculam moralem neque ipsam originalem [18]. Tota oppositio Sti. Pauli inter Christum iustum et Adam peccatorem aperte probat Christum nullum peccatum neque originale habuisse. Cf. Rom 5,12-21; 1 Cor 15,21s.

342. B. *Ipsam impeccabilitatem* indicat. Hebr 7,26: *Talis enim* decebat (ἰπρεπεν) *ut nobis esset pontifex, sanctus...* Absoluta Christi impeccantia apparet *postulata* a munere redemptoris [19]. Ergo non solum non peccavit Christus, sed nec *decuit,* ut peccaret.

14 Cf. Gummersbach, *Unsündlichkeit...* 61-65. Pro antiquioribus scholis theologiae scholasticae, cf. Landgraf, *Dogmengeschichte...* 2.« pars, 1,320-370. Pro franciscanis, cf. praeterea Scholion Editorum (Quaracchi) in S. Bonaventuram, *In* 3d.12 a.2 q.1. Sententia Patris Vâzquez et paucorum aliorum Christi impeccabilitatem derivans ex gratia unionis *formaliter sanctificante* humanitatem (.cf. Gummersbach, *ibid.,* 58s.62) vix videtur, quoad id quod haec sententia *affirmat,* contra nostram thesim pugnare; eam tamen non proponimus.

15 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,131ss.

16 *Cf. ibid.,* 133; Vosté - Meinertz?, *Commentarius in epistulas...* in h.l.

17 Cf. Ceuppens, *ibid.,* 133s; Bonsirven, *Saint Paul...* in h.l.; Spicq, *L'épitre aux Hébreux* in h.l.

18 Plura circa absentiam peccati originalis in Christo ex sacra Scriptura, cf apud Gummersbach, *Unsündlichkeit...* 50.

19 Cf. Bonsirven, *Saint Paul...* in h.l.; Spicq, *o.c.,* in h.l. Plura de hac connexione, cf. Gummersbach, *ibid.,* 49.

343. Probatur ex traditione. Λ. Christum *nullum habuisse peccatum* affirmant sancti Patres *expresse, a)* Quoad peccatum *originale.* 1) Exponentes Rom 8,3: *in similitudinem carnis peccati.* Tertullianus: "Non quod similitudinem carnis acceperit... sed similitudinem peccatricis carnis vult intellegi... et sic in illa [carne] peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quae in homine sine peccato non habebatur" (R 357). S.Augustinus: "... et ideo nullum peccatum originaliter trahens... tamen propter *similituainem carnis peccati,* in qua venerat, dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata" (R 1916)[20]. S.Fulgentius: "Similitudo vero carnis peccati cum in Dei Filio... dicitur, credendum est unigenitum Deum de virginis carne mortali non traxisse peccati sordem, sed accepisse naturae integram veritatem" (R 2242).

344. 2) Hanc peccati originalis immunitatem ad *virgineum* conceptum ex Maria referunt. S.Augustinus: "Sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus... adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam, unde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis virgo concepit" (R 1899). S.Leo I Magnus: "... sine contagione antiquae praevaricationis oriretur. Solus enim beatae virginis natus est filius absque delicto..." (R 2207). S,.Gregorius I Magnus: "Sed quis esset sine peccato homo, SI ex peccati commixtione descenderet? Proinde venit propter nos in uterum virginis Filius Dei" (R 2311).

345. *b)* Quoad peccata *actualia.* 1) Factum *simpliciter* enuntiant. Aphraates: "Ex omnibus qui progeniti sum corpusque induerunt, unus dumtaxat innocens est, nempe Dominus noster lesus Christus" (R 684). S.Hieronymus : "perpetuitatem autem impeccantiae soli reservari Deo et ei, qui Verbum caro factus carnis detrimenta et peccata non pertulit" (R 1406). Cf. 527 1224 2247.

2) Dicunt Verbum omnia hominis *assumpsisse praeter peccatum.* S.Hippolytus : "factus omnia quaecumque homo est, excepto peccato" (R 394). S.Athanasius: "omnia assumpsit ex virgine, quaecumque ab initio Deus ad constitutionem hominis efformavit et condidit, excepto peccato" (R 799). Cf. R 929 995 1006 1087 2365 2367.

x Cf. D'Ales, *La Théologie de Tertullicn* 182.199. De S.Augustino, cf. Van Bavel, *Recherches' sur la Christologie...* 85-93.

346. 3) Huius impeccantiae *ratio* assignatur *deitas.* Tertullianus: “Solus Deus sine peccato, et solus homo sine peccato Christus, quia et Deus Christus” (R 350).

4) Absoluta Christi impeccantia intime nectitur cum munere *redemptoris.* Origenes: “utpote potens universum totius mundi peccatum in se receptum solvere et consumere et delere, quoniam *peccatum non fecit...* neque agnovit peccatum” (R 482). S.Ioannes Chrysostomus: “Quomodo mortuus est pro peccatoribus, si ipse in peccatis fuit? Nam eum, qui moritur pro peccatoribus, oportet esse sine peccato...” (R 1198). Cf. R 684 2031 2213 2305.

347. B. Christus *peccare non potuit.* 1) *Factum simpliciter* enuntiant Patres. S.Augustinus: "... mente conspiciens Christi iustitiam, in cuius non tantum divinitate, sed nec in anima nec in came ullum *potuit* esse peccatum” (R 1721).

2) *Rationem* assignant munus *redemptoris.* S.Leo I Magnus: “Non enim superare possemus peccati et mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susciperet et suam faceret, quem *nec peccatum contaminare* nec mors *potuit* detinere” (R 2182).

348. 3) Frequentissime vero *rationem* impeccabilitatis indicant *unionem hypostaticam.* “Testantur hoc plerique omnes graeci et l'atini Patres, dum idcirco ἀναμάρτητον esse Christum hominem praedicant, quod sit Deus” [21]. Origenes: “ita et fuisse quidem in Christo humana et rationabilis anima credenda est, et nullum sensum vel *possibilitatem* eam putandum est habuisse *peccati...* Illa anima quae, quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo... et ideo nec convertibilis aut mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem *ex Verbi Dei unitate* indesinenter ignita possedit” (R 461).

S.Cyrillus Alexandrinus: “Stolidi prorsus sunt qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, *peccare potuisse* affirmant... Si vero idcirco *humanam naturam gestavit,* ut quae in Adam imbecilla erat, *in se* validissimam et *peccato superiorem* declararet, cur frustra id anxie requirunt quod invenire non possunt” (R 2141). S.Ioannes Damascenus: “Hoc Dominus non assumpsit: *Peccatum enim non fecit...* Quia autem una est Christi persona, et unus Christus, unus est qui vult per utramque naturam: ut Deus, probans, et ut homo, oboediens factus” (R 2386). Cf. R 798[22].

[21] I^tavius, 1.11 c.10 n.6.

[22] De S.Cyrillo, cf. Weigl, *Die Hcilslchre des hl.Cyrill...* 86s. De S.Augustino, cf. Mohan, *De nominibus Christi doctrinam divi Augustini...* 39-42; Van

349. Christum, secundum se consideratum, *formaliter* ex sola unione hypostatica absolute impeccabilem constitui, satis deducitur ex sanctorum Patrum testimoniis, quae *ex nudo facto* unionis hypostaticae ad plenam Christi impeccabilitatem arguunt quaeque hanc impeccabilitatem dicunt non accidentalem sed *naturalem* vel essentialem et *substantivam* 23.

350. Ratio theologica. A. Rationem dat S.Thomas cur in Christo nullum fuerit peccatum, sc. quia tota ratio assumendi nostros defectus deficit, ubi de peccato assumendo agitur; illud ergo non assumpsit24.

Speciatim vero de peccato *originali* dicendum est Christum illud non contraxisse, eo quod ab Adamo non descendat *naturali generatione,* qua sola originale peccatum propagatur 25.*

351. B. Argumenta, quae nunc proponimus, non nudum *factum* impeccabilitatis Christi demonstrant, sed *insuper explicationem* huius facti persuadent, quam in hac altera parte theseos defendimus contra scotistas.

1) *Per communicationem idiomatiim,* de qua in thesi sequenti agemus, *Verbum* diceretur *peccare,* si voluntas Christi *humana* peccaret. Iam vero, quamvis Verbum dicatur *pati* aut *mori,* dicere Deum peccare, "pias omnium theologorum aures offendit"20. Quod enim per idiomatum communicationem de Deo dicitur, peculiari modo ab ipso assumitur et quasi deificatur. Unde peccato conferrentur dignitas et deificatio quae repugnant, cum peccatum sit *qua tale* simpliciter malum27.

352. 2) *In ipsam Verbi divinam voluntatem* esset refundendum peccatum, si Christus peccaret. Nam quando duae naturae et voluntates *eandem personam* componunt, ad superiorem spectat in officio continere ac dirigere inferiorem voluntatem, si id possit. Iam vero divina voluntas omnino poterat humanam dirigere; ergo si humana Christi voluntas peccaret, id ex defectu divinae voluntatis proveniret. Profunde hoc expressit S.Thomas: "Secundum autem quod fuit Deus, et anima eius et corpus fuerunt *quasi organum Deitatis,* se-

BavEl, *Recherches sur la Christologie...* 94s. 179. Plura Patrum testimonia, cf. apud Petavium, n.6-15, ubi variae ex Patribus *co-m'parationes* adducuntur.
n Cf. Petavium, 1.11 c.12 n.11. Singuli textus allati erant a Pctavio, 1.11 c.10 n.6-15. Cf. Salmanticenses, d.25 dub.2 n.12-14.
3 q.15 a.1 c; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 244s; Sai.manti-CEnsES, d.25 dub.1 n.2.
23 Cf. S.Th., 3 q.15 a.1 ad 2; Salmanticenses. *l.c.,* n.S; Gummersbach, *Unsiindlichkcit...* 50s. Plura de his, in tractatu de peccato originali.
* SuârEz, d.33 s.2 n.7.
r' *Cf.* SuArEz, *ibid.:* Gautier, η.364.

eundum quod... Deitas *regebat* animam et anima corpus; unde non poterat peccatum attingere ad eius animam, *sicut nec Deus potest peccare"* 28 30

353. 3) *Humanitas Christi substantialiter* ex vi gratiae unionis formaliter *sancta est,* ut supra th. 12 ostendimus. Sed absolute repugnat cum *tali sanctitate* vel minimus defectus moralis, sicut repugnaret cum *ipsius Dei* sanctitate. Ergo Christus, secundum se consideratus, formaliter ex sola unione hypostatica absolute impeccabilis constituitur -°.

354. Obiectiones. 1. S.Paulus 2 Cor 5,21 expresse dicit: *eum qui non noverat peccatum, pro nobis* peccatum *fecit.* Atqui hoc significat Christum *assumpsisse peccatum.* Ergo de facto fuit in Christo peccatum.

Dist. min. Hoc significat Christum assumpsisse peccatum, ita ut ipse aut *personaliter* peccaverit aut saltem originaliter, *nego min.;* ita ut Christus dicatur a S.Paulo factus "peccatum", eo modo qtio dicitur ab eo *factus...* maledictum (Gal 3,13), sc. quia propter *solidaritalem* Christi cum hominibus, ipse peccata nostra portavit et *ob hanc solidaritalem* peccator et peccatum factus sit, non obstante immaculata eius *personali* innocentia, *conc. min. Dist. pariter cons.*

Non una quidem est catholicorum explicatio circa sensum huius versus. *Negativa* tamen solutio, quatenus Christus *personaliter* nequeat dici peccator, ab omnibus tenetur omnino, camque clare proponit S.Paulus: *eum qui* non noverat *peccatum;* contrarium autem asserere, manifesta contradictio esset cum ipsa sacra Scriptura, ut ex supra relatis n.340-342 patet. *Positivam* solutionem indicamus, quae textui ac contextui conformior videtur *

355. 2. Si Verbum voluntate sua *divina* peccasset peccante sua *humana voluntate* (cf. supra, n.352), voluntate sua *divina* etiam *mereretur* bene operante sua humana voluntate. Atqui Verbum voluntate sua divina *nihil merebatur.* Ergo signum est Verbum voluntate sua divina *non peccaturum* fuisse peccante sua humana voluntate.

Dist. mai. Verbum, bene operante sua humana voluntate, *ageret recte* sua divina voluntate, *conc. mai·; praecise mereretur, nego mai. Contradist. min.*

Desumitur difficultas ex eo quod *homo iustus* qui bene operatur, meritum apud Deum acquirit. Teneret autem obiectio, si notio "meriti" et notio "bene operandi" converterentur. Id autem in Deo certe non obtinet. Deberet enim Deus non iam *omnia habere,* ad hoc ut aliquid posset adhuc tanquam praemium sibi acquirere.

28 *In 3* <1.12 q.2 a.l sol. Cf. SuArez, *ibid.,* n.7-11. Gummersbach, *Unsilndlichkeit...* 60-72; ibi profundiores rationes metaphysical pro sententiarum diversitate indicantur, quae tamen iuxta ea quae supra th.4 exposuimus accipiendae sunt.

** Sensus huius argumenti valde differt a modo quo id 1*.Vazquez intelIgebat: cf. Gvmmersbach, *o.c.,* 58-60. Patet a Christo non solum peccatum *actuale* sed et *habituale* omne excludi: cf. Salmanticenses, d.25 dub.3.

30 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,134s; Kittel, *Thcologisches IVorterbuch...* 1.3l5s; Bover, *Las epistolas...* in h.l.; Id., *Teologla de San Pablo** 1.5 C.3, 339-368, ubi etiam Patrum ac theologorum explicationes indicantur; L.Sabouhin, S.I., *Note sur 2 Cor 5,21: le Christ fait "péché":* ScEccl 11 (1959) 419-424 (sensus sacrificii pro peccato).

Quaestio de merito quod Verbum voluntate sua *humana* acqtiisivcrit, exponetur infra th.24'".

356. Scholion 1. *De fomite peccati seu concupiscentia.* Fomes peccati, de quo plura in tractatu de Deo elevante, potest considerari vel in actu secundo vel in actu primo. *In actu secundo* est *motus* aliquis appetitus, qui rationem et voluntatem liberam *antevertit* et ad peccatum *inclinat. In actu primo* est *ipse appetitus,* seu eius naturalis inclinatio ita inordinata, ut interdum *possit* praevenire voluntatem et contra rationem insurgereK.

Christum non habuisse fomitem peccati *in actu secundo* est *de fide* ex concilio *Constantinopolitano II* contra Theodorum Mopsuestenam, "qui dixit... Christum a passionibus animae et desideriis carnis *molestias patientem"* (D 224). Immunitas Christi a fomite *etiam in actu primo* est *saltem certum,* ob rationes analogas his quibus probatur Christum absolute impeccabilem fuisse.**

Ob easdem rationes tenent *fere communiter theologi,* ac omnino recte, Christum Dominum neque *consilia* transgredi potuisse.**

357. Scholion 2. *De ignorantia et errore.* Sermo quidem est de ignorantia *proprie dicta* seu *privativa,* h.e. eorum quae iuxta suum statum anima Christi scire *convenienter debebat.* Patet enim scientiam Christi humanam aliquam ignorantiam *improprie dictam, negativam,* vel rectius *nescientiam* habuisse, cum, utpote finita, non cognoverit omnia, quae in Dei potentia contineantur. Scientiae ergo Christi humanae eam tribuimus extensionem, de qua supra th.13 schol.l n.300.

Non defuerunt *magni nominis Patres* qui Christo *homini* aliquam ignorantiam tribuerint, maxime ob Mc 13,32: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque: angeli in caelo,* NEQUE Fn.ius, *nisi Pater. Quidam ex his Patribus* solum *progressum* scientiae humanae Christi usque ad eius resurrectionem tenebant. *Multi autem Patres,* maxime vero post *agnoetas,* qui Themistio duce de Christo asserebant ignorantiam, firmiter affirmarunt indignum esse sentire de Christo eum aliquam ignorantiam suscepisse

358. Iam in primordiis theologiae scholasticae *fere unanimis* erat exclusio cuiuslibet ignorantiae in Christo. S.Thomas *ex plenitudine* scientiae Christi deducit in eo nullam fuisse ignorantiam ".

Ipsum Ecclesiae magisterium tum alias tum nuper sententiam reprobavit quae de Christo ignorantiam aliquam praedicaret. Ci". D 248 2032-2034 2102 2184s".

" Phires obiectiones, cf. apud Muncumi.l, n.551-559; Salmanticenses, <1.25 dub.2 n.31-38.

" Cf. S.Th., 1.2 η.30; B.Beraza, S.I., *Tractatus de Deo elevante..* (Cursus Theologicus Oniensis, Bilbao 1924) n.310-318.

,3 Cf. S.Th., 3 <1.15 a.2; Suarez, in h.l. et <1.34 s.2; Galtier, n.368.370$; Salmanticenses, d.25 dub.4.

u Cf. Salmanticenses, d.25 dub.5.

w Cf. maxime Lerreton, *Histoire du dogme de la Trinité...9* I, note C, 559-586; Galtier, n.356-358; DTC 14,1639-1647; GuïwEngEr, *Dewusstsein und Wisscn...* 99-106. De S.Ephraem ignorantiam in humana Christi natura admittente, cf. Beck, *Die Théologie des hl.Ephraem...* 78s. F'ro S.Cyrillo, cf. praeterea Du Manoir de Juaye, *Dogme et spiritualité...* 150-162. Pro S.Ambrosio, Drzenick, *Doctrina S.Ambrosii...* 31-33. Pro S.Hilario, cf. GiamrHrardini, *De incarnatione l^erbi...:* D:vTom (Pi) (1047) 19Q nota 161. De Themistio, cf. E.Amann, *Thémistius:* DTC 15,219-222.

'•3 q.15 a.3 c. Cf. Lerreton, *ibid.,* 586-580.

w Cf. DTC 14,1659-1665.

359. Quoad *positivam* Mc 13,32 explicationem : Christus dixit se nescire diem et horam, quia *suae missionis* non erat id *manifestare.* Hoc dictum Christi cohaeret cum aliis non paucis, in quibus Christus se occultat, ut Pater eo magis appareatK.

Caeterum *quoad scientiam propriis actibus acquisitam* potest vere dici Christum diem indicii ignorasse, sicuti supra (n.282-285) ostendebamus eum vere interrogasse ac veram passum fuisse admirationem. Cum autem Christus diem iudicii scientia sua humana tum visionis tum infusa id novisset, falsum esset dicere Dominum scientia sua humana *simpliciter* id ignorasse.

360. Ex dictis patet quantum magis abhorreat sensus catholicus ab admittendo in Christo aliquo *errore,* quando ipsam *ignorantiam* admittere recusat. Textus qui erroris arguuntur, sunt sic dicti "eschatologici", de quibus fuse agitur in tractatu de Ecclesia.

Multo communius affirmant theologi etiam *absolutam impossibilitatem* erroris in Christo. Id tenendum videtur tum eo quod ad prudentem providentiam rationalis personae pertinet non admittere falsitatem et deceptionem in propria natura, quando facile praecaveri potest, tum eo quod in errore nulla potest esse ratio boni honesti, tum denique eo quod secus multum minui videtur auctoritas ipsius personae Verbi loquentis per naturam humanam, erroris capacem ex hypothesi

361. Scholion 3. *De passionibus.* Duae distinguuntur in homine *potentiae appetitivae* seu duo appetitus. Alius est *appetitus rationalis* seu *intellectivus,* alius *sensitivus.* Appetitus rationalis sequitur apprehensionem *intellectus* et vocatur *voluntas.* Appetitus sensitivus sequitur apprehensionem *sensus* sive externi sive interni et vocatur simpliciter *appetitus w.*

S.Thomas hoc loco (3 q.15 a.2sqs) proprie agit de *appetitu sensitivo.* De *voluntate* autem agit infra q.18. Sed, cum de his quae nostra intersunt admodum pauca ibi tradat ", nos simul *et* appetitum *et* voluntatem hic considerabimus, quae caeterum in homine saepe sunt valde ab invicem dependentia".

362. *Actus* appetitus *sensitivi* vocari solent *passiones.* Cum enim per passiones intelligantur alterationes et alii motus consequentes secundum quos *alteratur* aliquid in subiecto, actus appetitus sensitivi,

38 Cf. LebrEton, *Histoire dti dogme...9* 1,590; GaiZHER, n.360. Aliter, Adam, *Der Christus des Glaubens* 292-298: cf. quoque BouEssf:, *Le Sauveur du monde,* 2. *Le Mystère...* 400, nota 75 bis. Principiis inhaerens Sti.Bonaventurae et Scoti de plena Christi scientia habituali sed non actuali, solutionem proponit GutwEncEr, *o.c.,* 110-113. De S.Thoma, cf. Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 260s.

39 *Cf.* *SuArez,* d.24 s.3 n.16; Salmanticenses, d.25 dub.6 n.85-92.

40 Cf. S.Th., 1 q.80 a.2; *Dc ver.* q.22 a.4; SuArez, *Dc anima* 1.5 c.1 n.3; UrrAburu, *Institutiones philosophicae... Psychologiae pars secunda* 6,1-70.104-151. Sequimur modum loquendi a theologis scholasticis communiter usurpatum; de illo ac de his quae moderna psychologia docet circa totam materiam de potentiis appetitivis, passionibus, affectibus, cf. apud J.FrôbES, S.I., *Psychologia speculativa...* (Friburgi Br. 1927) 1, 1.2 c.3 p.209-230; *2,* 1.2 c.1 p.126-150; A.Wiixwom., S.I., *Seele und Geist* (Freiburg i. Br. 1938) 113-149 (versio hispana a J.A.MjSnchaca, S.I., *Alma y espiritu* (Madrid 1946] 117-154). Fusius, praecipue iuxta doctrinam S.Thomae, H.-D. Noble, O.P., *Les passions dans la vie morale 2* vol. (Paris 1932). Maxime in relatione cum christologia S.Thomae, cf. Backes *Die Christologie des hl.Thomas...* 230-246.

41 Cf. IoannEm a S.Thoma, in h.l.; SuArez, d.34 et 38 init.

42 Cf. UrrAburu, *Psychologia* 6,94-104. De voluntate, plura infra, th.17 schol.1 n.442s.

in quantum habent *transmutationem corporalem* annexam, passiones dicuntur *Actus* vero appetitus *intellectualis* saepe vocatur a S.Thotna simpliciter *voluntas* seu *velle*[41] ne autem confusio cum *potentia* ipsa oriatur, actus dicitur quoque *volitio a.* Circa *actus* appetitus *rationalis* oportet notare eos *in voluntate* reperiri, qui reperiuntur *in appetitu sensitivo,* amor, gaudium, tristitia..., licet modo altiori, quoniam in voluntate spirituales sunt nec dependentes quoad esse a passionibus corporis etiam naturalibus, ac ferri possunt circa finem et circa media.*

363. Christum Dominum passiones habuisse extra dubium est. Excludendae tamen sunt a Christi passionibus omnes imperfectiones quae *in nobis* eas comitantur, ita ut huiusmodi passiones in Christo neque ferebantur ad illicita neque oriebantur praeveniendo indicium rationis neque rationem impediebant facere quod conveniebat

Exsistentia passionum *in appetitu sensitivo* Christi constat ex ipsa sacra Scriptura. Christus enim dicitur v.c. habuisse *iram:* Mc 3,5 : *et circumspiciens eos cum ira,* ubi mutatio *corporea* in modo eos circumspiciendi denotatur; *amorem:* Io 11,3.5.33-36, ubi amor lesu pertingit usque ad sensibiles lacrimas; *tristitiam:* Mt 26,37s: *coepit contristari et maestus esse,* ubi Christi tristitia tam *sensibilis* fuit, ut eam apostoli animadverterent. Caeterum inter causas huius tristitiae plura recenseri debent quae sensibilem tristitiam producere debebant, ut imminens *mors.* Denique arcte cum hac sensibili tristitia connectitur "agonia" corporalis de qua Lc 22,44".

364. Exsistentiam similium affectuum *in appetitu rationali* docet etiam sacra Scriptura (Caeterum, cf. D 1339). *Zelus* propter domum Dei; Io 2,17 4'; *amor:* Mc 10,21, ubi sine dubio amor *sensibiliter* manifestatus est, ut cum apostoli perciperent, sed etiam ac praecipue fuit hic amor *spiritualis,* utpote a motivo *intellectuali* causatus, nempe a fidelitate illius iuvenis in lege Dei adimplenda[80]; *tristitia:* Mc 3,5, ubi similiter dicendum est; sed maxime: Mt 26,37s, ubi immerito tristitiae *mere sensibili* ea applicarentur, cum plura motiva *intellectualia* in Christi animum influxerint[81].

43 Cf. S.Th., *De caele* 1 lcct.1; 1 q.20 a.I ad 1. Plura, apud L.Schütz, *Thomas Lcxikon2* (Paderborn 1895) ad h.v. Lrraburu, *ibid., 77-94.*

41 V.c. *De ver. q.22* a.15 c; 1 q.S3 a.4 ad 2; 3 q.18 a.I ad 3; a.3 c; tamen v.c. 1 q.82 ir.5 ad 1 sermo est de "simplici affectu". Cf. 1.2 q.22; q.26 a.2 c. Urraburu, *ibid.,* 158-178.

43 Cf. v.c. Catetanum, *In 1-2* q.8 a.2.

·· Cf. v.c. S.Tu., 1.2 q.22 a.3; *Dc ver.* q.25 a.3; UrrAblru, *Psychologia* 6, 156s. Fuse de passionibus agit S.Th., 1.2 q.22-48.

41 Cf. S.Th., 3 q.15 a.4; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 268-270; SuArez, d.24.3S; SaemanticensEs, d.25 dub.8 n.99-108; ubi n.105 vindicatur *nomen* ipsum "passiones" relate ad Christum. De famosa S.Hilarii sententia circa Christi passibilitatein, cf. Fabre, *La communication des idiomes dans les oeuvres de Saint Hilaire...·.* Greg 17 (1936) 485-514; McMahon, *Dc Christo mediatore...* 44-48; G.Giamberardini, O.F.M., *De dolore, morte et resurrectione l'erbi Incarnati secundum S.Hilarium Pictavienscm:* DivThom (Pi) 51 (1948) 3-18.

43 De quatuor his locis, cf. Lachance, *Evangile...4* in hos w. De *agonia* in horto, cf. praeterea J.LebrEton, S.I., *La vie et l'enseignement de Jésus Christ Notre Seigneur2* (Paris 1931) 2,322-344. *De risu* Christi, cf. F.Jansen. S.I., *Jésus a-t-il rif·.* NouvRevTh 56 (1929) 353-372. De quatuor fontibus *gaudii* in Christo, cf. A.Frank-Duquesne, *Joie de Jésus-Christ,* apud *Ma joie terrestre où donc est-tuf:* EtCarm 26 (1947) 21-37. *De aliis passionibus* in Christo, cf. Satatαντicenses, d.25 dub.8 n.113-128.

40 Cf. Knabenbaver, Lagrange, *o.c.,* in h.l.

M Cf. Lagrange, *o.c.,* in h.l.

31 Cf. Lbbreton. *La vie et l'enseignement...* 329-344; SuArez, d.38 s.3 n.2s.

In genere probatur ex sacra Scriptura exsistentia passionum ac affectuum in Christo, eo quod Iesu simpliciter attribuuntur ab evangelistis quae *apud reliquos homines* sunt verae passiones et veri affectus, ut, praeter ea supra relata, *gaudium* (Io 11,15) *exsultatio* (Lc 10,21), *desiderium* (Lc 22,15), *turbatio* (Io 11,33) etc."

365. Scholion 4. *Explicatio tristitiae Christi.* Magna difficultas provenit ex visione beatifica animae Christi, quam supra th.13 demonstravimus. Cum ex visione *gaudium* necessario sequi videatur, *tale* autem *gaudium* non appareat quomodo possit componi cum *tristitia,* non defuerunt theologi qui ob Christi tristitiam eius *gaudium beatum pro tempore passionis* negaverint. Sed si hos paucos auctores excipias, communis theologorum sententia talem *limitationem* gaudii in Christo admittere recusat

Ex tractatu de novissimis constat *impossibilitatem* corporis gloriosi ab *anima* beata derivari, et quidem ita ut sit aliquid corpori *intrinsecum,* sicut fere communis sententia tenet contra Scotum aliosque.** Similiter communius tenent theologi impassibilitatem redundare in corpus non *physice et effective* a visione beata, sed solum moraliter seu per quandam *congruentem* Dei ordinationem suo modo *connaturalem* statui beatifico ".

366. Tristitia *sensibilis* Christi non tam difficulter explicatur. Nam *ex parte obiccti* gaudium beatificum animae et tristitia sensibilis non se excludunt, quia *non sunt de eodem obiecto;* obiectum enim gaudii est bonum divinum possessum, obiectum vero tristitiae est nocumentum tam proprium quam alienum. Neque *ex parte redundantiae* est repugnantia: "quod enim a principio conceptionis Christi gloria animae non redundaret ad corpus, ex quadam *dispensatione divina* factum est, ut in corpore passibili nostrae redemptionis expleret mysteria" M.I*

Humanos divinosque offectus Cordis Christi late prosequitur *Encyclic» "Haurietis aquas":* AAS 48 (1956) 322-337. Plura, cf. DTC 8,1155-1164. Profundas rationes theologicas circa Christi possibilitatem, cf. apud S.Th.. 3 q.14 a.1; Backes, *Die Christologie des hl.Thomas.* . 241-243. De Christi affectibus iuxta S.Bonaventuram, cf. A.Sépinski, O.F.M., *La psychologie du Christ chez Satint Bonaventure* (Paris 1948).

" Cf. Galtier, n.441; SuârEz, d.38 s.3 n.6s; Minges, 1, n.515. Quaedam bmitatio *ipsius visionis* beat'f/cae *quoad obiectum secunda·ium* propugnatur a ManyA, *Theologumena* IIT, 93-236. Cf. quoque Moeller, *Le chalcédonisme er le néochatcfidonismc en Orient... (D's Konzil von Chatkedon,* Grîl i.met Er-Baciit) 1,713 nota 67; Adam, *Der Çhristus des Glaubcns* 291. Omnis vero interruptio visionis beatificae cum ipsius visionis natura nugnare v'detur: cf. I F-Sagîés, S.T.: SThS 4S tr.6 n.lOS ad b). Visionem Dei non secum ferre gaudium beatificum in Christo ob oeconomiam propriam "kenosis" indicant Galot, *Science et conscience...:* NouvRevTh 82 (I960) 120·124, et Gutwenger, *o.c.,* 149-155.

Cf. S.Tn., 1 q..97 a.1 c: SuArez. *De mysteriis..,* d.48 s.3; SalmanticEnses, tr.9 d.5 dub.2 n.23-48; Mînc.Es, 2, n.733*. De Scoto, cf. *In 4* d.4Q q.13. De aliis theologis pro hac sententia, cf. M.Siuri, *Theologia scholast:co-posit:va de novissimis...* (Valentiae 1707) tr.40 n.24.

80 Cf. SuXrEz, *De Deo uno* 1.2 c.30 n.7: Sivri, *l.c., n.7s.*

M <1-45 a.2 c. Cf. paulo aliter Billot. *De Verbo incarnato* th.24. Manya, *o.c.,* 139-148. Non necessariam redundantiam operationum spiritualium in potentias conf/miat :llud a mysticis assertum, sc. operationes Dei in anima *imperfecta* exstasjm aliasquc corporeas perturbationes afferre, qui effectus corporei in anima iam *melius purgata* cessant: cf. Crisôgono de Tesûs Sacra MENTADO, O.C.D., *San Juan de la Cruz...* (Madrid-Avia 1929) 1.292-296.375.387: Id., *Compendio de Ascética y Mistica* (Madrid-Avila 1933) 264s; F.Naval, C.M.l· .-I .Tubepfas, C.M.F., *Curso de teologia ascâtiea y mistica3* (Madrid 1955) n.337. Concrete de conciliat-one inter delicias Trinitatis, quibus Christus in horto fruebatur, et crudelissimam eius agoniam, videas cxplicitum

367. Tristitia *spiritualis* seu in ipsa *voluntate* difficilius intelligitur, siquidem *ipsa voluntas* est quae gaudio beatifico afficitur. Possibilis tamen intelligitur *ex differentia obiecti formalis.* Idem enim obiectum materiale, v.c. passionis ac mortis partialis frustratio cum consequenti plurium hominum damnatione, quod per scientiam *visionis* Christus in Deo videbat tanquam a Deo permissum ideoque *amabile,* idipsum per scientiam infusam et acquisitam poterat apprehendere tanquam aliquid i» *se malum l.*

368. Neque possibilitas tristitiae spiritualis excluditur *ex parte subiecli* sive *ex opposito modo* quo gaudium et tristitia subiectum afficiunt, praecipue quando *summum* gaudium afficit aliquod subiectum. Videretur nempe in anima iam *totaliter* beata locus nullus esse pro affectu *contrario,* sc. tristitia. Solutio petenda videtur ex eo quod gaudium et tristitia non habent propriam *contrarietatem* nisi in particulari versentur *circa idem omnino* tum materialiter tum formaliter. Attamen licet strictam contrarietatem non habeant, *magna* quidem est inter ea *diversitas* et *quaedam repugnantia,* ita ut *sine miraculo* non possent cocxsistere in eodem subiecto6'. Caeterum, ultimam radicem possibilitatis exsistentiae tristitiae spiritualis in Chrisio proponemus infra, tlt.18 n.471s.

Quaedam de possibilitate *contrarietatis voluntatum* exponentur suo loco, infra th.17 schol.1 n.442-447.

369. Scholion 5. *De Christo viatore simul et comprehensare.* Ex dictis patet quam recte S.Thomas tanquam quid *consequens* ex praecedentibus articulis q.15 et simul tanquam eoruin *ultimam rationem* exposuerit quomodo Christus fuerit *simul viator et comprchensor: viator* quidem, cum adhuc eius anima fuerit *passibilis* et corpus *passibile ac mortale; comprehensor* autem, cum eius anima *videret Deum* ac *frueretur Deo* (q.15 a.10).

testimonium ob propriam experientiam apud Stam. Teresiam a Puero lesu: A.Barrios Moneo, C.M.F., *La espirituaiidad de Sunta Teresa de Lisieux* (Madrid 1958) 2,141. De *redundantia* gaudii in corpus, cf. Stam.Teresiam a Iesu, *Libro de la v<da cA7* n.8 (Bibliotvca Mistica Carmelitana, 1. *Obtas de Santa Teresa de Jésus...* por ei P.Silvkrio de Santa Teresa, C.D. (Burgos 1951] t.1, 127); Crisôgono, *Compendio...* 233.260s.

Cf. Suârez, d.38 s.3 n.6-11; Salmanticenses, d.17 dub.4 n.45. Dicimus Christum *potuisse* per scientiam infusam et acquisitam apprehendere aliquid tanquam in se malum ac obiectum tristitiae; non tamen videtur Christus per hanc scientiam *necessario* apprehendere illud tanquam in se malum et non tanquam a Deo permissum ideoque amabile. Confinmare id liceat ex Doctore Ecclesiae, S.Ioanne a Cruce: cf. *Cdntico espiritual* c.20s (Biblioteca· Mistica Carmelitana, 12. *Obras de San Juan de la Crue...* por el P.Silver10 de Santa Teresa, C.D. [Burgos 1930] t.3 312s); vel Crisôgono, *Juan de la Crus...* 387s.

Cf. S.Th., 3 q.46 a.8; SiMrEZ, d.38 s.3 n.lOs. Aliter Salmanticenses, d.17 dub.4 n.46s. De solutione S.Thomae ac theologorum medii aevi, cf. Murphy, *The Dereliction...* 66-116. Cf. Billot, th.24 ad 3u,n; Galtier, n.442-445. Forte in difficillimo hoc problemate lucem afferre posset subtilis illa at apud mysticos frequentissima distinctio inter ‘'animam” et "spiritum”: cf. v.c. Stam.Teresiam a Ir.su, *Castillo interior o Las Mbradas* 7, c.1s (Biblioteca Mistica Carmelitana, 4. *Obras de Santa Teresa de Jesus...* [Burgos 1917] t.4, 184.186-191). Cf. E. von Ivanka, *Apex mentis. Wanderuny und Wandluny eines stoischcn Terminus:* ZkathTh 72 (1950) 129-176. De distinctione potentiarurn ab anima, cf. Frobes, *Psychologie...* 2,225-234.

CAPUT IV

De his quae consequuntur unionem

ARTICULUS I

Quae conveniunt Christo secundum se

Thesis 16. In Christo admittenda est vera idiomatum communicatio. Ex ea praecepta quaedam servanda deducimus quoad rectam praedicationem idiomatum in Christo communicatorum.

S.Th., 3 q.16; Salmanticenses, d.26; Stentrup, *Christologia 2,* th.37s p.627-676; Muncunill, n.560-587.

370. Nexùs. Explicato mysterio incarnationis et quantum ad *unionem* et quantum ad *extrema assumpta* et quantum ad *coassumpta,* considerat S.Thomas ea quae *consequuntur unionem.* Quae igitur a q.2 ad q.15 continentur, *principia* sunt ex quibus per processum demonstrativum *logice* deducendae veniunt nunc *conclusiones,* in illis principiis virtualiter contentae [1].

Primo deducuntur conclusiones quantum ad ea quae conveniunt Christo *secundum se* (q.16-q.19); secundo, quantum ad ea quae ei conveniunt *per comparationem ad Patrem* (q.20-q.24); tertio, quantum ad ea quae ei conveniunt *per comparationem ad nos* (q.25s).

Ex his quae conveniunt Christo *secundum se,* consideramus expresse in hac thesi quae Christo conveniunt secundum *esse et fieri* (q.16). Sed quoniam *unum* consequitur *ad ens*[2], debemus cum S.Thoma statim considerare quae Christo conveniunt quantum ad *unitatem* (q,17-q.19). Et quidem, in scholio huius theseos, infra n.405, agemus de unitate Christi quantum *ad esse* (q.17), reliqua de Christi unitate ad duas immediate sequentes theses amandantes.

371. Notiones. Idioma (Ἰδίωμα) *vi vocis* est proprietas vel propria cuiusque rei natura[3]. *Theologice in hac quaestione* idioma est tum *ipsa natura* tum *quidquid ad naturam pertinet,* sive ad eam pertineat tanquam *proprietas stricte dicta,* sc. id quod *necessario* ex rei essentia sequitur, sive ad

[1] Cf. Gillon, *La notion de consequence...:* Ang 15 (1938) 33s. Etiam Billot, parte prima, capite 3 introd., hanc viam ingressus fuerat. Aliter, Salmanticenses, d.26 introd.

[2] Cf. v.c. S.Th., 2 CG 58 et 73.

[3] Cf. H.Stephanum, *Thesaurus linguae graecae* 8 (Parisiis) in h.v.

naturam pertineat tanquam *proprietas late dicta,* sc. id quod *quocumque modo* est naturae.

In Christo itaque idioma est non tantum ipsa natura divina et ipsa natura humana, sed insuper tum v.c. immensitas et potentia loquendi, quae *proprietates strictae* sunt, tum v.c. esse creatorem et famem pati.

372. Communicatio seu communio (ἀντ'δοσι a graecis auctoribus nuncupata) [4] idiomatum est illa proprietatum participatio seu permutatio, qua persona in alterutra natura subsistens, ita etiam alteram naturam ac ea quae sunt alterius naturae propria habet, ut ab his iure etiam denominetur.

Concrete: *Pilius Dei Unigenitus,* persona divina subsistens in natura divina, ita etiam naturam humanam ac ea quae sunt humanae naturae propria habet, ut ab his iure etiam denominetur, v.c. *homo, passus, crucifixus.* E contra, *lesus,* persona divina subsistens in natura humana, ita etiam naturam divinam ac ea quae sunt naturae divinae propria habet, ut ab his iure etiam denominetur, v.c. *Detis, omnipotens, creator* [6].

373. *Tam stricte* idiomatum communicatio *vix dicitur,* quando persona subsistens *in utraque natura* v.c. *Christus,* utramque naturam ac ea quae sunt utriusque naturae propria habet, ut ab his iure denominetur. Facile ipse Nestorius idiomatum communicationem admittebat in qua *Christo* attributa divina et humana tribuebantur (cf. supra, th.3 n.30s.35) '.

374. Huius communicationis idiomatum *radix seu principium* est tum *unitio* naturarum in eadem hypostasi, tum earundem, ut in se ipsae sunt, perfectarum et integrarum manens in composito *differentia,* tum illa denique, quae ex istis sequitur *circuminsessio* seu in se mutuo naturarum exsistentia [7].

375. Idiomatum praedicatio. Est *logica expressio* huius realitatis ontologicae, quam idiomatum *communicationem* definivimus.

Tam intime *communicatio* ac *praedicatio* sunt connexae, ut nihil mirum si auctores saepe vix inter utramque distin-

4 Cf. Petavtum, 1.4 c.15 n.1-3.

6 Quoad modum proponendi rem dissentit Vâzquez, de quo agemus in altera parte theseos, infra nota 18. Quamvis definitio Petavii *{ibid.,* n.1) aliter ac nostra sonet ct Patri Vâzquez plene favere videatur, re tamen vera cum nostra coincidit; cf. *ibid.,* maxime c.16 n.11. Magni momenti est haec Petavii doctrina, utpote locutiones Patrum fideliter referens.

« Cf. S.Th., 3 q.16 a.4 c.

7 Cf. Petavium, 1.4 c.15 n.3. Cf. supra th.3 schol.3 n.46 ac praecipue Stentrup, 2, th.38 p.666-676.

guant Etiarn nos ut communicationem ipsam clare definiremus, de praedicatione mentionem facere debuimus (cf. supra n.372s).

376. Inde praecepta servanda deducimus. Cum idiomatum *praedicatio* non nisi *logica expressio* sit *ontologicae communicationis* idiomatum, patet, normas servandas in recto modo praedicandi idiomata ex ontologica talis communicationis realitate *derivari.*

Quaenam sint haec praecepta, in altera parte theseos considerabimus.

(372> Adversarii. *Per excessum, monophysitae* cum *ubiquistis,* de quibus supra, th.2 n.l8s. Hi omnes uno vel alio modo idiomatum communicationem ita exaggerant, ut ad *unitatem naturae* affirmandam perveniant.

Per defectum, nestoriani, de quibus supra, th.3 n.30-32. Hi, cum naturarum in Christo *unionem* admitterent at non vere *hypostaticam,* facile concedebant nomina, quae pertinere possunt *ad utramque naturam,* ut *Christum* vel *Dominum,* accipere praedicata utriusque naturae. Omnino tamen recusabant ea quae pertinent *ad humanam* naturam dicere de *Deo,* et ea quae pertinent *ad divinam naturam* dicere de *homine.* Unde concedebant *Christum* esse natum de Virgine et fuisse ab aeterno; non tamen dicebant vel *Deum* natum de Virgine vel *hominem* ab aeterno fuisse *

378. Doctrina Ecclesiae. 1) *Theorctice.* Damnat separationem vel divisionem idiomatum in Christo velut inter duas personas: D 116.

2) *Practice.* Tribuuntur idiomata divina homini et idiomata humana Deo. Ita iam in *symbolis,* maxime vero in *Concilio Ephesino,* ut supra, th.3 n.33s exposuimus. Cf. quoque D 480.

379. Valor theologicus. A. *Communicatio idiomatum* sensu in thesi proposito est *veritas saltem theologice certa,* tanquam necessaria conclusio ex revelato dogmate de una persona et duabus naturis in Christo. Attento magisterio ordinario, clare iam in sanctis Patribus manifestato, *dicenda videtur de fide.*

* S.Thomas etiam in hoc puncto magnam vicinitatem cum christologia *grana* ostendit, quae magis *communicationem ipsam ontologicam* curabat, dum latini scholastici potius ad *logicam praedicationem* attendebant. Cf. Backes, *Die Christologie des hl.Thomas.,.* praecipue 280-293. Plura historica de communicatione idiomatum apud scholasticos, cf. apud Borchert, *Der Einfluss des Nominalis, nhts...* 26sqs.

9 S.Th., 3 q.16 a.4 c.

B. *Praecepta loquendi* in hoc mysterio *diversum habent valorem,* dependentem a maiori vel minori connexione cum obiectiva idiomatum communicatione et a maiori vel minori theologorum consensu qui singulis praeceptis suffragetur.

380. A. Probatur ex sacra Scriptura. Ex argumento exposito supra th.3 n.35-37 et th.2 n.21s immediate deducitur Filium Dei Unigenitum participare seu in se suscipere idiomata humana et hominem lesum in se suscipere idiomata divina, salva tamen utriusque naturae perfecta integritate. Iam vero, haec est idiomatum communicatio quam asserimus.

381. Probatur ex traditione. 1) Suppositis praecedentibus probationibus ex traditione in th.3 n.38s et in th.2 n.23s, argumentum fit eodem modo ac argumentum ex sacra Scriptura.

2) Sancti Patres *factum* communicationis idiomatum *explicite* seu *theoretice* proponunt. Origenes: "Et hac de causa per omnem scripturam tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinae nuncupationis insignibus decoratur" (R 460)[10]. S.Gregorius Nyssenus: "Ita ut propter coniunctionem et unionem naturalem ambo fiant utriusque communia, domino serviles vibices in se ipsum assumente, et servo per domini honorem glorificato" (R 1044). S.Ambrosius: "... quia idem Deus idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo lesus Christus, Dominus maiestatis dicitur crucifixus" (R 1267)[11].

382. S.Augustinus: "Hanc unitatem personae Christi lesu Domini nostri sic ex natura utraque constantem, divina scilicet atque humana, ut quaelibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, et divina humanae et humana divinae, beatus ostendit apostolus" (R 1859). S.Cyrielus Alex.: "Facta sunt igitur Verbi propria quae sunt humanitatis, et humanitatis propria quae sunt ipsius Verbi. Sic enim unus intelligitur Christus et Filius et Dominus" (R 2130). S.Ioannes Damascenus clare totam rem exponit, maxime in suo *De fide orthodoxa* ad finem capitis tertii et per integrum caput quartum libri tertii, quod praecise inscribitur: Περὶ τοῦ τρόπου

[10] Origenes primus fuisse videtur qui hanc doctrinam *theoretice* proposuerit: cf. G.Bardy, *Origène:* DTC 11,1542. Inter latinos, primus fuisse videtur Novatianus (R 606): cf. Favre, *La communication des idiomes...*: BullUttEccl 37 (1936) 144.

[11] De S.Gregorio Nysseno, cf. Weigl, *Christologie wm Tode des Athanasius...* 67-75; A.Michel, *Idiomes (Communication des):* DTC 7,596. De S.Athanasio, cf. E.Weigl, *Untersuchungen eur Christologie des hl.Athanasius* (Forschungcn zur Christlichen Literatur- und Dogmengeschichte, 12,4, Paderborn 1914) 5s.61-63.150s.171s. De S.Hilario Pictaviensi, cf. Favre, *La communication des idiomes...:* Greg 17 (1936) 481-514; 18 (1937) 318-336.

τῇ ἀντιδόσεω . De modo mutuae communicationis (cf. v.c. R 2361)12.13

383. Ratio theologica. In Christo non est nisi una hypostasis utriusque niaturae, divinae et humanae, ut ex probata th.3 contra Nestorium constat. Ergo sive illa hypostasis consideretur in natura divina sive consideretur in natura humana, ipsa tamen *tina* hypostasis utramque naturam cum utriusque proprietatibus possidet.

Res ab absurdo patet. Si illa hypostasis, subsistens v.c. in natura divina, non haberet idiomata humana, haec humana idiomata ad *aliam* hypostasim pertinerent. Essent proinde in Christo *duae* hypostases, alia in natura divina subsistens, alia cuius essent propria idiomata humana *8.

384. B. *Praecepta* loquendi in hoc mysterio. Quaedam notiones ex logica sunt in memoriam revocandae ante ipsam praeceptorum expositionem.

1) *Nomina abstracta et concreta. Abstracta* sunt quae *simplices formas* significant, vel quae formam seu determinationem rei ut per se stantem ac sine subiecto exprimunt; v.c. humanitas, albedo. *Concreta* vero sunt quae *res subsistentes* significant, vel quae exprimunt rem simul ac formam seu determinationem qua afficitur; v.c. homo, album14.

385. 2) *Significatio vel importât™ in recto et in obliquo.* Aliquid dicitur significari *in recto,* quando significatur directe, seu in nominativo; *in obliquo* autem, quando sig.nificatur indirecte seu in alio casu qui *non* sit nominativus.

386. Quid autem *de facto* in singulis nominibus importetur in recto, quid vero in obliquo pendet ex natura nominum.

Nomina *abstracta* significant necessario in recto *formam,* cum nihil aliud praeter ipsam importent: sic “humanitas”.

Nomina *concreta adiectiva,* h.e., quae “significant aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subiecto” 1S, important subiectum in recto, formam vero in obliquo: sic “iustus” idem est ac “subiectum (v.c. homo) habens iustitiam”.

u De S.Augustino, cf. Van BavEi,, *Recherches sur la Christologie...* 57-63. De S.Cyrillo, cf. Weigl, *Christologie vom Tode des Athanasius...* 176-185.198; Du Manoir de Juaye, *Dogme et spiritualité...* 145-149. Plura de argumento ex traditione, cf. apud DTC 7,596-600.

13 Cf. S.Th., 3 q.16 passim; Backes, *Die Christologie des hl.Thom'as...* 289-301.

14 Cf. S.Th., 1 q.32 *st.2* c; 3 q.16 a.1 c; a.5 c; UrrAburu, *Institutiones philosophicae... Logica* 134s; J.FrobES, S.I., *Tractatus logicae formalis* (Romae 1940) 60.

« S.Th., 1 q.39 a.3 c.

387. Nomina *concreta substantiva,* h.e., quae "significant aliquid per modum substantiae" [16], quid importent in recto, quid autem in obliquo controvertitur [17].

Loquendo de *incarnationis mysterio* sententia omnino communior est in recto importari personam seu suppositum, in obliquo autem naturam seu formam; v.c. homo significat in Christo non naturam humanam in supposito, sed suppositum habens naturam humanam [18].

Hic quidem tam communis loquendi modus retinendus est, utpote qui realitatem unionis hypostaticae et communicationem idiomatum multo exactius exprimat.

388. 3) *Identitas affirmata inter subiectum et praedicatum.* In propositionibus affirmatur sola identitas inter *rectum* subiecti et *rectum* praedicati. Cum longe praevalenti theologorum sententia videtur dicendum sufficere identitatem *in sensu reali* inter rectum subiecti et rectum praedicati, neque necessariam esse identitatem etiam *in sensu formali,* ut magis patebit infra n.398. In nostro casu propositio "Deus est homo" affirmaret identitatem inter personam seu suppositum habens naturam divinam et personam seu suppositum habens naturam humanam.

389. *Praecepta* ipsa observanda in idiomatum praedicatione. 1) Fundamentale est illud: In Christo iam constituto recta idiomatum praedicatio exigit *a)* ut simpliciter praedicentur nomina concreta de concretis, *b)* non vero abstracta de abstractis *c)* neque in genere abstracta de concretis aut vicissim.

390. *a)* Idiomata itaque *humana* enuntiata *in concreto* vere et proprie dicuntur de *Deo* et *Pilio Dei:* Deus est homo [19], Filius Dei passus est.

Idiomata vero humana, quae sic se habent, ut involvant non naturam solam sed *personam quoque humanam* ut contradistinctam a persona divina, Filio Dei attribui non possunt. Sic male diceretur: Christus seu Filius Dei est *alius a Deo* vel est *creatura* vel *incepit esse.* Quoties idioma aliquod

[16] *Ibid.*

[17] Quoad pAîtoiop/iOJ, cf. UrrXburu, *Institutiones... Logica* 144-146. Quoad *theologos,* ubi *dc mysterio SSmae.Trinitatis,* cf. Salmanticenses, tr.6 d.17. Generalius, cf. Muncunill, n.572s.

[18] Impugnat hoc Vâzquez, d.63 c.4s ubi pro se allegat S.Thomam. Cf. quoque Arriaga, qui in *Cursu theologico* nostram tenet doctrinam ac sententiam Patris Vâzquez refutat *(De ineam,* d.46 s.2 n.10-13), dum in *Cursu philosophico* ab ipso Arriaga *aucto* (Lugduni 1669) varias distinctiones praebet *(In summulas* d.1 s.10 n.85-90).

[19] Ulteriores scholasticorum disputationes de hac formula, cf. apud Salmanticenses, d.26 dub.2.

humanum non clare dat intelligere, an praeter naturam *etiam personam humanam* includat, explicatio est adicienda: v.c. Christus seu Filius Dei est *minor Patre secundum naturam humanam*[20]. Item, de formula: Christus seu Filius Dei est subiectus Patri vel servus Patris (cf. infra n.507s)[21].

391. Idiomata autem humana enuntiata in concreto de Deo dicuntur non absolute tantum sed *etiam denominative seu adiective:* Deus est *inhumanatus.* Ratio est quia in Christo persona per naturam humanam *no'n simpliciter constituitur,* sed tantum fit per eam assumptam aliquid, quod antea non erat; inde modus praedicationis, sumptus ab hac natura humana, potest esse idem cum eo qui sumitur a forma adventitia[22].

392. Similiter *idiomata divina enuntiata in concreto* vere et proprie de *Christo* et de *homine* dicuntur: Homo est Deus, Christus est creator.

Idiomata autem divina de Christo et de homine *substantialiter seu absolute tantum,* non denominative seu adiective praedicantur. Male in rigore diceretur: lesus est *homo dominicus.* Nam "cum dicitur homo Christus lesus, designatur suppositum aeternum quod est persona Filii Dei...: de persona autem Filii Dei praedicatur Deus et Dominus *essentialiter;* et ideo non debet praedicari *denominative,* quia hoc derogat veritati unionis, unde cum *dominicus* dicatur denominative a Domino, non potest vere et proprie dici quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit *Dominus*" ". Non tamen aeque male diceretur: *homo divinus,* cum haec *non necessario* accidentalis denominatio sit; naturam enim vel essentiam Dei appellamus *divinam.* Caute nihilominus haec expressio adhibenda erit[24].

393. *Flistorice* quidem locutio *homo dominicus* apud plurcs Patres ac scriptores orientales et occidentales recurrit saeculo 4 ct initio saec.5®, neque originis appollinaristicae damnanda est[2'1]. Sed problemate de *unitate* Christi proposito, formula haec minus exacta haberi coepit ac derelicta est ".

394. Non praedicantur *simpliciter* nomina concreta, quando praedicantur *in sensu reduplicative.* Ideo illa propositio: "Christus *secundum quod homo est Deus"* magis est neganda quam affirmanda, quia "terminus in reduplicatione positus

30 Cf. S.Th., 3 q.16 a.8s; Salmanticenses, d.26 dub.l n.6; dub.5; Stentrup, 2, th.37 p.641 nota; 647-651; Muncuniix, n.578s.585; A.van Hove, *De quibusdam comniurticationis idiomatwn applicationibus·.* DivThom (Pi) 14 (1937) 514s.

71 Cf. S.Th., 3 q.20 a.l ad 1 et ad 2; Stentrup, *ibid.,* 651-660.

22 Cf. Stentrup, *o.c.,* 641.

23 S.Th., 3 q.16 a.3 c. Cf. SalmanttcEnsbs, d.26 dub.3.

34 Cf. S.Th., ibid., ad 3; Stentrup, 2, th.37 p.644; Lercher, n.140, Reg.V, 2, c).

23 Cf. J.Lebon, *S.Athanasc a-t-il employé l'expression* *0 κυριακδ ἀνθρωπο ?: RevHistEccl 31 (1935) 309. In hoc articulo ostenditur ipsum S.Athanasium, ut videtur, semel hac voce usum fuisse.

2e Cf. *ibid.,* 308, nota 2.

" Cf. *ibid., 322.*

magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito"[78]. In Christo autem remanent duae naturae perfectae ac integrae. Ob eandem rationem videtur e contra magis concedenda quam neganda haec alia propositio: "Christus *secundum quod homo* est *creatura"* [79]. In singulis ergo casibus diligenter res est examinanda, ut concreta ad unam naturam attinentia non praedicentur de altera *in sensu reduplicativo.*

395. Haec in concreto praedicatio fieri insuper debet, ut recta sit, *de Christo iam constituto.* Communicatio enim idiomatum fundatur in coniunctione naturae divinae et naturae humanae in supposito Verbi. Ideo praedicationes quae non tam significant praedictam conjunctionem quam *viam* sive *ordinem ad illam* non sub his regulis cadunt de idiomatum praedicatione.

Huiusmodi propositiones *viales* sunt v.c. "Deus factus est homo" et "homo factus est Deus". Prior illa tanquam vera necessario a catholicis agnoscitur, cum pluries habeatur iam in sacra Scriptura; v.c. Io 1,14; Rom 1,3.

Ratio S.Thomae optima est: "unumquodque dicitur esse factum illud, quod de novo incipit praedicari de ipso; esse autem hominem vere praedicatur de Deo..., ita tamen quod non convenit Deo esse hominem ab aeterno, sed ex tempore per assumptionem humanae naturae"[80].

396. Altera autem propositio: "Homo factus est Deus" communiter reioitur, si in rigore sumatur. Ratio est quia "homo" supponit determinate pro persona Christi, quae est ipse Deus sive ipsum Verbum. Haec vero persona est essentialiter Deus et habet esse Deum independenter ab omni terminatione temporali[81]. Pluries apud sanctos Patres haec propositio vel aequivalens invenitur. Volebant hi auctores exprimere in mysterio incarnationis factum fuisse ut homo esset simul verus Deus, neque dialecticus rigor oportet semper in Patribus observari[82]. Textus S.Pauli Rom 1,3 nonnisi male intellectus obiectioni locum daret[83].

397. b) *Abstracta non recte de abstractis praedicantur,* ut v.c. divinitas est humanitas, mortalitas est immortalitas. Cum enim abstracta *solam formam seu naturam sine subiecto* significent, sequeretur ex tali abstractorum praedicatione *naturas ipsas* fuisse in Christo identicas seu in eo esse *unam*[30]

78 S.Th., 3 q.16 a.11 c.
79 Cf. S.Th., ibid., a.10 c. Contra, Van Hove, *De quibusdam communicationis...:* DivThom (Pi) 14 (1937) 515s. De praedicationibus *cum reduplicatione* in Christo, cf. Salmanticenses, d.26 dub.1 n.6; dub.6; Mitncunill, n.585.
80 3 q.16 a.6 c. Cf. Salmanticenses, d.26 dub.4 n.37-41.
81 Cf. S.Th., ibid., a.7 c. Cf. Salmanticenses, ibid., n.42-46.
82 Cf. S.Th., ibid., ad 2 et 3; Salmanticenses, ibid., n.44. De *homine assumpto,* cf. supra th.3 obi.3 n.42.
83 Cf. S.Th., ibid., ad 1; Prat, *La Théologie...* 2,510-512; Huby, *Epitre aux Romains* 43; BovEr, *Tcologia de Sant Pablo* 67s.

tantum naturam. Quodsi aliquando similes locutiones in scriptis orthodoxis recurrunt, per quandam licentiam sermonis explicandae sunt, qua abstracta adhibentur loco concretorum, ut divinitas pro Deo[34].

398. c) *Neque in genere abstracta de concretis aut vicissim.* Nam mutua praedicabilitas inter illa tantum nomina viget quae designare possunt *personam unam* Verbi incarnati ; iam vero, nomina abstracta exprimunt naturam seu formam *sine subiccto.* Ideo male diceretur : Humanitas est Deus, Filius Dei est mortalitas.

Diximus talem praedicationem *in genere* non rectam esse. Fieri tamen potest ut, sin minus in sensu formali at utique saltem in sensu reali, idiomata *divina abstracte* significata de *concretis* naturae humanae per identitatem valeant praedicari : Omnipotentia incarnata est, homo est aeternitas. Cum enim haec abstracta divina vere quidem *de Filio Dei* praedicentur, etiam, ut videtur, *de filio hominis* poterunt praedicari, qui supponit pro divina Verbi persona[35]*

399. Maiorem facit difficultatem ac magnam excitavit controversiam locutio : "Christus est divinitas et humanitas simul sumptae". Si tamen Christus accipiatur non praecise pro solo supposito vel persona sed *pro composito* ex duabus naturis unitis substantialiter in una persona, videtur talis locutio rectum sensum habereæ.

400. *Abstractis* nominibus *aequivalent* nomina concreta quae adhibentur *cum particula rcduplicativa.* Male diceretur: lesus *qua homo* est Deus, quia talia nomina *magis* supponunt *pro natura* quam *pro supposito.* Cf. supra, n.394.

401. Abstractis *etiam aequivalent* ea nomina concreta quae *partes integrantes* naturae humanae designant. Sic male auditur: Filius Dei est caput vel sanguis. Partes enim integrantes non supponunt pro supposito totius sed pro se ipsis, velut si seorsim vel *abstracte* considerarentur. Idem esset dicendum *de partibus essentialibus,* cum neque hae supponant pro supposito totius, nisi forte anima vel corpus per synecdochen sumerentur pro toto homine[37].

402. 2) *Concreta vere negativa,* quae removent aliquam proprietatem unius naturae, non possunt praedicari absolute de Christo nec de concretis naturae. Ideo falsae sunt propositiones: Christus est incorporeus, sc. ncn-corporeus, vel Christus est inaequalis Patri ; scientia Christi vel potentia Christi est non-divina. Ratio est, quia negatio *simpliciter* removet a *subiecto* illud quod negat, ac proinde *simpliciter*

34 Cf. S.Th., ibid., a.5 c; Salmanticenses, d.26 dub.1 n.7.
95 Cf. S.Tn., 3 q.17 a.1 c; Salmanticenses, ibid., ŋ.8-11; LErcher, n.139.
Cf. Salmanticenses, ibid., n.11; Muncunill, n.583.
37 Cf. Muncunill, n.58O; Stentrup, 2,646s.

removeret a Christo quod illi convenit secundum aliam naturam, quamvis non secundum aliam. Nihilominus in ipsa sacra Scriptura expressiones negativae recurrunt de Christo, quae ideo adhibentur ut praevalens locus Patris clariori in luce ponatur, vel res satis iam ex contextu patet: v.c. Mc 13,32 (cf. supra, th.15 schol.2 n.359); Io 7,16[38].

403. 3) Illae idiomatum praedicationes vitandae sunt, quae, quamvis in se rectum sensum habere possent, ab haereticis in perversum sensum detorsae sunt. Nam "cum haereticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur". Sic S.Thomas de sententia: "Christus est creatura"[39].

404. 4) Denique in idiomatum praedicatione magis ad modum significandi usitatum et ad usum Ecclesiae et sapientum attendere debemus, quam ingenio proprio credere. Ex variatione enim modi significandi et ex inordinatis verbis error incutitur[40][41].

Obiectiones fere praeoccupatae sunt in superioribus. Conferri potest v.c. Muncunill, n.566-575.

405. Scholion. *De unitate Christi quantum ad esse.* Intime connexa cum quaestione de his quae Christo conveniunt *secundum esse et fieri,* ut supra n.370 indicavimus, proponitur a S.Thoma quaestio de his quae pertinent *ad unitatem* in Christo (q.17).

Unitas vero duplex distinguitur, alia *in communi,* alia *in speciali.* Unitas *in communi* dicitur, ut contraponitur *ad speciales perfectiones,* v.c. de gratia et scientia, de quarum unitate vel pluralitate in propriis locis egerat S.Doctor.

Quia autem in quolibet vivente distinguendum est *esse* et *operari,* ideo agit S.Thomas de unitate quantum ad utrumque. Sed quia esse est *prius* quam operari, primum agit de unitate *quantum ad esse".* De ea etiam nos tractamus in hoc scholio.

406. Christus est *unus et unum* tam masculine quam neutraliter. Christum esse *unum masculine,* non vero duos est de fide definita contra nestorianos (cf. supra th.3 n.33s). Ratio autem est quia cum *unus* designet personam, ille dicendus est unus, in quo *una* tantum est *persona.* Christus ergo *'non est alius et alius.*

Christum esse *unum neutraliter,* nen vero duo neutraliter est sententia communis inter theologos contra quosdam veteres ponentes in Christo *duo supposita* sed *unam personam.* Ratio est quia si "duo" neutraliter posset praedicari de Christo, id esset *ratione naturarum.* At, cum naturae divina et humana non praedicentur de Christo in abstracto, sed tantum *in concreto,* sc. *ratione suppositi* quod in utra-

[38] Cf. Muncunill, n.577; Franzelin, 4 c.16 n.13; Lercher, n.140. De Io 7,16, cf. Lagrange, *Evangile...* in h.l.

[39] 3 q.16 a.8 c. De antiquioribus theologis, cf. Landgraf, *Dogmengeschichte...* 2.ª pars, 1, 172-198.

[40] Cf. Ioan. a S.Thoma, *Ars Logica...* (Cursus Philosophicus Thomisticus... a B.Reiser, O.S.B., Taurini 1930) 104.

[41] Cf. Ioan. a S.Thoma, *In 3* q.17 introd.

que subsistit, necesse est ut Christus etiam neutraliter sit *unum* et non *duo.* Hinc, quamvis *in Christo* detur duplex natura, et ideo aliud et aliud, ipse Christus *non* debet sine addito dici *aliud et aliud* ".

407. In Christo est tantum *unum esse.* Ex praecedentibus constat esse in Christo *duas naturas et unum suppositum.* Nunc igitur quaestio est utrum sint in Christo etiam duo esse an unum tantum.

"Esse... pertinet et ad naturam et ad hypostasim; ad *hypostasim* quidem, sicut ad *id quod* habet esse; ad *naturam* autem, sicut ad id quo aliquid habet esse... Ideo [esse] magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturae" ". Filio ergo Dei *non* advenit secundum humanam naturam *"novum esse personale,* sed solum nova habitudo esse personalis praeexistentis ad naturam humanam" ".

Thesis 17. In Christo duae naturales voluntates et duae naturales operationes sunt agnoscendae.

408. Nexus. Ex his quae conveniunt Christo *secundum se* consideravimus thesi praecedenti tum quae Christo conveniunt secundum esse et fieri tum quae pertinent ad Christi unitatem in communi quantum ad esse. Nunc agendum est de his quae pertinent *ad unitatem* Christi quantum ad *operari.* In operari duo veniunt distinguenda, *principium actionis* seu voluntas (q.18) et *ipsa operatio* (q.19) x.

Quamvis hic esset locus tractandi *de libero arbitrio Christi,* ut recte facit S.Thomas fq.18 a.4), propter singulare tamen rei momentum ac propter notabilem huius materiae amplitudinem thesim sequentem huic puncto evolvendo reservamus.

Etiam hoc loco agit S.Thomas (q.19 a.3s) *de merito Christi.* Nos infra th.24 de hac re ex professo agemus, ubi cum S.Doctore (q.48 a.1) considerabimus quomodo passio Christi causaverit nostram salutem *per modum meriti.*

43 Cf. S.Th., 3 q.17 a.1; Caietanus, Suarez, Ioan, a S.Thoma, Salmanticenses, in h.l.

« S.Th., 3 q.17 a.2 c et ad 1.

M Ibid., c. Fuse, Caietanus, in h.l.; Bouessé, *Le Sauveur du monde.* 2. *Le Mystère...* 504-517; M.L.GuErard des Lauriers, O.P., *La distinction réelle entre l'essence et Pacte d'être.* Note épistémologique: RevThom 59 (1959) 32-78; M.Corvez, O.P., *La "distinction réelle" et l'unicité de l'être dans le Christ:* ibid., 704-715; quaedam methodologica notatu digna, apud M.D.Koster, O.P., *Die Menschennatur in Christus hat ihr eigencs Daseinf Zu cincr fruheren Thomasauslegung in Théologie 'in Gcschichte und Gegenwart (.Fcstgabe M. Schm'aus.* Mfünchen 1957). Cf. quoque H.-M. Diepen, *L'existence humaine du Christ en métaphysique thomiste:* RevThom 58 (1958) 197-213; A. Piolanti, *L'Essore dei Verbo Incarnato:* Divin 3 (1959) 77-94. Cf. contra, Suârez d.36. Minges, 1, n.500-502. Plura exposuimus supra, th.4; de mente S.Tnomae, cf. ibid., obi.4 n.64.

1 Cf. Ioan, a S.Thoma, *In 3* q.17 introd.; q.18 introd.

409. Notiones. Eas intelligimus sensu quo *ab Ecclesia* haec veritas proposita est in documentis suo loco infra afferendis contra *monotheletas.*

Voluntates (θελήσει ἤτοι θελήματα: D 291 initio) designant tum ipsas *potentias* seu facultates volendi tum maxime, in quantum videtur, harum potentiarum *actus* seu volitiones 2.

Voluntates naturales seu voluntates quae ordinem immediatum dicunt non ad hypostasim sed *ad naturam3.* Aliis verbis, ex eo quod in Christo confitemur *duas naturas* integras, etiam *duas* debemus in eo confiteri *voluntates naturales.*

410. Operationes (ἐνέργειαι) designant, licet res non plene liquet, *ipsas operationes* seu actus potius quam *potentias* activas 4.

Caeterum *dualitas potentiarum* vel facultatum evidenter habetur si *actuum dualitas datur. Voces ergo* θέλημα et ἐνέργεια *concorditer cum doctrina definita* reddentur latine per *voluntatem* et *energiam* tanquam facultates sive *potentias;* aliquantulum tamen minus accurate viderentur reddi illi termini *prout ab Ecclesia in illa controversia* sunt adhibiti5.*

411. Quamvis *historice* prius fuerit quaestio habita de Christi *operatione* quam de eius voluntate ac licet *logice* terminus *operatio* sub se comprehendere videatur ipsam *voliiiotnem,* ordinem inversum in theseos enuntiatione tenemus, qui est ordo quo *Ecclesiae documenta* rem proponunt. De facto haec documenta eo tempore composita sunt quo controversia de *voluntate* Christi movebatur, ac doctrina de unicitate vel dualitate *voluntatum* est in ordine reali caput fundamentale, unde reliqua pendent.

412. Adversarii. *Monotheletae* solent in genere appellari qui nostrae thesi adversantur. Historice tamen alius error eiusdem tendentiae apparet ante exortum proprie dictum monothelismum.

Politicae rationes, imitatis sc. in imperio obtinendae, praecipuam dederunt originem huic controversiae, quae per inte-

3 Cf. J.Bois, *Constantinople (HI* Concile de)·.* DTC 3,1279s. Contra, tenet θέΧηαα in hac monotheletarum controversia *semper* significare *organum volendi* G.Schrenk, apud Kittel, *Thcologisches Wortcrbuch... 3,62* lin.22s. Nimis exaggeratum hoc videtur, tum ob rationes allatas a Bois, *l.c.,* tum eo quod in sacra Scriptura N.T. θέλημα designet obiectum quod quis vult (ideoque *actum* voluntatis), ut ipse Schrenk testatur *l.c.,* lin.23s. In memoriam revocetur quomodo adhuc S.Thomas sub nomine *voluntatis* tum potentiam tum actus seu volitiones comprehendat: cf. supra th.15 schol.3 n.362.

3 Cf. DTC 3,1270s.

4 Cf. DTC, ibid. 'Fixeront *(Histoire des dogmes...* 37, 163 nota 2) simpliciter negat vocem “operationem” significare in hac controversia vim activam, sed dicit eam significare solum actum seu ipsum a-gere. Id tamen non ab omnibus videtur admissum: cf. F.Bauer, apud ThRev 26 (1927) 273.

» Cf. DTC, ibid.

gros· 60 annos (619-679) Ecclesiam turbavit. Hinc bene explicatur cur tam varie haec sua doctrina ab haereticis proposita fuerit, quippe quod totum negotium magis politicum quam doctrinale fuerit. Haeresis haec prae haeresibus omnibus mutabilior iure dicitur [6].

Formula itaque unionis quaesita est, quam admittere possent sive monophysitae sive catholici. Sergius, Patriarcha Constantinopol., ab anno 619 volebat utramque in Christo retinere naturam at tantum de una energia seu de una operatione sermonem facere. Inde sic dictus *moncnergismus.* Sub hac formula unionem cum monophysitis Cyrus, Patriarcha Alexandrinus, a.633 obtinuit.

Postea, ob catholicorum impugnationes, haec doctrina fuit derelicta ; coeperunt autem haeretici de *una voluntate* in Christo sermonem instituere, quod proprie dictum *monotMismum* constituit[7].

413. Quo sensu hanc unam operationem seu tmarn voluntatem intclligerent, difficulter dicitur.

Non videntur defuisse *inter monenergetas* qui humanitati Christi *omnem agendi potentiam* denegaverint. Humanitatem hanc conciperent velut substantiam *inertem.* Verbum esset *unum principium activum* idcoque una esset operatio, nempe operatio huius divini principii. Humanitas a Verbo moveretur, sicut corpus ab anima vitam ac motum accipit [8].

414. Communior tamen Sergii et *monotheldarum* explicatio ea videtur esse, quae potentias humanas ipsamque voluntatem in Christo admittat activas quidem sed non nisi *sub impulsu* divinae voluntatis. Divina haec voluntas potentias illas ad actionem movet, dum humana voluntas, et ipsa a divina voluntate mota, divinum impulsum ad alias potentias simpliciter transmittit. Proprie igitur non *activitatem* sed *spontaneum* motum humanarum potentiarum ac maxime humanae voluntatis negassent [9].

415. Doctrina Ecclesiae. Principium fundamentale S.Leo I exposuerat: "Agit enim utraque forma... quod pro-

[6] Cf. M.JüGiE, *Monothélismc:* DTC 10,2307; Tixeront, *Histoire des dogmes...* 160s.

7 Cf. DTC 10,2316-2321; Tixeront. *ibid.,* 161-172.177-188; L.Bréhier, apud *Histoire de l'Eglise* par Fliche ET Martin, t.S (Paris 1.938) c.4 p.111-123; c.5 p.131-133; c.6 p.160-177.

8 Cf. Tixeront, *ibid.,* 175s. Haec monothelismi interpretatio est inter theologos communissima; cf. Petavivm, 1.8 c.4-6; Stentrup, 2 th.50 p.812s; Muncunill, n.589. Quomodo notitia de monothelismo nimis sero et incctnplete in occidentem fuerit inducta, cf. Backes, *Die Christologie des hi.Thomas...* 155-161.

[9] Cf. Tixeront, *ibid.,* 174S.177; Xiberta, 1,194-197. JugiE (DTC 10,2313s. 2322) opinatur apud monotheletas vix fuisse errorem *rcalem,* sed potius *inep. tum loquendi modum* ab cis praefracte adhibitum ob commoda politica. In eandem sententiam videtur inclinare I.Backes, *Monothcletismus'.* L/TK 7,288.

prium est..." (D 144). Postea S.Martinus I cum *Concilio Lateranensi* (649) et S.Agatho cum *Concilio Romano* (680) doctrinam de duabus naturalibus voluntatibus et operationibus proposuerant (D 262-272 288), at maxime *Concilium Constantinopol. III* rem definivit: "Et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise... praedicamus" (D 291s)[10].

Notandum est in Constantinopol. III non tantum definiri *exsistentiam* duarum in Christo voluntatum et operationum sed insuper ipsam voluntatis humanae *spontaneitatem.*

Quamvis enim forma verbi sit passiva (κινηθῆναι D 291) sensus *vocis mediae* et grammaticaliter permittitur [11] et ex oppositione cum sequenti verbo ὑποταγῆναι δέ exigitur. Versio itaque exacta est: oportebat enim carnis voluntatem *se ipsam movere,* obtemperare *autem* voluntati divinae...

416. Confirmatur haec interpretatio authentice ab ipsis Patribus huius Concilii, qui in eadem hac actione decima octava legerunt ac subscripserunt sermonem acclamatorium seu prosphoneticum, in quo praecedens definitio hoc modo explicatur: "Si enim absque voluntate et absque operatione humanam domini naturam dicere cesserimus, ubi perfectum in humanitate salvatum est? Nihil enim aliud constituit humanae substantiae integritatem, nisi essentialis voluntas, per quam *liberi arbitrii vigor* in nobis designatur; sic se habeat et substantialis operatio" [13]. Tam *spontanea* definitur a Patribus humana Christi voluntas, ut *et libera* intelligatur.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 291s).

417. Probatur ex sacra Scriptura, a) *Exsistentia duarum voluntatum* vel volitionum in Christo textibus generalioribus probari potest. Ita Mt 26,39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu.* Cf. Lc 22,42: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Cum Christi voluntas divina numerice una esset cum Patris voluntate, sermo est in hoc loco de eius *humana* vo-

10 De formula illa S.Leonis I, cf. Fr.Diekamp: ThcolRcv 32 (1933) 447s. De S.Martino I, cf. E-Amann, *Martin I (Saint):* DTC 10,182-194. De S.Agathone, cf. T.EvELINO, *Il a.tehsmo nella epistola dogmatica del Papa Agatone. Un contributo alla storia dogmatica del VII sccolo* (Pontificia Universitas Gregoriana, Bolzano 1940). De Conc.Constantin. III, cf. DTC 3,1259-1274. Cf. quoque DTC 10,2331s. Vide insuper supra, n.409s.

11 Cf. Liddell-Scott-Stuart Jones, *A Greek-English Lexicon* (Oxford 1951) in h.v., p.952. Loci citati *Iliad.* 1,47; 2,144 sensum medium ostendunt. Cf. quoque E·A.Sophocles, *Greek Lexicon of the Roman and Byzantine periods...* (New York 1900) in h.v. Alia loca in eundem sensum referuntur a L.Rocci, *Vocabolario grcco-italiano* (Roma 1939) in h.v. Hunc sensum medium haberi apud S.Athanasium, unde haec sententia desumpta est a Concilio, ostendit Galtier, *La conscience humaine du Christ...:* Greg 32 (1951) 554s.

13 Msi 11,663; Hrd 3,1422. Cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles...* 3' (Paris 1909) 510s.

luntate contradistincta a divina. Quodsi directus sermo sit de *actibus* **voluntatis** ab his exsistentiam ipsius potentiae necessario deducimus. Cf. quoque Io 6,38[14].

b) *Spontaneitas voluntatis humanae* maxime patebit ex afferendis in thesi sequenti, n.454-457 ad Christi *libertatem* demonstrandam.

418. c) *Exsistentia operationum humanarum* in Christo nimis clare patet iam ex actionibus quibus supra, th.7 n.118. 120 probavimus corpus Christi carneum animamque rationalem. Illa enim non nisi de *humana* eius natura accipi possunt [15].

d) *Spontaneitas operationum humanarum* constat maxime ex facto quod Christus habuerit *tristitiam* spiritualem *de eodem obiecto materiali* de quo in natura divina gaudium summum habebat. Hoc probat passiones in Christo non quidem iudicium eius rationis praevenientes, sed tamen neque divinae naturae *praevium motum exspectantes,* cum *mottes tristitiae* sit in humana Christi natura oppositus *motui aaudii* in divina eius natura habiti circa idem obiectum materiale.

419. Eadem spontaneitas operationum humanarum indicatur apud Hebr 4,15: *Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Cum tentatio, de qua hic est sermo, secum ferat motionem quandam *contra divinam voluntatem,* neque huiusmodi tentatio neque affectus tristitiae, timoris, etc., per tentationem excitati potuerunt in humana natura produci *consequenter* ad impulsum divinae Verbi naturae, sed in humana Christi natura sponte producebantur sicuti apud nos "pro similitudine"[16].

Caeterum, modus quo Iesus agens inducitur in evangeliis est *omnino humanus,* ideoque falso fingeremus in eo carentiam illam spontaneitatis, de qua monotheletae.

420. Probatur ex traditione. A. *Ante exortum monothelismum.* a) *Exsistentia duarum voluntatum, quae spontaneae agant,* ostenditur a Patribus maxime occasione orationis Domini in Gethsemani. S. Athanasius: "Cum [Christus] ait: *Pater, si possibile est...* duas voluntates ibi ostendit: alteram

[13] Cf. Kittel, *Theologisches Wdrterbuch...* 3,62 lin.23s.

[14] Cf. Ceuppens, *Theologia biblica* 3,143s. De Christi *velle ac voluntate* in N.T., cf. F. Zorell, S.I., *Lexicon Graecum Novi Testamenti* (Cursus Scripturae Sacrae, Parrisiis 1931) in h.v.; Kittel, *ibid.,* 3,47s.55s.

[15] Christum habuisse operationes *divinas* a monothelctis plene affirmabatur. Caeterum de his operationibus divinis, cf. Ceuppens, *ibid..* 152s.

[16] Cf. Bonsirven, *Epitre aux Hébreux* in h.l.; Spicq, *L'epître aux Hébreux* in h.l.

humanam quae est camis, alteram divinam quae Dei est. Siquidem humana ob infirmitatem carnis deprecatur passionem ; divina autem eius voluntas prompta est..." (R 790). S.Ioannes Chrysostomus : "Neque enim agoniam. solum haec verba significant, sed etiam duas voluntates... inter se oppositas" (R 1133). S.Leo I Magnus: "Ipse [Dominus] Patri supplicans ait: *Pater, si possibile est...* Prima petitio infirmitatis est, secunda virtutis; illud optavit ex nostro, hoc elegit ex proprio" (R 2203)1T.

Spontaneitatem humanae voluntatis non poterant Patres clarius efferre quam motus quodammodo *oppositos* utriusque voluntatis efferendo.

421. b) *Exsistentia duarum operationum, quae spontaneae sint.* 1) Humana operatio expresse *distinguitur* a divina. Tertullianus: "Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum, in una persona... et adeo salva est utriusque proprietas substantiae, ut et spiritus res suas egerit in illo... et caro passiones suas fimeta sit, esuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem, denique et mortua" (R 379) 1S. S.EphraEm: "... propterea duae illae naturae exprimebant affectus suos, ut per affectus duarum homines duas esse discernerent..." (R 705). S.Cyril-Lus Hierosol.: "Crede quod hic unigenitus Filius Dei... descendit, assumpta humanitate ista, iisdem quibus subicimus affectibus obnoxia... ut homo manducans vere sicut et nos (similes enim nobis corporis affectiones habebat), sed ut Deus hominum quinque millia ex quinque panibus nutriens" (R 817). Cf. R 759 773 1080.

422. 2) Humana operatio *opponitur* divinae. S.Ambrosius: "Ut homo ergo dubitat [Christus], ut homo turbatur. Non turbatur eius virtus, non turbatur eius divinitas, sed turbatur anima..." (R 1267). S.Cyrillus Alexandrinus: "... ita ut humanae quidem naturae fuerit perturbationis commotio, divinae autem in omnibus constantia. Mortis quidem praesens imago lesum turbat, sed deitatis virtus commotam illico sedat passionem et ad confidentiam transfert" (R 2103)ie.†0

17 Pro S.Athanasio, cf. Weigl, *Untersuchungcn sur Christologie des hl. Athanasius* 69.155. Pro S.I.Chrysostomo, cf. Weigl, *Christologie vont Tode des Athanasius...* 50. Pro S.Leone I Magno, cf. Kuhn, *Die Christologie Leos I;* ct cf. supra, nota 10. De S.Augustino, cf. Van BavEl, *Recherches sur la Christologie...* 130-140.

Cf. D'Ales, *La Théologie de Tertullien* 198.

10 Pro S.Ambrosio, cf. Drzenick, *Doctrina S.Ambrosii...* 28-31. Pro S.Cyrille, cf. Galtier, n.132-134; J.Maric, *Celebris Cyrilli Alexandrini formula christologiea de una activitate Christi...* (Academia Theologica Croatica, 6. Zagreb 1926) prima pars.

423. B. *Post exortum monothelismum.* 1) S.Sophronius, Patriarcha Hierosolym. († 638), catholicam doctrinam *de duabus energiis* vindicavit maxime in epistola synodica ad Sergium (de quo supra n.412). In ea *unitas* quidem *agentis* plene agnoscitur, at simul *dualitas operationum:* “quod [Verbum incarnatum] utramque inseparabiliter et inconfuse operationem secundum naturas suas a seipso naturaliter proferebat” (R 2289) [20].

424. 2) S.Maximus, dictus Confessor (580-662), qui in exsilio occubuit ob catholicae doctrinae *de duabus in Christo voluntatibus et operationibus* defensionem. Orthodoxam veritatem magis philosophice exponit intima cum dependentia a Leontio Byzantino († c.543), cui tamen superior exsistit [21, 22].

S.Maximus totus est in recta synthesi divinae et humanae naturae ac personae in Christo vindicanda. E duabus naturis necessario duae operationes et duae voluntates naturales sequuntur. Distinguit ipse velle *naturale* (θέλημα φυσικόν) et velle *gnomicum* (θέλημα γνωμικόν). Velle illud humanum *naturale* in Christo multipliciter a Maximo demonstratur. Velle autem aliud *gnomicum,* cuius principium non est simpliciter natura aut essentialis proprietas naturae sed habitus efformatus libere ex multiplici deliberatione ac iudicio, proprium est *personae humanae,* et in eo peccatum inveniri potest; in Christo hoc velle *gnomicum* non datur. Velle humanum Christi *naturale* liberum divinae voluntati Verbi semper conforme exsistit [23].

425. 3) S.Ioannes Damascenus ...quin habere etiam eum, uti duabus naturis consentaneum est, duplices naturarum duarum naturales proprietates ; hoc est, duas naturales voluntates, divinam et humanam; duas naturales operationes, divinam et humanam ; duas naturales arbitrii libertates (αυτεξούσια) divinam et humanam” (R 2365). Cf. R 2362 2366 2383

30 Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes...* 3,164-171; G.Bardy, *Sophrone de Jerusalem'.* DTC 14,2379-2383.

21 Cf. V.Grumel, *Maxime de Chrysopolis* ou *Maxime le Confesseur (Saint):* DTC 10,453s. Pro pleniori intelligentia Sti.Maximi videas optimam introductionem in opere P.Sherwood, O.S.B., *St.Maximus the Confessor, The Ascetic Jjife...* Westminster-London 1955.

22 Cf. R.A.Gauthier, O.P., *Saint Maxime le Confesseur et la psychologie de Pacte humain:* RechThAncMéd 21 (1954) 77-82. Paulo aliter, DTC 10,454-456; Tixeront, *Histoire des dogmes...* 3,188-192; H.U.von Balthasar, *Kosirtische Liturgie, Maximus der Bekenner: Hôhe und Krisc des gricchischen Weltbilds* (Freiburg i.B. 1941) maxime 35-47 et 193-271 (brevissime, cf. Schol 17 [1942] 254). De relationibus S.Maximi cum Concilio Lateranensi (649), cf. J.Pierres. *I. Formula S.Iohannis Damasceni... II. S.Maximus Confessor princeps apologetarum synodi Lateranensis anni 649...* (Pontificia Universitas Gregoriana, Romae 1940).

23 Cf. Tixeront, *l.c.,* 501-504. De duplici voluntate ac operatione in Christo plura, cf. apud Petavium, 1.8 c.8s; 1.9 c.6; DiEkamp, *Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi,* ad nominum rerumque indicem, p.361s; Xiberta, 1,203-206.

426. Ratio theologica. Praecipuum argumentum quod affert S.Thomas, ut et duas voluntates et duas operationes naturales in Christo probet, est illud a traditione quoque prae caeteris dilectum, sc. utriusque naturae in Christo *perfectio* 24.

427. Obiectiones. 1. Recepta est in traditione formula de Christi operatione: Θεα\δρική ἐνέργειχ (Deivirilis operatio). Atqui hac formula significatur *unicum operari* Christi. Ergo traditio stare videtur pro unico Christi operari.

1) *Dist. mai.* Formula haec a primaeva traditione fuit inducta ac a posterioribus Patribus simpliciter admissa, *nego mai.;* formula haec demum labente saec.5 a Ps.Dionysio Areopagita fuit inducta (cf. R 2279) ac iam saec.7 fuit reiecta aut saltem in recto sensu explicata, *conc. mai. Trans, min. Contradist. cons.* Si traditio hanc formulam simpliciter admisisset, *trans, cons.;* si statim reiecit aut recto in sensu explicavit, *nego cons.".*

2) *Trans, mai. Dist. min.* Ab auctore huius formulae fuit hoc modo intellecta, *trans, min.;* a catholica traditione, *nego min. Dist. pariter cons.*

Authentica declaratio a *Concilio Lateranensi* (649) lata est. Cf. D 268.

428. Terminus hic *in theologia catholica* technicus evasit ad *quasdam* Christi operationes designandas. Distinguendae enim sunt operationes *simpliciter divinae,* quae a Verbo efficiuntur sine ulla cooperatione humanae naturae, h.e. operationes notionales ad intra, et operationes ad extra Verbo communes cum Patre et Spiritu Sancto. Aliae sunt operationes *humanae,* quae a sola natura humana tanquam principio quo eliciuntur, ut manducare, tristari, orare, obedire. Aliae denique sunt operationes *mixtae,* quae ab utraque natura tanquam principio quo eliciuntur, ut ambulare supra mare, miracula per physicum manus contactum aut per locutionem patrare.

429. Operationes *simpliciter divinae* non sunt theandricae. Operatio enim consequitur *naturam* tanquam principium elicitivum *quo* et personam solum tanquam principium *quod.* Iam vero hae operationes simpliciter divinae consequuntur *naturam divinam et personam;* ergo nullo modo proprie tribui possunt *homini:* ideoque dici nequeunt *theandricae.*

430. Operationes *humanae* dici possunt at *minus proprie* theandricae. Cum operatio spccificetnr a propria *natura,* humana operatio nequit stricte dici aliquid *divini;* naturae enim in Christo integrae et inconfusae perseverant. Hoc tamen sensu aliquid divini humanae operationi -competit, quatenus haec operatio procedit tanquam a principio *quod* a persona divina. Quin immo, *ipsa divina natura* eatenus ab humanis operationibus non est penitus aliena, quatenus ad eas concurrit concursu divino easque vult. Cf. infra obi.4 n.433s.

431. Operationes *mixtae* vocantur *proprie* theandricae. In his *utraque natura* per modum principii elicitivi *quo* cooperatur ad ef-

w 3 q.18 a.1; q.19 a.1. Cf. Backes, *Dic Christologie des ht.Thomas...* 172-175 Plura de tota hac quaestione apud S.Thomann, cf. *ibid.,* 155-175.

35 Cf, GalTIER, n.!36s. De nova interpretatione huius formulae Ps.Dionysii non admittenda, cf. Fr.DiEkamp, apud TheolRev 32 (1933) 446s, et E.Amans, apud RevScRel 13 (1933) 259-263.

fectum totalem producendum. Ambulatio supra mare in quantum est *ambulare,* aliquid *humanae* naturae proprium dici debet ; sed in quantum est *supra mare,* h.e. modo miraculoso, aliquid est quod a cooperatione *divinae* naturae provenit ”.

432. 2. S.Cyrilli Alexandrini auctoritas, praecipue in quaestione de unitate Christi, maximi est facienda. Atqui S.Cyrillus expresse dicit in Christo dari “unam et eandem activitatem” ". Ergo argumentum traditionis pro duabus operationibus in Christo valde infirmatur.

Conc. mai. Dist. min. Ita ut S.Cyrillus duas in Christo operationes ac voluntates naturales admittat, *conc. min.;* aliter, *nego min. Dist. pariter cotis.*

433. Quamvis de positiva interpretatione huius sententiae inter catholicos disputetur, in admittenda S.Cyrilli plena orthodoxia consensus habetur.

Prae aliis ea praeferenda videtur explicatio, iuxta quam in verbis relatis vox ἐνέργεια (activitas) *sensu obiectivo* intelligenda sit, et significet *effectum,* i.e. resurrectionem puellae, a Salvatore productum tum per omnipotentiam divinam tum per tactum manus. Designaretur, igitur, activitas Christi duplex ex parte subiecti, cum duae sint in Christo naturales operationes, quod nos in thesi probare intendebamus, at una activitas *ex parte termini* seu ex parte effectus

434. 3. Operationes sunt suppositorum. Atqui in Christo unum est suppositum. Ergo et una operatio.

1) *Trans, mai. et min. et nego cons. et consequentiam.* Argumentum enim, iuxta regulas syllogismi, hoc modo proponendum est : Operationes sunt suppositorum. Atqui in Christo unum est suppositum. Ergo operationes in Christo *sunt unius suppositi.* Hoc autem recte dicitur.

2) *Dist. mai.* Operationes sunt suppositorum, ita ut suppositum sit principium *quod,* sed operatio *specificetur a natura,* quae est principium *quo* suppositum operatur, *conc. mai.;* ita ut suppositum sit et principium quod et principium quo operationum, *nego mai. Conc. min. Contradis/, cons.* Esset in Christo una operatio, si haec a supposito procederet tanquam a principio quod et tanquam a principio specificante quo, *conc. cons.;* aliter, *nego cons.*™.

435. 4. Per unionem hypostaticam Verbum suam fecit *naturam humanam.* Atqui si natura humana facta est Verbi propria, ipsa *activitas humana* etiam erit Verbi. Ergo *humanae naturae* activitas etiam erit Verbi.

Dist. mai. Verbum suam fecit naturam humanam *in ordine personae,* ita ut utriusque naturae divinae et humanae non sit nisi una persona, *conc. mai.; in ordine naturae,* ita ut humana natura absorpta aut physice immutata fuerit a divina Verbi natura, *nego mai. ", Dist.*

M Cf. S Tu., 3 q.19 a.1 ad 1; Pbtavius, 1.8 c.10-12; Poiuuj-GiErENS, 97-100; Gai.tikr, n.138; Id., *L'unité du Christ...* 270-273.

37 *In Io Comment.* 1.4 c.2 (in Io 6,53 vel 54): Edit. PusEy, *Sancti Patris Nostri Cyrilli... in D.Ioannis Evangelium...* (Oxonii 1872) 1,530; MG 73,577 C-D.

® Cf. Maric, *Celebris Cyrilli Alexandrini formula...* ubi aliorum plurium interpretationes examini subiciuntur. Coincidit I.F. DE Groot, S.I., apud Gres 7 (1926) 595-597. Complendum hoc esset cum his quae retulimus supra th.7 n.127 nota 18.

” Cf. S.Tit., 3 q.19 a.1 ad 3.

•° De quibusdam minus rectis formulis apud ipsos catholicos etiam recentiores, cf. GaltiEr, *L'unité du Christ...* 273-280; Id., *La conscience humaine du Christ...:* Greg 32 (1951) 551-565; LaknEr, apud ZkathTh 74 (1952) 346. Pro

pariter min. Ipsa activitas humana etiam erit Verbi *in ordine personae, conc. min.; m ordine naturae, nego min.*

436. Per unionem hypostaticam Verbum nullam *efficientem* causalitatem supra humanam suam naturam exercet, sed causalitatem duntaxat *quasi-formalem* vel potius *terminativam,* ut supra, th.5 schol.5 n.82 exposuimus.

Ideo *actio* divina Verbi in actionem Christi humanam influxum habet *eiusdem rationis* ac in actiones hominum in genere. Concursus physicus Verbi ad actiones suae humanitatis sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali est Verbo communis cum Patre ct Spiritu Sancto. Influxus quem supra suam humanam naturam Verbum exercet per gratias actuales (cf. supra th.11 schol.7 n.226) eo modo explicatur quo influxus divinus supra alios iustos: in hos quidem “ab extra?', in suam humanam naturam "ab intra”, utpote in naturam sibi substantialiter unitam.

Titulus omnino specialis, quem vi unionis hypostaticae natura humana Christi habet ad absolutam indefectibilitatem moralem, de quo supra, th.15, non facit ut divinae motiones *aliter* se exerceant supra hanc naturam ac se exercerent supra puram aliquam creaturam

437. 5. Sanctum est apud Patres effatum: In Christo Verbum est τδ ἡγεμονικόν ”, id est, principium regens ac imperans. Atqui, ubi Verbum regit, carni nullus *spontaneus* motus permittitur. Ergo in Christo operatio et voluntas humana non vere spontaneae dicendae sunt.

Dist. mai. In Christo Verbum est το ἡγεμονικόν hoc sensu, quo Verbum ut tale initiales partes semper teneat, *nego mai.;* hoc sensu quo activitas humanae naturae subsit concursui activitatis divinae, hoc sensu quo per gratias efficaces humana Christi natura indefectibilis reddatur, hoc denique sensu quo electioni factae a divina Verbi voluntate humana voluntas spontanee, irnrno et libere se subiciat, *conc. mai. Contradist. min.*

438. Falso quis imaginaretur in Christo personam Verbi ut a *naturis independentem atque agentem* nunc per divinam nunc per humanam naturam. Nam “esse et operari est personae *a natura" ".* Persona itaque Verbi nihil *agere* potest quod non per divinam suam naturam vel rectius, quod non *a natura* sua divina agat, quodque non sit toti Trinitati commune.

Integra activitas humanae naturae referenda quidem est Verbo tanquam *supposito,* minime vero tanquam *principio activo* humanae activitatis. E contra, operari humanum Verbi est Verbi a natura humana.

439. Unitas tamen Christi salvanda est non solum *ontologica,* quatenus in eo una Verbi persona sit utriusque naturae suppositum, sed etiam *unitas moralis,* consistens in eo quod nullum dissidium in Christo detur sed mira subtectio naturae humanae ad Verbum.

integra visione problematis consulenda hic esset bibliographia relata supra, th.3 schol.4 n.47 nota 51.

« Cf. S.Th., 3 q.18 a.1 ad 1 ct ad *2;* GaltiBR, n.140s; Io., *L'unité du Christ...* 262.269.282s.

M Cf. Petavium, 1.8 c.12 n.1-4. De ipso termino, cf. GruxmeiER, *Die Theologische... Vorbereitung... von Chalkedon* 1,61s.

31 S.Th., 3 q.19 a.1 ad 4. Quam facile sit minus exacte in hac materia loqui ostendit recens disputatio inter auctoros magni nominis, de qua Galtier, *L'unité du Christ...* 281-287; supra, η.435.

Plura de hac unitate morali Christi exponemus infra, schol. n.442ss, ubi de contrarietate voluntatum, atque in thesi sequenti, ubi de libertate Christi sub praecepto.

440. Sufficiat interim notasse ad moralem unitatem Christi et subiectionem humanae naturae explicandam, nullatenus requiri, ut humana voluntas suam amittat libertatem.

Illustrari hoc potest cx doctrina de inspiratione sacrae Scripturae. Spiritus Sanctus homines tanquam instrumenta ad scribendum assumpsit, eos supernatural! virtute excitavit ac movit, scribentibus adstitit, “ut ea omnia eaque sola quae ipse iubcrct, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritati exprimerent: secus non ipse esset *auctor* sacrae Scripturae universae” (D 1952). Nihilominus, sacri scriptores modo plene humano ac Ubero se habuerunt in his libris conscribendis.

441. Aliae obiectiones videri possunt apud Muncuniu,, n.597-599. Caeterum de quaestione Honorii I Papae (cf. D 251s), qui monothelismi fautor perhibetur, agi nunc solet in tractatu de Ecclesia, ubi de Romani Pontificis infallibilitate.

442. Scholion. *De contrarietate voluntatum in Christo.* Distinguunt theologi cum S.Thoma (q.18 a.5 c) in humana Christi natura voluntatem sensualitatis et voluntatem rationalem. Voluntas *sensualitatis* "quae participative voluntas dicitur” (ibid.), est appetitus sensitivus seu qui sequitur apprehensionem *sensus* sive externi sive interni. Voluntas *rationalis* est appetitus rationalis seu qui sequitur apprehensionem *intellectus* (cf. supra, th.15 schol.3 n.361).

Voluntas rationalis accipitur vel tanquam *potentia* vel tanquam *actus* huius potentiae, “qui etiam voluntas dicitur”*. Voluntas ut *potentia* est principium proximum inclinationis actualis atque *unica* est in homine. Voluntas ut *actus* est exercitium illi potentiae correspondons et actualis inclinatio, atque *duplex* assignatur in homine, sc. voluntas *per modum naturae* et voluntas *per modum rationis.*

443. *Voluntas per modum naturae* seu *voluntas ut natura* seu *voluntas naturalis* est actus quo potentia volitiva fertur in aliquid quod est *secundum se appetibile,* ut sanitas. Aliis verbis, est actus voluntatis *in finem:* ideo in illum fertur potentia simpliciter et absolute. Inde voluntas ut natura appellatur quoque *simplex* voluntas x. Neque tamen voluntas ut natura fertur in suum obiectum necessario, sed potest ferri *libere x.*

Voluntas per modum rationis seu *voluntas ut ratio* seu *voluntas rationis* est actus quo potentia volitiva fertur in aliquid quod est volitum solum *ex ordine ad aliud,* ut sumptio medicinae ex ordine ad sanitatem. Aliis verbis, est actus voluntatis *in id quod est ad finem,* h.e. in *medium:* ideo in illud fertur potentia cum quadam comparatione, secundum quod habet bonitatem ex ordine ad aliud Inde voluntas ut ratio appellatur quoque *consiliativa voluntas".*

444. *Diversitas* quidem voluntatum in Christo dabatur quatenus

’· S.Th., 3 q.18 a.l ad 3. Cf. supra th.15 schol.3 n.362.

* Cf. S.Th., 3 q.18 a.3 c.

“ Cf. Salmanticenses, d.27 dub.2 n.29; Sitarez, *Disp. Mctaph.* d.I9 s.8 n.!7s; E.Hucon, O.P., *Cursus philosophiae thomisticae...* 4, *Mctaphysica Psycho, togiccp* (Parisiis) 167-170.

” Cf. S.Th., 3 q.18 a.3 c; 1.2 q.8 a.2s; Salmanticenses, d.27 dub.l n.l.

voluntas sensualitatis et voluntas naturalis in Eo aliquid aliud voluit quam voluntas divina et voluntas rationis illiusæ.

Definitum vero est Christi duas naturales voluntates *non* fuisse *contrarias* (cf. D 291)",

445. Christi *humana* voluntas *ut ratio,* quando *efficaciter* aliquid voluit, conformis semper fuit cum *divina* Christi voluntate Conformitas autem "voluntatis humanae ad voluntatem divinam attenditur secundum voluntatem *rationis,* secundum quam etiam voluntates amicorum concordant..."*:

Neque ulla dabatur contrarietas inter voluntatem humanam Christi ut rationem et inter eiusdem voluntatem *naturalem ac sensualitatis.* Huius rei ratio proponitur a S.Thoma (3 q.18 a.6 c), quod oppositio harum voluntatum nec erat secundum idem nec erat in eadem voluntate.

446. Oppositio non erat *secundum idem,* quia in Christo nec voluntas naturalis nec voluntas sensualitatis repudiabat rationem volitatu a voluntate rationis, quae nempe elegerat passionem ad salutem humani generis.

Oppositio tandem non erat *in eadem voluntate,* quia voluntas rationis non impediebatur aut retardabatur ex voluntate naturali aut sensualitatis, nec e contra voluntas naturalis aut sensualitatis impediebatur a voluntate rationis, "placebat enim Christo secundum voluntatem divinam ct etiam secundum voluntatem rationis, ut voluntas naturalis in ipso et voluntas sensualitatis secundum ordinem suae naturae moverentur" " (cf. R 2064).

447. Oppositio ergo non dabatur inter voluntates Christi relate ad *idem obtectum formale* neque inter *actus efficaces* voluntatis; quin immo, ipsi actus *inefficaces* quibus voluntas Christi humana voluit quod absolute Deus nolebat, erant conformes divinae voluntati tanquam principio et regulae, utpote quod divina voluntas volebat ut humana illos efficeret".

De concreto modo quo Verbum humanam regebat voluntatem, ad hoc ut haec semper divinam voluntatem obsecundaret, agemus in thesi sequenti, ubi de libertate Christi sub praecepto moriendi sermo erit.

38 Cf. S.Th., 3 q.18 a.5 c. De discrimine inter "diversitatem" et "contrarietatem", cf. CaieTanum, *In 3* q.18 a.6 initio.

30 De testimoniis Patrum, cf. Petavium, 1.9 c.9 n.5.10; Salmanticenses, d.27 dub.2 n.28.

40 Cf. Suarez, d.38 s.2 n.2-6; s.4 n.1-3; Salmanticenses, d.27 dub.2 n.24-27.30-33. Plura de mente S.Thomae proponuntur in his locis. Motus inefficaces seu "vcllcitates" a Caietano admittuntur *tantum* in voluntate Christi naturali et sensualitatis: cf. *In 3* q.18 a.5.

31 S.Th., 3 q.18 a.5 ad 2.

43 3 q.18 a.6 c. Cf. *ibid.,* ad 1, et CaiETanvm, in h.l.; Galtier, *L'uniti du Christ...* 268s.

43 Cf. Sucrez, d.38 s.4 n.4s.

Thesis 18. Humana Christi voluntas, etiam in subeunda morte, fuit libera a necessitate; et quidem stante praecepto absoluto et rigoroso moriendi.

S.Th., 3 q.18 a.4; q.47 a.2s; GaltiBr, th.2 5s; DTC 8,1295-1309.

448. Nexus. Propter rationes supra n.408 indicatas, integram thesim huic quaestioni dicamus. Speciatim vero ad libertatem Christi *in moriendo* attendimus et ob eius momentum soteriologicum, cum fundamentum sit satisfactionis ac meriti Christi, et ob theologorum morem, qui quaestionem de libertate Christi sub praecepto considerare solent maxime ubi *de praecepto subeundi mortem* sermo fit.

Prima ergo pars theseos *veritatem certam* libertatis Christi statuit, altera autem pars crisi subicit *quaestiones disputatas* de praecepto moriendi ac de concordia huiusmodi praecepti cum libertate Christi.

PRIMA PARS

449. Notiones. Libertas est immunitas a vinculo vel impedimento.

Libertas *a coactione* est immunitas a *violentia,* h.e. a vi *extrinsece* illata potentiae quae libera dicitur. Vis haec esse potest *physica,* ut si motus brachii catenis impeditur, vel *moralis,* ut si homo gravi metu immobilis redditur. Violentia connotât vim alicui illatam contra propriam eius inclinationem. Inde, quod libere a coactione procedit, vocatur spontaneum, voluntarium, naturale. Hac ratione etiam bruta libera esse possunt, si secundum proprium appetitum agere permittuntur.

Libertas a necessitate est immunitas a necessitate qualibet *intrinseca* potentiae quae libera dicitur. Appetitus bruti interna necessitate fertur in alimentum sibi conveniens; plurimi motus similiter necessarii in voluntate ipsius hominis inveniuntur[1]; quae omnia certe spontanea, at non *libera* dici debent. Libertas a necessitate vocatur quoque libertas indifferentiae, libertas electionis, liberum arbitrium[2].

450. Liberum arbitrium definiri potest, ab omni controversia inter scholas catholicas abstrahendo: "facultas eligendi

[1] Cf. Donat, *Psychologia** (Oeniponte [Innsbruck] 1936) th.19 η.407-410.
[2] Plura, cf. Frobes, *Psychologia speculativa...* 2,167-172. Aliter, M.de BaETS, *De libera Christi obedientia* (Lovanii 1905) 19-22. Cf. quoque A.Durand, S.I., *La liberté du Christ dans son rapport a l'impeccabilité:* NouvRevTh 70 (1948) 815-820. De modernis quaestionibus circa libertatem, plura habentur apud *Structures et liberté:* EtCanm 1958; cf. quoque R.Zavalloni, O.F.M., *Come si pone il problema della libertà:* Ant 35 (I960) 449-502. Plura historica et speculativa de iudicio ultimo-practico eiusque relatione cum actu libero, cf. apud J.I/Ebacqz, S.I., *Libre arbitre et Jugement* (Bruges 1960).

res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus" [3]. Potest ergo definiri: facultas eligendi inter plura (cf. D 797 814) seu dominium suorum actuum [4].

Christo libertatem indifferentiae tribuimus, quin tamen in hac prima parte determinemus utrum fuerit liber etiam *inter bonum et malum morale,* de quo in sequenti parte agemus, vel inter actus *inaequalis perfectionis moralis,* de quo pauca addemus in scholio 3 alterius partis n.489s. Sufficit ergo ut fuerit liber inter actus *aequalis perfectionis* et in specie *quoad mortem subeundam.*

451. Adversarii. Humanam Christi libertatem negasse videntur *monotheletae,* de quibus thesi praecedenti, n.414. Libertatem *a necessitate* Christo forte denegaverunt *aliqui antiqui theologi,* qui ei solam libertatem *a coactione* tribuebant, ut difficultates vitarent quae sunt in salvanda Christi libertate indifferentiae [5].

452. Doctrina Ecclesiae. Ex una parte definitum est Christum *meruisse,* ut infra, th.24 n.599-601 ostendemus. Ex altera parte damnata est propositio Iansenii: "Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione" (D 1094) [6]. De sensu definitionis *contra monotheletas* in *Concilio Constantinopol. III, cf.* supra, th.17 n.416.

453. Valor theologicus. Christi humanam voluntatem habuisse *libertatem a necessitate* videtur *theologice certum.* De fide enim est Christum hominem *meruisse;* item definitum est ad merendum requiri *in statu naturae lapsae* libertatem a necessitate. Iam vero, si hoc valet de statu naturae lapsae, valet quoque de statu naturae integrae in quo Christi voluntas versabatur [7], nam tum theologorum consensus [8] tum sensus

[3] Leo XIII, *Litt. Encycl. "Libertas"*: ASS 20 (1887) 595.

[4] Cf. S.Th., 1 q.83; 2 CG 47-48; *De ver.* q.22 a.5 ad 7.

[5] Cf. Suarez, d.37 s.2 n.1. Plura de hac re, cf. apud De Baets, *De libera Christi...* 23-29; ipse De Baets Christo non tribuit libertatem a necessitate simpliciter, sed solam libertatem *a necessitate naturae:* nec quoad rem videretur essentialiter differre libertas "perfectionis", de qua Durand, *La liberté du Christ...:* NouvRevTh 70 (1948) 820-822. De hac notione libertatis apud Patres Orientales, cf. Moeller, *Le chalcédonisme et le néo-chalcédonisme...* (Grillmeier-Bacht) 1,714. Similem viam ingressus recens quidam Auctor forte nimis facile loquitur de problemate libertatis Christi sub praecepto tanquam de "pseudo-problemate": cf. CiencTom 79 (1952) 335.

[6] Cf. J.Carreyre, *Jansénisme:* DTC 8,485-491.

[7] Quamvis Christus erat doloribus et morti obnoxius, quae status naturae *lapsae* propria sunt, tamen quoad punctum decisivum in mente Iansenii pro quaestione de libertate, plene erat Christus in statu naturae *integrae,* siquidem immunis erat *a peccato originali et a concupiscentia.* De doctrina Iansenii, cf. DTC 8.345s.355s.

[8] Cf. Suarez, d.37 s.2 n.5. Cf. quoque D 1039-1066. Aliter tamen De Baets, *De libera Christi...* 18-32.

communis affirmant talem indifferentiam esse de *ratione ipsa* liberi arbitrii eamque *omnino* requiri, ut quis dici possit praemium aut vituperium mereri. Ergo conclusio theologica est Christi humanam voluntatem habuisse libertatem a necessitate.

Christum hanc libertatem habuisse *in subeunda morte* constat directe in documentis ex quibus valorem theologicum deduximus, nam de *morte* Christi affirmabimus infra, th.24 n.599, fuisse *meritoriam.*

Libertatem tamen indifferentiae Christi *non restringi* ad mortem est *saltem certum in theologia* ex consensu theologorum. Revera nulla est ratio admittendi libertatem Christi in morte subeunda et non in aliis actibus; immo vero, relate ad mortem est specialis difficultas, ut in altera parte theseos patebit.

Sententia eorum qui tenent esse *definitam* libertatem Christi a necessitate ob damnatam tanquam haereticam propositionem Iansenii, minus recta videtur. Nam, etiamsi Innocentius X ideo posuisset verba "in statu naturae lapsae" (D 1094), quia Iansenius relate ad statum naturae *integrae* recte sentiret requiri ad meritum libertatem a necessitate, nihilominus non posset dici Romanum Pontificem *definivisse* requiri ad meritum in statu naturae *integrae* libertatem a necessitate. Ad summum diceretur hanc veritatem et ab Innocentio X et a Iansenio tanquam evidentem *supponi.*

454. Probatur ex sacra Scriptura. Quamvis sacra Scriptura *explicitum* sermonem non faciat de libertate *indifferentiae* voluntatis *humanae* Christi, ita tamen de quibusdam actibus humanae eius voluntatis loquitur, ut harum locutionum sensus maxime obvius sit hanc voluntatem tam liberam fuisse ac liberae sunt nostrae humanae voluntates.

1) Christi humanae voluntati tribuitur *electio.* Lc 6,13: *et elegit duodecim ex ipsis (quos et apostolos nominavit)* ®. (Mc 3,13: *vocavit ad se quos voluit ipse).* Io 7,1 : *ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Judaeam ambulare; quia quaerebant eum iudaei interficere.* Cf. Mt 8,3 ; 27,34.

Inter actiones *humanas* Christi : exire in montem, Deum orare, vocare discipulos, descendere cum illis (Lc 6,12.13.17), ambulare, loqui (Io 7,1.6), simpliciter narratur alia actio, sc. *eligere, velle.* Sensus itaque maxime obvius narrationis postulat, ut etiam haec actio volendi sit actio *humana,* eo vel magis quo tam explicita fit in aliis sacrae Scripturae locis mentio de voluntate Christi humana (cf. supra, th. 17 n.417).

Libertatem *indifferentiae nostrarum volitionum* non aliter

° Cf. Lagrange, *Evangile...* in h.l. Pro recto sensu textuum statim afferendorum, cf. F.Joüon, *Les Verbes* βούλομαι *et* θέλω *dans le Nouveau Testament:* RechScRel 30 (1940) 227-238.

exprimimus ac verbis quibus Evangelistae de voluntate Christi loquuntur: *"elegit" "quos voluit" "non enim volebat".* Ergo sensu item maxime obvio praecedentes locutiones accipiendae sunt de vera libertate *indifferentiae* voluntatis Christi humanae.

455. 2) Christi humanae voluntati tribuitur *meritum* seu *praemium.* Phil 2,8s: *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Propter quod *et Deus exaltavit illum...* De voluntate Christi *humana* sermo est, quia *obedire* non potest divina voluntas. Libertas *indifferentiae* apparet ex eo quod exaltatio proponitur a S.Paulo obvio sensu tanquam *praemium* illius humiliationis quam Christus obediendo subiit[10]; iam vero, meritum seu praemium ex sensu communi hominum libertatem *indifferentiae* supponit (cf. supra, n.453). Quin immo, sancti Patres *nostram* libertatem potissimum ex hoc deducunt, quod capaces sumus obedientiae ac praemii[11].

456. 3) Christi humana voluntas fuit in *subeunda morte* ab omni necessitate libera. Io 10,17: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam... Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Quamvis multae fuerint causae, cur Pater diligeret Christum, speciatim commemoratur traditio voluntaria sui ipsius in mortem secundum Patris mandatum.

Agi de voluntate Christi *humana* patet, eo quod Christus solum *ut homo* erat Patre inferior, qui Patris mandatum subire posset. Libertas *indifferentiae* apparet ex eo quod voluntaria positio animae exhibetur tanquam *causa meritoria* dilectionis Patris: *Propterea me diligit, quia...* [12]

457. Hebr 12,2: *qui* [TAîuj] *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempla.* Duplex huius loci datur communior interpretatio: Christus toleravit patienter crucem, aspiciendo ad gaudium quod illa humiliatione se sciebat promereri, vel Christus dum potuerit in terris gaudio frui, magis crucem elegit.

In priori interpretatione sermo esset de *merito,* ideoque et de voluntate Christi *humana* et de libertate *indifferentiae.*

Altera interpretatio probabilior est[13]. Agi secundum hanc

[10] Cf. Prat, *La théologie...* 1,375s; Bover, *Teologia de San Pablo* 282s.290-293.

[11] Cf. Suârez, d.37 s.2 n.2 ad mcd.

[12] Cf. F.ToletUm, S.I., *In... loannis Evangelium commientarii* (Romae 1588) in h.l.; LagrancE, *Evangile...* in h.l.

[13] Cf. Bover, *Las epistolas...* in h.l.; I.Rohr, *Der Hcbraerbricf* (Bonnerbibel 1916) in h.l. Breve compendium interpretationum huius versus, cf. apud

interpretationem, de voluntate Christi *humana,* videtur deducendum ex eo quod voluntas *divina* volebat crucem, immo vero *mandabat* hanc mortem crucis, uti nuper vidimus. Ergo non nisi voluntate *humana* poterat Christus inter gaudium et crucem *eligere.* Sensus obvius huius interpretationis indicat Christum *elegisse,* quem modum loquendi adhibere solemus quando vera libertate *indifferentiae* utimur.

458. Probatur ex traditione. Sancti Patres non semper clare indicant utrum loquantur de voluntate humana an divina Christi. Sed cum tam clare *utramque* in eo voluntatem doceant, ut vidimus thesi praecedenti n.420sqs, et cum simul ex contextu multoties facile apparere possit eos agere de Christo *ut homine,* pauca sufficiet attingere de modo quo Patres libertatem *indifferentiae* indicant.

1) Humanae Christi voluntati tribuitur *meritum* vel *electio* relate ad mortem. S.Cyrillus Hierosol.: "Volens inimicis concedo; nisi enim vellem non fieret. Venit igitur ex libero proposito ad passionem, gaudens de eximio opere; laetabundus de corona, plaudens sibi de hominum salute..." (R 830). S.Ioannes Chrysost.: "Licebat [Christo] nihil pati, si voluisset... Poterat ergo, si voluisset, non venire ad crucem" (R 1224). S.Ambrosius: "Potuit enim Christus non mori, si voluisset; sed neque refugiendam mortem quasi ignavam putavit..." (R 1275). Inde arguimus sicuti supra n.454s, ubi de argumento scripturistico.

459. 2) Libertas Christi humana *comparatur cum libertate Adami.* S.Gregorius I Magnus: "Nisi enim Adam primum per voluntarium vitium in animae mortem traxisset, Adam secundus sine vitio in carnis mortem voluntariam non veniret" (R 2305).

3) Libertas Christi humana probatur ex principio Patrum : quod non est assumptum, non est sanatum (cf. supra, n.62). S.Ioannes Damascenus: "Praeterea, si naturae libertatem ipse condidit, hanc autem non assumpsit; aut igitur opificium suum velut non bonum reprobavit aut eius sanationem nobis invidit, sicque nos plena perfectaque curatione privavit..." M.

4) *Explicite* libertas ab omni necessitate seu *liberum arbitrium* tribuitur Christi humanae voluntati. S.Ioannes Da-

Spicq, *L'éfâtre aux hébreux* in h.l., ubi etiam indicatur alia interpretatio in qua argumentum nostrum non valeret, utpote quod de sola voluntate divina Christi ageretur.

14 *De fide orthod.* 1.3 c.14: MG 94,1042s. Plura ex eodem principio Patrum, cf. apud Pktavium, 1.9 c.8 n.4.

mascenus: "Eundem Dominum nostrum Iesum Christum perfectum Deum et perfectum hominem praedicantes dicimus eundem et omnia habere, quae Pater habet... et omnia item, quae primus Adam, excepto solum peccato, hoc est... duas naturales arbitrii libertates..." (αὐτεξούσια δύο φυσικά) (R 2365)[15]. Vox αυτεξούσιον adhibetur a S.Damasceno ad plenam libertatem indifferentiae significandam, quam Deus habet[16]; caeterum est terminus classicus apud Patres ad hanc libertatem designandam iam a S.Iustino[17].

460. Ratio theologica. Praeter rationem desumptam *ex merito* Christi (de qua supra, n.452s) *et ex perfectione* humanae Christi naturae (cf. supra, th. 17 n.426), possumus ad mentem S.Thomae (q.18 a.4 c) hanc rationem proponere. Plura sese offerebant Christo in quae eius voluntas humana non ferebatur tanquam in res *secundum se* volitas, sed tantum *secundum ordinem* ad aliud volitas; v.gr. ambulare in Galilaeam et non Iudaeam non erat secundum se volitum, sed in ordine ad aliud, sc. ad vitandam mortem (cf. Io 7,1). Iam vero, praecise horum quae non sunt finis, sed sunt *ad finem* est *electio,* et electio est proprius actus liberi arbitrii; ergo Christi humana voluntas liberum habuit arbitrium.

461. Obiectiones. 1. Adhuc tempure scholasticorum existimabant theologi *sufficere* ad rationem *laudis* sive *meriti,* ut Christus operaretur *non coacte sed sponte.* Atqui hoc est signum sanctos Patres de hac re non clare locutos fuisse. Ergo immerito ex sanctis Patribus concludimus opera Christi *meritoria* supponere Christum fuisse liberum *libertate indifferentiae.*

Dist. mai. Pauci theologi, *conc. mai.;* multi, *nego mai.*[18]. *Contradist. min.* Si multi theologi id existimassent, *trans, min.;* si pauci, *nego min.*

2. Christus scientia sua etiam humana *infallibiliter praesciebat* quid ipse electurus erat. Atqui cum hac infallibili scientia non stat *libera* electio. Ergo Christus ob scientiam suam carebat libero arbitrio.

Dist. mai. Christus infallibiliter praesciebat infallibilitate fundata in aliquo *nécessitante* futuram electionem, *nego mai.;* infallibilitate. fundata in *ipsa futura electione, conc. mai. Contradist. min.* Non staret libera electio, si infallibilitas fundaretur in aliquo *nécessitante* futuram electionem, *conc. min.;* secus, *nego min.*[19].

[15] Per integrum caput 14 libri 3 haec Christi arbitrii libertas probatur. Inde liquido apparet nullius momenti esse difficultatem ex S.Ioanne Damasceno aliquando factam: cf. Galtier, n.377 nota.

[16] Cf. v.c. *De fide orthod.* 1.3 c.14: MG 94,1042.

[17] Cf. Petavium, 1.9 c.2 n.4; c.4 n.3.

[18] Cf. Suárez, d.37 s.2 n.1. De sententia relata a S.Thoma in *Comment, ad Sent.,* cf. Gautier, n.379. Cf. supra, notam 5.

[19] *Cf.* Suarez, d.37 s.5; Galtier, n.379.

PARS ALTERA

462. Probata in genere libertate *indifferentiae* Christi, quaestio movetur a theologis an Christi libertatem hanc habuerit etiam ad eligendum *inter bonum et malum.* Huiusmodi libertas ad malum in Deo abest neque a priori constaret eam esse Christo adscribendam. Quin immo, gravissimae rationes videntur exigere, ut Christus Dominus non fuerit liber *ad peccandum,* ita ratio eius *perfectae impeccabilitatis,* maxime quatenus haec impeccabilitas ex eius *visione beatifica* oritur, cum qua libertas ad peccatum vix concipitur stare 2I).

Sunt nihilominus ex alia parte rationes, quae talem libertatem in Christo omnino postulare videamur. Sic sermo fit in sacra Scriptura de *praecepto* seu *mandato* moriendi, quod Christus habuit. Cum mors Domini *meritoria* fuerit, etiam *liberam* fuisse patet: poterat ergo Christus vel adimplere praeceptum vel non adimplere ideoque poterat *peccare,* praeceptum non adimplendo.

Quaestionem tractamus in hac parte de Christi libertate ad peccandum relate ad *mortem;* sed eadem debet applicari solutio aliis praeceptis, quae Christus forte subierit, ut sunt praecepta legis naturalis. De his vero speciatim agemus in scholio 2 n.488.

463. Notiones. *Lex* definiri solet cum S.Thoma (1.2 q.90 a.4 c): "Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata". Praeceptum autem est iussio sive *particularis,* quae uni vel relative paucis datur, sive *minus stabilis,* quae forte toti communitati datur urgente quadam transitoria necessitate.

Praeceptum potest esse absolutum, cum obligat independenter a quacumque conditione, et *conditionatum,* cum obligat dependenter ab aliqua conditione, v.gr. nisi petatur dispensatio; huiusmodi conditionatum praeceptum vocatur quoque *dispensabile.*

Praeceptum dividitur, ad nostram quaestionem quod attinet, in RIGOROSUM, quod obligationem sub culpa inducit, et *latum* seu *mere poenale,* quod solum obligat *sub poena.* Praeceptum hoc mere poenale potest esse *stricte talc,* si poena sit aliquod malum vel privatio alicuius boni iam debiti independenter a praecepto, vel *minus stricte* tale, si poena sit non adeptio alicuius boni, quod obtineretur per observantiam praecepti.

20 Cf. Galtier, nj385

Praeceptum potest insuper dividi in *proprium,* quod *obligationem* inducit, et *improprium* seu consilium aut merum beneplacitum, quod in optione ponitur eius cui datur (cf. S.Th., 1.2 q.108 a.4 c).

464. Sententiae. Ad tria capita reducere possumus theologorum sententias, quae, ad gravissimas ac difficillimas difficultates enodandas circa Christi libertatem occurrentes, propositae sunt.

A. Christus habuit praeceptum *rigorosum et absolutum* moriendi. B. Christus habuit praeceptum moriendi rigorosum at *dispensabile.* C. Christus *non* habuit praeceptum *rigorosum* moriendi.

A. Conciliationem inter rigorosum ac absolutum praeceptum et Christi impeccabilitatem repetunt in hac sententia: *a)* alii, ex limitatione ipsius praecepti; *b)* alii, ex indifferentia principiorum agendi.

465. a) *Ex limitatione ipsius praecepti.* Praeceptum enim Patris non respiciebat nisi *substantiam* mortis, minime vero varias *circumstantias* loci, temporis, intensitatis, motivi, etc. Relate igitur ad substantiam mortis Christus non erat liber, sed utique relate ad circumstantias; videlicet non fuit liber ad moriendum vel non moriendum, sed utique ad acceptandam mortem ex hoc vel ex illo motivo, actu intensiori vel minus intenso, hoc tempore vel alio, etc. Ita Suarez, Vazquez, Lessius, Valentia, Platel, alii[21].

466. b) *Ex indifferentia principiorum agendi.* Voluntas Christi humana manebat libera ad praeceptum rigorosum implendum, nam huiusmodi libertas ad peccandum in Christo non auferebatur neque ex parte unionis hypostaticae neque ex parte visionis beatificae, quae duo Christum impeccabilem reddebant.

Ex parte unionis hypostaticae (cf. supra, th.15). Impeccabilitas conciliatur cum libertate ad praeceptum rigorosum adimplendum, simili modo, salva differentia indefectibilitatis *personalis* et *accidentalis* (cf. supra, n.333s), quo huiusmodi libertas conciliatur apud creaturam *in gratia confirmatam*[22]. Explicatio igitur diversa erit iuxta varia systemata

[21] Suârez, d.37 s.4 n.11. Vâzquez, d.74 c.S. Lessius, *De summo bono* 1.2 c.23 n.185-187; aliter, Id., *In D.Thomam... De incarnatione Verbi... praelectiones theologicae posthumae* q.18 a.4 n.9. Valentia, *De incarnat,* q.19 punct.2. I.Platel, S.I., *Synopsis universi cursus theologici... De incarnatione Verbi...* (Venetiis 1737) t.5 c.6 n.318-325. De aliis, cf. Salmanticenses, d.27 dub.4 n.86.

[22] Sunt quidem plures theologi qui hunc dicendi modum omnino recusent: v.c. Mastrius, d.3 q.9 a.3 n.383s; Stentrup, th.76 p.1194-1198; Muncunill, n.553.717. Tamen, si distinctio indefectibilitatis *personalis* et *accidentalis* recte applicetur, vix videtur possibile magnum discrimen apud theologos in hac re.

quibus theologi efficaciam gratiae et libertatem voluntatis conantur in tractatu de gratia in harmoniam redigere

467. *Ex parte visionis beatificae.* Plures proponuntur theoriae ad conciliandum *amorem erga Deum,* qui in Christo videretur necessario sequi ex visione beatifica, cum possibilitate *aversionis a Deo* per peccatum.

Scotistae huc applicant suam doctrinam de visione beatifica *non nécessitante* beatos ad amorem Dei[24] et doctrinam de *speciali* Christi conditione relate ad *meritum*

468. *Dominicam* duplicem proponunt solutionem. *Prima solutio* distinguit in Christo *duplicem actum* dilectionis, utrumque ad Dei bonitatem *in se et ratione sui* terminatum, unum regulatum scientia beata et *necessarium,* alterum regulatum scientia infusa et *liberum.*

Altera solutio distinguit *in eodem actu* amoris *duplicem terminationem,* aliam ad divinam bonitatem *ut in se* consideratam, prout est ratio diligendi Deum eiusque perfectiones necessarias, aliam ad divinam bonitatem wf *est ratio diligendi creaturas;* sub prima formalitate seu terminatione actus est *necessarius,* sub secunda est *liber*[26][27]

469. *Pauci auctores S.I.,* difficultatem ex parte visionis beatificae provenientem salvare etiam conantur, recurrendo ad *specialem* conditionem beati seu comprehensoris quam Christus habebat. Ratio autem rem explicandi varia est.

Molina mirabile hoc factum *simpliciter enuntiat.* Deus ita visionem suae essentiae, amorem beatificum ac fruitionem Christo communicavit, "ut supra naturam horum bonorum, continendo effectus qui inde naturae necessitate deberent resultare, reliquerit voluntatem Christi capacem doloris ac tristitiae et perinde liberam ad implenda aut non implenda praecepta, quae sub culpa obligabant ac si in Christo gloria animae non fuisset, quoniam id ita erat necessarium ut posset mereri”. Gloria animae Christi ita continebatur ut voluntas Christi “perinde esset libera ad praecepta implenda vel non implenda, ac si eam gloriam non haberet sed esset purus viator”

23 Cf. v.c. Hucon, q.11 a.3 ad VII; Gautier, n.401s; Gummersbach, *Unsündlichkeit...* 78-83.86-90. Celeberrimam distinctionem *de sensu composito ac sensu diviso* clare explicat relate ad quaestionem de libertate Christi sub praecepto Gonet, d.21 a.3 n.85. Cf. quoque Salmanticenses, d.27 dub.6 n.102-105; fusius, ibid., n.106-115. R.Garrigou-Lagrange, O.P., *Dc concordia liberae obedientias Christi eunt cius impeccabilitatem* ActPontAcRomSTh 12 (1946) 100-105.

Cf. Minces, 2, n.662-667. Aliter, Gummersbach, *o.c.,* 108. Cf. B.M.Xiberta, *LUbertat, indefectibilitat i mbrit en Jesucrist:* Criterion 5 (1931) 411-416.

27 Cf. Mastrius, d.3 q.9 a.3 n.389-391. Aiios explicandi modos scotistarum examini subicit. In., l.c., n.380-387.

M Cf. Billuart, diss.18 a.4 § 3 obi.l; Dbgl'InnocEnti, *Cristo nclla Teologia di S.Tommaso* C.7.

27 *Concordia...* q.14 a.13 d.53 m.4 n.22 (ed. I.RabenBCk, S.I., Oniae-Matriti 1953). *Commentaria in 1 S.Th.* q.14 a.13 d.18 m.4.

470. Pesch rem *magis explicat.* Voluntas *humana* Christi erat voluntas *comprehensaris simul et viatoris;* quatenus erat voluntas comprehensoris, tendebat in Deum *visum;* quatenus erat voluntas viatoris, tendebat in Deum *obscure cognitum* per scientiam infusam et acquisitam. Voluntas humana Christi quatenus in Deum *visum* tendebat, non erat libera sed *necessitabatur* ad Dei amorem et ad ea quae cum huius amoris conservatione necessario nectuntur. Voluntas humana Christi quatenus in Deum *obscure cognitum* tendebat erat certe libera.

Visio beatifica non est forma intrinsecus constituens vel afficiens actum voluntatis Christi *viatoris* sed potius extrinsece et per redundantiam influens in eum. Hic quidem influxus visionis beatificae *connaturaliter* excludit omnem actum oppositum beatitudini, v.c. peccatum ; sed ita *temperari* a Deo potest, ut non obtineat totum suum effectum connaturalem. Inde fit ut, non obstante beatitudine, anima Christi potuerit tristari.

Sic ergo intelligitur, cur voluntati Christi humanae *libera* esse potuerit obedientia erga mortis praeceptum, quae Christo secundum cognitionem *viatoris* non apparebat ut purum bonum sed simul ut ingens malum. Visio beatifica, sensu explicato temperata, habuit pro humana voluntate Christi rationem gratiae efficacis, qua ita juvabatur, ut infallibiliter et libere impleret praeceptum moriendi a.

471. Galtier, *ulteriorem gressum* facere videretur. Voluntas Christi humana erat *una,* idcoque motus eius efficax in unum obicctuin materiale erat quoque unicus. Nihil ergo iuvat voluntatem hanc *unam* ex aliquo capite, sc. ex scientia infusa et naturali, *non esse necessitatem* ad praeceptum mortis implendum, si *eadem haec una* voluntas dicitur ex alio capite, sc. ex scientia beata, ad tale praeceptum *necessitata*™.

Nulla itaque *necessitas* in voluntate Christi humana relate ad mortis praeceptum admittenda est, et hoc ideo quia ipse status Christi sub scientia beata *diversus* erat a statu beatorum in caelo sub huiusmodi scientia. Cum Christi statu componebatur *tristitia spiritualis* (de qua supra, n.367-369), quae in beatis impossibilis est.

Factum huius *tristitiae spiritualis* ostendit Christum, non obstante visione beatifica, certe per derogationem legum connaturalium status beatifici, aliquam rationem *mali* percepisse etiam in rebus irrevocabiliter a Deo decretis. Voluntas autem non movetur efficaciter necessario nisi ab obiecto, quod sibi exhibetur tanquam *sub nulla ratione* sibi malum.

Praeceptum quidem moriendi exhibebatur Christo tum scientia beata tum scientia infusa tum scientia naturali ut summe bonum propter suam irrevocabilem connexionem cum summi Boni possessione ; at idem praeceptum eidem voluntati scientia infusa et scientia naturali exhibebatur simul propter mortis dolores ut ei *vere malum.* Ergo praeceptum moriendi, non obstante Christi statu beatifico, *non movet efficaciter necessario* voluntatem eius ".

28 Cf. Pesch, n.333-335. Quatenus elementa pro hac sententia affert, referri potest D.Viva, S.I., *Cursus theologicus... Pars sexta, De incarnat,* d.2 q.4 a.l, licet ipse teneat praeceptum mortis non fuisse rigorosum. Eadem limitatione referri potest etiam ToletUS, *In 3* q.19 a.4 conci.5; cf. tamen *ibid.,* q.18 a.4 conci.4.

29 TEsch quidem hanc difficultatem sibi proponit, at minus recte eam videtur solvere: cf. Pesch, n.334 "Neque valet obicctio"...

•° Cf. Galtier, n.404-410. De alia explicatione ad conciliandam Christi visio-

472. *Nostra positio.* Rectam viam solutionis inveniri existimamus in postremis his sententiis, quae *duplicem actum* dilectionis Dei in voluntate Christi distinguunt, alium regulatum scientia beata, qui *necessarius* est, alium regulatum scientia infusa, qui *liber* est.

Actus dilectionis Dei ex visione procedit e voluntate necessitata a Bono undequaque bono; cum hoc actu libertas ad peccandum coexsistere nequit. Actus vero dilectionis Dei ex scientia infusa procedit e voluntate non necessitata, cum Deus non appareat sub hac scientia ut undequaque bonus sed simul ut aliquid praecipiens quod subiecto durissimum seu malum est. Cur scientia infusa hunc aspectum "malum" ita valeat proponere, ut talis aspectus non necessario contemnendus videatur ei qui per scientiam visionis Deum ut undequaque bonum videat, clare non intelligimus, id tamen cum statu Christi *viatoris* connectitur, qui per passionem nobis redempturus erat; huiusmodi quidem factum ob tristitiam Christi *spiritualem* extra dubium est (cf. supra, n.364-368), cuius tristitiae spiritualis non redditur ratio nisi, ut Galtier iure notat, Christus aliquem aspectum mali etiam in rebus irrevocabiliter a Deo decretis percepisset per scientiam infusam.

Quod Christi humana voluntas esset *una,* in quo Galtier insistit, bene ostendit hanc unam voluntatem motum efficacem non habere posse oppositum circa idem obiectum materiale; at non excludit possibilitatem actus qui procedat a voluntate non necessitata ad unum, prout sc. haec voluntas regitur cognitione scientiae infusae, qui actus ideo liber dici debeat et consequenter meritorius. Possibilitas haec abunde confirmatur ex *diversitate* actuum unius voluntatis Christi humanae, de qua supra n.444ss egimus. Praeterea humana Christi voluntas non prius tempore ex parte visionis beatificae determinabatur quam liberum posset ponere actum ex parte scientiae infusae; utraque enim scientia *simul tempore* dabatur.

Ulteriora exponemus infra, ad obi.5 n.486s.

473. B. Christus habuit praeceptum moriendi *rigorosum* at *dispensabile;* quia licet iam esset positum praeceptum, et in sensu composito praecepti non posset Christus non pati,

nem bcatificarm cum eius libertate sub praecepto rigoroso, cf. Platel, *Synopsis... De incarnatione* t.5 c.6 § 1 n.335 vel apud Pesch, n.334 "Quare quidam...". Consequenter ad distinctionem in Christo terrestri inter visionem Dei et gaudium beatificum (cf. supra, n.365 nota 53), solutionem problematis de libertate sub praecepto proponit Gutwenger, *Bewusslscin und Wissen...* 160-164; haec tamen solutio minus completa videtur, quia ex sola visione Dei, etiarm abstrahendo a gaudio beatifico, problema iam exsurgit.

poterat tamen ipse Christus postea tollere illum sensum compositum et impetrare a Deo praecepti dispensationem et mortem simpliciter impedire iuxta illud : *An putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* (Mt 26,53). Ita Lugo aliique[31].

Huic affinis est sententia eorum qui opinantur Christum rigorosum praeceptum habuisse sed *dependenter,* uno vel alio modo, ab *eius* acceptatione. Ita v.c. Petavius, Prat, quoad rem De la Taille[32].

474. C. Christus *non* habuit praeceptum *rigorosum* moriendi, sed aut praeceptum *mere poenale minus stricte tale* (cf. supra, n.463), ut tenent Wirceburgenses et Muncunill[33], *aut merum beneplacitum Patris,* ut asserunt Petavius, Franzelin, Stentrup, Billot aliique[34].

475. Valor theologicus. Christum habuisse praeceptum absolutum et rigorosum moriendi est *sententia communior inter theologos ac probabilior.* Ulterior explicatio ex indifferentia principiorum agendi, prout eam supra n.472 exposuimus, *probabilior* videtur.

476. Probatur ex sacra Scriptura. 1) Christus asserit se *praeceptum* moriendi accepisse a Patre. Io 10,17s : *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum* (ἐντολήν) *accepi a Patre meo.* Cf. Io 14,31. Omissis aliis causis propter quas Pater Christum diligebat, commemoratur a Domino positio animae seu vitae pro ovibus cum subséquente resurrectione *propter iustificationem nostram* (cf. Rom 4,25), et quidem utrumque ex *mandato* accepto a Patre[35].

Vox "mandatum" (ἐντολή) licet quasdam patiatur exceptiones in quibus sensus praecepti rigorosi abest, est terminus technicus tum in versione LXX interpretum tum in Novo Testamento ad Dei praecepta hominibus imposita designanda

[31] Luco, d.26 s.8 n.102-114. De aliis, cf. Salmanticenses, d.27 dub.5 n.94 vel Muncunill, n.714. Recenter hanc sententiam praefert Pohle-Gierens, p.128s.

[32] Petavius, 1.9 c.8 n.13 "Postremo...". Prat, *La Théologie...* 2, 1.4 c.2 p.224. M.de la Taille, S.I., *Mysterium fidei...* (Parisiis 1921) elue.8 ad 3.

[33] Wirceburgenses, 4, n.412 ad 5". Muncunill, n.727-738.

[34] Petavius, 1.9 c.8 n.6-13. Franzelin, th.44, ubi plures theologi pro hac sententia referuntur. Stentrup, 2, th.76 p.1201-1212. Billot, q.18 th.30. Discrimen inter ulteriorem explicationem Cardinalium Franzelin et Billot, cf. apud Billot, l.c., post "Sed contra", nota.

[35] Cf. I.Maldonatum, S.I., *Commentarii in quatuor Evangelistas* in h.l.; Lagrange. *Evangile...* in h.l.

(cf. v.c. in N.T.: Mt 19,17-19, ubi *decalogus* significatur: Me 7,8s, ubi *mandatum* Dei opponitur *traditionibus* hominum) *β.

In ipso S.Ioanne *parallelo modo* proponuntur praecepta quae *Christus* a Patre acceperat cum praeceptis quae *nobis* Christus dedit. Io 15,10: *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione.* Denique *integra sententia* quam Christus sibi applicat (Io 10,18), adhibetur a S.Ioanne de praecepto nobis imposito, 2 Io 4: *mandatum accepimus a Patre.* lam vero, haec mandata Dei et haec mandata Christi *nobis* imposita sunt praecepta absoluta et rigorosa; ergo, sensu obvio sacram Scripturam interpretantes, vox "mandatum" quam Dominus de sua morte adhibet, accipienda est in significatione praecepti absoluti et rigorosi3T.

477. 2) Sermo fit *de tali Christi obedientia,* quae absolutum et rigorosum praeceptum Patris supponat. Imprimis Christus dicitur a S.Paulo ὑπήκοο , *obediens:* Phil 2,8, quae vox in Novo Testamento adhuc bis recurrit, sc. Act 7,39 et 2 Cor 2,9, et quidem im sensu obedientiae *erga rigorosum praeceptumss.* Praeterea Christi obedientia ὑπχκοή) quae maxime splendet in morte crucis (cf. Phil 2,8), contraponitur a S.Paulo inobedientiae (πχρακοη) Adami (Rom 5,19): iam vero haec Adami inobedientia ut obiectum habuit *rigorosum praeceptum,* ergo pronum est dicere Christi obedientiam simile praeceptum ut obiectum habuisse.

478. *Ex sanctis Patribus* non videtur posse fieri argumentum *pro exsistentia* praecepti rigorosi moriendi, cum textus afferri soliti[39] ulteriorem quaestionem de discrimine inter rigorosum praeceptum et consilium vix attendant. At neque ex sanctis Patribus argumentum *contra exsistentiam* huiusmodi praecepti[40] videtur posse confici, quia haec testi-

30 Cf. Kittel, *Thrologisches Wbrterbuch...* 2,541-553, ubi etiam de sensu *extrabiblico vocis.* Cf. quoque Gutwenger, *Bcwussisein und IVissen...* 158-160. Relate tamen ard Io 10,18 praebetur interpretatio quaedam magis lata: *ibid.,* 550,1-11. Pro comparatione cum vocibus hebraicis quibus conceptus legis aut praecepti divini designatur, cf. J.van der PloEg, *Studies in hebrew law:* CathBiblQuart (1950) 248-259. Pro aspectu *religioso* huius vocis, cf. A.ΓΈιλ ETIEε, S.I., *Le vocabulaire du commandement dans le Pcntateuquc des LXX et dans le Nouveau Testament:* RcchScRel 41 (1953) 519-524; M.J.O'Connell. S.I., *The Concept of Commandntcnt in the Old Testament*: ThSt 21 (1960) 351-403.

87 Cf. Toletum, *In loannis Evangelium* in 10,18, maxime annot.14; KnabEnbauer, in h.l.; Ceuppens, *Theologia biblica* 3,148s.

38 De textu 2 Cor 2,9, cf. R.Cornely, S.I. (Cursus sacrae Scripturae, Parisiis 1909) in h.l.; J.Sickenberger (Bonnerbibei 1919) in h.l.

38 Cf. v.c. Toletum, *In loannis Evangelium...* in c.10 annot.14 initio; SalmantiCENSES, d.27 dub.4 n.70.

40 Plures textus affert Petavius, 1.9 c.8 n.7-11 vel Franzelin, th.44.

monia aut solum probant Christum *libere* mortuum fuisse aut non videntur attendere *humanam* Christi voluntatem, sed potius *ipsam Verbi personam,* quam contra arianos, arguentes ex praecepto ad inferioritatem Verbi, iure asserebant esse, qua talem Verbi personam, praecepti incapacem [41].

Theologorum auctoritas stat pro praecepto rigoroso, non solum ob maiorem numerum eorum qui hoc teneant, sed quod contraria sententia nonnisi recentius in scholas invecta sit[42][43]

479. Ratio theologica. Ex incommodis reliquarum opinionum [4a]. *Qui rigorosum praeceptum moriendi negant,* id faciunt ex impossibilitate conciliandi huiusmodi praeceptum cum Christi impeccabilitate. Logice ergo asserunt Christum in *nullo* praecepto adimplendo fuisse liberum quoad illud quod stricte praeceptum erat. Hoc tamen nimis durum videtur. Nam in hac hypothesi plurimi actus Christi deberent *merito* privari cum, iuxta fere communem theologorum sententiam, Christus subiectus fuerit praeceptis legis naturalis tam negativis, ut non mentiendi, quam positivis, ut colendi Deum, diligendi proximum (cf. infra, schol.2 n.488). Si autem in tot casibus non erat liber, ergo neque potuit in his mereri.

480. *Qui praeceptum moriendi rigorosum admittunt, at dispensabile,* difficultatem intactam relinquere videntur. *De facto* enim Christus dispensationem non petivit, ideoque sub praecepti obligatione remansit. lain vero, in sensu composito praecepti non poterat Christus non pati, ergo tandem *de facto* non libere mortuus est Christus ac proinde nec meritorie. Tantum posset dici Christum *mediale* liberum fuisse in morte obeunda, quatenus dispensationem obtinere potuisset; at haec libertas mediata, minus bene cohaeret cum doctrina de merito *sanguinis ac mortis* Christi (cf. infra, th 24 n.599.602).

Qui vero rigorosum praeceptum moriendi ponunt at uno vel alio modo dependens a Christi acceptatione simile incommodum habent. Nam, *supposita* Christi acceptatione, iam Christus non erat liber ad praeceptum implendum, ideoque in morte subeunda non fuit immediate seu *proprie liber.*

Uterque vero iste dicendi modus inutilis evadit, ubi de praeceptis legis naturalis sermo est, et consequenter eam pa-

41 Cf. Galtier, n.397.

42 Luco de sententia praeceptum negante scribere potuit: "Caeterum haec solutio singularis est... et contra communem theologorum" (d.26 s.8 n.101), quod ipse FranzElin satis clare confirmat (cf. th.44).

43 Plures rationes pro convenientia rigorosi praecepti moriendi affert TolEtus, *In loannis Evangelium...* in c.10 annot.14.

titur difficultatem quam modus dicendi eorum qui praeceptum rigorosum *simpliciter* negant

481. Qui conciliationem inter *rigorosum ac absolutum praeceptum* et Christi impeccab:'itatem repetunt *ex limitatione ipsius praecepti,* minus recte explicare videntur sacrae Scripturae locutiones, quae meritum redemptionis *ipsi morti* adscribunt, non autem variis adiunctis temporis, motivi, intensitatis actus et similium.

Inter sententias vero quae hanc conciliationem repetunt ex *indifferentia principiorum agendi* eam praeferimus, quae *duplicem actum* dilectionis Dei in voluntate Christi humana distinguit, alium necessarium, regulatum scientia beata, alium vero liberum regulatum scientia infusa (cf. supra n.472).

482. Obiection.es. 1. Qui ex divina revelatione certo sciret se intra annum moriturum, martyr nihilominus diceretur ac *libere mortem obiisse,* si oblata occasione mortem anticiparet, illam pro fide sustinendo. Ergo a pari debet Christus dici *libere mortuus,* dummodo liberum ei fuerit *tempus* suae mortis designare.

Nego paritatem. Martyr, de quo in casu, libere mortem obire diceretur, quia *eo momento* quo moritur seu quo mortem eligit, revera *liber* est tum quoad tempus mortis tum quoad ipsam mortem, ad quam acceptandam *nulla interna necessitate ducitur.* E contra, iuxta patronos huius sententiae, Christus *eo momento* quo moritur seu quo mortem eligit est quidem liber *quoad tempus,* minime vero *quoad ipsam mortem,* siquidem *nullo momento* potest Christus *mortem ipsam* non acceptare seu eam recusare, utpote a Patre praeceptam ideoque *necessario* acceptandam.

Paritas adesset, ad mentem huius sententiae, si fingeremus hominem propter ideam quandam fixam interne necessitatum *ad mortem* sibi inferendam, ita ut quoad hanc sui occisionem morali responsabilitate careret, cui tamen libertas non deesset ad *anticipandam vel retardandam* sui occisionem. Nullus diceret talem hominem *libere* sibi *mortem* intulisse, eo quod momento *a* prae momento *b* id fecerit.

483. 2. Variato *motivo* aut *intensitate* actus, ipse actus *substantialiter* variatur. Atqui motivum aut saltem intensitas actus quo Christus mortem acceptavit, ei libera omnino fuerunt, licet mors ipsa fuerit ei necessario acceptanda utpote praecepta. Ergo e.r *limitatione praecepti moriendi* satis explicatur libertas Christi non solum quoad circumstantias mortis sed etiam *quoad ipsam mortem* ",

Dist. mai. Variato motivo aut intensitate actus, ipse actus substantialiter variatur, quatenus *specifice* aut saltem numerice sit diversus, *conc. mai.;* quatenus actus *quoad omnia elementa* sit *liber, subdist.:* si ad aliquod elementum illius actus est voluntas *necessitate, nego;* si ad nullum elementum est necessitata, *conc. Trans, min. Dist. pariter cons.*

Eo quod actus acceptandi mortem ponatur a Christo ex motivo

44 Contra ipsum *fundamentum* horum Auctorum, cf. Salxlasticenses, d.27 dub.5 n.93.

'9 Cf. v.c. VXzquez, d.74 c.5 n.29; Platel, *Synopsis... De incarnatione...* c.6 § 1 n.320.322-325.

caritatis vel ex motivo obedientiae, cum intensitate affectiva maiori vel minori, actus quidem ille diversus erit saltem numerice; hoc sensu dici poterit *actum individuum* quo Christus mortem acceptaverit ei liberum fuisse, siquidem potuisset Christus ponere actum saltem numerice diversum. Sed in sententia obicientis, *ipsa mors necessario acceptatur* utpote praecepta; ergo tum in illo actu individuo tum in *quolibet alio* actu acceptationis mortis elementum aliquod esset *necessarium.* Hoc autem elementum est praecise acceptare mortem *quoad substantiam mortis.**

484. 3. Momento quo Christus comprehendebatur a iudaeis dixit se posse rogare Patrem ac liberari (cf. Mt 26,53). Atqui haec verba indicant Christo non fuisse impositum praeceptum moriendi *nisi dispensabile.* Ergo huiusmodi praeceptum admittendum est.

Conc. mai. Dist. min. Haec verba hoc indicarent, si Christus locutus fuisset de potentia quam haberet *immutandi decretum Patris, conc. min.;* si locutus est de potentia quam habebat *ex ipsa natura rei,* utpote Filius, *liberandi se a iudaeis, nego min. Dist. pariter cons.*

Christum non fuisse locutum *consideratis omnibus circumstantiis,* patet ex verbis ab ipso additis: *Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* Certe Christus non poterat facere ut quod in Scripturis erat praedictum non adimpleretur. Ex toto igitur contextu patet sensus horum verborum: sc. Christus recusaverat armatum auxilium Petri, imprimis eo quod *qui acceperint gladium, gladio peribunt* (v.52); deinde eo quod *si ipse voluisset* non tam infirmo unius ensis adiutorio uteretur, sed a Patre duodecim legiones angelorum efficaciter postulasset (v.53). Ad quaestionem autem utrum ipse, supposito decreto Patris et suppositis Scripturis, *moraliter* posset tale Patris efficax auxilium petere, non erat cur Dominus his verbis attenderet, quia prior consideratio sufficiebat ad ostendendum se *non coacte* a iudaeis sed voluntarie ad mortem pergere 4i.

485. 4. luxta S.Thomam: "tanto videtur obedientia promptior quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta" (22 q.104 a.2 c). Atqui Christus relate ad suam mortem intellexerat Patris voluntatem. Ergo potuit Christus dici perfecte *obediens* in moriendo, quamvis rigorosum praeceptum moriendi non habuerit.

Trans, totum. Neque enim sumus argumentati *ex abstracta definitione obedientiae,* quae in Christo moriente adimpleri debuerit, sed *ex tali Christi obedientia,* quae rigorosum praeceptum supponat (cf. supra, n.477) ".

486. 5. luxta sententiam quam in thesi sustinemus, Christus fuisset liber in praecepto rigoroso Patris implendo, non obstante statu beatifico. Atqui si in hoc erat liber, *poterat peccare.* Ergo absurdam admittimus possibilitatem coexsistentiae in Christo status beatifici simul et peccati.

Conc. mai. Dist. min. Poterat peccare Christus *concrete,* h.e. si actus ille liber acceptandi illud praeceptum consideratur prout pro-

* Cf. Sachant icsxses, d.27 dub.4 n.78.

47 Cf. Macdonatum, *Commentarii...* in h.l.; Lacranc», *Evangile...* in h.l.

48 Caeterum, de mente S.Thomae, cf. SauvanticBnsbs, d.27 dub.4 n.75; Cal-T1ER, n.393.395-398; B.T'asciak, O.P.. *Oboedientia religiosorum perfecta cst.ne oboedientia stricte dicta:* Ang 27 (1950) 105-128; praecipue a p.122.

cedens a voluntate *simul necessitate! ex visione* ad praecepti acceptationem, in qua proinde voluntate alius motus *efficax oppositus* omnino repugnaret (cf. supra, n.472), *nego min.;* poterat peccare Christus *praecisive,* h.e. si actus ille liber *in se* tantum respicitur prout a scientia infusa regulatus ideoque libere a voluntate procedens, *subdist.:* et haec praecisiva consideratio sufficit ut *Christus* dicatur non obstante statu beatifico potuisse peccare, *nego;* sufficit ut *actus ille* humanae Christi voluntatis a scientia infusa regulatus dicatur posse esse peccaminosus seu peccatum, *iterum subdist.:* si a Verbo humanam suam voluntatem regente per gratias efficaces, quae tamen integram relinquunt libertatem, non metaphysica necessitate hoc ipsum peccatum excluderetur, *conc.;* si tale regimen necessario dabatur et quidem ex ipsa Christi constitutione (cf. supra th.15 n.331-336. 351ss), *nego.*

Si Christus in praecepto rigoroso adimplendo liber fuit, ita illud adimplevit ut voluntas *dominium* illius actus haberet, ideoque sic illum posuit ut potuisset illum non ponere seu contrarium ponere (cum mera actus suspensio nihil iuvaret in hoc casu, in quo de praecepto positive adimplendo agebatur) ; id autem videretur esse idem ac concedere Christum potuisse peccare, nempe si actum nolendi adimpletionem illius praecepti posuisset.

Nec valet recurrere ad hoc quod *beati* liberi sint, et tamen peccare non possint: illi enim ex communiori omnino sententia non dicuntur liberi ad acceptandam legem Dei obligantem, sed e contra dicuntur *necessitati* ad operandum honeste, h.e. sine peccato, quamvis quoad alia obiecta non praecepta liberi remaneant. Caeterum discrimen inter voluntarium et liberum servari debet ex propositione trigesima nona Baii damnata (D 1039). In ipso Deo quoad divinas processiones libertas non datur.

487. Si actus humanae Christi voluntatis praeceptum libere acceptantis inspiciatur *quoad principia proxima,* sic processit a voluntate naturaliter defectibili (supra n.332s), ut contrarius quoque potuerit ab ea procedere. Si tamen ad *omnia* quae in Christo concurrunt attendamus, certum est antecedenter ad omnem praevisionem actus absolute futuri actum contrarium nunquam a voluntate Christi humana positum iri : hunc spectant ipsa Christi Domini constitutio ex unione hypostatica et visio beata. Attenta Christi constitutione, metaphysice repugnat Verbum non ita regere suam humanam voluntatem per gratias efficaces ut haec voluntas nunquam peccatum admittat : hoc autem iuxta varia systemata in tractatu de gratia admissa explicatur, quin libertas per tales gratias destruatur. Difficilior est quaestio si impeccabilitas consideratur in quantum ex visione beatifica oritur, nam una numero voluntas *efficaciter* non potest et in acceptationem praecepti tendere ex visione et in non acceptationem tendere ex scientia infusa. Sed iam supra n.472 explicavimus quomodo actus ipse ab scientia infusa regulatus maneat liber *in se ipso,* prout procedit a voluntate quae *sub tali scientia* non necessitatur.

Christus, ergo, libere praeceptum acceptans posset peccare, si sola principia proxima ipsius actus liberi inspiciantur, non vero omnibus pensatis quae ad Christi operationem concurrunt: aliis verbis, Christus ratione libertatis habet aliquo modo potentiam physicam peccandi, sed nihilominus *simpliciter* loquendo non potest peccare nec habet potentiam peccandi. Idem posset quoque sic exprimi : *in sensu*

diviso a constitutione Christi et a visione beata posset dari peccatum in voluntate Christi humana, non vero *in sensu composito;* quoniam autem in ipso nomine Christi includitur determinatus sensus compositus, Christus *simpliciter* est impeccabilis, non autem ex indefectibilitate naturali sed personali (supra n.332s).

Quod Christus in praecepto adimplendo liber fuerit, non significat praecepti transgressionem, etiam si ad sola principia proxima actus liberi respiciamus, fuisse Ei *facilem.* Si ipsi sancti homines in terris ex Dei notitia quam habent ad talem eius amorem pervenire possunt, ut *libentissime* quaelibet tormenta sustineant potius quam *vel leve* peccatum plene deliberatum admittere, quanto magis id dicendum erit de amore Christi erga Deum? Tamen *non ita* reddebatur impeccabilis Christus viator, ut Ei *libertas* deesset ad praeceptum transgrediendum sensu explicato.**

488. Scholion 1. *Quale fuerit hoc praeceptum.* Quaeri potest an praeceptum moriendi fuerit Christo impositum ut *directum* praeceptum an potius tantum *indirectum,* quatenus uno vel alio modo contineretur *in ipsa Christi integra missione.* Si ex una parte consideramus non solum *ipsam mortem* sed etiam mortis *horam* videri a Patre praeceptam[50] ac ex alia parte attendimus ad momentum *soteriologicum* quod sanguini et morti Christi tribuitur (cf. infra, th.27 *n.676)* ac supposita simul scientia divina futuribilium, videtur dicendum huiusmodi praeceptum fuisse quidem *directum* °1.

Alia quaestio est utrum fuerit praeceptum *naturale,* sc. ex lege naturali caritatis sive erga Deum sive erga homines, an praeceptum *mere positivum,* sc. ex speciali praecepto homines per mortem redimendi. Uterque modus praecepti videtur in hoc negotio intervenisse, cum simul esse non repugnet et uterque caritatem Dei et Christi erga homines commendet “.

489. Scholion 2. *De aliis praeceptis.* Multo communior theologorum sententia tenet Christum fuisse *capacem* praecepti rigorosi ac tali praecepto *ligatum* fuisse *quoad legem naturalem.* Haec sententia omnino tenenda videtur ac generatim tenetur etiam ab his qui negant Christi impeccabilitatem posse componi cum praecepto rigoroso; quamvis enim, iuxta hos auctores, Christus non esset *liber* quoad illud quod stricte praeceptum esset, tamen praecepto vere ligari posset, utpote *Deo sublectus* ratione humanae naturae”.

Quoad legem autem veterem Christus subiectus non videtur, utpote non via ordinaria ab Abrahamo descendens; sicut nec transgressio praecepti Adamo impositi Christum comprehendit, quia in Adamo non continebatur secundum seminalem rationem. *Legibus huma-*

Cf. Suarez, <1.37 s.3 n.22s. Varias theologorum explicationes quomodo visio beatifica reddat *beatos* impeccabiles, cf. apud Gummersbach, *Unsiindlichkeit...* 103-117. Caeterum quanta fuerit *perfectio* humanae Christi libertatis, ipsae modernae investigationes confirmare possunt, attenta sc. physica perfectione illius corporis quod Spiritus Sanctus cx Maria Virgine formaverat; cf. G. Bourguignon, *Le problème du libre arbitre au regard de la physiologie et de la mèdicine:* Temoign 12 (1947) 3-16.

60 Cf. SuArez, <1.37 s.3 n.1S.

51 Contra, Gautier, n.399. Cf. J. Soiano, S.I., *£1 sentido de la muerte redentora de Nuestro Seiior Jesucristo y algunas corricntes modernas:* EstEcl 20 (1946) 402s.407-411.

® Cf. SuArez, <1.43 s.3 n.3.

“ Cf. S.Th., 3 q.20 a.1; SuArez, d.43 s.1; s.2 n.1-3; Salmanticenses, d.27 dub.4 n.65s; Muncunill, n.700-705.

nis subici non poterat, quia etiam Christus *homo* erat Filius Dei naturalis (cf. th.19 n.491-510) M.

490. Scholion 3. *De libertate Christi quoad actus objective minus perfectos.* Certum est Christum non elicuisse actus *absolute perfectissimos,* cum talis actus dari nequeat, eo quod quantumvis perfectus sit aliquis actus, semper est possibilis alins illo perfectior *in linea physica. In linea* autem *morali* quilibet Christi actus liber est absolute perfectissimus, utpote actus personae infinitae ideoque infiniti valons. Quaestio ergo est utrum Christus habuerit libertatem eligendi, inter actus ad quos hic et nunc habebat proportionem, actum minus perfectum prae perfectiori.

Triplex sententia datur. *Aliqui theologi* negaverunt Christum potuisse eligere actum minus perfectum, omisso perfectiori. *Alii theologi* concedunt Christum potuisse eligere actum minus perfectum *potentia quidem physica;* at simul affirmant Eum habuisse *impotentiam moralem strictam,* sc. talem quae ratione difficultatis annexae *nunquam* ad actum reducetur. Huiusmodi potentia physica cum impotentia morali dicitur ad libertatem sufficere ideoque etiam ad meritum.

Communior autem sententia tenet Christum habuisse *potentiam* non solum *physicam* sed etiam *moralem* eligendi actum minus perfectum, quamvis non ideo negatur Eum *de facto* elegisse semper actum perfectiorem.

Tertia haec sententia praeferenda est tum quia ipsa stricta impotentia *moralis* eligendi actum minus perfectum non probatur tum quia actus Christi omnes erant *Deo gratissimi* ac infiniti valoris *ex dignitate personae operantis;* consequenter actus Christi non diudicandi sunt sicuti actus *puri hominis,* qui valorem accipiunt magna ex parte *ex obiecto, ex intensitate,* etc. “.

ARTICULUS II

Quae conveniunt Christo per comparationem ad Deum Patrem

Thesis 19. Christus homo ita est Filius Dei naturalis, ut neque ratione naturae humanae dici possit filius Dei adoptivus.

S.Th., 3 a.23 a.4; Galtier, th.17; Lercher’, th.16.

491. Nexus. Ex his quae consequuntur unionem hypostaticam, consideraverat S.Thomas in praecedentibus quae Christo conveniunt *per comparationem ad Deum Patrem* (q.20-q.24). Magni momenti sunt quae Angelicus docet de Christo *secundum habitudinem ipsius ad Patrem,* sc. de *subiectione Christi* (q.20) ac de eius *oratione* (q.21); pro his tamen ad ipsum S.Thomam atque ad eius magnos commenta-

w Cf. SuXrEz, d.43 s.2 n.4-10; SalmanticensES, d.27 dub.4 n.67s.
M Cf. Galtier, n.381-38i3; Muncunill, n.692-699.

tores remittere cogimur\ Quaestionem vero de *sacerdotio* Christi (q.22) tractabimus infra, th.27, ubi de sacrificio crucis.

Alia vero dicuntur de Christo *secundum habitudinem Patris ad ipsum,* ut si Pater eum *adoptasset* ct quod eum *praedestinavit.* In hac thesi quaestionem de *adoptione* Christi exponemus, pauca de eius *praedestinatione* attingentes in scholio 3 n.515,

492. Notiones. Christus est Verbum incarnatum.

Christus homo. Haec Verbi incarnati Persona consideratur *explicite* ut subsistens in et cum humana natura. Posset quoque dici : Christus *ut hic homo.*

493. Haec nostra thesis gencratim a theologis enuntiatur : Christus *ut Iioiuv* est filius Dei naturalis. *Redupiicatur,* itaque, seu *iterum* indicatur *humanitas;* quae, iam implicite designata per vocem "Christus", iterum, sed nunc explicite, sijpiatur per vocem "homo". Reduplicatio "ut homo" sumitur *specificative.* Sensus hic *specificativus* locum habet, iuxta logicos, quando terminus reduplicatus applicat seu reduplicat subiecto *formalem et specificum* conceptum ; v.c. coloratum in quantum coloratum est obicctum visus, specificative tenetur, quia reduplicat salum rationem formalem; similiter: ens in quantum ens est obiectum metaphysicae, specificativa propositio dicitur, quia in ea non significatur causa cur ens sit obiectum metaphysicae, sed natura ct species cui convenit adaequate praedicatuma.

Terminus "ut homo" specificative sumitur quia in hac propositione: Christus ut homo est Filius Dei naturalis, persona Christi, quae est Filius Dei Unigenitus, *prout simul consideratur* ut subsistens in natura humana, est ratio formalis secundum quam praedicatum "Filius Dei naturalis" applicatur subiecto Christo. Terminus igitur "ut homo" sumitur non mere *materialiter* et idcntice pro supposito alias subsistente in natura divina, sed accipitur *formaliter* pro supposito subsistente in natura humana seu pro homine in concreto·[3] Aliis verbis, "ut homo" determinat *suppositum* in recto ut specificative subsistens in humanitate; solum ergo assignatur per vocem "ut homo" *sublectum* cui vere convenit esse filium Dei naturalem per gratiam unionis[4].

1 Cf. CaiETANUM, in h.l.; Suarez, in h.l. et <1.43-45; Saijjanticenses, d.29s. Bouessé, *Lc Sauveur du monde. 2. Lc Mystère... 6PI-647.* Doctrinaim sacrae Scripturae vide apud CeotpBNS, *Theologia biblica 3,* 167-176. De sanctis Patribus, cf. Petavium, 1.7 c.7-9. In specie de oratione, cf. Énrico di S.Teresa, *La preghiera di Gcsù net quadro dei suoi fattori psicologici:* EphCarm 3 (1949) 3-35: M.V.Woefer, O.C.S.O., *The Prayer of Christ According to the Teaching of St.Thomas Aquinas* (Washington 1958); A.Hamann, *La Prière. I. Le Nouveau Testament* (Tournai 1959)· 59-169.

3 Cf. Ioan. a S.Thoma, *Ars logica...* Prima pars, Summularum 1.2 c.24 (Cursus philosophicus thomisticus, ed. Reiser, Taurini 1930) p.57; CompluiensEs, *Disputationes in Aristotelis dialecticam... 1.2* caput ult. (Lugduni 1637) p.48. Posset quoque dici sensum specificativum non significare rationem formalem, *ob quam* praedicatum *conveniat* subiecto; sed determinare praecise rationem *secundum quam* subjectum *habet capacitatem* ut illi tribuatur praredicatum (cf. SaemantiCENSES, <1.35 dub.2 n.25).

'.Cf. Saemanticenses, d.33 dub.3 n.67. LerchEr5 thesim sic enuntiat: "lesus Christus, etiam *ut hic homo,* Filius Dei naturalis...".

* Cf. Saemanticenses, l.c., n.75.69.

494. Hic tamen *dicendi modus* hoc habet incommodum, quod *per se* terminus reduplicatus magis proprie tenetur pro *natura* quam pro supposito (cf. supra, th.16 n.394), et sic a non paucis theologis reicitur propositio: Christus ut homo est filius Dei naturalis, si *filiatio naturalis* in hac propositione eodem plane sensu sumitur ac filiatio naturalis Verbi ; aut si reliqui theologi propositionem hanc admittunt, subtiliter distinguunt ne verba "ut homo" in sensu abusivo reduplicari videantur".

Ad vitandas itaque in hac prima parte theseos theologicas controversias, maluimus dicere: "Christus homo", ubi satis indicatur attendi in recto non naturam sed *suppositum,* at in humana natura consideratum.

N.B. Claritatis gratia conspectum praemittimus modorum quibus terminus *reduplicari* potest, a) Sensu *specificalivo,* de quo nuper diximus, et quidem sive *per se* seu sensu *proprio,* ubi terminus reduplicatus tenetur pro *natura,* sive *per accidens* seu sensu *minus proprio,* ubi terminus reduplicatus tenetur pro *supposito* (cuius rei exemplum in hoc eodem numero expositum manet), b) Sensu *reduplicativo,* qui explicatur infra n.496, et quidem sive *complete,* ubi sola *natura,* prout a persona contradistinguitur, est causa propter quam praedicatum *simpliciter* conveniat subiecto, v.c. Christus ut homo est passibilis, Christus ut homo non est filius Dei adoptivus, sive *incomplete,* v.c. Christus ut homo est mediator vel sacerdos (qui sensus explicatur infra n.573).

495. Filius Dei naturalis. Qui a Patre procedit ab aeterno per veram generationem seu per communicationem generativam eiusdem numero naturae divinae.

Filius Dei adoptivus. Qui non generatione sed *adoptione* filius constituitur. Adoptio vero definiri solet: gratuita assumptio personae extraneae ad haereditatem (cf. S.Th., 3 q.23 a.1 c).

496. Neque ratione naturae humanae dici possit filius Dei adoptivus. Terminus "homo" in expressione "Christus homo" praecedentis propositionis, reduplicatur nunc *reduplicative.* Sensus hic *reduplicativus* locum habet, iuxta logicos, quando terminus reduplicatus applicat subiecto rationem *causae,* propter quam praedicatum convenit subiecto ; v.c. homo ut rationalis est risibilis, ac si diceretur : homo *quia* rationalis, est risibilis.

In thesi igitur expressio "Christus homo" sumitur duplici sensu diverso; quando dicimus Christum hominem *esse* filium Dei *naturalem,* per vocem "hominem" intelligimus *suppositum,* at in humana natura consideratum, vel ad summum posset dici reduplicari humanitatem sensu *specificativo minus*

6 Cf. SalmanticensES, <1.33 dub.1 n.34; dub.2 n.40; dub.3. SuArez scribit: "... advertendum est primum, filiationem ad Deum variis modis accipi posse: primo propriissime pro filiatione naturali ac personali, qua constituitur secunda persona Trinitatis; *certum* autem est Christum *ut hominem'* non referri ad Deum hac filiatione" (d.49 s.1 n.2; cf. *ibid.,* n.10).

proprio ("ut hominem"); quando vero addimus Christum hominem *non esse* filium Dei *adoptivum,* vocem "hominem" intelligimus reduplicantem humanitatem sensu *reduplicative.* Hoc postremum expresse signamus in theseos enuntiatione per verba: Christus homo *neque ratione naturae humanae* est filius Dei *adoptivus.*

Quaestio utrum Christus ut homo, sumendo terminum "ut homo" sensu specificativo *proprio,* debeat aut possit dici Filius Dei *naturalis,* considerabitur a nobis infra, schol.1 n.511-513.

497. Adversarii. A. *Adoptionistae* saec.8 °, ducibus Elipando, archiepiscopo Toletano, et Felici·, episcopo Urgelitano, in persona Verbi incarnati duas naturas, divinam et humanam, distinguebant. Per divinam naturam est Filius Dei, Unigenitus, Patris consubstantialis, qui a Patris substantia minime recedendo, corpus accepit in tempore visibile ex Virginis Mariae visceribus et ab ea natus est. Hic autem "factus ex muliere, factus sub lege" non est filius Dei generatione vel natura sed adoptione et gratia, et quidem constitutus est omnium nostrum, qui Dei filii adoptivi sumus, primogenitus.

Quamvis *logice* perveniendum sit in hac sententia ad hoc ut in Christo *duae personae* ponantur, ipsi tamen adoptionistae hanc haeresim *expresse* non docuerunt. Fons erroris *adoptionismi* fuit persuasio iuxta quam conceptus filiationis et adoptionis essent praedicata *naturae,* non vero personae; ideo ille "factus ex muliere" habet relate ad Deum filiationem *nonnisi adoptivam,* sicuti reliqui homines a Deo tanquam filii adoptamur. Haec adoptio, qua nos dii nuncupativi nominamur, facit ut Dei Filius iuxta humanitatem sit cum electis suis per adoptionis gratiam *deificatus et nuncupative Deus.*

Historice fortasse ortus sit *adoptionismus* ex tendentia apologetica. Cum enim islamismus lesum purum hominem dicat at magnum prophetam, voluissent Christiani mozarabici, hoc adversariorum datum retinentes, concedere quidem Christum hominem esse filium Del tantum adoptione, ut deinde demonstrarent in Christo esse etiam naturam divinam, iuxta quam recte adoretur tanquam Filius Dei naturalis '.

• Hi adoptionistae sedulo distinguendi sunt ab adoptionistis *sacc.3,* qui lesum *purum' hominem* dicebant, quem Pater in baptismo in filium adoptasset. De his haereticis in tractatu de Trinitate agitur, ubi de vera Christi *divinitate* sermo est Neque confundendi sunt cum adoptionistis, de quibus agit Conc. Toletanum XI (D 276); cf. Madoz, *Le symbole du XI· Concile...* 47s.

7 *De doctrina* adoptionismi ac de argumentis quibus nitebatur, cf. J.F.Rivera, *La doctrina de la adopdôn de Cristo-hombre y sus argumentas en los escritos adopcionistas espaiioles dei siglo VIH:* RevEcl 7 (1934) 641-657; 8 (1935) 3-17.129-139. Pro quaestione *historica,* cf. E.Amann. *L'adoptianisme espagnol* (Historié de l'Eglise'..., I'liche-Martin, t.6, Paris 1937) c.4 p.129-152; hacc eadem fere ad litteram habentur in RevScRei 16 (1936) 281-317; R.dB Abadal,

498. B. *Scholastici saec.12* nullatenus proprium adoptionismum docuerunt, sed *supponentes* personam Verbi incarnatam explicite consideratam ut subsistentem in et cum natura humana esse filium Dei naturalem, ulterius investigabant an *rdtione naturae humanae* posset dici filius Dei adoptivus (adoptionismus *improprius).* Hanc ipsam filiationem adoptivam generatim negabant, quamvis eorum locutiones in sensu cuiusdam proprii adoptionismi ab aliquibus modernis historicis intellectae sint. Petrus Cantor adoptionismum hunc *improprium* clare docuit[8].*

Non desunt *scholastici a saec.14* qui concedant similiter ac Petrus Cantor, Christum *ratione naturae humanae* esse filium Dei adoptivum. Ita Durandus: "Christus autem secundum quod homo... habet secundum humanam naturam gratiam a Spiritu Sancto, per quam fit adoptio filiorum Dei; ergo Christus secundum quod homo potest dici filius Spiritus Sancti per adoptionem. Non magis tamen potest dici Spiritus Sanctus pater Christi praedictis modis, quam Pater in divinis vel tota Trinitas, si ad rem inspiciatur..." ",

499. Doctrina Ecclesiae. Praeter epistolas Hadriani I (D 299 309s), habetur *Concilium Francofordense:* "Dei filius hominis factus est filius; [sc. is qui vere est genitus] non adoptionem, non appellationem sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus ct verus homo, unus filius proprius, ex utraque natura, non adoptivus, quia impium et profanum est Deo Patri aeterno filium coaeternum dici et adoptivum, sed verum et proprium, sicut supradictum est ex utraque natura et credi et praedicari debere''[10]. Ci. D 311-314 314a 344. *Concilium Lugdunense 11:* "Credimus ipsum Filium Dei... proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum" (D 462).

La baialla dei adopcionismo en la dcsintegraciôn de la Iglesia vLigoda (Barcelona 1949). De neganda qualibet historica relatione· inter adoptionismum ct Concilium Chalcedonense, cf. J. Solano, S.I., *El Concilio de Calcedonia y la controversia adopcton.sta del siglo Vili en Espaiia (Das Konsil von Chalkedon,* Grillmeier-Bacht) t.2,841-871. De ipso Elipando Toletano, cf. J.F.Rivera, *Elipando de Toledo. Nueva aportaciôn a los estudios mozarabes* (Toledo 1940), ubi simul bibliographia totius controversiae adoptionistae invenitur; addi posset M.i>El Alamo, O.S.B., *Los conrentarios dc Beato al ebpocalipsis y Elipando* (Studi e Testi, 122) Miscellanea Giovanni Mercati, vol.2 (Città del Vaticano 1946) 16-33.

8 Cf. Landgraf, *Dogmengcschichte,* 2." pars, 2 (1954) 7-43. Ex complexu textuum a Eandgraf adductorum satis constat Fetrum Cantorem non nisi *improprium* adoptionismum tenuisse.

v *In 3 Sent,* d.4 q.1. De aliis scholasticis eadem tenentibus, cf. Salmanticenses, d.33 dub.1 n.25; DTC 1,418. Dc doctrina ipsius Scoti, cf. *Opera S.Bonaventurae* (Quaracchi), Scholion *In 3 Sent.* d.10 a.1 q.1; aliter, Minges, 1, n.504.

10 *Chronicon Moissiacensc,* MGh, SS, t.1 p.301. Haec verba videntur definitionem conciliarem referre: cf. Amann, *L'adoptionisme espagnol* 143, nota 1; *ibid.,* p.141-145, plura de documentis Hadriani I et Concilii Francofordensis.

500. Valor theologicus. A. Christum hominem esse filium Dei naturalem et non adoptivum (sensu adoptionismi) est quoad rem *veritas de fide divina et catholica definita* contra Nestorium (cf. supra, th.3 n.34).

Ex documentis *contra ipsos adoptionistas* directis, thesis nostra videretur dicenda *saltem doctrina catholica.* Epistolae enim Hadriani I (cf. D 299 309s) severissime hunc errorem damnant, ac quamvis *Concilium Francofordense* oecumenicum non fuit, eius damnatio adoptionismi gravissimis verbis est a S.Leone III in *Concilio Romano* a.798 approbata[11]. Si verba *Concilii Lugdunensis II* (D 462) ad adoptionismum saec.8 sese referrent, prout videtur, *aequivalens definitio* haberetur[12].

B. Christum hominem *nullo modo* esse filium Dei adoptivum (sensu scholasticorum saec.12 et 14) est *certum in theologia,* ita ut sententia contraria sit falsa in theologia et temeraria[13].

501. Probatur ex sacra Scriptura. Praeter argumenta allata supra (th.3 n.35-37) contra Nestorium ad probandum Filium Dei Unigenitum esse simul verum hominem, adduci possunt textus iuxta quos *Christus homo* dicitur *naturalis* seu proprius *Filius Dei.*

1) Testimonium *Patris.* Mt 3,17: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Haec dicuntur de Iesu, qui baptismum receperat ac si et ipse fuisset peccator. Ergo sine dubio de Christo *homine.* His verbis *naturalem* filiationem exprimi, eo quod filius dilectus significet filium unicum, supra indicavimus, th.6 n.91.

502. 2) Testimonium *ipsius Christi.* Mc 14,61s: *Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei...* De Filio hominis, ergo de Christo homine (cf. supra, th.7 n.119 ad 3) asseritur filiatio *naturalis,* quod fusius probatur in thesi de Christi divinitate.

3) Testimonium *apostolorum.* Mt 16,13.16: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?... Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Argumentum procedit

11 Cf. MGh, LL, s.3 Concilia, t.2 p.203s. Varias theologorum qualificationes doctrinales ex Conc. Francof. desumptas, cf. apud B.Dolhagaray, *Francfort (Conc-'lc de):* DTC 6,718.

12 Hacc fidei professio (D 461sqs) licet non verbis, at certe virtualiter et aequivalenter est a Concilio Lugdunensi approbata (cf. F.Vernet, *Lyon [IIe Concile oecuménique* dr]: DTC 9,1388).

13 Diversas theologorum opiniones circa hanc notam theologicam, cf. apud Salmanticenses, d.33 dub.1 n.35-39.

sicuti ad Mc 14,61s. Rom 8,32: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad mortem quidem traditus est Christus *homo:* de eo nihilominus dicitur a S.Paulo esse *proprium Dei filium M.*

503. Probatur ex traditione. Praeter ea quae supra (th.3 n.38s) de unitate personae Verbi incarnati desumpsimus ex sanctis Patribus, duplex testimoniorum genus addemus.

1) In Christo homine asseritur *unus Filius Dei.* S.Athanasius: "Idcirco Filius Dei filius hominis factus est, ut filii hominis, hoc est Adae, filii Dei efficiantur. Quod enim desuper ex Patre Verbum ...aeterne genitum est, *ipsum* (δ αὐτὸ) in tempore inferius generatur ex virgine deipara Maria... Unde mortem gustat Filius Dei... Ipse igitur secundum naturam Filius est Dei, nos autem per gratiam" (R 788). S.Gregorius Nazianzenus: "Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est" 154 S.Cyrillus Alex.: "Vides quemadmodum non in duos dividit [Ilebr 13,8] Filios Emmanuelem, nec de solo Verbo seorsim quod ex Dei et Patris substantia promicat, eodem modo semper se habere pronuntiat, sed unum solumque Filium secundum naturam agnoscens, qui humanitate indutus est, et Christum nominat et lesutn"16.17

504. 2) In Christo *excluditur* filius Dei *adoptivus.* S.Gregorius Nyssenus suum scripsit *Adversus Apollinarem ad Theophilum* ad repellendam calumniam hanc: "Proferunt enim tanquam quibusdam in catholica Ecclesia duos filios colentibus in dogmate, unum quidem secundum naturam, alterum autem *secundum adoptionem* (κατὰ Θέσιν) postea acquisitum" ". S.Augustinus: 'Oportebat ergo ut ille baptizaret qui est Filius Dei unicus, *non adoptatus.* Adoptati filii ministri sunt unici ; unicus habet potestatem, adoptati ministerium" (R 1811). S.Gregorius I Magnus: "Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu

14 De Me 14,61s, cf. v.c. D'AlEs, 56s. Plura alia testimonia sacrae Scripturae, cf. apud Petavium, 1.7 c.1 n.5-7.
15 *Epist.* 101: MG 37,179.
w *Homil, pasch.* 8 n.4: MG 77,567. Ulterior bibliographia circa doctrinam horum trium Patrum, cf. supra, th.3 n.38s nota.
17 MG 45,1271. Cf. Lenz, *Jesuschristus nach der Lchre des hl.G.v.N.* De voce θέσει, cf. Petavium, 1.7 c.1 n.2s.

prodiisse. Nec aequari potest gloriae Unigeniti habitae per naturam alia accepta per gratiam..."[13].

505. Ratio theologica. A. Christus homo eatenus posset dici filius Dei *non naturalis* sed *adoptivus,* quatenus persona Verbi per incarnationem *desineret* esse Filius Dei *naturalis* vel quatenus *simul* cum Filio Dei naturali haberetur in Christo *alius filius Dei,* sc. non naturalis. Atqui primum repugnat ex Dei immutabilitate, alterum est incidere in nestorianismum, quia, cum filius designet *personam,* si duo ponantur filii *duae* deberent poni in Christo *personae.* Ergo Christus homo dici necessario debet filius Dei *naturalis,* non vero dici potest filius Dei *adoptivus.*

506. B. Filiatio est proprietas *personalis.* Atqui non recipitur filiationem dici *participative,* si *per se* dicitur. Ergo Christus, qui est filius Dei *naturalis,* nequit ulla ratione dici filius Dei *adoptivus,* ac proinde nequit sic dici *neque ratione naturae humanae.*

Maior constat, quia filiatio *personam* proprie denominat, iuxta communem modum loquendi philosophorum, quem observare oportet.

Ad minorem. Principium huius minoris non ita intelligendum est ac si nihil quod de Christo dicatur *per se,* possit simpliciter dici de eo *per participationem.* Christus enim est v.c. infinite omniscius, et tamen dicitur scientiae limitatae (cf. supra, th.13 schol.1 n.300) secundum humanam naturam. Principium itaque tum maxime valet, quando praedicatum per participationem dictum includit imperfectionem intrinsece repugnantem ei quod est per se tale eamque imperfectionem postulat *in persona secundum se;* sic non potest dici Christus, neque ratione naturae humanae, *persona creata aut finita,* quamvis eius humana natura finita sit.

Filiatio, ut ad maiorem argumenti diximus, proprie denominat *personam;* filiatio per participationem, seu in concreto filiatio adoptiva, includit notionem personae *extraneae.* Ergo denominatio "filius adoptivus" includeret imperfectionem—extraneitatem—intrinsece repugnantem filio *naturali* et talem imperfectionem postularet *in persona secundum se ie.*

[18] *Moral,* 1.18 c.52 n.85: ML 76,89. Ex S.Augustino cf. quoque *Contra Secundinum Manichacum* c.5: ML 42,581. Plura, cf. Mohan, *De nominibus Christi doctrinam divi Augustini...* 31-34; Van Bavel, *Recherches sur la Christvlogic...* 40s. Alios textus ex S.Augustino circa unam Christi personam, quae est Unigenitus Patris, cf. apud Schiltz, *Aux so-urces de la théologie...:* NouvRcvTh 63 (1936) 706-708. De aliis Patrum testimoniis, cf. Petavium, 1.7 c.2s.

[18] Plura, cf. apud Suârez, d.49 s.2. De S.Thoma, cf. Backes, *Die Christologie...* 306s.

507. Obiection.es. 1. Christus dicitur *servus Dei.* Atqui dignius est esse *filium adoptivum* quam servum. Ergo multo ma^is Christus erit filius Dei adoptivus.

Conc. mai. cum longe communiori theologorum sententia. *Dist. min.* Dignius est esse filium adoptivum quam servum, si hae notiones *in abstracto* spectentur, *conc. min.;* si considerentur *in concreto,* sc. in eo qui iam sit filius naturalis, *nego min. Dist. pariter cons.*

508. Nomina quidem concreta substantiva diximus supra (th.16 n.387) importare in recto personam et in obliquo formam, cum de incarnationis mysterio fit sermo. Obvio ergo sensu non videretur posse dici Christum esse servum Patris, quia significaretur *personam* Christi esse Patre *inferiorem,* dum simul sit *non inferior,* utpote persona divina.

At huiusmodi praedicatio "servus" et aliae similes, *supposita fide unionis hypostaticae,* facile intelliguntur praedicari quidem de persona *ratione naturae,* ita ut diversitas *naturarum* sufficiat ad has locutiones de una eademque persona praedicandas, quin diversae *personae* requirantur. Contra, nomen "filius adoptivus" ita irnbibitam habet in se notionem *personae extraneae* quae adoptetur, ut sola *naturarum* diversitas minime sufficiat, sed *duplex persona* in Christo debeat affirmari, alia filius naturalis, alia filius adoptivus[20].

509. 2. Christus homo dicitur *praedestinatus filius Dei in virtute* (Rom 1,4). Atqui homo qui praedestinatus est filius Dei non est filius Dei naturalis sed adoptivus. Ergo Christus homo est filius Dei adoptivus.

Dist. mai. luxta lectionem originalem Christus dicitur "praedestinatus", *nego mai.;* dicitur constitutus filius Dei *potens,* h.e. per resurrectionem Christus secundum carnem constituitur a Deo in splendoribus potentiae; vel dicitur filius Dei sensu largo, h.e. sensu *messianico* non praecise sensu filiationis *naturalis, conc. mai. Contradist. min.*[21]

De locutione ipsa *in se* dicemus infra, schol.3 n.515.

3. Christus nequit *secundum idem* esse filius naturalis *hominis* et filius naturalis *Dei.* Atqui Christus *homo* est filius naturalis Virginis Mariae. Ergo Christus homo non est filius naturalis Dei sed filius adoptivus.

Dist. mai. Christus nequit *ratione eiusdem naturae* esse filius naturalis hominis et filius naturalis Dei, *conc. mai.; ratione eiusdem personae, nego mai. Contradist. min.* Christus est filius naturalis Virginis Mariae ratione eiusdem *naturae* divinae qua est filius Dei naturalis, *nego min.;* ratione eiusdem *personae* divinae, *conc. min.*

510. 4. Christus homo ornatus est *gratia sanctificante.* Atqui gratia sanctificans constituit hominem *filium Dei adoptivum.* Ergo Christus homo est filius Dei adoptivus.

Conc. mai. Dist. min. Filiatio Dei adoptiva est effectus formalis primarius gratiae sanctificantis, *nego min.; secundarius, subdist.:* qui

[20] Plura de controversia circa denominationem "servum Dei", cf. apud Sai.· Manticenses, d.29. S.Augustinus explicite hunc titulutm Christo applicat; cf. Mohan, *De nominibus Christi...* 34.

[21] Cf. Prat, *La Théologie...* 2,510-513; Lachance, *Epître aux Romains* (Etudes bibliques, Paris 1931) in h.l.; Bover, *Tcologia de San Pablo3 67s;* Cbur-PEns, *Theologia bibliea* 3,199ss; M.E.Boismaro, O.P., *Constitué Fils de Dieu (Rom 1,4):* RcvBibl 60 (1953) 5-17. Dc variis theologorum interpretationibus, cf. SuArbz, d.50 s.2.

obtinetur quando persona, quae gratia sanctificante ornatur, est Deo *e.i'franea, conc.;* quando haec persona est iam filius Dei naturalis, *nego. Contradict, cons.*

5. Pltires sunt textus *sanctorum Patrum ac antiquae liturgiae mozarabteae,* qui de Christo homine *filio Dei adoptivo* loquantur. Ergo hic dicendi modus non videtur damnandus.

Dist. antec. Plures sunt textus in quibus sermo fiat de adoptione, at noà in sensu filiationis Dei adoptivae, *conc. antec.;* secus, *nego antec. Contradici. conc.*

Abstrahendo a textibus Patrum ab adoptionistis interpolatis aut e contextu avulsis, locutiones sive patristicae sive liturgicae agunt de adoptione *sensu lato* pro assumptione vel etiam pro electione. Locutio "homo assumptus" a nobis est supra explicata, th.3 n.42".

511. Scholion 1. *De Christo filio naturali Dei ratione naturae humanae.* Formula "ratione naturae humanae" potest intelligi ut humana natura sit *causa* ob quam Christus est Filius Dei naturalis, qui sensus absurdus apparet; sed potest etiam intelligi ita ut Christus in humanitate subsistens habeat *in humanitate ipsa* habitudinem aliquam seu relationem Filii naturalis ad Deum. De hoc sensu agitur.

Ex supra expositis (n.493.496) patet verba "ratione naturae humanae" reduplicate quidem Christi *humanitatem* at non reduplicative sed *specificative* Differt tamen sensus specificativus proprius de quo in hoc scholio a sensu spccificativo minus proprio de quo supra n.493s, quia ibi in recto notabatur *suppositum humanitatis,* hic autem *natura* humana Christi.

Ob argumenta sacrae Scripturae ac sanctorum Patrum, fuerunt theologi qui cum Suarez et Vâzquez putarentl" Christum *in quantum hominem* esse Filium Dei *naturalem;* quod explicabant ex eo quod Christus ut homo a Deo est sanctificatus *per gratiam unionis* et per illam habet ius ad haereditatem seu gloriam, et haec filiatio per gratiam unionis non est aliquid quod adveniat Christo iam constituto, ut est adoptio quae advenit Christo iam constituto.

512. Filiatio haec in Christo *re* non differt a filiatione naturali per essentiam quae constituit personam in natura divina subsistentem et ab aeterno genitam a Patre. Nam sanctitas ac ius ad divinam haereditatem, quod in humanitate potest intelligi, ab aeterna filiatione quasi formaliter provenit, media unione; et totum fundatur in infinita dignitate illius aeternae filiationis et ab illa omnino inseparabilis est sanctificatio humanitatis, supposita unione. Datur ergo unitas et identitas formae sanctificantis Christum ut hominem cum ipsamet filiatione naturali et per essentiam Christi ut Dei.

Diversus tamen est *respectus* praedicamentalis seu quasi praedicamentalis, qui did solet *esse ad.* Alius est respectus quem Christus ut homo sanctificatus per gratiam unionis et haeres vitae aeternae habet *ad Deum sanctificatorem suum,* alius vero est respectus realis *ad Patrem,* quem habet in quantum Deus *genitus est.*

22 Cf. Rivkha, *La doctrina de la adopciôn...:* RevEcl 7 (1935) 6-17; Id., *La controversia adopeionista del siglo PHI y la ortodoxia de la liturgia nwsdrabe:* Ephljtur 47 (1933) 506-536. In specie de S.Ambrosio, cf. GAPP, *La doctrine dc Γunion...* 55-60.

23 lure notat Platel *(Synopsis... De incarnatione* c.6 $ 4 n.396) alios auctores hunc sensum vocare specificativum, alios autem reduplicativum. Nos hic consequenter ad exposita supra η.439.496 specificativum cum appellamus.

24 SuArez, d.49 s.1-3. VxzquEz, d.89 c.14. Platel, *ibid.,* n.397-399. De aliis, cf. Saimanticenses, d.33 dub.2 n.60.

513. Ncc omnino improprie *naturalis filiatio* appellatur, quia noh solum eam relationem filiationis habuit Christus ut homo *a princimo* suae conceptionis, sed ita eam habuit a principio ut et ipsa unionis gratia *intrinseca* illi fuerit quia per illam quasi formaliter consti/uitur hic homo Christus, ut Christus est, ac denique ita ut *ex vi Oiusdem unionis* habet illam sanctificationem et illud ius ad haereditatem aeternam, a quibus filius nominatur", /

Sententia haec *communius ac merito reicitur,* tum quia in traditione non videtur fundata tum quia minus consequenter ad argumenta ex ratione theologica supra n.506 allata, inducit in Christo *duas* relationes *filiationis naturalis,* aliam *strictae* filiationis naturalis aliam *latae* ".

514. Scholion 2. *De natura humana Christi adoptata.* Fere communis est theologorum sententia humanitatem Christi non posse proprie dici adoptatam, cum adoptari sensu usuali sit *personae* non vero naturae, et cum praeterea natura Christi proprie ad nullum donum *adoptari* potuerit, sc. nec ad habitualem gratiam *ad quam* neque nos homines adoptamur, siquidem *per eam* ad aeternam haereditatem potius adoptamur; nec ad haereditatem aeternam, ad quam *neque per gratiam habitualem* adoptatur, cum haec gratia sit posterior natura quam gratia unionis et sic detur naturae non extraneae sed *propriae* Verbi per unionem, *neque per gratiam Unionis* adoptatur, cum haec sit *allioris ordinis* et rationis quam sit gloria ipsa, ergo nequit illa esse adoptio ad gloriam; nec ad gratiam unionis, cum adoptio non faciat nisi *accidentalem* unionem inter adoptantem et adoptatum, gratia vero unionis faciat *substantialem* unionem".

515. Scholion 3. *De praedestinatione Christi.* Duplex tractari potest quaestio, alia terminologica, alia realis. *Quoad modum dicendi,* plura indicant theologi de locutionibus: Christus est praedestinatus, Christus ut homo est praedestinatus, Christus ut homo est praedestinatus ut sit Filius Dei naturalis.

Breviter statui potest hoc principium: praedestinata sunt *omnia opera supernaturalia,* quae in incarnatione facta sunt; praedestinatio nullo modo cadit in personam Verbi qua talem; Christus ut homo potest dici praedestinatus ad *omnes gratias,* quae unionem hypostaticam *sequuntur* Addendum est ex S.Thoma (3 q.24 a.l ad 2) praedestinationem attribui *personae Christi,* non quidem secundum se vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura.

516. *Quoad rem ipsam,* duplex adhuc quaestio institui potest, alia de ratione propter quam *Christus ipse* praedestinatus est seu de ratione propter quam praedestinatum est a Deo ut Verbum incantetur, alia de praedestinatione Christi ut *nostrae praedestinationis causa.*

x' Ita Suârez, d.49 s.2 n.35.34.31.

M Cf. v.c. Franzelin, th.38 ad III, 2.° De sententia Scoti, cf. Minces, 1,5O3s. Sententiam aliam, quam Mastrius (d.2 q.5 n.USsqs.) aliique apud ipsum citati tenent, et iuxta quam Christus *ut homo* nec esset filius Dei naturalis nec adoptivus sed *proprius,* ex iisdem fere rationibus reiciunt merito theologi. De recentibus opinionibus a Dorsaz et Cuzin propositis, cf. P.GaltiEr, S.I.: RevAscMyst 4 (1923) 185-187; 19 (1938) 364-368. Cf. quoque DTC 6,718s.

" Cf. Suârez, d.49 s.4; Salmanticenses, d.33 dub.l n.1.9-24.

28 Ita PBsch, n.180. Plura, cf. S.Th., 3 q.24 a.la; Suârez, d.50; Salmanticenses, d.34.

Priorem illam quaestionem exposuimus supra th.l, ubi probavimtis Christum esse a Deo praedestinatum vi praesentis decreti nonnisi. dependcnter a praevisione peccati Adami.

praedestinatio vero Christi est *nostrae praedestinationis causa,* non si praedestinatio consideretur secundum ipsum praedestinationis *actum,* quia uno et eodem actu Deus praedestinavit Christum et nos; sed utique si consideretur praedestinatio secundum *terminum* praedestinationis, sic enim Deus praeordinavit nostram salutem, ab aeterno praedestinando ut per lesum Christum compleretur10.

Haec partim ex expositis supra th.l immediate fluunt, partim vero ex exponendis infra th.24 de merito Christi magis patebunt.

ARTICULUS III

Quae conveniunt Christo per comparationem ad nos

Thesis 20. Humana Christi natura et quaelibet eius pars Verbo hypostatice unita uno eodemque latriae cultu absoluto adorari debet quo Christi divinitas.

S.Th., 3 q.25 a.Is; SuArez, d.53; Salmantpcenses, d.35.

517. Nexus. Consideratis a S.Thoma his quae Christo conveniunt secundum se ac per comparationem ad Deum Patrem, agit nunc de his quae Christo conveniunt *in comparatione ad nos;* et primo de *adoratione* Christi, qua scilicet nos eum adoramus; deinde, de hoc quod est Mediator noster ad Deum.

In hac thesi quaestionem de *adoratione* humanitatis Christi tractamus ; de cultu autem imaginum et sanctorum, de quibus agit S.Thomas in eadem hac quaestione (a.3-6), sermo fiet infra in alio tractatu.

518. Notiones. Adoratio est species honoris. Honor vero definitur cum S.Thoma: “Quaedam recognitio excellentiae alicuius” '. Honor versari potest vel circa aequales et inferiores, et tunc simpliciter appellatur *honor,* vel circa superiores, et tunc vocatur etiam *adoratio* seu cultus Adoratio ergo est actus quo quis alteri se submittit in signum excellentiae et superioritatis eius[3]. Adoratio quae *Deo* redditur

» Cf. S.Th., 3 q.24 a.4 c.

1 2.2 <|.102 a.2 c.

3 Nomen *adorationis* soli cultui *Deo reddito* reservari nunc solet. Cactorum de quodam discrimine inter cultum et honorem, cf. S.Th., 2.2 q.102 a.2 De adoratione *historice* considerata, cf. E.Beurlier, *Adoration:* DTC 1,437-442. De adoratione in sacra Scriptura, cf. CeuppEns, *Theologia biblica* 3,202s.

3 Cf. Salmanticenses, d.35 dub.l n.2. lure notat S.Thomas (2.2 q.102 a.2 ad 2) hunc honorem erga superiores non supponere necessario hos propriam praelationem habere, sed eis debemus cultum et honorem “etiam si non simus eis subiecti”.

est actus proprius virtutis *religionis,* de qua plura in tractatu de virtutibus.

Constat itaque adoratio actu *intellectus,* alterius excellentiam ac debitum ei se submittendi recognoscentis, actu *voluntatis,* hanc submissionem imperantis, denique *exsecutione* sive per actum *mere internum,* quem sufficere multo communius theologi merito tenent, sive etiam per actum *externum,* qui tanquam elementum secundarium in homine connaturaliter actum internum comitatur[4].

519. Distinguenda sunt in adoratione obiectum materiale et obiectum formale. Obiectum *materiale* est *id quod* adoratur. Potest esse obiectum *materiale totale,* quod est *integra* persona, in quam adoratio ultimatim tendit, et obiectum *materiale partiale,* quod est res ad personam adorandam aliquo modo (ut pars vel aliter) spectans ideoque participans de venerabilitate personae. Obiectum materiale *totale* vocari quoque potest primarium, remotum, ultimum; obiectum materiale *partiale* dici etiam potest secundarium, proximum. In obiectum materiale *totale* adoratio tendere potest exercite tantum seu implicite et minus directe; in obiectum materiale *partiale* adoratio tendit signate seu explicite et directe.

Obiectum *formale* seu "causa honoris" est *ratio ob quam* adoratio praestatur. Potest esse obiectum formale *primarium,* quod est *excellentia ipsius personae,* et obiectum formale *secundarium,* quod est *peculiaris excellentia* ob quam obiectum aliquod materiale *partiale* signate adoratur. Haec distinctio maioris momenti est pro thesi sequenti[5].

520. Dividitur adoratio seu cultus *ratione excellentiae* in adorationem latriae, quae *divinae* excellentiae debetur, et adorationem *duliae,* quae *creatae* excellentiae debetur. Haec creata excellentia est Dei excellentia aliquibus creaturis communicata non secundum aequalitatem, sed secundum quandam participationem. Matri Dei debetur eminentius haec adoratio duliae, quae proinde *hyperdulia* dicitur[6].

Ratione nexus inter obiectum materiale quod adoratur et obiectum formale propter quod illud obiectum materiale ado-

[4] C. S.Th., 2.2 q.81 a.7; q.84 a.2s; Salmanticenses, d.35 dub.1 n.5-10. Plura, cf. ibid., n.11-25. Breviter, Muncuniix, n.1186. De elemento *externo* ct *interno cultus,* cf. Pium XII, *Encycl. "Mediator De?*:* AAS 39 (1947) 530-532.

[5] Quaestio de distinctione inter obiectum formale *quod* et *quo,* seu quaestio cur adoratio pertineat ad virtutem *moralem* religionis ct non ad virtutes *theologicas,* agitatur in tractatu de virtutibus.

[6] Cf. S.Th., 2.2 q.84 a.1 c; 3 q.25 a.5 c. Quo sensu *dulia* de Deo dicatur, cf. 2.2 n.103 a.3 ad 1; 3 q.25 a.2 c. Cf. P.Séjourné, *Saints (Culte des):* DTC 14,961.

ratur, cultus dividitur in *absolutum,* quando obiectum materiale adoratur *profiter se* seu propter excellentiam *proprii suppositi,* et in *relativum,* quando obiectum materiale adoratur *propter connexionem* habitam cum excellentia alterius rei seu *alterius suppositi*

521. Humana Christi natura. *Supponitur* in hac thesi contra nestorianos *Christum· hominem* vel Christum *ut hominem* reduplicative sensu *specificativo minus proprio* de quo supra, th.19 n.492-494, adorandum esse cultu absoluto latriae; persona enim Verbi non desinit esse hoc latriae cultu adorabilis, eo quod explicite consideretur subsistens in et cum humana natura. Posset quaestio esse de Christo *ut homine,* reduplicando humanitatem sensu *specificativo proprio* de quo agunt logici (cf. supra, n.493), sc. ita ut *persona* Christi adoranda consideretur *secundum humanitatem,* seu ita ut humanitas sit *ratio formalis* secundum quam, praedicatum adoratio conveniat subiecto, h.e. personae Christi.

522. De facto tamen in hac thesi consideratur *directe* non persona sed ipsa *natura* humana Christi, minime tamen ut *praecisa* a Verbo, de qua hypothesi agemus infra, schol.2 n.540, sed prout *realiter* in Christo alest, nempe ut unita hypostatice cum Verbo. Hoc modo S.Thomas quaestionem proponit ac omnino recte.

Si enim humana Christi *natura-* cultu latriae adorabilis est, a fortiori id valebit de Christi *persona* spectata secundum humanitatem, seu de Christo *ut homine* sensu specificativo proprio. Ex alia parte adoratio id proprium habet quod possit *directe* terminari non ad solam integram *personam* (obiectum materiale *totale)* sed etiam ad *rem* pertinentem aliquo modo ad personam (obiectum materiale *partiale),* ut supra n.519 exposuimus. Id autem de praedicato "filio naturali" aut "rege" non obtinet, cum sint praedicata *suppositi;* ideo in his thesibus loqui non possumus de humanitate Christi sed de *Christo homine* vel de *Christo ut homine.* E contra, in thesi de Christi sanctitate (supra, th.12) loquebamur, sicuti nunc, de *humanitate Christi.*

523. Et quaelibet eius pars Verbo hypostatice unita. Quoniam in thesi agimus de cultu latriae *absoluto,* eas tantum humanitatis Christi partes consideramus, quae Verbo unitae sunt non solum in hypostasi sed *secundum hypostasim;* quaenam hae sint, declaratum manet supra, th.7 schol.5-8 n. 139-143.

' Cf. S.Th., 3 q.25 a.3s.6.

Uno eodemque latriae cultu absoluto quo Christi divinitas. Per verba *cultum absolutum* indicatur ratio *propter quam* humanitas Christi adoratur, sc. excellentia *proprii suppositi.*

524. Addimus *uno eodemque latriae cultu quo Christi divinitas,* ad hoc ut significemus *eam ipsam* latriae adorationem, cuius obiectum *totale* est Verbum incarnatum, habere pro termino *partiali* humanam naturam, in quantum haec est Verbi propria.

Amandamus ad scholion 1 (infra, n.538s) duplicem ulteriorem quaestionem, sc. an adoratio *humanitatis* Christi, licet sit vere et *univoce* adoratio *latriae,* sit *minus perfecta* quam adoratio latriae qua Christi *divinitas* adoratur; et an *praeter* hanc identicam latriae adorationem quam in thesi propugnamus, sit Christi humanitas adoranda *etiam alia* adoratione latriae, quae *inferior* latria dicenda sit.

525. Adversarii. *Directe* adversantur *plures antiqui theologi,* qui latriae adorationem *soli* Deo reservatam volunt, non autem Christi *humanitati,* quae aliquid creatum est[8].

526. Doctrina Ecclesiae. *Concilium Constantinopol. II:* "Si quis... non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est, talis A.S." (D 221). Quamvis haec verba videantur ipsam Christi *carnem* dicere adorandam una adoratione cum Verbo, nihilominus *historice* respiciunt errorem monophysismi asserentis divinitatem non efficere cum carne nisi *unam substantiam* (μίαν φύσιν ἤγουν οὐσίαν) Sensus itaque historicus videtur esse quem nos in thesi *non* intendimus probare sed potius *supponimus,* ac iuxta quem supra n.521 locutionem "Christus ut homo" diximus reduplicare humanitatem sensu *specificativo minus proprio.*

Magni tamen momenti est haec concilii doctrina pro nostra thesi, cum Concilium pro unitate vel diversitate adorationis in Christo non naturas sed *personam* attendat. Proponitur ergo a Concilio *principium* ex quo thesim nostram deducemus, sc. obiectum quod adoratur esse *personam* [9].

527. *Concilium Tridentinum:* "Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles... latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo [Eucharistiae] sacramento in veneratione exhibeant" (D 878). *Sacramentum* Eucharistiae, iuxta Tridentinum, non est *simpliciter* Christus, quia Christus *continetur* in hoc sacra-[10]

[8] Cf. Salmanticenses, d.35 dub.2 n.46; Muncunill, n.1195; Landgraf, *Dogmengeschichte...,* 2.ª pars, 2,132-169. Rectissime notat Landgraf cultum *duliae,* quem hi auctores pro Christi humanitate propugnant, *nullatenus* in eorum mente ad nestorianiamum ducere. Nam quod *solam personam* tanquam materiale obiectum adorationis sive latriae sive duliae consideremus, fructus est theologici progressus (*l.c.,* 168s).

[9] Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes...* 3', 148.

[10] Ob ignorata et hoc principium et documenta ecclesiastica in quibus hoc principium exprimebatur, erraverunt theologi illi antiquiores, quos inter adversarios recensuimus. Cf. Landgraf. *o.c.,* 168s. De *Encycl. "Haurietis aquas".* cf. infra, n.529.

mento (D 874 883 885) et species reales ad *sacramentum* hoc pertinent, ut fusius in tractatu de Eucharistia demonstratur. Cultus ergo latriae, qui Deo debetur, ipsi *sacramento* tribuendus est.

Verum quidem est tum ea quae immediate sequuntur tum correspondentem canonem sextum (D 888) agere directe de cultu latriae tribuendo *Christo* in sacramento Eucharistiae, et in discussionibus theologorum ac Patrum Concilii Tridentini adorationem fere semper intelligi directe de *Christo* ". Nihilominus argumentum nostrum firmum remanet, quia non fuissent sic locuti Patres in verbis allatis ex cap.5 (D 878), nisi persuasi fuissent adorationem latriae Christi personae debitam *comprehendere etiam* ea quae cum Christi persona sunt *unita,* quod in hoc casu verum est de *sacramento* Christum continente.

Cum tamen sacramentum, prout continens Christum et a Christo distinctum, sit adorandum non cultu absoluto sed tantum cultu *relativo* ", pro thesi nostra hoc argumentum ex Tridentino valet *indirecte,* quatenus principium continet ex quo nos argumentari possumus, sc. cultum latriae tribui tum personae *tum* iis quae cum hac persona *conitenda* sunt; ergo a fortiori ipsi Christi humanitati, cui caeterum cultus *absolutus* debetur propter *identitatem suppositi.*

528. Pius VI contra *Pistorienses* (D 1561). Inde constat hoc: "adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur [est] una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius came adoratur". Ergo non solum thesis nostra affirmatur de *tota* humanitate, sed etiam de *parte* huius, nempe de came.

529. Valor theologicus. Thesis nostra est *communis et certa sententia in theologia.* Contraria dicitur "falsa" a Pio VI (D 1561). Magna varietas in valore theologico huius theseos apud theologos assignato ex diverso statu quaestionis provenit, quatenus sc. plures sub voce "humanitatis" intelligunt Christum *hominem* sensu specificativo minus proprio de quo supra, n.521 [2a].

530. Probatur ex sacra Scriptura. Argumentum peti potest ex eo quod plures textus qui de vera adoratione latriae *huius hominis Christi* seu *Christi hominis* (cf. supra, n.521) agunt, obvie indicant illam adorationem ordine exsecutionis†1

y Cf. CTr t.S 869sqs; A.Theiner, *Acta genuina SS. oecumcnici Concilii Tridentini...* 1,488-527. Distinctionem inter cultum tribuendum *Christo* et eum cultum qui tribuatur *sacramento* neque recentissima studia magis explicant: cf. A.Duval, O.P., *Le Concile de Trente et le culte eucharistique* (Extractum ex libro Memoriali: *Studia Eucharistica DCCI anni a condito festo Sanctissimi Corporis Christi 1246-1946* (Antwerpen 1946) 401s.

11 Quod etiam e quibusdam locutionibus Patrum in Tridentino patet. Cf. Theiner, *o.c.,* 1,506 (Castellimaris), 507 (Misiensis), 509 (Salonensis) etc.

a2a *Encycl. "Haurietis aquas"* dicit: "De veritate agitur catholica fide retinenda, cum iam in Oecumenicis Conciliis Ephesino et Constantinopolitano II, sollemniter sancita fuerit": AAS 48 (1956) 316. Videtur *Encycl.* intelligenda de aspectu illo *fundamentali* contra nestorianos et monophysitas. quod nos *supponimus.*

circa *ipsam humanitatem* proxime versari, quamvis ipsa divina persona per se primo adoraretur [13].

531. Probatur ex traditione. 1) Patres *principium* unde thesim nostram deducimus (cf. supra, n.526), contra *nestorianos aliosqne haereticos* efferunt. S.Athanasius: "Neque vero huiusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque, cum Verbum volumus adorare, ipsum a came removemus..." (R 795). Cf. R 762. S.Cyrillus Alexandr.: "Verbum Dei... adorabatur semper ut Deus, nunc adorationem suscipit ut homo" (R 2071). Dicunt ergo hi Patres adorationem Verbi qua talis non mutatam esse eo quod Verbum in carne adoretur; principium sic inculcant, obiectum *quod* adoretur esse *personam.*

2) *Expresse* Patres asserunt Christi *humanitatem* adorandam esse. S.Ambrosius: "Per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam apostoli in Domino lesu... adorarunt" (R 1285). S.Augustinus eandem ideam evolvit. S.Ioannes Damasc.: "Neque enim adorandam esse carnem eius negamus: quippe quae adoretur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona facta est..." (R 2363). In contextu apparet hos Patres non diversam adorationem carnis et Verbi proposuisse sed *unam eandemque*[14].

532. Ratio theologica. Honor seu cultus exhibetur *personae* seu *toti rei subsistenti,* non enim dicimus manum hominis honorari sed *hominem* honorari. Iam vero, in Christo est tantum *una persana* divinae et humanae naturae; ergo tum in divinitate tum in humanitate adoratur haec eadem tota Christi persona, et consequenter non diversa sed *una et eadem* adolatione divinitas et humanitas Christi adorantur. Si autem ponerentur in Christo plures personae, simpliciter essent plures adorationes.

Hanc humanitatis adorationem esse adorationem *latriae* constat, quia adoratio humanitatis est adoratio *totius Christi personae,* ex nuper dictis; age iam, haec Christi persona est Verbum Dei incarnatum, cui adoratio *latriae* debetur; ergo et haec humanitatis Christi adoratio est *cultus latriae*[15].

[13] De his textibus sacrae Scripturae, cf. CeuppEns, *Theologia biblica* 3,203-211.

[14] De S.Cyrillo, cf. plura apud Du Manoir de Juaye, *Dogme et spiritualité...* 136. De S.Ambrosio, cf. Drzenick, *Doctrina S.Ambrosii de Christo...* 36s. S.Augustini textus habetur in *Enarrat, in Psalmosf in Ps 98* v.5: ML 37,1264. Cf. Mohan, *Dc nominibus Christi doctrinam divi Augustini...* 34-36. Alios textus e Patribus vide apud Petavium, 1.15 c.3 n.7-14.

[15] De hac ratione theologica ex S.Thoma, cf. Backes, *Die Christologie des hl.Thomas...* 314-317.

Hie cultus est *absolutus,* quia humanitati Christi defertur propter excellentiam *proprii* suppositi.

Eaedem rationes valent non solum pro *integra* Christi humanitate sed etiam pro *qualibet parte* huius humanitatis.

533. Obiectiones. 1. *Divinitas* Christi adoranda est adoratione *communi* Patri et Filio. Atqui *humanitas* Christi non est communis ei et Patri. Ergo *non eadem adoratione* adoranda est humanitas Christi et eius divinitas.

1) *Conc. mai. Dist. min.* Humanitas Christi non est communis ei et Patri, ita tamen ut *una persona Christi* communicet in divinitate cum Patre, *conc. min.;* secus, *nego min. Contradist. cons.* Non eadem adoratione adoranda est humanitas Christi et cius divinitas, si *tina Christi persona* non communicaret in divinitate cum Patre, *conc. cons.;* si communicat, *nego cons.*

2) *Dist. mai.* Divinitas Christi adoranda est adoratione *numerice eadem* cum adoratione divinitatis Patris, ratione *causae honoris,* quae est divina natura, *conc. mai.;* ratione *personae adoratae, 'nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Non eadem adoratione adoranda est humanitas Christi et cius divinitas, si numerica identitas adorationis petitur ex parte *causae adorationis, nego cons.;* si petitur ex parte personae adoratae, *conc. cons.*

In Trinitate sunt *tres Personae* quae adorantur, sed est *una causa* honoris, sc. divinitas. In incarnatione e contra est *una persona* quae adoratur, sed sunt *plures causae* adorationis, prout persona adoratur *propter* divinitatem aut *propter* humanitatem perfectam omni genere gratiarum (S.Th., 3 q.25 a.ls). Thesis nostra respicit adorationem ex parte eius qui adoratur. De adoratione multiplici ex parte *causae* honoris, pauca dicemus in scholiis.

534. 2. Cultus latriae nulli rei *creatae debetur.* Atqui humanitas Christi est quaedam res creata. Ergo humanitati Christi non debetur cultus latriae.

Dist. mai. Cultus latriae nulli rei creatae debetur *ratione sui ipsius, conc. mai.; ratione personae divinae* cuius sit propria illa res creata, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.*

535. 3. *Sacrificium* est actus cultus latriae. Atqui *humanitati* Christi offerri nequit sacrificium. Ergo humanitas Christi non adoratur uno eodemque cultu latriae quo Christi divinitas.

1) *Conc. mai. Dist. min.* Christi humanitati offerri nequit sacrificium ratione *non perfectae* adorationis latriae quae ei competeret, *nego min.;* ratione *extrinseci* impedimenti, *trans, min. Contradist. cons.*

Quod Christi humanitati forte non posset sacrificium offerri, non proveniret ex eo quod haec humanitas, considerata ut terminata per personam Verbi, huiusmodi actus cultus indigna aut incapax sit", sed proveniret ex eo quod *unum* sacrificium N.T. est *de facto* eucharistia, atque hoc sacrificium offert tanquam principalis sacerdos Christus *homo;* inde aliis theologis videtur deesse necessaria *alteritas,* quae inter offerentem sacrificium et eum cui offertur intercedere debet. Alii tamen theologi rectius, ut videtur, credunt etiam in hoc casu sufficientem alteritatem dari; nam sacrificium offert Chris-

18 VÂzpuEz tamen negat sacrificii ullo modo participem fieri Christi humanitatem: *In 3* d.96 c.8 n.61s.

tus per humanitatem suam tanquam per *principium quo* illius actus, recipit autem Christus sacrificium in humanitate sua *per redundantiam* in ipsam adorationis qua Verbum incarnatum colitur. Haec melius patebunt ex altera difficultatis solutione ".

536. 2) *Dist. mai.* Sacrificium est actus cultus latriae ab aliis actibus huius cultus diversus *qu-oad naturam* perfectae latriae, *nego mai.;* diversus *quoad specialem terminationem, conc. mai. Dist. pariter min.* Humanitati Christi nequit offerri sacrificium, quia *natura* actus perfectae latriae cum cultu humanitati debito pugnet, *nego min.;* quia *specialis terminatio* huius actus sacrificii hoc excludit, *trans, min.*

Difficultatem non videmus in eo quod coram Christi humanitate v.c. *genufleclamus,* licet hic sit etiam latriae cultus; at absonum nobis apparet huic humanitati *sacrificium offerre.* Discrimen in eo videtur reponendum quod genuflexio etiam coram rebus inanimatis, v.c. ligno sanctae crucis, fieri soleat ; sacrificium autem *directe et explicite* soli *personae* divinae offeratur. Hoc sensu neque *divina Christi tuitura* recipere valet sacrificium sed sola *persana;* inde iam patet rationem cur Christi *humanitati* sacrificium non offeratur minime esse *inferioritatem* aliquam, sed specialem modum quo sacrificium *ad personam terminetur,* non vero *ad naturam.*

Si vero sacrificium fuerit *Christo* oblatum, repugnantia nulla est in eo quod huiusmodi honor humanitati *communicetur,* seu in eam *redundet,* quia humanitas *unum* constituit cum Christi persona.

537. 4. *Divinitas* Christi *amanda* est amore *summo.* Atqui *humanitas* Christi non est amanda super omnia. Ergo humanitas Christi neque est *eodem cultu latriae adoranda* ac Christi divinitas.

1) *Conc. mai. Trans, min. Nego cons. et consequentiam,* donec probetur. Non omnes theologi hanc consequentiam inter rationem *amoris* et rationem *adorationis* circa Christi humanitatem admittunt “.

2) *Conc. mai. Dist. min.* Humanitas Christi non est amanda super omnia, si per amorem intelligimus affectum quo *humanitati* volumus *summum bonum,* et quidem non tantum per unionem substantialem sed *per essentiam* habitum, *conc. min.;* si per amorem intelligimus affectum quo Christi *personae* volumus hoc summum bonum, *subdist.:* non est *idem amor* qui ad Christi divinitatem et ad Christi humanitatem terminatur, *nego;* non *eodem modo* terminatur, *conc. Contradis!, cons.* Humanitas Christi non est eodem cultu latriae *adoranda* ac Christi divinitas, si affectus adorationis latriae tenderet in *excellentiam divinam* non tantum per unionem substantialem sed *per essentiam* habitam, *conc. cons.;* si affectus adorationis latriae tendit in excellentiam divinam *personae, subdist.:* non est *idem cultus latriae, nego;* non *eodem modo* terminatur, *conc.*

In utroque casu amatur vel adoratur divinitas *propter se,* humanitas autem *propter divinitatem;* hoc sensu non *eodem modo* terminatur amor vel adoratio ad divinitatem et ad humanitatem. Attamen divinitas non est humanitati Christi quid *alienum,* sed humanitas vere est *pars* divini suppositi Verbi.

538. Scholion 1. *De latriae adoratione minus perfecta circa Christi humanitatem quam circa eius divinitatem.* Non defuerunt

" Cf. Mvncuniij., n.1203; Salmanticenses, d.35 dub.2 n.SOs.

13 Ita v.c. adhuc recenter: Galtier, n.294 (cf. contra hoc argumentum, Muncunill, n.1200); ob diversam rationem, Pesch, n.203s.

theologi qui in ipsa *univoca* latriae adoratione duplicem distinxerint adorationem, aliam *superiorem,* fundatam in excellentia divina *secundum se,* quam negant tribuendam esse humanitati, aliam *inferiorem,* fundatam quidem in excellentia divina sed *ut coniuncta* humanitati illamque sanctificante, qua adoratur haec humanitas propter divinitatem illi unitam. Tamen quia utraque haec adoratio in excellentia *divina* fundatur, *univoce* est latriae adoratio appellanda.

Sententia haec argumentis in nostra thesi allatis satisfacere non videtur, quatenus *excludit* eandem illam *superiorem* adorationem latriae in humanitatem *redundare.* Principium enim fundamentale in hac materia est *personam* honorari tum in divina tum in humana natura (cf. supra, n.532) ; ergo etiam in humana natura adoratur excellentia divina *secundum se,* seu aliis verbis, cultus latriae superior, qui divinae personae competit, in humanitatem *redundat,* quae est pars integri suppositi Christi ".

539. Alia quaestio esset si, *praeter* hanc identicam superiorem adorationem latriae, admitteretur circa humanitatem etiam adoratio *alia,* nempe propter dignitatem et excellentiam quam Christi humanitas habet *ex vi unionis.* Suarez existimat Christi humanitatem hoc modo consideratam esse quidem adoratione *latriae* adorandam, non tamen perfecta sed *inferiori* latria.

Haec sententia minus rationabiliter proponi videtur, quia dignitas quam humanitas ex unione ad Verbum habet nihil aliud esse apparet nisi Verbi dignitas humanitati communicata, ita ut Verbum sit ratio formalis et unio sit conditio ad adorationem. Unde haec adoratio coincidit cum ea humanitatis superiori latriae adoratione quam supra, n.538 stabilivimus".

Quae melius intelliguntur, si in memoriam revocetur hanc excellentiam seu dignitatem humanitati provenientem ex vi unionis ad Verbum, realiter esse *sanctitatem ontologicam substantialem,* quam supra th.2 n.238.252-255 exposuimus esse *eandem* Verbi sanctitatem ontologicam.

540. Scholion 2. *De adoratione hyperduliae circa Christi humanitatem.* Quaestio haec locum habet si Christi humanitas consideretur non quidem ut a Verbo *separata,* sed ut *praecisa* a Verbo; aliis verbis, si Christi humanitas consideretur praecisione *abstrahente,* quae minime neget terminationem humanitatis per Verbum, sed tamen solummodo attendat ad perfectionem humanitatis tam ex se quam ex donis quibus afficitur.

Hoc modo humanitas iure dicitur a S.Thoma (q.25 a.2 ad 1) adoranda dulia excellentiori, quam *hyperduliam* vocant.

Licet theologi communius concedant Christi humanitatem *posse* hoc modo *praccisivo adorari,* quin immo, huiusmodi adorationem esse *honestam ac licitam,* simul annotant Ecclesiam eam *in publico cultu* non adhibere; nam ut dicit Caietanus (in h.l. S.Th.), adorationem Christo debitam ratione humanae naturae Ecclesia *in mente* retinet, non in usu. Quod provenire potest sive ex cura ut error Nestorii magis adhuc excluderetur sive ob non communem theologorum consensum circa huius adorationis possibilitatem aut liceitatem ".

10 Cf. Suârez, d.53 s.3 n.3; Salmanticenses, d.35 dub.2 n.29s.

Λ Suârez, ibid., n.7s. Cf. Salmanticenses, ibid., n.38-40.

21 Firmiter huius cultus *hyperduliae* liceitatem negant plures etiam reccntiores: cf. v.c. FranzEi.in, th.45 corol.1 et 2; Escn, n.199-202; Pohi.E-GierEns, 160-162.

Principium itaque ad dignoscendum, iuxta dicta, quando Christi humanitas sit *latriae* adoratione et quidem *suprema* adoranda, quando vero sola *hyperdulia,* sequens est: si humanitas adoratur propter perfectionem quam humanitas habet ex Verbo *formaliter,* talis adoratio est *latriae;* si autem adoratur propter perfectionem quam habet ex Verbo *efficienter,* talis adoratio est *hyperduliae.* Aliis verbis, si illa perfectio humanitatis est *increata,* adoratio erit *latriae* et quidem *supremae;* si vero illa perfectio est *creata,* adoratio erit *hyperduliae.*

Thesis 21. Devotio erga sacratissimum Cor lesu tum excellens forma cultus humanitatis Christi tum totius Christianae religionis summa dicenda est.

A.Bea, S.I/., ... *Cor lesu.* I. Pars theologica. II. Pars historica et pastoralis (Roma 1959); G.de Becker, SS.CC., *Les Sacrés-Coeurs de Jésus et de Marie. Étude doctrinale* (Roma-Grottafcrrata 1959); M.Denis, *Le iriystère de l'amour divin. Théologie ct culte du Sacré-Coeur* (Toulouse 1959); Cl.JEan-Nesmy, O.S.B., *L'amour du Christ* (Paris 1959).

541. Notiones. Devotio est *in genere* "voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum" (2.2 q.82 a.1 c). Considerari potest ut *actus* et sic "est principalis actus religionis" (2.2 q.104 a.3 ad 1) vel ut *habitus* seu ut permanens animi dispositio ad promptum Dei famulatum. Devotio *sensu latiori* versatur circa *integrum Dei servitium;* devotio autem *sensu strictiori versatur* circa *cultum* Deo tribuendum \

Devotio *particularis* vocatur complexus actuum, qui in Dei famulatum ordinantur, ita ut *immediate* respiciant *speciale* aliquod obiectum cultus. Sic in ipsa Christi adoratione potest adoratio tendere *signate* in obiectum materiale *partiale,* ut Christi humanitatem, Christi vulnera, Christi cor (cf. supra, th.20 n.519).

In thesi agimus de devotione *particulari* et quidem tum in sensu *latiori* tum in sensu *strictiori,* prout suis locis notabimus.

542. Cor. Haec vox significatione *ardiori* designat cor *physicum* seu *corporeum,* sc. musculum illum carneum nervis multipliciter circumdatum ac penetratum, qui intra pectus automatice palpitat et centrum circulationis sanguinis est.

Significatione vero *ampliori* at *propria* designat vox "cor" *integrum subiectum vitae interioris* hominis cum eius cogitationibus et affectibus; ergo imprimis animam cum duplici potentia appetitiva et cum intellectu. Significatio haec amplior dicitur *propria,* siquidem cor *corporeum* in ea etiam contine-

1 Plura apud I.de Guibert, S.I., *Theologia spiritualis ascctica et mystica?* (Romae 1939) n.272; O.Zimmermann, S.I., *Lchrbuch der Aszetik* (Freiburg i.Br. 1929) 322 ad I; E.Dublanchy, *Dévotion:* DTC 4,680-685.

tur tanquam interioris vitae sedes, saltem sic tunc temporis homines imaginabantur, vel tanquam interioris vitae organum manifestâtivum 23

Significatio *metaphorica* designat rem *omnino aliam* quam eadem vox in sensu proprio; hoc sensu tamen adhibetur propter *similitudinem.* Etiam hic sensus recurrit; v.c. Mt 12,40.

543. Sacratissimum Cor Iesu. Cum in hac thesi de devotione erga Cor lesu ab *Ecclesia* proposita ac commendata agatur, ipsius Ecclesiae authentica documenta respicienda sunt8. Privatae revelationes S.Margaritae Mariae Alacoque (1673-1675) "nihil novi doctrinae catholicae attulerunt. Earum autem momentum in eo est, quod Christus Dominus—Sacratissimum Cor suum ostendens—modo extraordinario et singulari mentes hominum ad mysterium amoris miscricordissimi Dei erga genus humanum contemplandum colendumque advocare voluit". lure ergo S.Margarita Maria vocatur "huius cultus fautrix ac praeco indefatigabilis" 4*

2 Cf. Donat, *Psychologia9* n.3.98-405; A.Guili.aumont, *Les sens des noms du coeur dans l'antiquité'.* EtCarm 29 (1950) 41-81; A.Lefèvre, *Cor.* 1. *Usage biblique:* DSpir 2,2278-2281; A.Guiixaumont, *Cor. 2. Le "coeur" chez les spirituels grecs à l'époque ancienne:* ibid., 2281-2288; J.Chatillon, *Cor.* 3. *Cordis affectus au moyen âge:* ibid., 2288-2300; L.CognET, *Cor.* 4. *Le coeur ches les spirituels du XVII· siècle:* ibid., 2300-2307. Cf. J.DoressE, *Le coeur et les anciens égyptiens:* EtCarm 29 (1950) 82-87; Adidevananda, *La notion du coeur dans la vie spirituelle de l'Inde:* ibid., 88-95; L.Massignon, *Le "coeur" (ai-galb) dans la prière et la méditation musulmanes:* ibid., 96-102; J.LhErmitte, *Le coeur dans ses rapports avec les états affectifs:* ibid., 17-33; F.Doi.to, *Le coeur, expression symbolique de la vie affective:* ibid., 34-38; W.BaüER, *Griechisch-Deutsches Wôrterbueh su den Schriften des Neucn Testaments und der übrigen urchristUchcn Litcratur9* (Berlin 1958) 797-799; A.Blaise, *Dictionnaire latin-français des auteurs chrétiens* (Strassbourg 1954) 223.

3 Quaenam sint haec praecipua documenta vide apud N.NiixES, S.I., *De rationibus festorum Sacratissimi Cordis lesu...6* *(Oeniponte 1885). Quoad *posteriora documenta,* cf. H.I.Nix, S.I., *Cultus SS.Cordis lesu...9* (Friburgi Br. 1905) 34-36. Litanias SS.Cordis lesu (de quorum historia et sensu, cf. A.VermEErsch, S.I., *Practiquc et doctrine de la dévotion au Sacré-Coeur..."2* [Tournai 1930] 2, c.2) vide apud: *Enchiridion indulgentiarum. Preces ct pia opera... indulgentiis ditata ct opportune recognita* (Typis polyglottis Vaticanis 1950) n.245. De aliis invocationibus ac hymnis, cf. *ibid.,* n.223-267. Alia documenta S.Sedis maioris momenti sunt: Pu XI, *Encycl. "Miserentisshnus":* AAS 20 (1.928)· 165-179, ct *Encycl. "Caritate Christi":* AAS 24 (1932) 177-194; Pu XII, *Encycl. "Haurietis aquas":* AAS 48 (1956) 309-353. Cf. loannem XXIII, *Epist. Ap. de cultu pretiosissimi sanguinis:* AAS 52 (1960) 546-547.

4 *Encycl. "Haurietis aquas":* AAS 48 (1.956) 340.353. Cf. G.N.Zorè, S.I., *S.Margherita Maria Alacoque alia luce dcH'Enciciica "Haurietis aquas": Cor lesu* 2,189-231. Cf. Ioannem XXIII, *Epist. Apost. de cultu pretiosissimi sanguinis:* AAS 52 (1960) 547. Pro *historia* huius devotionis, cf. A.Hamon, S.I., *Coeur (Sacré):* DSpir 2,1026-1042. Brevjssime J.Stierli, *Hcrs Jcsu:* LTK' (1960) 5,289-292. Plenius, P.Deboncnie, C.SS.R., *Commcncentent et recommencements de la dévotion au Coeur de Jésus:* EtCarm 29 (1950) 147-192; J.Stierli, *Die Hcrz-Jesu-Verchrung vom Ausgang der Vatcrzcit bis sur hl.Margarcta M.Alacoque: Cor Salvatoris* (Freiburg i.Br. 1954), 73-136; Id., *Dic Entfaltung der kirchlichen Herz-Jcsu-f^erehrung in dcr Neuzcit: o.c.,* 137-165; A.Sanz, *El Corazôn de Jesus. Estudio de sus primeras representaciones iconogrâficas:* MiscCom 19 (1953) 131-164 (de qua re scripserat J.Calveras, S.I., in suo articulo: *El simbolismo en el Corazôn de Jesus como objeto de culto:* Manr 22 (1950) 32-39). Tlura de historia huius cultus, apud *Cor lesu,* 2. De criteriis methodologicis, cf. J.M.Alonso, C.M.F., *Los criterios de valoraciôn histôrica*

Terminus igitur "Cor lesu" ab Ecclesia accipi videtur significatione hac *ampliori* at *propria,* ita tamen ut inter affectus vitae interioris *praecipue* respiciatur *amor* Christi et quidem ab hominibus *despectus.*

Quod ipsum *cor carneum* necessario includatur, demonstratione non indiget. Quod *integra vita interior* hominis, *maxime*—non exclusive—*appetitiva,* designetur per terminum "Cor lesu" patet v.c. ex litaniis SS.Cordis: "Cor lesu, iustitiae et amoris receptaculum", "Cor lesu, virtutum omnium abyssus", "Cor lesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae", "Cor lesu, usque ad mortem obediens factus", et in *Encycl. "Haurietis aquas"* abunde evolvitur[5].

544. *Amor* nihilominus *praecipue* attenditur: "Deus, qui nobis in Corde Filii tui, nostris vulnerato peccatis, infinitos *dilectionis* thesauros misericorditer largiri dignaris" (Miss. Rom., Oratio festi SS.Cordis). "... ipsa Dei *caritas* ad honorandum peculiari cultu proposita est... per eam religionis formam qua Sacratissimum Cor lesu colitur"[6]. *Encyclica "Haurietis aquas"* tota est in hoc aspectu extollendo: "Quae cum ita sint, facile colligimus cultum Sacratissimi Cordis lesu, ad ipsam rei naturam quod attinet, esse cultum amoris..."[7]. Caeterum id nimis patet iam ab antiquissimis documentis authenticis.

Amor consideratur ut *despectus.* Sufficiat citasse recentia ac sollemnia verba Pu XI: "Verum officiis hisce omnibus... aliud accedat oportet... honestae satisfactionis, inquimus, seu reparationis, quam dicunt, officium Sacratissimo Cordi lesu praestandum... Et vere expiationis potissimum seu reparationis spiritus primas semper potioresque partes habuit in cultu Sacratissimo Cordi lesu exhibendo, nihilque eo congruentius origini, indoli, virtuti, industriis, quae huic religionis formae sunt propriae, ut rerum memoria et usus, sacra item liturgia atque Summorum Pontificum acta confirmant"[8]. Et Pu XII, iuxta quem huiusmodi cultus est "amoris *et satisfactionis* proprietatibus insignis", qui etiam "primarias rationes" huius cultus indicat "actus amoris *et satisfactionis*"[9].

en la historia dei culto al Sagrado Corasôn de Jesi'ts: EstTSSCC 1 (1958) 55-111. De theologica consideratione historiae huius Cultus, cf. H.Rahner, S.I., *Mirabilis progressio. Zur Geschichtsthcologie der Herz-Jesu.Verchrung: Cor lesu* 1,21-58.

[5] *Enchiridion indulgentiarum* n.245; AAS 48 (1956) 324-327.329-331.

[6] *Encycl. "Miserentissimus":* AAS 20 (1928) 166.

[7] AAS 48 (1956) 345.

[8] *Encycl. "Miscrentissimus":* AAS 20 (1928) 169-172. De "consecratione" quae inter caetera, quae ad hunc cultum pertinent, eminet, cf. *"Miscrentissintus". o.c.,* 167s.

[9] *Encycl. "Haurietis aquas":* AAS 48 (1956) 339.342. Cf. J.Solano, S.I.,

Quaedam Auctorum discrimina in obiecto immediato huius devotionis determinando, exponentur infra, schol.1 n.565s.

545. *Persona integra* lesu Christi certe per cultum erga suum *Cor* attingitur, quin immo, in eum hic cultus *ultimatim* tendit tanquam in suum obiectum materiale *totale* seu primarium. At saepe *signate* seu *explicite et directe* non integra persona sed Cor colitur (cf. supra, th.20 n.519). Usus tamen loquendi varius est, ita ut etiam nomine "Cordis lesu" *persona Christi cum corde spectata* designetur *directe;* ergo illud totum, quod imagines Cordis lesu exhibere solent ac in *publico* cultu exhibere *debent*[10].

Hic concipiendi et loquendi mos magis magisque in documentis Ecclesiae invalescere conspicitur, quamvis non exclusive. "Cor lesu", ergo, saepe significationem *directe personalem* accipit, attamen semper ita ut persona Christi significetur sub respectu "Cordis", h.e. propriae vitae interioris ac praecipue amoris despecti. Simili ratione "Immaculata Conceptio" initio solum insignem qualitatem B.Virginis designavit, paulatim vero factum est, ut nunc etiam *ipsam personam* Mariae hac qualitate ornatam significet[11].

546. Excellens forma cultus humanitatis Christi. Quoad hanc assertionem vox "devotio" sumitur *sensu strictiori* (cf. supra, n.541). Non agitur *de liceitate* cultus erga Sacratissimum Cor lesu, quae ex thesi praecedenti iam constat et ex commendationibus Ecclesiae in hac thesi adductis nimis patet.

Estudio comparativo de la Enctclica "Haurietis aquas" con los anteriores documentas del Magisterio Eclcsidstico: EstTSSCC 1 (1958) 122-123; J.A.de Aldama, S.I., *Tres cnciclicas pontificias sobre ei culto al Sagrado Corazôn: Cor lesu* 1,11-14; L.Ciappi, O.P., *Qucsiti sui culto del S.Cuore di Gcsù alla luce della Enciclica "Haurietis aquas" di Sua Santità Pio XII*: Divin 3 (1959) 665-667; H.Rondet, S.I., *Le péché et la réparation dans le culte du Sacré Coeur:* Cor lesu 1,683-720.

10 Cf. Nix, *Cultus SS. Cordis...* 136.

11 Cf. J.Solano, S.I., *La expresiôn "Corasôn de Jésus" en los documentas Pontificios:* Manr 27 (1955) 291-310; J.Gaixjt, S.I., *Quel est l'objet de la dévotion au Sacré-Coeur?:* NouyRevTh 77 (1955) 924-938. In novissima *Encycl. "Haurietis aquas"*, quare omnino insistit in corde lesu physico ac tanquam indice et symbolo amoris Christi, ad finem legimus: "... pia chnstifidelium erga Sacratissimum Cor lesu voluntas maiora in dies incrementa capiat, latiusque in terrarum orbe universo pateat omnibus suavissimum *eius* imperium et regnum: regnum nempe veritatis et vitae; regnum sanctitatis et gratiae..." (AAS 48 [1956] 353). Imperium et regnum non est proprie nisi *personae;* de facto, verba allata leguntur in praef. Missae *lesu Christi Regis.* Cf. J.Solano, S.I., *Estudio comparativo...:* EstTSSCC 1 (1958) 115-118; J.Calveras. S.I., *Objcto del culto al Sagrado Corasôn. Controversias retientes:* EstTSSCC 1 (1958) 205-206.228-231; I.Filograssi, S.I., *De obiecto cultus SS.Cordis lesu in litteris encyclicis "Haurietis aquas": Cor lesu* 1,113-114. Hic sensus personalis frequens est apud Stam.Margaritam; y.c., *Avis particuliers* 24 (GautiïEY. Fie *et oeuvres de la bienheureuse Margarite-Marie Alacoque* 2 (Paris 1915] 672s); *Lettres* 136, 7e du ms. d'Avignon (Gauthey, *o.c.,* 602). De hoc aspectu apud Stam.Margaritam, cf. articulum a J.Décréau scriptum apud AmCl 9 iunii 1949, 353-364.

Excellentia cultus erga aliquam *partem* humanitatis Christi diudicanda est ex *obiecto formali secundario* cultus seu *ex peculiari causa* ob quam pars illa signate adoratur (cf. supra, th.20 n.519).

Totius Christianae religionis summa. "Devotio" accipitur hic *sensu latiori,* prout circa *integrum Dei servilium* versatur. Affirmamus in thesi respicere Sacratissimum Cor lesu tanquam *immediatum* obiectum in ordine non ad solum *cultum* Deo tribuendum sed ad *integrum famulatum* Deo praestandum esse *summam,* h.e. *compendium* totius christianae religionis. Quo sensu id accipiendum sit, cx probationibus statim apparebit.

Inter *specificos actus* devotionis erga Sacratissimum Cor lesu "pia eminet ac memoranda est *consecratio,* qua, nos nostraque omnia aeternae Numinis caritati accepta referentes, divino Cordi lesu devovemus" 12. Consecrationi addenda est satisfactio seu *reparatio* Sacratissimo Cordi praestanda (cf. supra, n.544)1S.

547. Adversarii. Singularis omnino Providentia apparet quoad historicam huius devotionis manifestationem praecipuam, siquidem "cum vaferrima omnium serperet *haeresis illa ianseniana,* amori in Deum pietatique inimica, quae Deum non tam diligendum ut patrem quam extimescendum ut implacabilem iudicem praedicabat, benignissimus lesus Cor suum Sacratissimum, quasi pacis et caritatis vexillum, elatum gentibus ostendit, haud dubiam portendens in certamine victoriam" w.

Praeter hanc *obiectivam* oppositionem doctrinalem, notandum est *iansenistas* multipliciter inde ab a. 1730 *impugnasse* devotionem erga SS.Cor lesu; ante hoc tempus iansenistae ex Port-Royal non quidem hanc devotionem proprie dictam exercent sed in sua christologia ipsum Cordis lesu symbolismum non raro attingunt15.

Postquam Pius XII dixerat Ecclesiam cultum Sacratissimi Cordis lesu "adversus *Naturalismi* et *Sentimentalismi...* commenta omni ope... tutari", addit: "... valde dolendum est

13 Fius XI, *Encyl. "Misctentissimus":* AAS 20 (1928) 167. Cf, R.Pérez Viixanueva, SS.CC., *La Consagraciôn al Corazôn de Jesus:* EstTSSCC 1 (1958) 243-260; B.Leeming, S.I., *Consecration to the Sacred Heart: Cor lesu* 1,595-655.

13 De aliis particularibus devotionis exercitiis a Sancta Sede probatis, ct. *Enchiridion indulgentiarum* n.248-255.

14 Pius XI, *Encyl. "Misercntissbnus":* ASS 20 (1928) 166s.

" Cf. D.Coc.net, *Les Jansénistes ct le Sacré-Coeur:* EtCarm 29 (1950) 234-253. Completur hic articulus a J.Nouwens, M.S.C., *Le Sacré-Coeur et le Jansénisme...:* AnalGreg 71 (1954) 59-72. Cf. B.Matteucci, *Il Sinodo di Pistoia e il culto del SS.Cuore di Gcrû (Storia dei decreti sui culto del SS.Cuore):* Cor lesu 2,233-261. De ipso iansenismo, cf. R.Garcîa Villoslada, S.I., apud *Historia de la Iglesia catâlica* t.4 (B.A.C., Madrid 1.951) p.l c.6 p.200-287.

praeteritis temporibus ac nostra quoque aetate, nobilissimum hunc cultum non in eodem honoris aestimationisque loco esse apud christianos nonnullos, atque interdum apud eos etiam, qui se catholicae religionis adipiscendaeque sanctitatis studio animatos esse profiteantur" 1'1.

548. Doctrina Ecclesiae. A. *Excellentia* huius cultus humanitatis Christi. Cultum Cordis lesu esse cultum *humanitatis* Christi inde a damnatione erroris 63 synodi Pistoriensis (D 1563) clare in documentis Ecclesiae constat. *Excellentia* vero huius formae cultus vix magis potuit commendari ; sufficiat v.c. in memoriam revocare hoc festum ad ritum duplicem primae classis evectum esse ; insuper festum primarium fuit declaratum ac pro eo Officium et Missa propria praecepta sunt. In novissimo Rubricarum Codice apparet tanquam festum primae classis in calendario Ecclesiae universae1T.

B. Totius religionis *summa.* Pius XI : "En alterum hodie oblatum oculis... signum: videlicet Cor lesu sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammas elucens...; in illo... auspicatissimo sig.no atque in ea, quae exinde consequitur, pietatis forma nonne totius religionis summa atque adeo perfeatioris vitae nonna continetur, quippe quae et ad Christum Dominum penitus cognoscendum mentes conducat expeditius et ad eundem vehementius diligendum pressiusque imitandum animos inflectat efficacius?"18.

Pius XIT, postquam eadem de "religionis summa" initio *Encydicae "Haurietis aquas"* sua fecerat, haec habet: "... tantum est cultui Sacratissimi Cordis tribuendum ut existimetur absolutissima, si usum et exercitationem spectes, professio Christianae religionis". Ac fere ad finem imaginem repetens a Leone XIII et a Pio XI adhibitam, concludit: "flagrantissimis quoque Nostris in optatis est, ut devotionis obsequium erga Cor lesu tanquam unitatis, salutis, pacis vexillum sibi habeant et fontem omnes qui christiano gloriantur nomine, quique ad Regnum Christi in orbe stabiliendum operose decertant" 10.

Valor theologicus. Quoad utramque partem nostra thesis est *doctrina catholica.*

" *Encyl. "Haurietis aquas":* AAS 48 (1956) 311. Cf. Rahner, *Mirabilis progressio...:* Cor lesu 1,30-31.

" Cf. AAS 20 (1928) 177; 21 (1929) 44-47. Cf. J.PauwEls, S.I., *L'élévation du rite de la fête du Sacré-Coeur:* NouvRevTh 56 (1929) 412-419. Cf. AAS 52 (1.960) 610.700.

18 *Encycl. "Misercntissitnus":* AAS 20 (1928) 17. Cf. *Encycl. "Sunwrti Pontificatus":* AAS 31 (1939) 415. Cf. J.Solano, S.I., *La dcvoción al Sagrado Corasôn de Jesûs scgiïn las Enciclicas Pontificias* (Bilbao 1950).

19 AAS 48 (1956) 313.344.350s.

549. Sacra Scriptura. A. *Quoad excellentiam cultus.*

1) Vilde frequens et in V.T. et in N.T. recurrit sermo de *"cordc"*, ad hoc ut designetur hominis pars interior, quin immo et ipse homo interior tum in ordine naturae tum in ordine gratiae; cor itaque significat illud quod in homine maximi est valoris [20]. Hoc iam plene sufficeret, ut, haec eadem Christo applicantes, *speaialem cultum* eius Cordi tribueremus, supposita quidem liceitate cultus latreutici etiam erga humanitatem Christi, modo in thesi praecedente exposito.

550. 2) At *directe* insuper *de Corde Christi* ipsa sacra Scriptura loquitur, significatione hac ampliori et propria (cf. supra n.542).

V.T. Prophetice indicantur intimi sensus Messiae sub aspectu praecise eius "Cordis", quod describitur Patri plene submissum, in sacrificium oblatum, attritum, triumphans ac dona gratiae distribuens.

a) Ps 39 (hebr.40), 9 : ... *Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei.* Hebraice quidem habetur vox Hjrç (viscera); LXX vertunt: κοιλία ; optimus vero codex B, sc. Vaticanus gr. 1209 habet hoc loco: καρδία ; sed quoad significandam interiorem partem hominis κοιλία et καρδία in LXX voces sunt non raro synonimae et quae *ob influxum textus hebraici* promiscue adhibentur, cuius rei exemplum noster locus esse potest, cum in eo hic sensus indubie habeatur qui alia et alia voce exprimi soleat; recte itaque *Vg.* legit: *cordis*[21]. *Messianitas* huius loci constat iam ex Hebr 10,5-10.

In ipso introitu Christi in mundum integra eius missio, perficiendi sc. voluntatem Patris, directe refertur a Psalmista ad *cor* Christi.

551. *b)* 1er 30,21 : ... *et applicabo eum, et accedet ad me. Quis enim iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? ait Dominus.* Sensus *messianicus* constat tum ex imitate huius cap.30 cum cap.31, in quo certe fit sermo de "novo foedere" (cf. 31,31-34), tum eo quod dux, de quo in nostro loco est sermo, vocatur "David" (30,9; cf. Os 3,5; Ez 34,23s; 37,24s), tum ex eo quod ille dux apparet simul ut sacerdos et rex. "Accedere", "appropinquare" (ma) (v.21), sensum *liturgieum* habet, ita ut significet accedere per ministerium sacerdotale. "Applicare cor suum", significare videtur: cor suum in pignus

20 Cf. Guii.laumont, *Les sens... du coeur dans l'antiquité:* EtCarm 29 (1950) 42-51.63-67; H.Rahner, *Gedanken sur biblischen Begrundung der Hers-Jesu-J/erchrung: Cor Salvatoris* 19-25.

21 Cf. Kittel, *Thcoloqischcs Wcrterbuch...* 3,786s. Tn specie de hoc nostro loco, cf. Guillaumont, *Les sens... du coeur dans l'antiquité:* Et Carm 29 (1950) 61 nota 2; Rahner, *o.c.,* 28s.

dare (a^y), i.e. vitam suam ponere; nam et contextus hunc sensum potius postulat et ah (cor) significationem principii vitalis apud leremiam retinet (cf. 4,18 collatum cum 4,10)[22][23]

Designaretur Messias qui ut sacerdos vitam suam offert in liberationem populi, eo fere sensu quo Is 53,12 dicitur: *... et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam* (cf. infra, n.638) vel eo quoque sensu quo Dominus dicturus est: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* (Io 10,17). Expresse, ergo, sacrificium sacerdotale Christi (cf. infra, th.28) per *cor* eius designaretur.

552. *c)* Ps 21 (hebr.22),15 : *Pactum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Haec duo ultima verba respondent hebr. 'y-a ; inde patet intima relatio inter ah et nyo; alterum eorum vertitur a LXX per κοιλία, primum (ah) per καρδία. De *messianitalc* huius psalmi, a lesu moriente in cruce recitati, cf. Mt 27,46 ; ad litteram adimpletur v.8s in morte lesu ex his quae refert Mt 27,41ss, quomodo principes sacerdotum Dominum illuderent. S.Iustinus accipit haec verba psalmi 21,15 tanquam prophetiam qua agonia lesu in horto Gethsemani praenuntiabatur

Si considerentur simul ea quae in hoc psalmo sequuntur: *Edent pauperes... vivent corda eorum in saeculum saeculi* (v.27), in quibus victoria per mortem a Messia obtenta canitur, clare apparebit quomodo angustias cordis lesu expresse memoret sacra Scriptura ubi de redemptione nostra per Christum vitaeque assecutione agitur.

553. *d)* Ps 68 (hebr.69),21 : *Improperium exspectavit cor meum et miseriam; et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.* Textus hebr. indubie habet vocem ah (cor), dum LXX legunt: ψυχή, licet codex S, sinaiticus, habeat iuxta hebr. : καρδία; nihil mirum LXX vitasse in hoc loco vocem καρδία, quamvis legerent hebr.ah, eo quod tempore huius graecae versionis terminus καρδία *in quotidiano commercio* non iam sensum illum retineret "interiora hominis" ; id potius per ψυχή designabatur[2*] Plures versus huius psalmi *ad Messiam* referuntur ex N.T. : v.5, cf. Io 15,25; v.10, cf. Io 2,17; Rom 15,3; v.22, qui im-

22 Cf. A.Condamin, S.I., *Le livre de Jércntie* (Etudes bibliques, Paris 1920) 219s; Rahner, o.r,, 30-32.

23 *Dialogus cwn Tryphone ludaco* 103, 7s: ed. J.Goodspeed, *Die altcstcn Apologetcn* (Gottingen 1914) 220.

Cf. Guillaumont, *Les sens... du coeur dans l'antiquité:* EtCarm 29 (1950) 61ss.

mediate nostrum locum consequitur, ad litteram in Christo crucifixo adimpletus est: cf. Mt 27,34.

Indicatur expresse *cor* Christi opprobriis fractum fuisse et defecisse, ac his in adiunctis Dominum consolatorem frustra quaesivisse. Nec abest in fine huius psalmi idea triumphi his doloribus obtenti: cf. a v.31.

e) Ps 15 (hebr.16),9: *Propter hoc laetatum est cor meum et exstillavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe...* Huius loci *messianitatem* testatur N.T.: cf. Act 2.25s; 13,35.

Cor Christi gaudio afficitur ob triumphum: mors per resurrectionem devicta est; Christus resuscitatus *effudit hunc* [Spiritum] (Act 2,33), vel, ut S.Paulus locum illum commentatur, per Christum *vobis remissio peccatorum annuntiatur; et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur* (Act 13,38s)[23].

554. *N.T.* Proponitur directe *Cor* lesu Christi tanquam virtutibus ornatum, quae lesum magistrum reddant acceptissimum, tanquam teneri ac ardentis amoris sedes, denique tanquam fons unde Spiritus Sanctus fidelibus communicetur.

a) Mt 11,29 :... *et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.* Sensus non est Christum seipsum proponere velut exemplar quoad mansuetudinem et humilitatem cordis ; sed haec verba potius significant : Discite a me, h.e., estote mei discipuli, ingredimini sub meo magisterio, siquidem sum dulcis et humilis corde, non durus ac superbus sicuti pharisaei. Ex virtutibus *Cordis* sui provenit amabilitas illa qua lesus homines ad se allicit eisque veram requiem promittere potest 2e.

555. *b)* Phil 1,8: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus lesu Christi.* Vox σπλάγχνα (viscera) idem est hoc loco ac καρδίζ (cor), quod constat tum ex collatione cum v.7 praecedente: *eo quod habeam vos in corde,* tum ex 2 Cor 6,1 Is: ... cor *nostrum dilatatum est. Non*

23 De toto hoc argumento ex V.T., cf. G.Closen, S.I., *Das Hers des Erl'àscrs in den heiligen Schriften des Alton Testaments:* ZAszMyst 18 (1943) 17-30: Rahner, *Gedanken sur biblischen Begründung...:* CorSalvatoris 26-37. Io 19,37 refert prophetiam Zach 12,10, de qua re, cf. j.M.DÎEz AlEgrîa, S.I., *El C‹ rasôn de Jesucr.sto en la econotnia del misterio de Dios:* Manr 26 (1954) 253-262. Vide, insuper, generalius: A.Colunga, O.P., *El Corasôn de Yavé, Dios de Israel·.* EstTSSCC 1 (1958) 21-33; R.Criado, S.I., *Los simbolos del amor divino en el Antiguo Testamento:* Cor lesu 1,411-460; J.Kahmann, C.ss.R., *Die Offenbarung der Liebe Gottcs im Alton Testament:* ibid., 347-410. D.MStaniey, S. I., *"From his Heart will flow rivers of living water" (In 7. 38):* Cor lesu 1,507-542.

Cf. Bover, *El Corasôn de Jesus en cl Nuevo Testamento:* RazFe 48 (1917) 147s; Joüon, *L'Evangile de N.S.J.C.* in h.l.; Rahner, *o.c.,* 26.

angustiamini in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris. Haec aequivalentia non solum ab optimis exegetis catholicis sed et a non catholicis admittitur.

Eo usque identificatus apparet S.Paulus cum Christo, ut dicat se diligere fideles cum corde ipsius Domini lesu Christi: *vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal 2,20). Patet non solum proponi cor in connexione cum affectu amoris, sed simul testificari a S.Paulo *quantus* sit amor Cordis lesu: cum enim Apostolus velit propriam dilectionem erga Philippenses ardentem ostendere, non appellatione cordis patris aut cordis fratris est contentus sed praecise ad Cor Christi confugit, velut ad fornacem caritatis: si Corde Christi eos diligit, maior erga eos dilectio nec dari nec exprimi potest[27].*

556. *c)* Io 7,37s: *...Si quis sitit, veniat ad me et bibat qui credit in me. Sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.* Interpunctio qua haec verba legimus differt ab ea quam habet Vg.: ... *bibat. Qui credit in me, sicut...* Haec nostra interpunctio et ab aliquibus magnae notae exegetis admittitur et optimis rationibus tum ex traditione patristica tum ex contextu fulciri videtur ω. Hanc lectionem *Encyclica "Haurietis aquas"* sequitur[2B]. Sensus ergo esset flumina aquae vivae fluere non ex credente in Christum, sed *ex ipso Christo.* Recurrit vox κοιλία (venter); supra autem (n.55O. 552) vidimus quomodo in LXX permixtim haec vox recurrat cum termino καρδία ad hominis interiorem partem significandam; in N.T. autem locum nostrum post S.Chrysostomum frequentissimi auctores iuxta hanc aequivalentiam intelligunt[30]. *Flumina aquae vivae,* iuxta ipsum evangelistam, Spiritum Sanctum designant *quem accepturi erant credentes in eum* [lesumj (Io 7,39).

Donum itaque messianicum per excellentiam, Spiritum

[27] Cf. BovEr, *El Corasôn de Jesus cn el Nuevo Testamento:* RazFe 48 (1917) 148-152; Id., *El Corasôn de Jesus en San Pablo* 37-42; Id., *Las epistolas...* (1950) in h.l.; Rahner, *o.c.,* 26s; S.Garofalo, *Il Cuore del Redentore in S.Paolo:* Cor lesu 1,543-567. De textu Phil 1,8, cf. tamen E.de la Peza, *El Corasôn en las epistolas de San Pablo:* EstEcl 32 (1958) 317-343. De momento, de sensu, de frequenti usu "cordis" in N.T., cf. Bover, in duobus prioribus operibus relatis, 143-146; 7-17; Kittel, *Theologisches worterbuch...* 3,614ss

Cf. S.de Ausejo, O.F.M. Cap., *"Rios de agua viva corrcrôn de su seno":* EstTSSCC 1 (1958) 35-53; M.E.Boismard, O.P., *De yon ventre couleront des fleuves d'eau* (Jo., VII, 38): RevBibl 65 (1958) 523-546; P.Grelot, *"De san ventre couleront des fleuves d'eau":* RevBibl 66 (1959) 369-374; M.E.Boismard, O.P., *Les citations targumiques dans le quatrième évangile:* ibid., 374-378; J.P.Audet, *"De son ventre couleront des fleuves d'eau":* ibid., 379-386; D.M.Stanley, S.I., *From his Heart will flow rivers of living water:* Cor lesu 1,507-542.

» AAS 48 (1956) 310.

80 Cf. Kittel, *Theologisches Worterbuch...* 3,788ss.

Sanctum, omnis sanctitatis auctorem donorumque caelestium largitorem, acciperent fideles *e Corde lesu.*

557. B. *Devotio haec quoad actus suos specificos.* Hi actus, sc. consecratio ex amore et reparatio (cf. supra, n.546) ad maxime fundamentalia doctrinae revelatae capita pertinent.

a) *Consecratio ex amore.* Multipliciter extollit sacra Scriptura Deum diligere, ita ut amor Dei ad omnia creata summe magnus dicendus sit, qui praecipue erga homines manifestatur in opere incarnationis ac redemptionis [31]. Nos autem consequenter iubemur Deum *diligere* et quidem tanquam omnium erga eum officiorum primum: Mt 22,37s: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Totalis consecrationis Christo ex amore nobilissimum exemplar apparet in sacra Scriptura S.Paulus: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi?* (Rom 8,35); *Si quis non amat Dominum nostrum lesum Christum, sit anathema* (1 Cor 16,22); *Mihi vivere Christus est* (Phil 1,21).

558. b) *Reparatio.* Christi opus fuit generis humani apud Patrem offensum *reparatio* (cf. infra, th.25-28). Ex alia parte a sacra Scriptura edocemur tum de eo quod Deus sit offensus (cf. infra, th.25ss) tum de nostra per Christum iustificatione et filiatione adoptiva, quin immo de quadam nostra cum Christo tam arctissima unione ut cum ipso moriamur (v.c. Rom 6,8) et conresuscitcmur (Eph 2,6): fundamentum, ergo, proponitur ut credamus nos posse etiam Deo pro peccatis vere *satisfacere,* quod expresse docebit concilium Tridentinum (D 904).

Accedit idea corporis Christi mystici, in qua tam mira omnium fidelium in Christo coagmentatio proponitur, ut vere simus *ad invicem membra* (Eph 4,25), quae debeant esse *pro invicem sollicita* (1 Cor 12,25). Relate ad *orationem,* saepe videmus alios fideles pro aliis orare: v.c. Rom 1,9s: *Testis enim mihi est Deus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis;* Rom 15,30: *Obsecro ergo vos, fratres... ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum...* Relate ad *satisfactionem* pro alienis peccatis praestitam, satis haec commendatur eo quod multum ostendatur valere apud Deum viri iusti *intercessionem* pro indignis (cf. infra, n.638), et facile hoc deducatur et ex munere Christi pro

31 Cf. Ceuppens, *Theologia biblica,* 1. *De Deo uno* (1949) 202-211. Plura, cf. apud C.Spicq, O.P., *Agapï dans le Nouveau Testament.* Analyse des textes. 3 vol. (Faris 1958,1959). Haec fuse prosequitur *Encycl. "Haurietis aquas":* AAS 48 (1956) 315-337.

peccatis satisfacientis et ex nostra per Christi 'merita satisfaciendi possibilitate et ex unione omnium hominum inter se. Nec ipse aspectus *solatium praestandi* Christo abest a sacra Scriptura (cf. supra, n.553).

559. Traditio. A. *Quoad excellentiam cultus.* Sancti Patres plura habent, maxime in connexione cum Io 7,37s et 19,34, quae Cor Christi extollunt velut fontem vitae, ex quo et fideles gratiam Spiritus hauriunt et ipsa Ecclesia nata est[32].

B. *Devotio quoad actus specificos.* Cum tam late pateat campus, sufficiat indicasse Sanctos Patres ideas sacrae Scripturae diversis modis evolvere.

560. Ratio theologica. A. *Excellentia* huius formae cultus humanitatis Christi. In omni ente rationali ipsis externis operibus aut manifestationibus dignitate antecellit *interna causa* seu *fontale principium,* unde reliqua omnia emanant ac valorem habent. Dignissimum ergo erit Sacratissimum Cor lesu quod particulari cultu honoretur.

B. Totius Christianae religionis *summa.* Religio Christiana seu "vita aeterna", ad quam afferendam hominibus Christus in hunc mundum venit (Io 10,10), est *ut cognoscant... solum Deum verum et... lesum Christum* (Io 17,3). Ex alia parte Christus est ™ ad Patrem, via quidem absolute necessaria et *una: nemo venit ad Patrem nisi per me* (Io 14,6); at simul est *ostium* quod *certo* conducit ad Patrem : *Per me si quis introierit, salvabitur* (lo 10,9). *Christus* ergo iure dicitur Christianae religionis *compendium.*

561. *Devotio* autem erga *sacratissimum Cor lesu* est simul vera summa ad cognoscendum, amandum, imitandum Christum.

Ad Christum Dominum penitus *cognoscendum* haec devotio mentes conducit expeditius, quia non in exteriori Christi activitate sistit, sed ad *intimam* Domini vitam, ad secretiora *motiva* totius Christi activitatis investiganda portat. Maxime defigit mentem haec devotio in *caritate* Christi, quae ultima ratio ac vera definitio Christi sicuti et Dei (cf. 1 Io 4,16) dicenda est.

Ad Christum Dominum vehementius *diligendum* haec devotio movet efficacius; nihil enim sic amorem excitat quantum se amatum sciri. Accedit hunc Christi erga nos amorem considerari in hac devotione praecise ut *despectum* tum a nobis tum ab aliis hominibus; ad tantum ergo nostri amorisl33

33 Cf. H.RahnEr, *Die Anfdnge der Hers-Jcsu-Vcrchrv.ng in der Vdterscit: Cor Salvatoris* 46-73; Carbone, *La Teologia...* 27-30.

defectum *intensiori* amore compensandum necessario provocamur et studio salutis animarum provehendae incendimur.

Ad Christum denique pressius *imitandum* haec devotio animos efficacius inflectit, quia ex amore imitatio sequatur necesse est. Immo vero, haec devotio ad *perfectissimam* Christi imitationem sponte ducit.

562. Quantum *nostris temporibus* speciatim evaserit devotio erga sacratissimum Cor lesu totius religionis *summa,* elucet ex eo quod miro modo excitantur in nobis hac pietatis forma sensus firmissimae *fiduciae* in sinceram voluntatem Dei salvificam, et etiam sensus voluntariae *poenitentiae* ad hoc ut parvos nostros dolores sociare possimus cum immensis Christi Redemptoris cruciatibus, quibus divinae iustitiae pro peccatoribus satisfecit (cf. D 904-906).

Nemini non patet hos sensus fiduciae ac voluntariae paenitentiae esse nostris hodiernis necessitatibus quam maxime accommodatos (cf. infra, n.692)83.

563. Obiectiones. 1. Devotio erga Sacratissimum Cor lesu eo tendit ut Christi Cor per nostrae reparationis officia *consolemur.* Atqui Christus nunc in caelis nihil pati potest. Ergo minus recte in hac devotione includitur officium *reparationis.*

Dist. mai. Haec devotio eo tendit ut Christi Cor consolemur, hoc sensu quo Christo *satisfactionem* praestemus pro peccatis hotninum, *conc. mai.;* hoc sensu quo Christi dolores vere leniamus, *subdist.:* dolores quos *in tempore vitae suae terrestris* Christus patiebatur, *conc.;* dolores quos Christus *nunc patitur, iterum subdist.:* quos *in se ipso* patitur, *nego;* quos *in corpore suo mystico* patitur quosque per nostras satisfactiones alleviare possumus, *conc.*

564. 2. Devotio haec *vehementem amoris affectum erga Christum praesupponit.* Atqui si ita est, propria animarum sanctarum dicenda erit. Ergo minus recte tanquam totius religionis summa pro *omnibus* christifidelibus indifferenter proponitur.

Dist. mai. Formulae, quibus Ecclesia in suo cultu erga Cor lesu utitur, talem vehementem affectum saepe supponunt, *conc. mai.; obiectum ipsum* huius devotionis, h.e. Sacratissimum Cor lesu, talis est naturae ut nonnisi homines sanctos allidat ad cognitionem et amorem sui, *subdist.:* sancti *perfectius* intelligunt huius Cordis ineffabiles divitias eiqne se *plenius* dant, *conc.;* ipsi peccatores non *efficaciter* moventur ad cognitionem et amorem Christi, *nego.*

83 Plura dc hac ratione theologica, cf. apud Solano, *La devociôn... segun las Enciclicas Pontificias* η.38.45-94.104-109; Carbonk, *Tcologia...* 112-123; L-Verheylezoon, S.I., *La dévotion au Sacré-Coeur* (Mulhouse 1954) 72-257; J. StiEri.i, *Dogrnatischc und religiose Wcrtc der Hcrz-Jesu-Verehrung: Cor Salvator.s* 24S-270: J.Gai.vEwas, S.I., *Los clementos de la devociôn al CorazAn de Jcsùs...* (Barcelona 1955) 107-291. Quomodo vitae Christianae centrum sit “credere cantati” Dei, vide apud L-LochET, *Dieu nous aime:* VieSpir 90 (1954) 46-68.

3' Cf. Carbone, *Teologia...* 117-119; VerheylEzoon, *La dévotion...* 90-107; K.Rahner, *Einigc Thesin sur Théologie der Hers-Jesu-yerehrung·. Cor Salvatoris* 191-1.97; Cai.veras, *Los elementos...* 162-191; A.Piolanti, *Compresenza dei dolori del Cuorc di Cristo ai peccati dcgli uotnfini e ripercussione sullo stesso Divin Cuore dellc soddisfaziorS, dei giusti:* Cor lesu 1,657-682.

Norma pro cultu quem Ecclesia Sacratissimo Cordi lesu tribuit, recte omnino est intensitas affectus quae *obiective* adesse debet, spectata dignitate et amabilitate Sacratissimi Cordis. Hoc prae oculis habendum est, ne has similesve formulas quibuslibet hominibus aut in quibuslibet adiunctis indiscriminatim intrudamus.

Si tamen *prudenter* et sancta *spiritus libertate* servata, magnis ipsis peccatoribus proponatur quomodo Deus ad eorum delenda peccata homo factus sit, quomodo hic Deus incarnatus tot tartaque passus sit ad redimendos homines, quale "cor" Christus habuerit quod nos etiam peccatores diligat ac quaerat; si haec et similia recte proponantur, experientia docebit quam apta sit devotio erga Sacratissimum Cor lesu ad hoc ut peccatores ex toto corde ad Deum convertantur.

Nec negandum est in modo hanc devotionem proponendi non raro desiderari expositionem a) *magis scripturisticam* (cf. supra, n.549-558) ; b) *magis theologicam,* quae huius de\'otionis naturam tum e fontibus theologicis hauriat tum profundius iuxta theologiae principia et fundamenta exponat et relationes cum aliis dogmatibus proponat ct momentum pro hodierno homine religioso efferat; c) *magis liturgicam,* quae huius cultus connexionem cum variis anni liturgici temporibus ac festis manifestet ac maxime cum sacrosancto Missae sacrificio®.

565. Scholion 1. *De diverso modo quo theologi huius devotionis obiectum intelligunt.* Gcneratitn *duplex* obiectum nunc distingui solet, aliud *materiale,* cor nempe carneum, aliud *formale,* amor sc. aut integra vita interior Christi. Aliis verbis idem sic exprimitur: obiectum cultus est cor Christi carneum prout est symbolum amoris, vel amor Christi prout in corde carneo symbolizatur.

Difficultas tamen est eo quod haec *duplicitas* elementorum in *uno* devotionis obiecto incommodum non mediocre pro reflexo devotionis exercitio afferre videtur. Quin immo, *totus complexus ex* obiecto materiali et formali non videtur posse substitui sine duritie pro invocatione "Cor lesu" in omnibus textibus: v.c. in litaniis: "Cor lesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu sancto formatum", "Cor lesu, tabernaculum Altissimi", "Cor lesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae", "Cor lesu, lancea perforatum", etc.

566. Sensus *amplior at proprius,* quo vox "cor" in sacra Scriptura passim sumitur (cf. supra, notam 2 et n.549-556), haec incommoda devitat. Ecclesiae autem devotio sensum, quem sacra Scriptura praebet, retinere dicenda est nisi contrarium probetur. Hic sensus *unus* amplior omnibus invocationibus pro "Corde lesu" substitui potest : et cor enim carneum et vita affectiva et tota vita interior hoc

M Cf. A.Détiumaux, *Crise ou évolution dans la dévotion des jeunes pour te Sacré-Coeuré:* EtCarm 29 (1950) 318.324; J.N.Zorè, S.I., *Recentiorum quaestionum de cultu SS. Cordis Josu conspectus (T trum crisis an evolutio praevideaturf)·.* Greg 37 (1956) 104-120. De relationibus huius cultus cum aliis dogmatibus Christianis, cf. B.Aierribay, O.F.M., et A.Luis, C.ss.R.. trnud EstTSSCC l (1958) 127-181; L.M.Ciaprt, O.P., II.M.DiEpEx, O.S.B., J.LscuvER, C.S.Sp., S.Tromp, S.I., apud *Cor lesu* 1,115-267. De momento hu:us devotionis pro hodierno homine religioso, cf. H.Holstein, S.I., J.M.I.E Blond, S.I., R.Graber, Fr.Schwendimann, S I.. Ê.Berch, S.I.. apud *Cor lesu* 2,291-498. De aspectu magis liturgico, cf. J.Solano, S.I., *La Santa Misa* v *el culto al Sagrado Corasôn. Estudio tcoligico-patrtstico:* Cor lesu 1,269-305; Id., *La dcvocién al Sagrado Corasôn de Jesûs y la Santa Misa2* (Bilbao 1960). J.Leclerc, O.S.B., *Les sources liturgiques de la dévotion au Sacré-Coeur:* VicSpir 104 (1961) 377-393.

sensu *directe* significatur. Denique hunc ampliorem sensum habet vox "cor" non solum apud graecos et latinos sed ipsis nostris linguis w.

Discrimen ergo in obiecto devotionis erga Sacratissimum Cor lesu determinando non tam dici debet reale, ac si aliquod elementum inveniretur in alia definitione huius obiectâ quod abesset in alia, quam potius dicendum est discrimen *in modo concipiendi* seu proponendi eandem rem. Caeterum non raro *nimis exclusive* ad amorem Christi attenditur ac aliquantulum negligitur reliqua vita interior Domini.

Propter rationes tamen factas sensum hunc *ampliorem at proprium* vocis "cordis" cum modernis theologis, ut Lercher, Diekamp retinemus ", *Encyclica "Haurietis aquas"* terminologiam quidem "symboli" conservat, nec tamen putamus hoc Magisterii documentum *subtiliorem* hanc quaestionem tangere voluisse, quae et solum modum concipiendi spectat et a recentissimis Auctoribus diversimode indicatur.

Libentius quidem ipsam terminologiam "symboli" plene retineremus, quod praestat K.Rahner sua "symboli" explicatione, quae caeterum *unitatem* obiecti huius cultus omnino tueturæ. Idem tamen auctor asserit hanc conceptionem adhuc difficultatibus laborare ; cum, ex alia parte, de scientifica determinatione obiecti huius cultus in proximo conventu international! D.f. agendum sit, a sententia supra proposita interim non recedendum putamus.

567. Scholion 2. *De amore creato et increato, tanquam obiecto huius devotionis.* Certum est *increatum* Christi amorem attingi *exercite,* sicut et ipsa persona divina cum qua identificatur.

Quaestio vero non parum a theologis disputata fuit utrum hic *increatus* amor *etiam signate* attingatur sicuti amor Christi *creatus,* de quo nullum dubium esse potest signate et directe attingi.

Propter textus authenticos Ecclesiae, maxime vero propter explicitam doctrinam *Encyclicae "Haurietis aquas",* tenenda est sententia quae *utrumque* Christi amorem tanquam huius devotionis proprium ac directum obiectum considerat ", licet disputari possit utrum amor Patris et Spiritus Sancti sit obiectum cultus directum an indirectum seu implicitum ".

568. Scholion 3. *De cultu eucharistici Cordis lesu.* Ob plura documenta Magisterii " aperte constat devotionem erga sacratissimum Cor lesu Eucharisticum non esse nisi *specialem quendam aspectum* generalis devotionis erga Cor lesu : attendit, enim, huiusmodi cultus ad amorem Cordis lesu sanctissimam *Eucharistiam* instituentis ibique manentis. Haec *identitas* cum devotione erga Cor lesu

36 Pro lingua v.c. Hispanica plura exemplar videri possunt apud G.Correas, *Vocabulario de refrancs y frases populares...2* *(Madrid 1924) 128; F.Rodríguez Marín, *Mâs de 21.000 refrancs castellanos...* (Madrid 1926) 84s.

37 Lercher, n.274s. Diekamp 8-8. 259-261.

38 Cf. K.Rahner, S.I., *Zur Théologie des Symbols:* Cor lesu 1.461-505; Id., apud *Schriften sur Théologie* 4 (1960) 275-311. Cf. quoque *Polarité du symbole:* EtCarm 39 (1960).

AAS 48 (1956) 327-337.343-345.

40 Cf. Filograssi, *De obiecto cultus...:* Cor lesu 1,110 nota 11; J.M.Alonso, C.M.F., *El ttinor incrcado, en la dcvociôn al Corasôn de Jésus, /es cl "escndal", cl "notional", o el "personal" ï:* MiscCom 34-35 (1960) 461-484.

«* Colliguntur et commentario donantur in opere D.Castelain, *ï)e cultu Eucharistici Cordis lesu* (Paris 1928). Cf. quoque A.VandErberghe, *De cultu Eucharistici Cordis lesu:* CollatBrug 39 (1939) 40-46, ubi etiam bibliographia ac historia huius devotionis indicatur.

ratio videtur fuisse cur in nova indulgentiarum collectione authentica peculiares preces erga Cor lesu Eucharisticum deletae fuerint[42].

Benedictus XV officium proprium sacratissimi Cordis lesu Eucharistici cum respondente Missa approbavit pro feria V post octavam SSmi. Corporis Christi[43]. Eucharistiam esse donum Cordis lesu exponit *Encyclica "Haurietis aquas"*, atque ad "Eucharistici Cordis lesu cultum" fovendum hortatur[44].

i

Thesis 22. Christus est mediator Dei et hominum; est autem mediator secundum quod homo.

S.Th., 3 q.26; SuArbz, in h.l.; DTC 8,1345-1347.

569. Nexus. Inter ea quae Christo conveniunt per comparationem ad nos, consideraverat S.Thomas adorationem Christi, qua scilicet nos eum adoramus. Transit nunc ad considerandum de hoc quod Christus dicitur Dei et hominum *mediator.*

570. Notiones. Mediator dicitur *sensu proprio* ille qui inter duas personas intercedit, ut eas *coniungat* per hoc quod ea quae unius sunt defert ad alteram. Mediator est igitur nomen *officii* seu muneris. Vocatur quoque mediator *moralis* seu in ordine morali, quia eius est *animos* coniungere.

Praeter officium, distingui potest in mediatore *ratio medii,* secundum quam *distat* ab utroque extremo uniendo.

Interdum vero usurpatur nomen mediatoris ad significandum *substantiale medium* seu vinculum inter duas et extreme distantes substantias. Hoc sensu *minus proprio* mediator est nomen *substantiae* et dicitur mediator *naturalis, entilativus, onlologicus* seu in ordine ontologico

571. Christus est mediator. Intelligitur *sensu proprio.* Quomodo Christus hoc suum munus mediatoris *exerceat,* elucet partim ex *oratione* quam Christus pro nobis fudit (cf. supra, th.19 n.491), partim ex *redemptione,* de qua in thesibus sequentibus agemus.

Christum esse mediatorem sic dictum *ontologicum* probare hic non intendimus. Caeterum ex realitate unionis hypostaticae hoc abunde constat. Relationem quam plures Patres sta-

42 Cf. *Preces et pia opera...* (Typis polyglottis Vaticanis 1938) p.159-167; quae absunt in *Enchiridion indulgentiarum* (1950).

43 AAS 13 (1921) 545.

44 AAS 48 (1956) 331s. 351. Cf. M.HEnzE, C.ss.R., *Irrige Ucbcrsetzung einer urichtigen Stelle der Hcre-Jcsn-Encyclica...:* ThT'raktQschr 106 (1958) 122-124.

1 Cf. Franzelin, th.46; Muncuniix, n.951-955; Lercher, n.159. Sensu suo *proprio* sumitur hic terminus in *Encycl. "Mediator Dei"* Pu XII: AAS 39 (1947) 521.

tuunt in Christo inter hanc rationem mediatoris *per substantiam* et illam *per officium,* indicabimus infra, n.577.

572. Secundum quod homo. *Persona* quae mediatoris officium exercet, seu *mediator,* est Verbum, quia in Christo non alia est persona nisi divina. Verbum est itaque principium *quod,* cum actiones sint suppositorum. Hoc sensu posset *per communicationem idiomatum* dici Verbum esse mediatorem Dei et hominum, sicut Verbum dicitur crucifixum. Neque tamen hic sensus nostra nunc interest.

Quaestio est an principium formale *quo,* unde Christus dicitur mediator, sit divina an humana natura. Respondemus tale principium *qua* esse non divinam sed humanam naturam. “Homo” ergo in hac propositione: “Christus secundum quod homo est mediator”, reduplicatur *sensu reduplicativo* (cf. supra, th. 19 n.496).

573. Nihilominus sensus hic reduplicativus dicendus esset *incomplete* reduplicativus. Natura enim humana *sola,* prout a persona Christi contradistinguitur, non est causa propter quam praedicatum *simpliciter* conveniat subiecto, cum Christus non sit mediator *simpliciter* propter humanam naturam, sed propter humanam naturam *subsistentem in Verbo;* a Verbo enim habet *formaliter* haec natura quod actus humanae naturae sint valoris ac dignitatis talis, quae ad perfectam satisfactionem pro hominibus praestandam sufficiat, âdeoque ad officium mediatoris requiritur *persona divina.*

Vox “homo” aliter reduplicatur in casu de filiatione Christi adoptiva *ratione naturae humanae* (supra, th.19 n.496) ; quia tota ratio huius filiationis adoptivae haberetur in *sola* natura humana, quae v.c. *per gratiam sanctificantem* in ipsa inhaerentem redderet Christum filium Dei adoptivum, sicuti nos per talem gratiam filii Dei adoptivi efficimur. *Natura* ergo *humana* Christi esset *simpliciter* causa propter quam ipse dici posset filius Dei adoptivus.

Ultima ratio discriminis inter casum de mediatore et casum de filio Dei adoptivo stat in eo quod mediator est nomen *officii coniungendi* (supra n.570) ; coniungere autem est actio quae ut talis non est a sola natura, sed *a supposito* per naturam. Ergo in denominatione sumpta ex tali actione essentialiter ingreditur *et* persona *et* natura. Contra, relatio filiationis adoptivae est aliquid quod sequeretur non actionem quandam sed *ipsam naturam* tali dono gratiae ornatam ; ergo *sola natura,* prout a persona Christi contradistinguitur, esset causa cur de subiecto Christo posset simpliciter praedicari haec adoptiva filiatio.

574. Adversarii. Commemorandi videntur *veteres protestantes,* quorum alii ita Christo homini tribuissent officium mediatoris, ut *nullo modo suppositum divinum requireretur,* alii autem dixissent Christum officium mediatoris exercere *secundum utramque naturam,* divinam et humanam[2].

[2] Cf. S.R.Bellarmino, *Disputationum... De Controversiis Christianae fidei...* t.1 l.5 c.2s; Petavius, l.12 c.3s; E.J.Scheller, *Das Priestertum Christi in*

575. Doctrina Ecclesiae. Praeter antiquiora documenta in quibus verba S.Pauli (1 Titn 2,5) repetuntur (cf. D 143 251 253 333), adstant *Concilium Florentinum* (D 711) et *Concilium Tridentinum* (D 790), quae liberationem hominum non nisi merito "mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri" (D 711) adscribunt.

Valor theologicus. A. Christum esse *mediatorem* Dei et hominum est *veritas de fide divina et catholica- saltem ex magisterio ordinario; forte* posset dici *definita* (cf. D 711 790) '.

B. Christus *secundum quod homo* est mediator: *veritas theologice certa,* tanquam legitima conclusio theologica.

576. Probatur ex sacra Scriptura. A. Christus *mediator.* 1 Tim 2,5s: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus lesus; qui dedit redemptionem scmetipsum pro omnibus.* Hebr 9,15: *Et ideo novi testamenti mediator est: ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum...* Cf. quoque Hebr 8,6; 12,24. Christus dicitur a S.Paulo mediator ratione redemptionis et reconciliationis quam Christus operatus est, de qua re plura infra, th.25.29 n.639s.730-735 ; ergo mediator est apud S.Paulum *nomen officii*.*

577. Probatur ex traditione. A. 1) Patres efferunt *munus* Christi mediatoris in connexione cum redemptione ac liberatione hominum. S.Gregorius Nazianïenus: "Perspicuum sane est Patrem quidem accepisse, non tamen quod petierit... et quia oportebat humanitate Dei sanctificari hominem ; ut ipse nos liberaret, tyranno per vim superato, et ad se reduceret per filium mediatorem" (R 1016). S.Augustinus : "In hac ira cum essent homines per originale peccatum... necessarius erat mediator, hoc est, reconciliator, qui hanc iram sacrificii singularis... oblatione placaret" (R 1915).

2) Patres saepe efferunt *ontologicum fundamentum* huius Christi mediationis, qualis *historice* habita est. S.Hilarius: "Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiae constitutus, et illo ipso inter Deum et homines mediatoris sacramento

Anschluss an den hl.Thomas von Aquin (Paderborn 1934) 295s. Aliquando tamen tota quaestio fere sit de modo loquendi minus proprio: cf. v.c. J.T.Müller, *D.c symbohschcn Bûcher der cvangelisch-lutherischen Kirchel0* (Gütersloh 1007) 622,56; 684,47-696,95.

3 Pro D 711, cf. supra, n.117, notam 8.

4 De 1 Tim 2,5s, cf. Prat, *La Théologie...* 2,198-203. De Hebr 9,15, cf. Bonsirviîn, *Epître aux Hébreux...* in h.l.; Spicq, *L'épitre aux Hébreux* in h.l. Plura, cf. apud Ceuppens, *Thcolotya b'bl'ca* 3.211-210; Kittel, *Th^ologisches Wôrterbuch...* 4,602-620; DBS 5.907-1083; J.BonsirvEn, S.I., *Théologie du Nouveau Testament* (Paris 1951) 263-392.

utrumque unus exsistens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis naturae utriusque res eadem est" (R 873). S.Augustinus: "[Christus] et mediator Dei et hominum; quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus... sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana divinitas et divina humanitas Christi" (R 1500). Cf. R 1462 1746 2184 2188.

578. B. Quod Christus sit mediator *secundum quod homo* tali vi effertur v.c. a S.Augustino, ut hic fuerit inculpatus ac si *soli humanitati* Christi munus mediatoris tribueret (cf. tamen contra hanc accusationem textum nuper allatum R 1500): "In quantum... homo, in tantum mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia aequalis Deo" (R 1595). "Non autem per hoc mediator est, quod aequalis est Patri. Per hoc enim quantum Pater tantum et ipse distat a nobis. Et quomodo erit medietas, ubi eadem distantia est? Ideo Apostolus non ait *Unus mediator Dei et hominum* Christus lesus, sed *homo Christus lesus;* per hoc ergo mediator, per quod homo" 5.

579. Ratio theologica optime a S.Thoma in nostra quaestione exponitur. A. *Christus mediator.* Ad *mediatoris* officium proprie pertinet *unire* eos inter quos est mediator; unire autem homines Deo convenit *Christo,* per quem homines sunt reconciliati Deo, ut fusius in sequenti libro de *opere* Christi patebit.

B. Mediator *secundum quod, homo.* In mediatore duo consideranda sunt, *ratio medii* et *officium coniungendi;* est autem de ratione medii quod distet ab utroque extremo ; coniungit autem mediator per hoc quod ea quae unius sunt defert ad alterum. Iam vero haec duo non conveniunt Christo nisi secundum quod est homo.

Christus enim *secundum Deus* non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura vel in potestate dominii ; nec etiam Pater et Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit Filii, ut sic possit Filius quod est Patris vel Spiritus Sancti, quasi quod est *aliorum,* ad homines deferre.

Christus vero *secundum homo* distat et a Deo in natura et ab hominibus in dignitate gratiae et gloriae, coniungit

• *De gratia Christi et pecc. orig.* 1.2 c.28 n.33: CSEL 42,193; MU 44,402. Plura de S.Hilario, cf. McMahon. *De Christo mediatore...* 33sqs. De S.Auvustino, cf. Mohan, *De nominibus Christi doctrinam divi Augustini...* 44-50. Plura alia ex Patribus, cf. Pbtavium, 1.12 c.l n.5.7s.l2-17; c.2; c.6-8. De antiquioribus theologis, cf. I.andgrap, *Dogmengcschichte...,* 2.· pars, 2,288-328.

autem homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando.

580. Scholion. *Christus unus perfectus mediator.* Iure distinguit S.Thomas (q.26 a.1 c). Unire homines Deo *perfective* quidem convenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo; ita ut solus Christus sit *perfectus* Dei et hominum mediator. Nihil tamen prohibet aliquos alios *secundum* quid dici mediatores inter Deum et homines, prout sc. cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive vel ministerialiter*[e].

[e] De mediatione Christi in relatione cum mediatione *angelorum* iuxta S.Thomam, cf. Backes, *Die Christologie des hi.Thomas...* 313s. De quadam exaggeratione, non semper vel ab ipsis theologis devitarta, qua nimis *contraponuntur* mediatio Christi et mediatio Sanctorum, in specie B.Mariae Virginis, cf. SalTcr 34 (1946) 348-350.426s.

LIBER II

De opere et passione Christi

J. Rivière, *Rédemption:* DTC 13,1212-2004; Id., *Le dogme de la Rédemption dans la théologie contemporaine* (Albi 1948) (hoc opus tamen iam a. 1943 finitum erat ab Auctore et absque mutatione postea editum est); G. Oggiont, *Il mistero della redensione:* Problemi e Orientamenti di Teologia Dommatica (Milano 1957) 2,237-343; L, Richard, *Le Mystère de la Rédemption'* (Tournai-Paris 1959).

CAPUT I

De exitu Christi ex hoc mundo

ARTICULUS I

De IPSA PASSIONE

Thesis 23. In hypothesi condignae satisfactionis pro peccato praestandae, Incarnatio absolute necessaria fuit.

S.Tk., 3 q.1 a.2; q.46 a.1-3; SvAkbz, d.4 s.2.7-12; Sat.manticf.nsEs, d.1 dub.1-5; DTC 7,1478-1482.

581. Nexus. Post praedicta, in quibus de unione Dei et hominis et de his quae unionem consequuntur tractatum est, restat considerare de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita *fecit vel passus est.*

Haec consideratio proponitur a S.Thoma quadripartita. Primo considerat S.Doctor de his quae pertinent ad *ingressum* Christi in mundum ; secundo, de his quae pertinent ad *processum* seu progressum vitae ipsius in hoc mundo; tertio, de *exitu* ipsius ex hoc mundo ; quarto, de his quae pertinent ad *exaltationem* ipsius post hanc vitam (cf. q.27 introd.).

Quae de Christi ingressu (q.27-39) et progressu (q.40-45) considerat S.Thomas, solent nunc partim in tractatu de B.Maria Virgine et S.Ioseph, partim in exegesi Novi Testamenti pertractari. Nostra igitur interest praecipua exponere de Christi *exitu* ac *exaltatione,* quae in operibus dogmaticis proponi consueverunt.

582. Inter ea quae *ad exitum Christi* de mundo spectant, primo loco agit S.Doctor *de passione* Christi, Et quidem tri-

plici gressu, ita ut primum sermo sit de ipsa passione, deinde de causa efficiente ac denique de fructu huius passionis.

Thesis haec nostra circa primum illud versatur, nempe *circa ipsam Christi passionem.* Ex duodecim autem articulis huius quaestionis in *Summa Theologica* solum ad tres priores directe attendimus, in quibus de *necessitate* ac convenientia ipsius passionis agitur. Reliqua vero e novem aliis articulis vel in thesibus sequentibus incidenter considerabuntur vel in praecedentibus tacta sunt (v.c. a.8, de passione non impediente gaudium fruitionis, in th. 15 schol.4 n.365-368), vel tandem solent iam ad exegesim amandari.

583. Notiones. Satisfactio. Cum de hoc conceptu directe ac fusius infra, th.25 n.631s agendum sit, sufficiat hic brevem *praemittere* definitionem huius notionis, qualis *pro hac thesi* requiritur. Satisfactio ergo est compensatio *honoris* divini per peccatum laesi.

Peccatum definitur cum S.Augustino (R 1605) et S.Thoma (1.2 q.71 a.6); factum vel dictum vel concupitum aliquid contra aeternam legem.

In peccato habetur et *aversio* a bono incommutabili et *conversio* ad creaturam [1]. Huiusmodi aversio et conversio est imprimis iniuria seu offensa *personalis* in Deum, quatenus qui facit actum malum non servat *honorem* Dei, qui ultimo fini debetur: seu quatenus peccator, rem digniorem indigniori postponens, *iniuriam* Deo facit, dum ipse Deus ab illo contemnitur et quidem in ratione ultimi finis [2].

584. Haec autem aversio et conversio est simul actus *inordinatus,* h.e. quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit. Ideo ab ipso ordine consequens est ut deprimatur. Aliis verbis, quoniam ea quae divinae providentiae subiacent, inordinata remanere non possunt, aliqua poena erit infligenda, qua violatus ordo restituatur [3].

Per actum igitur peccandi Deus *iniuria personali* afficitur, in anima causatur quaedam *macula* seu privatio gratiae sanctificantis (1.2 q.86), *duplex reatus* incurritur, alius *culpae,* sc. debitum reparandi offensam seu iniuriam personalem Deo irrogatam, alius vero *poenae,* sc. debitum poenam subeundi [4].

Plura alia, in tractatu de peccatis.

1 S.Th., 1.2 q.87 a.4 c; *De verit.* q.28 a.2 c.
2 S.Th., 1.2 q.21 a.4 c; *De verit.* ibid.
3 S.Th., 1.2 q.87 a.1 c; 3 CG 158.
4 De quodam alio sensu vocis "reatus", cf. S.Th., *In 2* d.42 q.1 a.2 solut. Plura alia de integra ratione peccati, cf. apud Horvath, *Heiligkcit und Sünde...*

In thesi respicimus peccatum quatenus est *offensa personalis* in Deum ac inducit in anima *reatum culpae;* non attendimus neque ad maculam animae neque ad reatum poenae, de quo plura exponentur infra th.27, ubi de *expiativa* Christi reparatione.

585. Peccatum quod *directe* respicimus in hac thesi, tanquam illud *pro quo* sit satisfactio praestanda, est peccatum *originale.* De hoc enim maxime fit sermo, ubi de incarnationis necessitate agitur (cf. supra, th.1 schol.1 n.15). Rationes tamen afferendae probant pro *nullo gravi* peccato potuisse puram creaturam Deo condignam praestare satisfactionem. De peccato *veniali* pauca indicabimus infra, schol. n.600s.

586. Satisfactio condigna seu perfecte *sufficiens.* Est honoris divini laesi compensatio *per quandam adaequationem.*

Haec adaequatio seu aequivalentia ex duplici capite attendi debet, sc. ex parte eius, quod se habet *ut materia,* et consistit *in re ipsa,* qua compensatio fit, et ex parte eius, quod sc habet *ut forma,* et consistit *in conditionibus* observandis ut compensatio fiat *ex rigore iustitiae.*

Concrete, divini honoris laesi compensatio fit *honoratione* Dei tali, quae praecedentem honoris laesionem compensare censeatur. Potest quidem intelligi hanc honorationem esse *de se* sufficientem reparationem honoris laesi, quatenus Deus tantum honoretur, quantum inhonorationis acceperat; nihilominus, propter defectum aliquarum *conditionum,* v.c. quod actus honorationis non ita sit *proprius* personae satisfacientis ut nullo modo cadat sub dominio creditoris seu Dei offensi, non valeat dici honoris laesi reparatio sufficiens *ex rigore iustitiae.*

In thesi asserimus incarnationem fuisse necessariam non praecise ad satisfactionem ex rigore iustitiae sed ad ipsam honoris compensationem *in se* seu materialiter. De conditionibus ad satisfactionem secundum iustitiam agemus infra, th.26 schol.3 n.664s.

587. Satisfactio hoc modo intellecta potest esse sufficiens *ab extrinseco,* quando ex se non est quidem sufficiens, tamen a persona offensa *acceptatur* ac si valorem haberet, vel potest esse sufficiens *ab intrinseco,* quando *in se* habet valorem debito aequalem.

Haec autem aequalitas dupliciter accipitur. Valor enim satisfactionis potest esse aequalis debito *proportionaliter,* si sc., quamvis non vere aequalis, *alicuius* sit in se valoris nec maior satisfactio a persona offendente praestari possit; vel potest

esse valor satisfactionis aequalis debito *quantitative,* si sc. debito prorsus adaequetur 5.

Satisfactio sufficiens ab intrinseco *proportionaliter* potest dici satisfactio *de congruo,* nam decet creditoris bonitatem ut debitori offerenti omnem satisfactionem quam potest et quae habeat aliquam proportionem cum debito, tale debitum remittat. Satisfactio vero sufficiens ab intrinseco *quantitative* est perfecta seu *condigna.*

588. Incarnatio. Sumi potest *sensu stricto,* nempe pro assumptione naturae *humanae* a Deo, magis concrete a Verbo Dei, vel *sensu lato,* pro assumptione naturae intellectualis (v.c. angelicae) a Deo. Rationes in hac thesi afferendae probant necessitatem incarnationis *sensu lato* intellectae. Nomen tamen "incarnationis" retinemus, quia haec naturae intellectualis assumptio fuit *de -facto* assumptio naturae *humanae* a Verbo.

Alias quaestiones *de possibili* vidimus supra, th.6, maxime schol.3s n.l05s.

589. Necessaria dicitur incarnatio, quatenus sine ea finis obtineri non potuit. Quinam autem fuerit hic finis, determinatur per verba: in hypotiiesi condignae satisfactionis.

Praesupponimus quidem incarnationem ex parte Dei liberrimam fuisse, non solum supposito lapsu humani generis, neque enim homines lapsi, seclusa hypothesi restaurationis, privarentur beatitudine *naturali,* sed insuper supposita ipsa Dei voluntate genus humanum redimendi. "Simpliciter igitur et absolute loquendo, possibile fuit Deo alio modo hominem liberare quam per passionem Christi" (S.Th., 3 q.46 a.2 c) e. Magnam incarnationis *convenientiam* indicavimus supra, th.l n.l.

Quaestio in hac thesi est utrum ad satisfactionem pro peccato *condignam* Deo praestandam, quam condignam satisfactionem Deus ab hominibus exigendam liberrime statuerit, *incarnatio* fuisset necessaria an satisfactio *purae creaturae,* summa gratia ornatae, suffecisset.

Quod *de facto* incarnatio Verbi talem condignam satisfactionem Deo persolverit, exponetur infra, th.25.

Absolute necessaria. Non probamus in hac thesi id quod6

6 Cf. S.Th., *In 4* d.15 q.l a.2 solut. De quadam condignitate "imperfecta", quae huic nostrae thesi non repugnet, cf. J.A.db Aldama, S.I., *Coopcrac'fin de Maria a la redcnciôn a modo de salisfacciôn por el pecado:* EstMar 2 (1943) 179-193.

• Cf. Suarez, d.4 s.l n.ls; Galtier, n.160-168; Lercher, n.255s; DTC 13,1976s.

caetcrum a fortiori patet ac ab omnibus theologis admittitur, *de facto* nullum hominem ex Adamo ortum condignam satisfactionem pro peccato gravi praestare potuisse et hoc sensu incarnationem necessariam fuisse; sed respicimus quaestionem *absolutam* seu de possibili, an Deus talem potuisset condere puram creaturam eamquc talibus donis gratiae ornare, ut condignam satisfactionem Deo praestare valuisset.

590. Adversarii. Scotus et *scolistae* concedunt quidem puram creaturam etiam gratia ornatam non potuisse *iuxta praesentem providentiam ordinariam* satisfacere de condigno pro peccato originali. Simul tamen asserunt potuisse puram creaturam gratia ornatam satisfacere ad aequalitatem pro peccatis humani generis *de potentia Dei absoluta.*

Haec sententia fundamentum habet tum in doctrina scotistica, quae in satisfactione magnas partes tribuit *acceptationi* divinae, ut melius patebit infra, th.26 si.650, ubi de satisfactione Christi condigna agemus, tum in doctrina etiam scotistica quae rationem iniuriae *personalis* in peccato aliter aestimat ac reliqui fere communiter theologi [7].

Valor theologicus. Nostra doctrina est *longe communior ac videtur moraliter certa.*

591. Ratio theologica [8]. Tria sunt elementa ex quibus gravitas iniuriae et dignitas satisfactionis mensuratur. Atqui in duobus *praecipuis* elementis ingens disproportio datur inter Dei offensam et quamlibet satisfactionem creatam. Ergo pura creatura nequit pro peccato condignam satisfactionem praestare.

Prob. mai. *Iniuriae* gravitas *primario* mensuratur *dignitate personae offensae;* tum etiam ex parte *termini ad quem* persona offensa inhonoratur; denique ex parte ipsius *actionis*

7 Cf. FrassEn* *Scotus Academicus...* 7,84-93; Editores operum Sti.Bonaventurae (Quaracchi), *In 3 Sent,* d.20 q.3 schol.; Minges, 1, n.567-573; DTC 4,1895s; 13,1950s. Referuntur quidem alii auctores pro hac sententia nobis contraria (cf. v.c. apud SuXrez, d.4 s.7 n.2.4; Editores ad Quaracchi, *i.c.*\ Hugon, q.1 a.2 ad IV; Muncunill, n.76; Galtier, n.514, 3.° nota); sed difficulter eorum doctrina diudicatur propter minus definitum statum quaestionis; cf. v.c. apud SalmanticensES, d.1 dub.5 n.136. De P.Vazquez, cf. G.Tessarolo, *La nosione de satisfasione e la nécessité dclVincarnasrone presso Gabriele Vasques* (Roma 1942); de sententia Patris Molina, cf. J.Mendeiros, *A necessidade da incarnaçâo e da redençâo em Luis de Molina* (Lisboa 1944, Separata da· "Lumen"). De interpretatione termini "hominis puri" apud S.Thomam quam Caietanus tradit, cf. SalmanticensES, *In 3* q.1 a.2 comment, n.6.

8 Saepe pro nostra sententia *Patrum testimonia* adducuntur. Nihilominus constare non videtur Patres locutos fuisse etiam *de potentia Dei absoluta,* quod est punctum cum scotistis controversum, et de satisfactione *condigna* sensu a nobis explicato. Quin immo, cum ipsa notio satisfactionis quam in hac thesi adhibemus, fructus sit ulterioris *theologorum progressus* (cf. infra, th.25 n.632), vix ad Patres recursus fieri potest. De statu quaestionis apud sanctos Patres, cf. \.c. Petavium, 1.2 c.14.

inhonorantis, quae magis vel minus deliberata, intensa etc. esse potest.

Satisfactionis autem valor pro iniuria personali compensanda *primario* mensuratur *dignitate personae satisfacientis;* tum etiam ex parte *termini ad quem* persona offensa honoratur; denique ex parte ipsius *actionis* satisfacientis, quae magis vel minus deliberata, intensa etc. esse potest.

592. *Fundamentum huius gradationis* praebetur a notione iniuriae *personalis* et satisfactionis ei respondentis; res enim *materialis* v.c. pecunia, si aufertur, satis creditori fit si eadem *materialis quantitas* redditur, independenter a dignitate tum personae a qua res materialis ablata fuerat tum personae illam quantitatem reddentis.

E contra, communis hominum aestimatio aliter iudicat cum alicui *honor aufertur.* Neque enim eadem iniuria reputatur quae regi et quae aequali infertur, licet *materialiter* eadem fuerit iniuria, v.c. eadem verba probrosa fuerint dicta. Neque tamen haec personalis dignitas personae offensae *unica* est ratio unde iniuria gravitatem sumit; forte enim tam levis esset in se iniuria quae regi ac tam gravis quae aequali inferretur, ut haec postrema simpliciter gravior merito haberetur. *Primario* tamen, iuxta communem aestimationem, iniuriae gravitas *ex dignitate personae offensae* mensuratur.

Satisfactionis vero valor ob eandem rationem, compensationis sc. *honoris, primario,* licet non unice, mensuratur *ex dignitate personae satisfacientis,* iuxta communem hominum aestimationem.

593. *Prob. min.* *Peccatum grave* est *maxima* Dei iniuria et ex *absoluta* Dei infinita dignitate et ex *relativa* Dei erga hominem offendentem dignitate, cum illius domi.nus ac pater sit; tum etiam *ex parte termini ad quem* Deus inhonoratur, nempe infra res creatas, quas peccator praefert in ratione proprii finis ultimi ; denique *ex parte actionis* inhonorantis, quae in peccato gravi est *plene* deliberata, quamvis certe in hoc elemento plures gradus quoad deliberationem, intensitatem etc. sint admittendi. *Satisfactio* autem purae creaturae, etiam maxima gratia sanctificante ornatae, infinite distat a Deo *ex parte dignitatis personalis,* quia nec per ipsam filiationem adoptivam desinit creatura esse dignitatis *finitae* (cf. infra, obi.2 n.596). Ergo *quoad elementum* unde *primario* mensuratur gravitas offensae et valor satisfactionis, datur *infinita* distantia inter iniuriam et satisfactionem. (Plura de peccato ut offensa Dei, infra th.25).

594. Caeterum compensatio divini honoris condigna non apparet neque *ex parte termini ad quern* posset ilia privilegiata creatura Deum honorare. Inhonoratio enim fuit quoad hoc elementum obiective *infinita,* quia Deus in ratione ultimi finis posthabitus est creaturae. Omnis vero honoratio quam creatura Deo potest tribuere est obiective *finita,* quia honor Deo *non infinite* maior redditur si non tantum in substantiali ratione ultimi finis ei creatura subditur, sed etiam *perfectissime* Dei voluntatem observat in his ipsis quae nec sub levi praecepta sunt.

Quamvis igitur *ex parte actionis satisfacientis* admitteretur maior deliberatio, intensitas, diuturnitas etc., quae gravitati *actionis offendentis* ex hoc capite praestarent, satis patet hanc praevalentiam evanesci contra infinitam inferioritatem ex parte *praecipuorum elementorum,* quibus iniuriam et satisfactionem homines merito dimetiuntur.

Consulto voluimus in hoc argumento a quaestione controversa *de infinitate ipsius peccati* praescindere, utrum nempe gravis offensa Dei dicenda sit *simpliciter* infinita an tantum *secundum quid.* De hoc agitur in tractatu de peccatis.

595. Obiectiones. 1. Inter regem et plebeium hominem quoad personalem dignitatem magnum habetur discrimen. Atqui talis concipitur possibilis satisfactio ab ipso plebeio subdito offendente praestata regi, ut quilibet prudens eam velut *condignam* satisfactionem reputaret. Ergo ex parte dignitatis personalis non impossibilis apparet *satisfactio condigna* quam *pura creatura* praestaret *Deo.*

Dist. mai. Magnum habetur discrimen at *infinite* minus quam discrimen inter personalem dignitatem Dei et creaturae, *co'nc. mai.;* secus, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Non impossibilis apparet satisfactio condigna quam pura creatura praestaret Deo, si discrimen inter Deum et creaturam est infinitum, *nego cons.;* si esset finitum, *subdist.:* non impossibilis apparet huiusmodi condigna satisfactio ex parte *solius dignitatis personalis, trans, cotis.; ex* parte tum dignitatis tum *termini ad quem* inhonorationis, *nego cons.*

596. 2. Per gratiam homo constituitur *filius Dei adoptivus.* Atqui inter filium ac patrem nequit infinitum discrimen dari quoad personalem dignitatem. Ergo ex parte personalis dignitatis non apparet cur pura creatura, gratia sanctificante ornata, Deo condignam satisfactionem praestare non valeat.

Dist. mai. Constituitur filius Dei adoptivus at dignitatis tandem *finitae,* sicuti et finitae sanctitatis ontologicae (cf. supra, th.12 schol.2 n.262), *conc. mai.;* dignitatis *infinitae, nego mai.*°. *Trans, minor,* quae ad summum valeret in *humanis. Contradist. cons.*

597. 3. Homo gratia ornatus Deum *de condigno meretur.* Atqui huiusmodi meritum videtur supponere in homine dignitatem per-

[9] Periculum hominibus divina arttribuendi denuntiatur in recenti *Encycl.* **Mystici Corporis Christi9:* AAS 35 (1943) 234, et cf. S.Tromp, S.I., *Textus et Documenta* (Pontificia Universitas Gregoriana, ser. theol. 26, Romae 1943) p.118.

sonaletn *infinitam.* Ergo homo gratia ornatus videtur infinitam habere personalem dignitatem.

Dist. mai. Homo gratia ornatus meretur de condigno Deum, h.e., meretur bonum increatum, *quatenus in se est absolute, nego mai.;* meretur bonum increatum, *quatenus est libere eommunicabile creaturae, subdist.:* et hoc est praemium *infinitum, nego; finitum, conc. Contradist. min.* Mereri de condigno Deum, quatenus in se est absolute, supponeret dignitatem personalem infinitam, *trans, min.;* mereri de condigno Deum, quatenus est libere communicabilis creaturae, *subdist.:* si ut sic est bonum finitum, *nego;* si ut sic esset bonum infinitum, *conc. min.*

598. Omnino repugnat ut Deus, bonum increatum, *quatenus in se est absolute,* sub ullius meritum cadat, quia ut sic est ens *simpliciter necessarium;* qua ratione nemo mereri potest ut Deus sit neque ut Pater aeternus Filium sibi aequalem producat et similia.

Quatenus vero Deus est bonum increatum *libere eommunicabile creaturae,* cadere potest sub meritum de condigno. Non tamen tunc esset ut sic bonum *infinitum,* quia qui meretur ut Deus sibi communicet in visione beata, non meretur ipsi Deo aliquod bonum nec meretur ut aliqua perfectio realis et incrcata in rerum natura sit; sed solum meretur ut Deus in se sit obiectum terminans humanam cognitionem, quod non est bonum infinitum1".

599. 4. Plures theologi, etiam ex schola thomistica, admittunt puram creaturam posse de potentia Dei absoluta *condigne mereri* remissionem peccati *gravis".* Atqui si ita est, satis minuitur pondus ex auctoritate theologorum pro nostra thesi. Ergo ex theologorum auctoritate non multum videtur pro nostra thesi deducendum.

Dist. mai. Ita tamen ut hi theologi eatenus tale *meritum* admittant, quatenus existimant substantiale discrimen inter *meritum* et *satisfactionem* dari, *conc. mai.;* secus, *nego mai. Contradist. min.*

Consulto voluimus in nostra thesi ab hac quaestione praescindere, nempe utrum pura creatura possit peccatori remissionem gravis peccati *de condigno mereri.* Res enim non tam plene liquet nec de ea tantus habetur theologorum consensus. Caeterum id nihil detrahit ponderi theologorum pro nostra thesi, ut in distinctione ad maiorem indicavimus.

Ratio praecipua discriminis inter meritum et satisfactionem reponi videtur ab auctoribus, qui absolutam possibilitatem *meriti de condigno* ex parte purae creaturae quoad remissionem peccati gravis admittunt, in eo quod meritum dicat directe relationem ad praemium quod est *bonum creaturae,* cui Deus condonat seu remittit debitum culpae et poenae aeternae; satisfactio autem directe respicit *bonum Dei,* sc. divinum honorem reparandum seu iniuriam personalem Dei delendam.

Igitur maior proportio requiritur ad *satisfactionem* Deo praestandam quam ad *meritum* habendum apud Deum, ut Deus ipse creaturae reatum culpae et aeternae poenae remittat.

Alias obiectiones vide apud Muncunim,, n.83-91; Lercher, n.258.

600. Scholion. *De possibilitate condigne satisfaciendi pro peccato veniali.* Quamvis haec quaestio proprie ad tractatum de paeni-

"› Cf. SuArez, ‹l.4 s.4 n.52s.

11 Cf. apud Saumanticsnsss, tr.16 d.6 dub.2 n.54; vel apud Muscuntli.. n.77.

tentia pertineat, breviter erit nunc attingenda propter materiae connexionem. Agitur de satisfactione non per vires naturae sed ab eo praestita qui gratia sanctificante ornatus sit. Praescindimus etiam hic a quaestione de satisfactione *secundum iustitiam.*

Fere communis theologorum sententia *affirmat factum,* sc. purum hominem posse Deo condignam satisfactionem pro peccato veniali praestare.

Discrimen tamen est non parvum *in explicatione* huius facti, prout in tractatu de pacnitcntia exponitur. Quoad rem nostram dicendum videtur peccatum veniale esse quiden *contra Deum,* et insuper esse *ofjensam personalem.* Per hanc tamen iniuriam leviter solummodo offenditur Deus neque ita inhonoratur ut creatura praeponatur Deo in fundamentali illa ratione divinae excellentiae, qua Deus est *finis ultimus* hominis.

Adde, in multis levioribus peccatis *scmideliberatam* tantum voluntarietatem dari ex parte peccatoris. Satisfactio autem actibus valde intensis ac diuturnis fieri posset ".

601. Fundamentale quoddam discrimen inter graves et leves offensas etiam inter homines ab omnibus agnoscitur, licet *persona offensa* sit eadem.

Consequenter ergo ad doctrinam supra traditam ubi de ratione theologica n.591-594, casum admittimus, in quo licet distantia infinita *quoad personalem dignitatem* habeatur inter Deum offensum et creaturam offendentem, satisfactio tamen purae creaturae esset possibilis ratione praecipue levitatis offensae *quoad terminum inhonorationis.*

ARTICULUS II

Dii EFFECTU PASSIONIS

Thesis 24. Christus passione sua hominibus meruit omnia dona sive gratiae sive gloriae.

S.Th., 3 q.19 a.3s; q.48 a.1; SuXrKz, d.39-42; Salmanticenses, d.28.

602. Nexus. Postquam ipsam passionem Christi consideravit S.Thomas, agit *de causa efficiente* passionis (q.47), ubi plura tradit quorum aliqua (a.2) partira a nobis supra tractata sunt (sc. th.18 n.476s), partim (a.3) a nobis infra indicabuntur (sc. th.25 n.644 ad 2; cf. supra, th.18 schol.1 n.487).

Deinde considerat S.Doctor *effectum* passionis Christi. Et primo de modo efficiendi; secundo de ipso effectu. Inter sex articulos quibus tractatio *de modo efficiendi* dispertitur, primum locum occupat quaestio: utrum passio Christi causaverit nostram salutem *per modum merili.*

603. Notiones. Meritum. Cum de meriti notione fusius in tractatu de gratia disputetur, sufficiat hic breviter

® Alias quaestiones de peccato veniali, vide apud SThS 23, tr.2 n.867-901.

rem indicasse. Meritum, ex communi hominum apprehensione, definitur: opus bonum praemio dignum. Meritum potest esse de condigno et de congruo. Meritum *de condigno* importat quandam *aequalitatem* cum praemio, ita ut *secundum iustitiam* praemium sibi debeatur; unde et nomen accepit ab *aequa dignitate* meriti ad mercedem [1]. Meritum *de congruo* non importat huiusmodi aequalitatem cum praemio, sed ei debetur praemium *ex quadam- decentia.*

In thesi meritum intelligimus proprie tale seu *de condigno.*

604. Passio Christi. Intelligitur de illa passione quae duxit *ad mortem.* Non igitur consideratur mors in facto esse, sed *in fieri* (cf. S.Th., 3 q.50 a.6 c).

Christus passione sua meruit. Verba haec sunt assertiva non exclusiva. Infra, schol.1 n.619 exponemus *quo tempore* et *quibus actibus* vitae suae Christus meruerit. In thesi tamen directe attendimus ad passionem, tum quia hoc fuit praecipuum opus redemptionis nostrae et maxime accommodatum ad liberationem nostram tum quia in eo fuit consummata nostra redemptio. De his pauca addemus infra, schol.2 n.620.

Hominibus. Loquimur de hominibus *post* amissam in Adamo iustitiam originalem. Caeterum *omnes* homines comprehendimus, tam eos qui *ante* Christi adventum vixerunt quam eos qui in *praesenti* statu legis gratiae vivunt. De modo tamen quo Christi merita in antiquis Patribus influxerint, dicemus infra, schol.6 n.624. De his quae Christus aut *sibi* aut *angelis* meruerit, dicemus infra, schol.3s n.621s. Item, de quaestione an dona *Adamo* collata *ante peccatum* fuerint ex Christi meritis, infra, schol.5 n.623.

605. Omnia dona gratiae. Omnes igitur gratiae, sive sufficientes eae sint sive efficaces, quae iustificationem *praecedunt, ipsa prima iustificatio* cum virtutibus et donis Spiritus Sancti, *sacramenta* cum omnibus suis effectibus, reliquae gratiae quae primam iustificationem *subsequuntur,* sc. auxilia excitantia et adiuvantia ad bene operandum, meritum augmenti gratiae ipsumque gratiae augmentum, satisfactio pro venialibus peccatis et pro temporali poena, perseverantia denique in gratia usque ad finem vitae, Christi meritis fuerunt pro hominibus acquisita.

Uno verbo possemus dicere: Christus meruit cuncta supernaturalia quae ad nostram salutem aeternam conducunt.

1 Cf: S.Th., 1.2 q.21 a.3s; q.114 a.1; CaieTan., *in l.c.,* q.U4 a.3. Quo sensu “iustitio” in Deum cadat, exponetur th.26 schol.3 n.664s.

Qua ratione meruerit nobis etiam *naturalia,* exponetur infra, schol.7 n.625.

606. Dona gratiae dicimus, ut clare indicemus nos in thesi agere solummodo de gratiarum *collatione* seu *donatione,* praescindendo a quaestione utrum Christus *efficacium* gratiarum *praedestinationem* meruerit.

Si Deus, ut in thesi affirmamus, in tempore *dat* gratiae dona *propter merita Christi,* evidens est Deum *ab aeterno decrevisse* haec dona *dare* propter merita Christi.

Ulterior vero quaestio est, quam ad schol.9 n.629 remittimus, utrum ratio *cur Deus* praecise *huic homini* ab aeterno decreverit talem gratiam conferre, quae *infallibiliter* effectum consequetur, *Christi merita* fuerint an *solum Patris beneplacitum.*

607. Supponamus casum *primae gratiae efficacis supernaturalis.* Omnes theologi admittere debent hanc primam gratiam *non* praedestinari a Deo *post* praevisa merita illius qui eam gratiam recipit. In hac thesi probamus primam hanc gratiam *dari* a Deo in tempore propter merita Christi ; ab aeterno ergo *voluit* Deus eam *sic* dare, sc. eam dare *propter merita Christi.* Remanet autem quaestio : *Electio praecise huius hominis* cui talis gratia efficax detur, estne ex meritis Christi an ex mero Patris beneplacito?

Quodam exemplo Veteris Testamenti hanc distinctionem declarare possumus. Quod angelus non percusserit primogenita in aedibus, in quarum superliminaribus sanguis agni positus erat, debebatur huic sanguini agni ; quod autem *praecise in his domibus* sanguis poneretur, debebatur observantiae filiorum Israel (cf. Ex 12,7.13).

Omnia dona gloriae, sc. *ipsam gloriam* seu aeternam beatitudinem supematuralem et *augmentum* gloriae etiam essentialis.

Utrum Christus hominibus *praedestinationem ad gloriam* meruerit, dicemus infra, schol.8 n.626ss.

608. Adversarii. *Aliqui ex antiquis* theologis negaverunt Christum hominibus meruisse quaedam dona supernaturalia, quae iustificationem *antecedunt.* Videbatur, enim, his auctoribus nostram iustificationem non amplius esse "gratis", si *ex meritis* Christi fuissent dispositiones quae iustificationem praecedunt[2].

609. Doctrina Ecclesiae. A. Christus *per passionem* suam *meruit. Conc. Tridentinum:* "Si quis hoc Adae peccatum... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum... lesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo" (D 790). "Huius iustificationis causae sunt... meritoria autem... lesus Christus, qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit" (D 799). Cf. D 552 711.

* Cf. apud Salmanticenses, d.28 dub.8 n.97-101, ubi ulteriora, quae apud antiquos illos theologos occurrunt, indicantur.

B. Christus gratias quae *iustificationem praecedunt* meruit. *Conc. Tridentinum:* "Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum lesum praeveniente gratia sumendum esse" (D 797). Quamvis *verbum* "meritum" non adhibeatur, supposita tamen expressa doctrina de *merito* Christi in hoc Concilio, vix dubium esse potest quin verba "*per* Christum lesum" de Christi *merito* intelligantur; hoc ipsum deliberationes in Concilio habitae circa dispositiones ad iustificationem ostendunt8.

610. Christus *ipsam iustificationem meruit.* Supra n.609. D 799; cf. D 809 820.

Auxilia excitantia et adiuvantia ad bene operandum. Implicite Christi merito attribuuntur ab eodem *Tridentino,* quatenus in genere docet *bona opera* a iusto fieri "per Dei gratiam et lesu Christi meritum" (D 842). Cf. D 809 ‌

Gratiae augmentum. Idem Conc.: "Si quis dixerit... ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per... lesu Christi meritum... fiunt, non vere mereri augmentum gratiae... A.S." (D 842). Ergo gratiae augmentum *mediate* tribuitur meritis Christi.

Satisfactio pro poena temporali. Idem: "Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam tenqxiralem, minime Deo per Christi merita satisfieri..." (D 923).

Ipsa gloria et essentialis gloriae augmentum. Tridentinum: "Si quis dixerit, ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per... lesu Christi meritum fiunt, non vere mereri... vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: A.S." (D 842)56 Iterum *mediate* tribuuntur haec Christi meritis. Cf. D 836.

611. Valor theologicus. A. Christus passione sua hominibus *meruit. De fide divina et catholica definita* (D 790 799).

B. Meruit Christus *iustificationis exordium, ipsam iustificationem, satisfactionem pro poena temporali. De fide divina et catholica definita* (D 797 799 [cf. supra, n.609] 923) °.

» Cf. J.RivtiKB, *Mérite:* DTC 10,737-739.741.

4 Quo sensu *bona opera* supponant *excitantem atque adiuvantem gratiam,* cf. apud F.Hünermann, *Wescn und Notwendigkcit der aktuellen Gnade nach dem Konsd von Trient* (Forschungen zur Christlichen Literatur- und Dogmengeschichte, Ehrhard-Kirsch, 15,4· Paderborn 1926) maxime 77-85.

6 De distinctione inter "vitam aeternam" ct "vitae aeternae consecutionem", cf. Lange, *De gratia* n.704.

e Non tamen ideo essent nec *materiales haeretici* antiqui illi theologi dicendi, quos inter adversarios recensuimus (cf. supra, n.608). Solum enim negabant Christum meruisse *dispositiones imperfectas,* quae iustificationem antece-

Meruit Christus *gratiae augmentum, ipsam gloriam* et *essentialis gloriae augmentum. Doctrina catholica saltem* (D 842; quoad auxilia excitantia et adiuvantia, *implicite:* cf. supra, n.610) ; quae enim ad nostram quaestionem spectant, non videntur *in recto* a Concilio doceri, ideoque nec constat de definitione.

Christus meruit *reliqua dona gratiae* (cf. supra, n.605). Est *theologice certum,* respective *certum in theologia.*

612. Probatur ex sacra Scriptura. *Expresse* in sacra Scriptura sermo *de Christi merito* non fit. Multipliciter tamen *res ipsa* proponitur, sc. Christum passione sua aliquod opus posuisse quod Deo valde acceptum fuit ac cuius intuitu Deus et iustificationem et gratiam et gloriam hominibus largitus est. *Intimiorem* quidem *naturam* huius operis Christi thesibus sequentibus de satisfactione, sacrificio et redemptione exponemus.

1) Iesus Christus, *novus Adam.* Sicuti per unius hominis malum opus, sc. peccatum, peccatores constituti sunt omnes homines, ita per Christi opus "iustitiae" sc. mortem *ex obedientia erga Patrem,* omnes constituuntur *iusti.* Rom 5,12.18-21; Phil 2,8[7]. Non potuit non esse *grata Deo* mors, quam Christus *ex mandato Patris* subiit. Quodsi *huic operi* Christi attribuitur iustificatio, quam *Deus* in nobis operatur, clare exprimitur hanc iustificationem obtentam fuisse *merito* mortis Christi.

2) Sanguini Christi nostra iustificatio tribuitur. Rom 5,9: *Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius...* Cf. Hebr 13,12. Quomodo haec "iustificatio" ex ipsius sacrae Scripturae doctrina *reliqua gratiae et gloriae dona* secum ferat, in tractatu de gratia probatur.

613. Probatur ex traditione. Terminus ipse "meritum" a Patribus non videtur adhibitus, ut opus Christi pro nobis meritorium significarent , si forte S.Hieronymum excipiamus: "Ut sciamus illas esse manubias hominibus distributas, quas Christus victor *emeruit*"[8]. Cum doctrina vero *nostrae iustificationis per Christi merita* sit quoad rem tam

dunt. Cf. Salmanticenses, <1.28 dub.8 n.97. Caeterum J.Rivière non credit nec in ipso cap.7 sess.6 Tridentini (D. 799) aliquid *definiri:* cf. DTC 13,1919. Nos, consequenter ad principium iuxta quod etiam *capita* Concilii Tridentini ut *definitiones* habentur, haec *definita* fuisse dicimus.

[7] Cf. Bover, *Teologia de San Pablo*[3] 96-98.195-1.97; Prat, *La Théologie...* 2,209-211.

[8] *Comment. in ep. ad Ephes.* 1.2 c.4 v.8: ML 26,529s. Cf. Rivière, *Le mérite du Christ d'après le magistère ordinaire de l'Eglise a l'époque patristique:* RevScRcl 21 (1947) 53-89; Id., *Le mérite du Christ d'après le magistère ordinaire de l'Eglise:* RevScRcl 22 (1948) 213-289.

manifesta in sacra Scriptura et cum sancti Patres tam aperte insistant in redemptione *obiectiva* per Christum (ut thesi sequenti, n.641s monstrabimus), pronum est ut de *meritis Christi* intelligantur Patrum tam frequentes locutiones de supernaturalibus donis, quae nos "ex gratia Christi" seu "per Christum" accipimus; ac si dicerent Patres opus redemptivum Christi fuisse Deo gratum nobisque haec dona obtinuisse. Superfluum esset singulos textus adducere. Cf. v.c. R, Indicem theolog., n. 424s.

Illi soli loci excipiendi sunt ab hac interpretatione, in quibus appareat sanctos Patres prae oculis habere vel *exemplum* a Christo nobis datum vel *doctrinam* ab eo praedicatam aut aliquid huiusmodi.

Hoc sensu etiam *orationes liturgieae* accipiendae sunt, quae "per Dominum nostrum lesum Christum" fieri solent. In hac formula sine dubio latet idea mediationis Christi, quatenus praecise ipse *suis meritis* dignus est ut a Patre in nostri favorem exaudiatur.

614. Ratio theologica. A. *Meritum Christi.* Passio Christi fuit in se *opus excellentissimum,* utpote a Christo ex obedientia et amore erga Patrem et ex caritate erga homines acceptata (cf. Io 10,17s; Phil 2,8; Io 14,31; 1 Io 3,16). Atqui haec passio tum ex voluntate Patris tum ex intentione Christi ad *salutem* nobis supernaturalem obtinendam ordinabatur (cf. Io 3,16s; Rom 8,32; Eph 5,25). Ergo nihil deerat, ut Christus passione sua nobis supernaturalem vitam *mereretur.*

B. *Obiectum* meriti Christi sunt *omnia dona supernaturalia* quae ad nostram salutem aeternam conducunt. Ne ad particularia descendamus, generale principium S.Pauli sufficiat in mentem revocare. Sicuti Adam est causa nostrae ruinae, ita Christus est causa nostrae "iustitiae". Ergo nihil quod ad hanc supernaturalem iustitiam conducat, a Christi influxu eximitur. Haec melius patebunt in tractatu de gratia fl.

615. Obiectiones. 1. Meritum *alteritatem personalem* supponit, ita ut alius sit *qui* meretur, alius *apud quem* meretur. Atqui in Christo non alius est qui meretur et apud quem meretur. Ergo Christus mereri non potuit.

Dist. niai. Meritum alteritatem personalem supponit in creatis, in quibus singulae personae non nisi unam habent naturam, *trans, mai.;* talis alteritas est de essentia omnis actus meritorii, ita ut neque persona duas habens perfectas naturas possit per actus alterius naturae mereri apud semetipsum prout in altera natura exsistentem, *nego mai. Contradist. min.* In Christo non est alius qui meretur et

• Cf. P.Glorieux, *Le mérite du Christ selon S.Thomas:* RcvScRel 10 (1930) 622-649; BouEssé, *Le Sauveur du monde,* 2. *Le Mystère...* 567-618.

alius apud quem meretur, ita tamen ut Christus sit persona Unigeniti, in duabus perfectis naturis, divina et humana, subsistens, *conc. min.;* ita ut Christus sit persona divina in una subsistens natura, *nego min.*

616. Nihil mirum si ex *mysterio* unionis hypostaticae quaedam fluunt quae consuetum, nostrum cogitandi modum offendunt. In creatis talis alteritas personalis communiter quidem invenitur; quodsi hanc affirmationem ad *mai.* transmisimus, ideo hoc fecimus ne quaestione illa implicaremur, an sc. persona creata quae duplicem gerat personam moralem possit, prout aliam personam moralem gerens, non improprie mereri apud semetipsum aliam personam moralem gerentem.

In uno autem Christo *duae perfectae naturae,* divina et humana, "habentes voluntates liberas et propria dominia suorum actuum" [10], *in una persona* concurrunt, ita ut Verbum sit simul verus Deus et verus homo. Inde *impossibile non apparet* Verbum per actiones, cuius principium proximum sit *humana* natura, hominibus mereri apud Verbum in *divina* natura subsistens.

617. 2. Verum meritum *gratuitalem* excludit. Atqui *gratis* iustificati sumus (cf. Rom 3,24). Ergo Christus nostram justificationem vere mereri non potuit.

Dist. mai. Verum meritum excludit gratuitatem respectu eius qui meruit, *conc. mai.;* respectu eorum qui ipsi non meruerunt, *nego mai. Contradist. min.* Gratis justificati sumus, quatenus *nos ipsi* nullatenus hanc iustificationem meruimus, *conc. min.;* quatenus *Christus* nobis hanc iustificationem non vere *meruit, subdist.:* et hoc ipsum *verum meritum* Christi ultimatim ex *gratuita* Patris voluntate, Redemptionem per Christum *liberrime* definientis, pendebat, *conc. min.;* secus, *nego min.*

618. 3. Opera supernaturalia hominis iusti sunt *condigna* augmento gratiae et gloriae. Atqui non essent ita condigna, si Christus nobis hoc augmentum gratiae et gloriae *iam meruisset.* Ergo Christus augmentum gratiae et gloriae iustis non meruit.

Conc. mai. Dist. min. Si Christus hoc augmentum gratiae et gloriae iam meruisset, iusti merita non essent gratiae et gloriae augmento condigna *exclusive, conc. min.;* non possent *ipsa iusti merita* esse huiusmodi augmento condigna *inclusive,* h.e. ita ut *etiam* Christus hoc augmentum de condigno meruerit, *subdist.:* si Christi causalitas meritoria esset *eiusdem generis* ac nostra, *trans, min.;* si Christi causalitas est propria *causae universalis* et *principalis,* nostra autem causalitas est propria causae *particularis* et *subordinatae, nego min.*

Meritum itaque Christi nostrum non excludit, nec nostrum obscurat Christi meritum (cf. D 905). Potius meritum Christi infert nostrum, tanquam causa effectum (cf. D 904); et nostrum manifestat et illustrat gloriam meritorum Christi. In hoc enim maxime perfectio meriti Christi relucet, quod et suum effectum habet et non excludit nostra opera, merita et satisfactiones, sed illis vim et efficaciam tribuit. Sic possunt dici concurrere ut causae diversorum generum universalis et proxima, quae in suo ordine perfectae exsistunt".

10 SUAREZ, d.4 s.5 n.13, ubi et alia inveniuntur quae ad huius rei explicationem inservire possunt.

11 Quo sensu augmentum gratiae et gloriae non solum *in radice* debeatur meritis Christi, cf. apud SUAREZ, d.41 s.3 n.4-7; plura de quaestione an me-

Alias obiectiones videas apud Muncunili., n.922-929.

619. Scholion 1. *Quo tempore el quibus actibus Christus meruerit.* luxta fere communem theologorum sententiam, Christus ab instanti suae conceptionis usque ad extremum vitae suae sine ulla intermissione meruit, non autem in primo instanti separationis animae a corpore in cruce nec post mortem “.

Quod igitur de aliquibus sanctis dicitur, eos nempe orationem ipso somno non interrupisse “, a fortiori valet de Christo Domino. Christus enim in sua scientia *per se infusa* independens erat a sensibus quoad huius scientiae exercitium (cf. supra, th.13 n.268).

Quoad *actus.* Theologi quidem docent Christum per omnes actus *liberos* et entitative supernaturales voluntatis humanae meruisse. Auctores vero discrepant ubi de quaestione agitur, utrum Christus per actus *amoris Dei* mereri potuerit. Pauci sunt qui cum Vazquez *(In 3* d.74 c.3) negent Christum per actum amoris Dei meruisse.

Magna autem diversitas habetur in explicando *modo* quo Christus ex amore Dei mereri potuerit. Quae tamen diversitas facile intelligitur, suppositis his quae supra in thesi 18 de libertate Christi sub praecepto diximus, maxime n.467-472 “.

620. Scholion 2. *Relatio inter passionem et reliquos actus meritorios Christi.* Omissa quaestione de *infinito* valore meritorio operum Christi (quam tractabimus infra, th.26 n.660-663), dicendum est *passioni* Christi *specialiter,* iuxta doctrinam catholicam, tribui meritum Christi, tum quia illud fuit praecipuum opus salutis nostrae tum quia ex divina ordinatione omnia merita Christi erant vehit in fieri donec per passionem consummarentur; plures autem congruentiae inveniuntur, cur Deus id ordinaverit. *Ipse Christus* praecise per passionem *consummatus* est (cf. Hebr 2,10; 5,9)“.

621. Scholion 3. *Quaenam Christus sibi meruerit. Raetum* ipsum meriti Christi *pro se ipso* ad catholicam veritatem pertinet (cf. v.c. Phil 2,8-11; cf. supra, th.18 n.455). Duo autem huius meriti *obiecta* potissimum consideranda veniunt: alterum, gratia sanctificans et gloria essentialis, alterum corporis gloria et nominis exaltatio.

Quoad *gratiam habitualem et gloriam essentialem* multo communior theologorum sententia cum S.Thoma (3 q.19 a.3 c) tenet Christum ea non meruisse *de facto;* meritum enim non est nisi eius quod nondum habetur, unde oporteret quod Christus aliquando istis caruisset, quod dici nequit. Utrum Christus *gratiam habitualem* absolute mereri *potuisset,* disputatur, valde tamen communiter admittitur

rita nostra *specialem ac maiorem valorem* habeant ex meritis Christi, vide apud B.Berajza, S.I., *De gratia Christi* (Cursus theologicus Oniensis, Bilbao 1916) n.1005s. In hac nostra explicatione consideratio illa latet, sc. merita iusti esse *dona* Dei. De hac doctrina apud S.Thomam plura habet P.DE Letter, S.I., *De ratione meriti secundum Sanctum Thornam* (Analecta Gregonana, 19, Romae 1939) passim.

12 Cf. Muncunill, n.895-903. Dc sententia tamen S.Bonaventurae, cf. Editores Quaracchi, *In 3* d.18 a.l q.l schol.

“ Sta. Theresia a Iesu, *Vida* c.29 (Biblioteca Misticaf Canmelitana, 1. Obras de Santa Teresa de Jesûs... 1,231). S.Alphoxsus Rodrîguez, *Autob.ografia,* o sca, *Memorial o Cuentas de la concienda* (Julio 1608). (Ed. por V.Segarra, S.I., [Barcelona 1956] 112). Cf. ibid., 88. Cf. quoque de S.Francisco Xaverio: *Monumenta Xavcriana...* (Matriti 1912) 2,708.950.

14 Cf. Muncvnill, n.887-894.

18 Cf. S.Th., 3 q.46 a.J; q.48 a.l ad 2; Suarez, d.4 s.4 n.44-46. Dc Hebr 2,10 et 5,9, cf. Ceuppexs, *Theologia biblica* 3,182; Spicq, *L'épître aux Hébreux* 2,39s.118.

eum ipsam formalem beatitudinem seu *gloriam essentialem* mereri *potuisse.*

Quoad *corporis gloriam et nominis exaltationem,* optime argumentatur S.Thomas (l.c.) circa *convenientiam* huiusmodi facti, quod ad catholicam doctrinam pertinet. Christo attribui debet quod dignius est et possibile secundum communem providentiam ; nobilius autem habetur id quod habetur per meritum, quam id quod habetur sine merito ; ergo cum possibile fuerit Christo id mereri, dicendum est Christum haec sibi meruisse

622. Scholion 4. *Utrum Christus angelis meruerit.* Si pauci aliqui theologi excipiantur, ut Salmanticenses (d.28 dub.10 n.148), qui longe probabilius censent Christum nihil immediate influxisse in angelis per modum causae meritoriae, sed solum physice illuminando aut instrumentaliter operando, communiter admittitur Christum angelis *praemium accidentale* meruisse. Praecipua tamen difficultas versatur circa habitualem gratiam, qua angeli sanctificati sunt, et circa essentialem gloriam qua beantur.

Generatim " quaestio haec solvitur dependenter a sententia quam quis habeat de motivo incarnationis (ef. supra, th.l). Nobis dicendum videtur Christum angelis *non meruisse* habitualem gratiam et essentialem gloriam. Nam quod Christus haec angelis meruerit est aliquid quod non fundatur in naturis rerum sed ex libera Dei dispositione pendet. lam vero, quod Deus ita disposuerit non solum non manifestatur nobis per doctrinam sacrae Scripturae et Patrum, sed potius contrarium significatur, cum dicatur Verbum fuisse incarnatum *propter nos homines;* ergo incarnatio tanquam *singulare hominum beneficium* proponitur.

623. Scholion 5. *Utrum Christus Adamo ante lapsum meruerit.* Eadem fere est sententiarum diversitas ac in quaestione praecedenti. Nihilominus communior sententia iure negat protoparentum gratiam ante peccatum fuisse ex meritis Christi ; nam documenta revelationis quae docent Christum venisse *ad reparandum* peccatum Adami, excludere videntur eum venisse ad merendam Adamo primam eius elevationem ad statum gratiae supernaturalis ".

624. Scholion 6. *De genere causalitatis quo Christi merita apud homines ante ipsius adventum viventes influxerint.* De theologorum controversia an merita Christi quoad antiquos Patres influxerint in genere causae moraliter efficientis an solum in genere causae finalis, haec dicenda videntur. Quamvis forte plurimum sit lis de voce '°, existimamus merita Christi in antiquorum gratiam influxisse *moraliter efficienter,* quia illa merita praecedebant *in praescientia Dei,*

1β Cf. Muncunill, n.904-916. De sententiis primaevae Scholasticae circa meritum Christi pro se ipso et pro aliis, cf. Landgraf, *Dogmengescihchte..,* 2.» pars, 2,170-253.

,T *Non semper* huius quaestionis solutionem dependere a solutione quarestionis de motivo incarnationis ostendit Neumeyer, *De Christo Angelorum Capite...* De doctrina Sti.Thomae, cf. Benoist d'AÎzt, *Le Christ et ses anges...:* BullLittEccl (1943) 101-117.

18 Cf. Salmanticenses, d.16 dub.4; Muncunill, n.936-939; Galtier, n.468.

" Cf. v.c. quomodo adversariis respondeant Salmanticenses, qui influxura *solius causae finalis* defendunt, d.7 dub.4 n.133. SuXrez qui influxum *causae moralltcr efficientis* tenet, dicit: "meritum... influere suo modo potest, antequam rea-liter exsistat, si per cognitionem moveat praemiantem, in quo *similitudinem quandam habet cum causa finali'* (d.41 s.1 n.8).

qui redditurus erat tanquam praemium illa gratiae dona antiquis Patribus, licet *in re ipsa* praemium antecederet meritum.

625. Scholion 7. *Utrum Christus hominibus dona 'naturalia meruerit.* Licet generatim ad dona *supernaturalia* magis attendant auctores, communius tamen ipsa naturalia attribuunt Christi meritis. Salmanticenses v.c. tenent Christum nobis *omnes* effectus praedestinationis meruisse, inter quos recensentur: "ipsa etiam substantia qua constamus, et omnia entia naturalia ad hoc universum pertinentia" ".

Dicendum videtur omnia *etiam naturalia* quae *de facto* conducunt ad hoc ut opera bona supernaturalia facere possimus, ex meritis Christi esse, quatenus ex speciali intentione et ordinatione ad finem supernaturalcm obtinendum conferuntur: "sicut enim possumus haec bona promereri et impetrare in Christo et per Christum, ita etiam cum sine merito vel oratione nostra dantur, possunt propter meritum Christi dari" Hoc exigit quoque connexio quae inter haec dona naturalia et nostram cooperationem ad gratiam datur.

626. Scholion 8. *Utrum praedestinatio ad gloriam sit ex meritis Christi.* Huius doctrinae de praedestinatione notitiam ex tractatu de Deo uno supponimus.

Qui praedestinationem ad gloriam *post* praevisa merita tenent, integram hanc quaestionem aliter concipiunt. Cum enim praedestinatio ad gloriam non detur nisi *post* praevisa merita *iusti,* eatenus Christus dici potest ac debet causa meritoria praedestinationis ad gloriam quatenus ipse est causa meritoria *nostrorum bonorum operum* quibus gloriam meremur. Est ergo Christus nostrae praedestinationis ad gloriam causa meritoria *remote.*

Qui praedestinationem ad gloriam *ante* praevisa merita tenent, quaestionem solvendam habent, an sc. Christus non tantum omnes praedestinationis *effectus meruerit,* sed insuper Deum moverit (eo modo quo in tractatu de Deo uno explicatur Deum ab obiectis creatis moveri) ad *electionem,* qua homines eligit ad gloriam, quae electio, in sententia horum auctorum, *causa* est omnium *donorum* gratiae et gloriae quae praedestinato a Deo conferuntur. Duplex apud hos auctores sententia habetur.

627. A. Communius tenent hi auctores Christum hominibus *ipsam praedestinationem* meruisse, et quidem in quantum praedestinatio includit et *efficacem intentionem* conferendi gloriam aliquibus hominibus et *electionem comparativam* horum hominum prae aliis.

Pauci vero theologi, inter quos Suarez, distinguunt: illa singularis dilectio, qua Deus ante praevisa hominum merita praedestinatos eligit ad gloriam, *ut est electio horum prae illis, non* est ex meritis Christi sed ex libertate divinae voluntatis; at illa ipsa voluntas, qua Deus praeeligit praedestinatos, *ut est efficax eorum dilectio,* habuit fundamentum et rationem aliquam in meritis Christi praevisis. Consequenter dici debet Christus causa meritoria nostrae *praedestinationis,* quia tota praedestinatio electorum nascitur ex hac efficaci dilectione eorum.

Quoad rem tamen non magnum videtur inter hos auctores discrimen dari, quia omnes admittunt *ultimam et originariam causam* electionis praedestinatorum non esse merita Christi, sed *Patris benepla-*

x D.28 dub.8 n.92. Aliter Molina, *In 1* q.23 a.4 et 5 d.2 prima conci.
" Suarkz, d.41 s.4 n.31.

citum. Haec Patris voluntas movit et direxit Christum, ut ipse merita sua pro his praecise hominibus specialiter offerret[83].

Ratio generalis cur Christus dicatur nostram praedestinationem meruisse est, quia *dignitati Christi* capitis ac redemptoris id magis expedire videatur, nec ex parte *gratuitae* nostrae electionis a Deo incommodum sequatur, ut nuper insinuavimus. Praeterea, cum Christus *omnes* praedestinationis *effectus* meruerit, *ipsam praedestinationem* dicendus est meruisse.

628. B. Sunt tamen theologi, inter quos Scotus®, qui teneant Deum homines ad gloriam praedestinasse in signo rationis *antecedente* ad praevisionem lapsus Adami tamquam absolute futuri et ad merita Christi. Passio ergo Christi non fuit efficaciter meritoria nec quantum *ad efficacem electionem* ex parte Dei ad gratiam et gloriam electorum, nec quantum *ad absolutam collationem* gratiae et gloriae. Fuit tamen efficaciter meritoria passio Christi, quantum *ad collationem gratiae post lapsum*M.

629. Scholion 9. *Quoad praedestinationem ad gratiam efficacem.* In sententia eorum auctorum qui praedestinationem *ad gloriam ante praevisa merita* defendunt, ulterior haec quaestio de praedestinatione ad gratiam efficacem vix sensum habet, quia praedestinatio ad gloriam secum fert necessario praedestinationem ad gratiam efficacem.

Nihilominus etiam hi theologi hanc quaestionem solvere debent relate ad gratias efficaces concessas a Deo *his qui non sunt praedestinati.*

Hi vero theologi qui praedestinationem *ad gloriam post praevisa merita* tenent, ad quaesitum ex integro respondere debent, utrum sc. *efficax* dilectio, qua Deus Petrum v.c. ad gratiam fidei eligit non vero Caium, sit ex meritis Christi necne.

Respondendum est talem praedestinationem ad gratiam fidei esse quidem ex gratuito Patris beneplacito, simul tamen ex meritis Christi. Huic quaestioni applicanda sunt quae nuper n.627 exponebamus de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita.

Thesis 25. Iesus Christus sua sanctissima passione Patri offenso satisfecit, ei exhibendo quantum exigebat recompensatio totius peccati generis humani.

S.Th., 3 q.48 a.2; Galtier, th.31; Lercher,* n.168-178.

630. Nexus. Exposuimus cum S.Thoma quo sensu passio Christi nostram salutem causaverit per modum meriti. Intimius nunc ingreditur S.Doctor in naturam modi quo passio Christi nostram salutem effecerit. In ruina generis humani ante omnia *offensa erga Deum* habetur, cuius consequens est tum odium Dei erga peccatores tum captivitas hominis sub

83 Cf. SuârEz. d.41 s.4; Salmanticenses, d.28 dub.8 n.114-116; Gonet, d.24 a.3 n.62; Billuart, diss.22 a.2. Dices 1.·; Muncunill, 931. De Male* branche, qui mysterium praedestinationis humanae ex *sola humana* Christi voluntate illustrare frustra tentavit, cf. D'Ai.ES, 386.

23 *In 3* d.19 q.unica, ad "In ista quaestione".

34 Cf. F.LychETUM, *Comptentaria* in h.l. (Virés, 14,717).

peccato et poena. Salus itaque efficietnda erat imprimis pro offensa *satisfaciendo;* consequenter *Deum placando,* id quod passio per modum *sacrificii* effecit, et *hominem liberando,* quod passio per modum *redemptionis* praestitit.

Praesens thesis de efficientia passionis per modum *satisfactionis* agit. Quod, vero S.Thomas uno articulo absolvit, nempe factum satisfactionis et superabundantiam talis satisfactionis, nos per duas theses tractamus.

631. Notiones. Satisfactio. Usus *non soterioloqicus. a)* Impletio alicuius desiderii, exspectationis, etc., *absque connotatione ullius debiti solvendi* neque materialis neque moralis; v.c. Pilatus autem *volens populo satisfacere* (Mc 15,15); b) *solutio debiti materialis,* v.c. "dummodo fisco competentia rationabili satisfactione solvantur"[1]; c) *in relatione cum debito morali* seu culpa: et quidem, si culpa sit *tantum apparens* vel existimata, satisfactio significat defensionem seu probationem innocentiae, v.c. *bono animo pro me satisfaciam* (Act 24,10); si vero culpa sit *vera,* satisfactio significat compensationem vel expiationem, quae *ab eo* imprimis praestatur *qui culpam commisit,* v.c. "et intermissis precibus et orationibus quibus Dominus longa et continua satisfactione placandus est"[2]; sed *etiam ab aliis* potest haec compensatio praestari, qui tamen sensus rarissime apparet in primis saeculis, v.c. "concedas, ne scelera nostra magis praevaleant, quam satisfactio pro nobis copiosa iustorum"[3].

632. Usus *soteriologicus. Satisfactio* dupliciter sumi potest: sensu dogmatico (generaliori), sensu theologico (strictiori). Sensu *dogmatico* est opus Christi quod apud Deum offensum valet pro *peccati* compensatione. Sensu *theologico* est opus Christi quod apud Deum valet maxime pro *honoris laesi* compensatione. Cur dixerimus Christi opus valere *maxime* pro compensatione divini honoris, apparebit ex his quae exponemus infra th.27, praecipue n.669. Sensus theologicus satisfactionis non est nisi *explicitatio* notionis "peccati"/!ure enim S.Anselmus ac posteriores theologi considerant peccatum esse offensam praecise *personalem,* et attendunt consequenter in peccato maxime ad laesionem *honoris*Offensa est *personalis* etiam ex consideratione aliorum attributorum Dei (infra, n.676.691), praecipue ex consideratione *amoris* divini : traditio tamen theologorum communius ad honorem Dei attendit./

Satisfactionem sumimus in hac thesi *sensu dogmatico;* in

1 Cassiodorus, *Variarum* 12,8,2: MGh Auct. Ant. 12,366,20; ML 69,861.
2 S.Cyprianus, *Epist.* 43,2: CSEL 3,2,592; ML (cp.40) 4,334. De hoc sensu, qui ad tractatum de paenitentia maxime interest, cf. SThS vol.43 tr.4 n;168-187.
3 *Sacramcntariutn Lconianum* April, n.35: C.L.FEltoE, *Sacramentarium Leonianum* (Cambridge 1896); ML 55,33. Flura de his, apud A.DenEFFE, S.I., *Das Wort satisfactio:* ZkathTh 43 (1919) 158-175. Cf. P.Galtier, *Satisfaction* (quoad *pacnitcntiamï*: DTC 14,1129-1190.
< Cf. Rivière: DTC 13,1942-1951; D'Ales, 319-326.

sequentibus thesibus 26 et 27 ad sensum theologicum attendemus atque intimiorem naturam dolorosae Christi satisfactionis investigabimus, maxime th.27. Sensu itaque dogmatico satisfactio non respicit explicite compensationem *honoris.* Thesis haec nostra merum factum generale enuntiat, Christum nempe aliquod opus Patri offenso praestitisse, quod nostrum peccatum compensaverit. Relationem inter varios conceptus affines meriti, satisfactionis, sacrificii, redemptionis exponemus infra, th.29 schol.1 n.743.

633. Patri offenso. Huiusmodi offensio ex parte Dei non attenditur praecise *ut inhonoratio,* quod pertinet ad sensum *theologicum* vocis satisfactionis; sed Dei offensionem consideramus generalius tanquam aversionem seu indignationem in Deo exsistentem, a quacumque demum causa talis aversio proveniat.

Peccatum generis humani. Non specificamus in hac thesi quale sit hoc peccatum, utrum solum originale an etiam actuale. In th.1 n.15 exposuimus cum S.Thoma Christum incarnatum fuisse ad tollendum et originale et actuale peccatum. Huiusmodi peccatum generis humani proponitur tanquam ratio divinae offensionis.

Quantum exigebat. Assertive hoc dicimus, id est, sensu inclusive et non exclusive. In sequenti thesi agemus de mensura compensationis et dicemus fuisse *maiorem* quam quod peccatum exigebat.

Recompensatio. De intima natura huius recompensationis, sc. per redintegrationem *honoris* divini laesi simul cum *poenali* expiatione, agemus in thesibus 26 et 27.

634. Adversarii. Inter eos qui thesim *directe* negant, recensetur imprimis Abaelardus. Hic potius, ut videtur, dialectice, docuit redemptionem esse summam in nobis per passionem Christi dilectionem, ac memorat quomodo Christus nos "tam verbo quam exemplo" instituerit[5]. Inde est quod a pluribus habeatur tanquam primus qui redemptionem intellexerit non obiectivam sed *mere subiedivam* ®.6

6 *Comment. in epist. ad Rom.* 1.2: ML 178,836. Cf. J.G.SikES, *Peter Abailard* (Cambridge 1932); C.Ottaviano, *Pietro Abclardo. La vita, le opère, il pcnsicro* (Roma 1.931). De fundamentali positione theologica Abaclardi, cf. J.Cottiaux, *La conception de la théologie chez Abelard:* RevHistEccl 28 (1932) 247-295.533-551.788-828. Severius quam hi auctores indicat doctrinam redemptionis apud Abaelardum Rivière: DTC 13,1944ss; idem fusius hoc explicat in suo opere *Le dogme de la Rédemption au début du moyen âge* (Paris 1934) 103-129 (quae sub eodem titulo in forma articuli apparuerant apud RevScRel 12 [1932] 362-388).

e Cf. Rivière: DTC 13,1944s. De his qui indirecte thesi adversantur, cf. Rivière: DTC 13,1915-1917. De pelagianis non inter adversarios recensendis,

Sociniani satisfactionem Christi expresse negant, atque eius salutiferum opus reducunt ad hoc quod lesus Christus "salutis aeternae viam nobis annuntiant, confirmarit et in sua ipsius persona tum vitae exemplo tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit". Recens *protestantismes liberalis* multa profert de salute hominum per Christum, sed quatenus perfecta Christi sanctitas excitat in nobis peccati conscientiam ac simul peccati imperium in nobis destruit; Christi mors nihil aliud fuit nisi suprema revelatio humanae iniquitatis et divini amoris[7].

635. *Modernismtis* asserit lesum non docuisse dogma de morte piaculari ; tale dogma est evolutio graeca illius conceptionis iuxta quam Messias erat nuntius ac mediator immortalitatis ac felicitatis inde promanantis. S.Paulus et auctor quarti evangelii hanc evolutionem perfecerunt, quam S.Athanasius aliique Ecclesiae Doctores in systema quoddam perfectum erexerunt.

Hermes opinatur lesum ideo tantum passum et mortuum fuisse, ut hominibus Dei ineffabilis amor et simul peccati gravitas quasi ad oculos demonstraretur. Cum in Deo nulla fuisset offensa, eius iustitia nullam exigebat satisfactionem. Gunther saltem obscure loquitur[8].

Recentius I. de Montcheuil, sic peccati naturam exponebat, ut id diceret *non esse propriam Dei offensam,* cum Deus nimium sit excelsus, qui peccati coeno foedari posset. Satisfactio itaque, quam Ecclesia nos docet a Christo Patri oblatam, in eo consistit quod Salvator, tanquam humani generis primitiae, pati atque in cruce mori voluerit ad hoc ut nos introduceret in viam purificationis, per quam unusquisque nostrum ingredi debet, si cum Deo purissimo uniri exoptat[9].

cf. J.Rivière, *Hétérodoxie des Pélagicns en fait de rédemptionf:* RevHistEccl 41 (1946) 5-43 (Id., *Le dogme... théologie contemporaine* 97-132).

T F.Socinus. *De lesu Christo Servatore* c.1 (A.Wissowatius, Bibliotheca Fratrum Polonorum, Amsterdam 1656, 1). Cf. Rivière: DTC 13,1953s. Ulterior» de socinianismo, cf. apud L.Cristiani, *Socinianisme:* DTC 14,2326-2334. De protestantisme liberali, cf.RiviÈRE: DTC 13,1955-1957. De F.Schleienmacher, qui maximum influxum exercuit et redemptionem tanquam essentiam christianismi proposuit, cf. L.Cristiani, *Schlcicrmachcr:* DTC 14,1501-1508. In genere, de protestantismo, cf. Ogcioni, *o.c.,* 280-291; Richard, *o.c.,* 155-171.

8 Cf. J.Bessmer, S.I., *Philosophie und Théologie des Modcrnismus* (Freiburg i.Br. 1912) 33; ulteriora, 357-365. G.Hermes, *Christkatholische Dogmatik* (edit. Achterfeldt-Braun, 1836) 2,348ss. Cf. A.Thouvenin, *Hermes:* DTC 6,2299. Plura, KlEUTCEN, *Dic Théologie der Vorzeit* 3, n.390-396. De Gunther, cf. KlEutchn, *o.c.,* 3, n.400. Plura, *ibid.,* n.397-401. Generalius, cf. A.Erôss, *Die Lehrc von der Erlbsung im 19Jahrhundcrt* (Pontificia Universitas Gregoriana, Romae 1937).

0 Cf. I.de Montcheuil, *Leçons sur le Christ* (Paris 1949) c.9s. De doctrina huius operis ac de "antecedentibus" ideologicis et simul de eius refutatione, cf. J.Solano, S.I., */Ictualidadcs cristolôgico-sotcriolôgicas:* EstEccl 24 (1950) 43-69. De Montcheuil ac de caeteris auctoribus qui ultimis 25 annis similia docuerint, cf. Basilio de San Pablo, C.P., *Ircnisnvo cn Soteriologia...:*

Radicalius impugnat satisfactionem passionis Christi *christianismus positivus,* qui "vitam" Salvatoris unice extollit ac de Christi passione nihil scire vult, cum dolor et mors sint quid proprium christianismi "negativi". Caeterum conceptus ipse satisfactionis nullum sensum habere potest pro his qui, propriae stirpis physicam integritatem iactantes, peccatum originale, immo vero omne peccatum irrident[10.11]

636. Doctrina Ecclesiae ". *Concilium Tridentinum* causam meritoriam iustificationis assignat Dominum nostrum lesum Christum, qui "sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit" (D 799). In contextu sermo est praecise de remissione peccatorum, unde haec satisfactio Christi proponitur tanquam compensatio pro peccatis hominum.

Inde concilium de necessitate et effectibus satisfactionis sacramentalis agens, asserit opera poenalia valere apud Deum offensum ad peccati remissionem. Hac occasione comparat nostras satisfactiones cum satisfactione Christi, "qui pro peccatis nostris satisfecit" (D 904) Nostrae satisfactiones ex Christi satisfactione vim habent et "ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre" (D 904 ; cf. 923s). Inde est quod ex huiusmodi nostris satisfactionibus vis "meriti et satisfactionis Domini nostri lesu Christi" nullatenus obscuretur aut imminuatur (D 905).

Contra *socinianos,* Paulus IV (D 993). Contra *modernistas,* S.Pius X in decreto *"Lamentabili"* (D 2038).

637. Deo XIII in *Encycliea de lesu Christo Redemptore:* "unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecit de sanguine suo, tantoque redemptum pretio vindicavit sibi genus humanum... Cum delesset lesus chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci, continuo quievere caelestes irae... Dei reconciliata voluntas" (Cav 791 s) i2. Pius XI

XI Semama Espanola de Teologia (Madrid 1952) 455-503. Doctrinam Montcheuil aliter explicat E.Quarelio, S.D.B., *Peccato c castigo tiella teologia cattolica contemporanda* (Torino-Milano 1958). Attamen, in nostra explicatione confirmamur a A.Hacault, *La satisfaction du Christ Jésus à la lumière dc l'cn'cyclique "Humani generis":* StudMontRcg 3 (1960) 182-189. De aliis auctoribus recentioribus fit sermo ibid., 175-182.189-199. De fundamento illo, sc. peccatum non esse *propriam offensam Dei,* cf. SThS 23 tr.2 n.851. Pro tota quaest'one de peccato, cf. H.Rondet, S.I., *Notes sur la théologie du péché* (Paris 1957).

10 A.Rosenberg, *Der Mythus des 20.Jahrhundcrts3^ -*°* (München 1034) 78.71. Refutationem quoad nostram quaestionem vide apud *Studies sum Mythus des XX.Jahrhunderts Kirchlichcr Anseiger fiir die Ersdiosese Kôln,* Novemb. 1934. Amtliche Beilage, 92-94. De modernis obiectionibus contra redemptionem, cf. J.PAVroE, *The Atonement and the modern Mind* (Pontificia Universitas Gregoriana, Romae 1939).

11 De doctrina potius implicita *symbolorum fidei,* cf. Rivière: DTC 13,1916.

« ASS 33 (1900-1) 275.

in *Encyclica "Miserentissimus Redemptor"* plura habet, v.c.: "Deo iusto vindici satisfaciamus oportet "pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis" nostris... At nulla creata vis hominum sceleribus expiandis erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset... Quamquam vero copiosa Christi redemptio abunde nobis "omnia delicta donavit"... etiam laudibus et satisfactionibus, "quas Christus in nomine peccatorum Deo persolvit" nostras quoque laudes et satisfactiones adiicere possumus, immo etiam debemus" 12 /?.«?

Pius XTT in *Encycl. "Humani generis"* inter "novitates", quae iam "venenosos... fructus" pepererunt, enumerat: "... peccati originalis notio... pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae" 14 16 Ac in *Encycl. "Sempiternus Rex"* idem Pontifex scribit: "Nimirum Verbum carne sua vere est passum, in cruce sanguinem suum fudit Aeternoque Patri perquam effluens satisfactionis pretium pro nobis noxiis exsolvit: ex quo fit, ut salutis spes certa illis adfulgeat..."is. In *Encycl. "Haurietis aquas"*: "Divinae Redemptionis Mysterium primaria ac naturali ratione mysterium amoris est: hoc est iusti amoris Christi erga caelestem Patrem, cui sacrificium crucis, amanti oboedientique animo oblatum, uberrimam infinitamque satisfactionem defert ob culpas humani generis debitam" 10.

Iqanni$s XXIII in litaniis pretiosissimi sanguinis D.N.I.C. orationem approbat quae in Missali Romano die 1 iulii habetur: "Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac eius sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium ita venerari..." ".

Magisterium ordinarium clare hanc veritatem tanquam divinitus revelatam credendam proponit. Quod sollemniter definire intendebat *Concilium Vaticanum I:* "Si quis non confiteatur ipsum Deum Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; anathema sit". "Pariter damnamus doctrinam hae-

12 AAS 20 (1928) 169s. Cf. *ibid.,* 171.

14 AAS 42 (1950) 570. Cf. A.Hacault, *La satisfaction du Christ Jésus a la lumière dc l'encyclique "Humani generis"*. StudMontReg 3 (1960) 173-200; 4 (1961) 77-98. Hic auctor concludit peccatum esse sensu proprio offensam Dei, idque pertinere ad "doctrinam catholicam et infallibilem" Ecclesiae.

16 AAS 43 (1951) 640.

M AAS 48 (1956) 321.

« AAS 52 (1960) 413; cf. ibid., 548.

reticam, si qui dixerint, non ipsum Deum Verbum per suam humanam naturam assumptam vere pro nobis satisfecisse Deo offenso..." 1S.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica* 1920

638. Probatur ex sacra Scriptura. *V.T.* Is 52,13-53, 12 ®°. Ante Isaiae prophetiam non solum idea *solidaritatis* populi electi erat israelitis familiaris, sed etiam eis notum erat multum valere apud Deum *viri iusti intercessionem pro indignis* 21.

Agi apud Isaiam de servo Domini qui sit lesus Christus constat tum ex doctrina N.T. tum ex interpretatione sanctorum Patrum hanc prophetiam sensu litterali ad lesum referentium tum ex ipso contextu 22.

Proponitur in hac prophetia maximus dolor moralis et

18 CI/ *7,566* c; 515 c. Plura, *ibid.,* 543a-544b; 561a b d. Doctrinam *cathechisin'i romani* vide 1,5,Ils.15.

a0 Circa diversam huius thrseos qualificationem apud rccentiorcs, cf. v.c. J.Rivière, *Sur la "satisfaction" du Christ:* BullLittEccl 35 (1934) 173s.

20 De carminibus Isaiae de servo Domini, cf. J.KnabEnbauER, S.I.-F.ZorEl1, S.I., *Commentarius in Isaiam Prophetam* (Cursus Scripturae Sacrae) 2s (Parisiis 1923) 361-363 ct in commentario ad has pericopas; J.S.van der Pl OEG, O.P., *Les chants du serviteur de Jahvé* (Paris 1036); J.Fischer, *Das Buck Isaias* (Bonnerbibel) 2.· pars (1.939) in h.l., ubi bibliographia invenitur fere completa; H.CazElt.ES. *Les Poèmes du Serviteur. Leur place, leur structure, leur théologie:* RcchScRel 43 (1955) 5-55; V.de Leeuw, *De Ebed-Jahweh-Profeticën. Historisch-kritisch ondersoek...* (Assen 1956); St.Porùbcan, S.I., *Il Patto nuovo in Is.* 40-66 (Analecta biblica, 8. Roma 1958), maxime 180-198. In genere, de "servo lahveh", cf. G.Kittel-G.Friedrich, *Theologisches Wôrtcrbuch ε.N.T.* 5 (1954) 653-713. Praecedentia opera ac variantes lectiones, quae in manuscripto nuper ad Mare mortuum invento leguntur, scite adhibet ut horum carminum latinam versionem quam exactissimam proponat II.Kruse, S.I., *Carmina Servi Jahvc:* VerDom 29 (1951) 193-205.286-2.95.334-340. Pro Is 53,9, cf. praeterea J.M.GonzAlEz Rtnz, *Una profecta de Isaias sobre la sepultura de Cristo:* EstBibl 6 (1947) 225-232. J.-J.BrierrE-NarbonE, *Le Messie souffrant dans la littérature rabbinique* (Paris 1940). A.Feuillet, P.S.S., *Richesses du Christ "Serviteur de ΓEternel"*: RcchScRel 35 (1948) 412-441. J.Coppens, *Les origines littéraires des Poèmes du Serviteur de Jahvé:* Bibl 40 (1959) 248-258; J.Guiï.i.et, S.I., *La polémique contre les idoles et le Serviteur de Jahvé: ibid..* 428-434; L.KrinEtzki, O.S.B., *Dor Einfluss von Is 52,13-53,12 Par auf Phil 2,6-11:* ThQschr 139 (1959) 157-193.291-336; A.Brunot, S.C.J., *Le poème du Serviteur et ses problèmes:* RevThom 61 (1961) 5-24.

21 Cf. A.Médebielle, *Expiation:* DBS 3,112. Cf. maxime *ibid.,* 81-90. Heinisch, *Théologie...* 316. De ipsa *substitutione,* cf. S.H.Hoocke, *The Theory and Prachque of Substitution:* VetTcst 2 (1952) (de quo articulo, cf. VerDom 32 [1.954] 167). J.Sciiarbert. *Solidaritat in Segen und Fluch im Alien Testament und seiner Umwelt* (Bonn 1958); Id., *Die Fiirbitte in der Théologie des Alten Testamcntcs:* ThGl 50 (I960) 321-338; J.de Fraine, S.I., *Adam ct son lignage. Études sur la notion de "personnalité corporative" dans la Bible* (Bruges 1959).

22 In *N.T.* v.c. Mc 15,28; Le 22,37; Act 8,30-35; 1 Petr 2,22.24. De *sanctis Patribus,* cf. A.CondamiK, S.I., *Le livre d'Isaïe* (Paris 1905) 326-330. Plura numero testimonia sanctorum Patrum, apud H.KilbErt, *Analysis bFblica** (Paris 1856) 1,383-385. De *ipso contextu* vide Ceuppens, *De prophetiis messianicis...* 318-339. M£debiell£: DBS 3,92-97. Brevius, Heinisch, *o.c.,* 317-31.9; Galtier, n.455. Quomodo ipsi iudaei cultiores hunc textum interpretati fuerint de Messia, qui pateretur et moreretur ad peccata Israel expianda atque ita in gloriam ingrederetur, diligentissime ostendit H.HecErmann, *Jcsaja 53 in Hexapla, Targwmi und Peschitta* (Gütersloh 1954). Cf. tamen, E.Fascher, *Jesaja 53 in christlicher und jiidischcr Sieht* (Berlin, s.a.) (de quo, J.JerEmias apud Theologischc Uteraturzeitung 85 [I960] Ills).

physicus ac ipsa mors Messiae (52,14; 53,2-12) tanquam passio non pro peccatis propriis, cum ille innocens sit (53,9), sed pro aliorum peccatis (53,4-6.8.12). Huius passionis auctor Deus ipse dicitur (53,4.6 et fortasse 10) ; fructus vero est hominum salus (53,5.11)

Exponit, itaque, Isaias Messiam passione ct morte sua vice peccatorum Deo offenso aliquid praestitisse quod pro hominum peccato compensando valuit. Atqui hic est conceptus dogmaticus satisfactionis. Ergo Christus sua sanctissima passione Deo satisfecit.

639. *N.T.* Praescindentes ab ideis redemptionis et sacrificii, quae abunde thesim nostram *quoad rem* probant, sed de quibus agemus in propriis thesibus, maximi momenti sunt sequentes loci e S.Paulo: 1) Rom 5,10s. 2) Rom 3,21-26[24]

1) Rom 5,10s: *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem: sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum lesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus*[25][28] Per mortem Christi essentialis mutatio inducta est quoad relationes inter Deum et homines: hi erant "inimici", h.e. obiectum aversionis ex parte Dei, ideoque sub "ira" Dei iacebant (cf. Eph 2,3 ; 5,6 ; Coi 3,6) ; sanguis Christi induxit pacem, et homines salvi erunt ab ira per Christum (cf. Rom 5,9). Latet sub hac conceptione tanquam idea fundamentalis peccatum esse id quod Deum iuste fecerat aversum ab homine eumque sub ira Dei constituerat: mors autem Christi opus fuit quod reconciliationem peregit, destruendo causam illius inimicitiae, sc. peccatum. Sic mors Christi est id quod apud Deum offensum valet pro peccati compensatione, aliis verbis, est satisfactio sensu dogmatico. Cf. quoque 2 Cor 5,18-21.

640. 2) Rom 3,21-26 : *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est... Omnes enim peccaverunt, et egent gloria*

23 Ulteriora circa satisfactionem expiatoriam Messiae in V.T., cf. apud Médebielle: DBS 3,100-112; J.Rivière, *Expiation ct Rédemption dans l'ancien Testament:* BullLittEccl 47 (1946) 3-22 (praeter brevem introductionem, ad litteram apud *Le dogme...théologie contemporaine* 315-332).

34 Quamvis ἱλαστήριον in S.Paulo designaret quoque *sacrificium,* proponimus hic textum hunc tum propterea quod vox ipsa non necessario ideam sacrificalem sexum fert tum propter aspectum expiatorium qui nostra in hac thesi maximi interest.

28 Cf. Prat, *La Théologie...* 2,259-266; Lagrange, *Epître aux Romains* 104; BovEr, *Teologia de San Pablo3* 304-309; J.Dupont, O.S.B., *La réconciliation dans la théologie de Saint Paul* (Bruges-Paris 1953); M.Meinertz, *Théologie des neuen Testamentes* [Bonnerbibel] (Bonn 1950) 2,102-104; IIuby, in h.l. Aliter tamen S.Lyonnet, S.I., in his quae addit in editione commentarii F.Huby (Verbum Salutis, 10. Paris 1957) 588.

*Dei. lustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo lesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore: ut sii ipse iustus, et iustificans eum, qui est ex fide lesu Christi*2a. Postquam duobus prioribus capitibus ostenderat S.Paulus et iudaeos et paganos sub imperio peccati iacere incapaces perveniendi ad salutem, thesim centralem suae soteriologiae proponit: mira peccatoris transformatio per gratuitum donum iustitiae est fructus expiationis (ἱλαστήριον, h.e. monumentum vel instrumentum expiationis) quam lesus obtulit Deo. Deum concipi a S.Paulo tanquam *offensum* patet ex eo quod haec Christi *expiatio* ad Deum hominibus *reconciliandum tendit* 27.

1 To 2,2: *et ipse est propitiatio* (ἱλασμὸ) *pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* 1 Io 4,10: *ct misit Filium suum propitiationem* (Ιλασμόν) *pro peccatis nostris*08.

641. Probatur ex traditione. *Sancti Patres.* Unus S.Ambkosius satisfactionis rem *et vocem* habet20. Sed rem ipsam plures diversimode enuntiant. Dicunt enim : 1) Per mortem secundi Adam reconciliati sumus cum Deo offenso. S.Irenaeus: “[Deum] in primo quidem Adam offendimus... in secundo autem Adam reconciliati sumus, oboedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cuius et praeceptum transgressi fueramus ab initio” (R 255).28

» Cf. Prat, *o.c.,* 1,242-247.504-507; 2,219s; Lacrance, *o.c.,* 72-78; MioXbielle: DBS 3,162-174; BovEr, *Las epistolas de San Pablo* in h.l.; Id.. *Teoloffia de San Pablo9* 109-133.329-332. Cf. R.G.Bandas. *The Redeeming Work of Christ according to St.Paul:* Divin 2 (1958) 560-575; S.Schmidt, S.I., *S.Pauli “iuxtitia Dei" notione iustitiae, quae in V.T. ct apud S.Paulum habetur, dilucidato·:* VerDom 37 (1959) 103-105; J.E.SteinmuEllEr, *Sacrificial Blood in the Bible:* Bibl 40 (1959) 556-567. Aliter ac praecedentes S.Lyonnet, *La Sotériologic pavlienne,* apud A.Robert-A. Feuillet, *Introduction a la Bible,* 2 (Tournai 1959) 852-858; Id., *Justification, jugement, rédemption, principalement dans l'cpitre aux Roma.ns,* apud *Recherches bibliques, V, Littérature et théologie paulinicnncs* (sJ. I960) 166-184.

21 Hoc verum remanet in utraque communiori catholicorum explicatione termini δικαιοσύνη Θεοῦ. Cf. MÎdebieli.E: DBS 3,173s. Vix tamen in explicatione a LyonnET proposita qui Ιλαστήριον interpretatur tanquam “propitiatorium” Veteris Foederis: cf. *De vocabulary "expiationis" in N.T.:* VerDom 38 (1960) 241-261; Id., *De munere sacrificali sanguinis:* VerDom 39 (1961) 18-38.

28 Cf. A.Rivera, C.M.F., *Cristologia Yoanea extracvangélica. La rcdcnciôn en las epistolas y en el Apocalipsis de S.Juan* (Pontificia Universitas Gregoriana, Roma 1930) 22-24; MeinErTz, *Théologie...* 2.287-290; H.CROd/EL, *Le Dogme de la Rédemption dans Mpocalypse:* BullLittEccl (1957) 65-92; J.Lachowski, *The Concept of Redemption according to the gospel of St.John* (Roma 1958).

» *In ps. 37,* 53: ML 14,1036. Plura Galtier, n.480.

2) Pater posuit peccata nostra in Christo, ut huius morte sanaremur. S.Iustinus: “Omne humanum genus maledictioni obnoxium reperietur... igitur si pro hominibus ex omni genere suum etiam Christum Parens universorum maledictiones omnium in se suscipere voluit... Si voluit Pater haec eum pati, ut eius livore genus humanum sanaretur...” (R 140). S.Cyprianus: “Veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris” (R 552).

642. 3) Christus innocens peccata nostra tulit et passione sua delevit. Origenes: “Pro populo autem oritur hic homo omnibus animantibus purior, qui peccata nostra tulit et infirmitates, utpote potens universum totius mundi peccatum in se receptum solvere et consumere et delere, quoniam peccatum non fecit neque inventus est in ore eius dolus, neque agnovit peccatum” (R 482). S.Cyprianus: R 565. Aphraates: “Salvator noster, rex magnus, mundum rebellem in gratiam cum Patre suo reduxit, cum peccatores essemus, peccatum omnium nostrum ipse portavit” (R 691). S.Cyrillus Hieros.: “Assumpsit Christus peccata in corpore super lignum, ut nos per mortem eius peccatis mortui iustitiae viveremus” (R 831).

4) Factus est maledictum, ut nos liberaret de maledicto. S.Hieronymus: “et attritus est sive infirmatus propter scelera nostra, ut factus pro nobis maledictum nos liberaret de maledicto” (R 1401)[80].

Liturgiae. Post S.Ambrosium prima vice occurrit *vox* satisfactio *de opere Christi* in *liturgia mozarabica*[31]. *Notio* vero frequentissima est in *liturgiis,* quae ideas sacrae Scripturae repetunt ac evolvunt.

Theologorum doctrina maxime elucet ex dicendis thesi sequenti, ubi apparet *quoad factum* satisfactionis omnes theologos convenire, licet quoad huius satisfactionis *mensuram* dissentiant.

643. Ratio theologica. *Patrem* fuisse erga homines *iuste offensum,* solum dogma de peccato originali iam clare ostenderet. Ex alia parte *Christus sua passione vere Patri satisfecit.* Nam “ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offeaiso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offen-*

80 De expiatione poenali apud Patres, cf. RivifcRU: DTC 13,1941, ubi haec idea vocatur “quasi locus communis in tota antiquitate Christiana". Plura de hac re, infra th.27.

31 J.RiviiRE, *Sur les premières applications du terme "satisfactio" à l'oeuvre du Christ:* BullLittEccl (1924) 361-365. Hanc liturgiam vulgato nomine “mozarnbicam” appellamus; cf. tamen L.Broü, O.S.B., *Lituigie "Mozarabe" ou liturgie "Hispanique"?:* EphLitur 63 (194.9) 66-70.

sam" 323 Cur autem praecise *passio* Christi hunc valorem satisfactorium habuerit, supra th.24 n.604 insinuatum est. Caeterum, passio Christi non solum *objective* nos liberavit sed etiam *subiectivae* redemptioni multipliciter inservit. Cf. S.Th., 3 q.46 a.3 c (cf. quoque infra, n.688).

644. Obiectiones. 1. Inter eum qui satisfacit et eum cui satisfit, alteritas intercedat oportet. Atqui Christus satisfaciens et Deus cui satisfit est unus idemque. Ergo Christus Deo satisfacere non potuit.

Dist. mai. Talis alteritas quae supponat duas personas ubi, uti semper extra hunc casum accidit, una persona subsistit in una natura, *trans, mai.;* ubi una persona subsistit in duabus naturis, *nego mai.* Cf. supra, th.24 obi.1 n.615s.

2. Iniustum est innocenti poenas imponere. Atqui Christus innocens poenas subiit. Ergo iniustitia videtur in catholica doctrina approbari.

Dist. mai. Iniustum est innocenti imponere poenas proprie dictas, *conc. mai.* (cf. S.Th., 1.2 q.87 a.7 c; a.8 c) ; poenas improprie dictas, sc. satisfactionem dolorosam, *subdist.:* si innocens non sponte se offerat vicarium pro reis, *conc. mai.;* si sponte se offert, *iterum subdist.:* illicitum hoc esset iudici non habenti dominium directum in vitam innocentis, qualis est index humanus, *conc. mai.;* iudici habenti tale dominium, sc. Deo, *nego mai. Contradist. min.* Christus proprie punitus est, *nego min.;* dolorose satisfecit, *subdist.:* postquam se libere et licite vicarium pro reis obtulit Deo habenti dominium directum in vitam humanam, *conc. min.;* aliter, *nego min.*

645. 3. S.Augustinus scribit: "cur autem illa omnia in carne ex utero feminae assumpta pati [Christus] voluerit, summa consilii penes illum est" ". Atqui hoc indicat tempore S.Augustini adhuc ignoratum fuisse passionem Christi esse *satisfactoriam.* Ergo idea de *satisfactione* Christi per passionem sero introducta est in Ecclesia.

Admitto textum et explico. S.Augustinus agit in hoc capite de quaestione speculativa cur Christus voluerit pati *in carne assumpta ex femina,* et non in carne formata ex terra, sicut fuit caro Adami, vel in carne creata ex nihilo vel in carne alio modo formata. Hoc posito, *dist. mai.* S.Augustinus dicit se ignorare causam cur Christus passus fuerit, *nego mai.;* causam cur passus fuerit praecise in carne assumpta *ex femina, conc. mai. Contradist. min.*

646. Scholion 1. *Satisfactio zncaria. Terminus* "vicaria" non videtur unitus *voci* "satisfactioni" nisi initio saeculi decimi noni ", licet iam in *liturgia mocarabica* fuerit applicatus *operi* satisfactorio Christi Saepe recurrit terminus "satisfactio vicaria" in *actis Concilii Vaticani ". Res* tamen est tam antiqua in Ecclesiae traditione ut ipsa Christi satisfactio; opus enim Christi plene innocentis proponitur tanquam compensatio peccati *generis humani,* sicut in thesi probavimus atque in sequentibus thesibus magis apparebit. Sufficiat

32 S.Th., 3 q.48 a.2 c.
Contra Faust. 26,7: CSEL 25,1,736; MX, 42,483.
34 Cf. DTC 13,1935. Ibidem a coi.1934 aliae difficultates ex sanctis Patribus afferuntur.
83 Cf. Deneffe, *Das Wort satisfactio:* ZkathTh 43 (1019) 174.
33 Cf. Rivière, Sur *les premières applications...,* BullLittEccl (1924) 3645.
3T Cf. DeneffE, *l.c.*

hic notasse notionem substitutionis, immo solidaritatis et quodammodo identitatis inter Christum et homines esse centralem in doctrina S.Pauli, qui etiam Christum Dominum dicit pro nobis factum fuisse *peccatum* (2 Cor 5,21 ; cf. supra, th.15 obi.1 n.354) et *maledictum* (Gal 3,13) “.

647. Scholion 2. *Patris offensi caritas in Christi satisfactione.* Duae veritates immediate e thesi fluunt. Patrem sc. fuisse offensum et aversum a genere humano, eundem tamen Patrem fuisse qui Filium suum ad hanc suam indignationem avertendam miserit. Hoc Patris infinitum amorem erga homines pandit, quem dilectus Discipulus mirabatur. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret... Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut indicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (Io 3,16s). lure S.Thomas scribit: “Et hoc [Deum sc. dare satisfactorem Filium suum] fuit abundantioris misericordiae, quam si peccata absque satisfactione dimisisset” (3 q.46 a.1 ad 3)

Thesis 26. Satisfactio, quam Christus passione sua pro peccatis generis humani Patri offenso obtulit, non solum fuit ab intrinseco condigna sed etiam superabundans.

S.Th., 3 q.1 a.2 ad 2; SuXrez, d.4 s.3.

648. Notiones. Satisfactio. Supposito iam sensu dogmatico, in hac thesi ad sensum *theologicam* huius termini (cf. th.25 n.632) attendimus. Est igitur satisfactio opus Christi quod apud Deum valet maxime (cf. supra, n.632) pro *honoris laesi compensatione.*

De facto hoc opus Christi fuit praesertim (cf. supra, th.24 n.604) dolorosa eius passio.

Intimiorem naturam dolorosae Christi passionis, h.e. *unde* huic dolorosae passioni vis fuerit ad Dei honorem laesum compensandum in thesi sequenti exponemus.

649. Satisfactio condigna est illa qua offensus tantum honorem censetur moraliter accipere, quantus ei per offensam ablatus est.

In hac thesi condignam satisfactionem intelligimus sufficientem *ab intrinseco quantitative,* uti supra, th.23 n.586s explicavimus.

88 Cf. Prat, *La Théologie...* 2,233-236 (ubi pericula exaggerationis in theoria substitutionis indicantur) 240-250; Dover, *Teologta* 310-332; MédEbiellE: DBS 3,175-185 (rem paulo diverse concipit ac praecedentes). Magis theologice, E.Hocedez, S.I., *Notre solidarité en J.C. et en Adam:* Greg 13 (1932) 373-403. Plura sub expresso conceptu satisfactionis *vicariae* collegit D'AxES, th.21,303-341.

De Deo Patre Filium mittente, *iuxta doctrinam S.Ioannis, cf.* B.BardESSOno, S.M., *L'antitesi di "peccato" c di "redemione" e la sintesi della "salvessa"' in San Giovanni:* DivThom (Pi) 15 (1938) 3-5; *iuxta doctrinam S.Pauli,* cf. FraT, *o.c.,* 2.91-97.191-198. De amore Dei tanquam conceptu centrali Soteriologiae, cf. Basilio de San Pablo, C.P., *Si nuestros textos de soteriologta responden a las neccsidades de la tcologia:* XII Scmana Espanola de Teologia (Madrid 1954) 475-510; Richard, *o.c.,* 265-270.

Neque tamen affirmamus Christi satisfactionem fuisse *efficacem* independenter ab acceptatione Dei. Fuit enim *vicaria* satisfactio, quae igitur non datur nisi offensus admiltat sibi satisfieri per huiusmodi substitutionem.

SüPERABUNpANS est illa satisfactio quae offensam excedit, seu *maior* Dei honoratio censetur quam fuerit Dei inhonoratio a peccato causata. Excedit itaque compensationem pro omnibus etiam gravissimis peccatis debitam.

650. Adversarii. *Nominales* ac *plures scotistae* docebant *valorem* operum satisfactorium dependere *solummodo* ab acceptatione Dei.

In specie de satisfactione Christi asserunt non fuisse *ex se condignam* sed tantum ex acceptatione Dei quidam theologi ut Gabriel Biel et Durandus [1]

Insistunt hi auctores in eo quod actus Christi satisfactorii essent actus Christi *in quantum hominis* seu actus positi *ratione naturae humanae.*

651. Valor theologicus. Satisfactionem Christi esse *ab intrinseco* condignam et superabundantem est *doctrina moraliter certa ac inter theologos fere communis* [2].

652. Probatur ex sacra Scriptura. Cum textus qui satisfactionis *condignitaiem,* maxime probarent (sc. 1 Cor 6,20 ; 7,23), infra, th.29 n.733, exponendi sint, sufficiat nunc *superabundantiam* satisfactionis exponere.

Rom 5,15-21 : *Sed non sicut delictum ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis lesu Christi in plures abundavit... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi...*

Exposuerat Apostolus hoc capite quinto vv.1-11 Christum morte sua nos cum Deo reconciliasse (cf. supra, th.25 n.639). Quaesiturus autem causam cur per unum hominem mediatorem ista reconciliatio fiat, factum historicum commemorat,

1 De nominalibus et scotistis, cf. Editores operum Sti. Bonaventurae (Quaracchi), *In 3* d.20 q.5 schol. Ibidem indicatur quomodo Scotus ipse hanc sententiam non tenuerit; id fusius probat Minges, 2, n.588-594; cf. quoque Dett-i.off, W.» O.F.M., *Die Lehre von der Acceptatio divina bei Johannes Duns Scotus...* CWerl-Westf. 1954). Biel, *In 3* d.19 q.unica. Durandus, *In 3* d.20 q.2. Caeterum conceptionem hanc de condignitate *ab extrircscco* intime connecti cum scotistica doctrina de *suppositalitatc,* facile patet ex analyst principii: "actiones sunt suppositarum": cf. Van de VVoESTYNE, *Cursus philosophicus...* 2', *Ontolog:a* 250.

2 SuArez (d.4 3.3 n.11) scribebat: "existimo ita certam [hanc nostram sententiam], ut contraria nec probabilis nec pia nec fidei satis consentanea videatur"

quod etiam *unus homo causa* inimicitiae inter Deum et homines fuerit.

Hac occasione, comparationem instituit S.Paulus inter fontem ex quo mala profluxerunt (τδ παράπτωμα) cum bonorum fonte (τδ χάρισμα) *in se ipsis,* i.e. secundum suam naturam et efficacitatem (v.15), ut deinde ostendat potentioris causae potentiores quoque provenire *effectus.*

Multo ergo *magis* valet ad salvandum, iuxta Apostolum, opus iustitiae (v.18), obedientia (v.19) Christi, quam peccatum Adami valuit ad perdendum 3.

653. Sermonem esse in hoc textu de *satisfactione* Christi, aperte deducitur ex his, quae th.25 n.639s attulimus.

Satisfactionem hanc esse *superdbundantem* non solum relate ad *originale* peccatum sed etiam relate ad omnia *actualia* peccata, dicitur a S.Paulo v.16: *Et non sicut per unum peccatum ita et donum; nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.*

Opus Christi intelligi tanquam *satisfactorium sensu theologico* (strictiori) (cf. supra, n.648) S.Paulus quidem non dicit, sed est posterioris laboris theologici legitimus fru '.tus.

Superabundantiam huius satisfactionis esse *ab intrinseco* satis indicatur, eo quod compensatio offensae tribuitur Christi *operi,* sc. obedientiae, omnino *sicuti* ruina nostra et Dei offensio tribuitur Adami inobedientiae (v.19), neque verbum insinuat S.Paulus de superabundantia satisfactionis *ex acceptatione Dei.* Ergo dicendum est opus Christi *in se ipso* versari ob oculos Sti.Pauli tanquam superabundantem peccati compensationem.

654. Superabundantiam satisfactionis Christi probat quoque fiducia qua in sacra Scriptura omnium peccatorum remissio sanguini Christi attribuitur (cf. v.c. Tit 2,14; 1 Io 1,7 : 2,Is), quin nec umbra timoris appareat quod tot ac tanta esse possint peccata, ut vim satisfactoriam operis Christi *exhauriant.* Ergo Christi satisfactio non solum est pro omnibus peccatis sufficiens, sed etiam superabundans.

655. Probatur ex traditione. Cum *condignitas* et *superabundantia* satisfactionis Christi ex pluribus textibus sanctorum Patrum probetur, quibus vel ipsam satisfactionem (cf. supra, th.25 n.641s) vel sacrificium et redemptionem Christi (cf. infra, th.28 n.712s; th.29 n.736-741) extollunt, neque hoc ab adversariis negetur, sufficiat rationem insinuare cur

8 Cf. CornEly, in h.l. (Cursus Sacrae Scripturae); Prat, *La Théologie* .. 1,259-263; BovEr, *Teologia3...* 665.673-683.

hi textus de condignitate et superabundantia *ab intrinseco* intelligendi sint.

His textibus sancti Patres reconciliationem hominum cum Deo *ipsi Christo* tribuunt; immo etiam, Christi opus dicunt esse *pretium* (infra, th.29 n.737s), quod per se intelligitur aequalem *in se* valorem habens cum re emenda; vel sacrificii Christi necessitatem repetunt ex veterum sacrificiorum *insufficientia.* Ergo videntur Patres attendere ad valorem operis Christi *intrinsecum,* non ad aliquem valorem extrinsecum ex Dei acceptatione provenientem.

656. Ratio theologica. Consequenter ad ea quae supra, th.23 n.591-594 exposuimus, dicendum est Christi satisfactionem esse ab intrinseco quantitative non solum condignam sed etiam superabundantem.

Dignitas enim personalis est elementum unde *tan primario* satisfactionis valor mensuratur, ut si persona sit infinitae dignitatis, *ipsa· satisfactio* dicenda sit *incomparabiliter excedere* omnem offensam a creatura Deo illatam.

Id ex communi morali aestimatione discimus. Rex, iniuste a subditis inhonoratus, superabundantem satisfactionem recipere censeretur, si ad iniuriae compensationem alius rex aeque potens ac ille ei se tanquam subditum offerret.

Haec fuit stupenda Dei inventio, ut ad peccati compensationem *ipse Deus* fieret *subtectus* (cf. supra, th.16 n.390) ad Deum honorandum; Deus quidem Deo subditur sufficienti illa alteritate quam supra, th.25 obi.1 n.644 explicavimus.

657. Inde iam patet *quemlibet* actum Christi sufficientissimum fuisse ad divinum *honorem* reparandum, prout catholici theologi tenent [4].

Accrescit nihilominus valor satisfactionis Christi *ex parte termini ad quem* Deum honoravit, *perfectissime* Deum obediendo et amando, et simul *ex parte actionis ipsius* satisfaciendi, quae ex purissima caritate procedebat, per totam vitam duravit ac usque ad mortem ipsam obeundam Christum impulit (cf. S.Th., 3 q.48 a.2 c).

658. Obiectio. Per satisfactionem Christi non liberamur *ab omnibus poenis peccati, ut v.c. a morte.* Atqui si satisfactio Christi fuisset condigna et superabundans ab his poenis liberari deberemus. Ergo satisfactio Christi condigna et superabundans non fuit.

Dist. mai. Per satisfactionem Christi non liberamur ab omnibus poenis peccati, si Christi satisfactionem nobis *applicare* nolumus, *conc. mai.;* si eam nobis applicamus, *subdist.:* non liberamur ab his miseriis prout sunt *poenalitates, conc.;* prout sunt *poenae, iterum*

• Cf. DTC 13,1980.

subdist.: quae sunt poenae *originalis peccati, nego;* quae sunt poenae *peccatorum personalium, adhuc subdist.:* prout sunt *poenae aeternae, nego;* prout sunt *poenae temporales* et quidem solum *quoad partem, conc. mai. Dist. pariter min.*

Quamvis ulterior horum explicatio ad alios tractatus spectet, summa rei indicanda est.

Fundamentale principium est Christi satisfactionem fuisse *vicariam;* ideo Pater potuit eam non quoad totam eius intrinsecam efficacitatem acceptare. Quod si Pater hanc voluntatem habuit, nec Christus passionem suam obtulit, ut ultra illam mensuram acceptaretur.

De facto constat Christi passionem quasi quandam *causam universalem* salutis esse, sicuti peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Effectus peccati primi parentis pervenit ad unumquemque per carnis originem ; effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem, per quam homo Christo incorporatur.

Voluit vero sapientissimus Deus ut rationales creaturae causam illam universalem salutis libere sibi applicent; ideo oportet quod unusquisque quaerat regenerari per Christum et alia suscipere in quibus virtus mortis Christi operatur.

In Christo per baptismum regeneratis nullus reatus sive culpae sive *poenae* ex peccato originali remanet ; unde in eis concupiscentia et aliae sequelae peccati originalis ad agonem tantum relictae sunt (cf. D 792) et vocari solent *poenalitates,* non vero poenae.

Convenientiae ut poenalitates etiam in baptizatis remaneant, enumerantur a S.Thoma: prima, ut sit conformitas fidelium ad Christum, sicut membrorum ad caput; altera, ne homines ad Christum accedant magis propter haec corporalia beneficia quam propter spiritualia bona; tertia, ne meritum fidei minuatur, quia si accedentes ad Christum statim impassibiles et immortales redderentur, hoc quodammodo compelleret homines ad fidem Christi suscipiendam ; quarta denique, propter spirituale exercitium, ut contra passibilitates pugnans homo, victoriae coronam accipiat'.

Addendum est satisfactionem Christi efficere ut baptismus habeat *virtutem* auferendi poenalitates praesentis vitae; et eius virtute auferentur a iustis in resurrectione (cf. 3 q.69 a.3 c).

Etiam *ipsa poena temporalis* propter personalia peccata multo inferior nunc est quam esset condigna peccato, "coopérante satisfactione Christi" (3 q.49 a.3 ad 2).

Caeterum rationes cur *non universa poena temboralis* peccatis personalibus debita condonetur, affert ipsum Conc. Tridentinum (cf. D 904).

659. Scholion 1. *De universalitate satisfactionis Christi.* Quamvis ex textu S.Pauli supra allato (cf. n.653) iam constet satisfactionem Christi esse ex se compensativam *omnium* peccatorum, saltem indicare libet textus magisterii ecclesiastici, qui asserunt Christum *pro omnibus* mortuum esse.

Conc. Tridentinum: "Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur" (D 795). Cf. D 160a

a Cf. 4 CG 55, ad 2Ss; 3 q.69 a.3 c. Alias rationes addit Suârez, *De sacramentis, in 3* q.69 a.3; cf. *De Incarnatione* d.4 s.3 n.10. Quomodo inceperit apud scholasticos distinctio proponi inter *sufficientiam* et *applicationem* redemptionis Christi, cf. arpud LandgraF, *Dogmengeschichte... 2.* pars, 2,329-358.

160b 319 480 794. Ecclesia damnavit limitationes huius universalitatis sive a Iansenio (D 1096) sive a *iansenistis* (D 1294) sive a Quesnel (D 1382s) propositas.

Pulchra symbola huius universalitatis ex cruce et crucifixione Christi cum latronibus, affert S.Thomas: 3 q.46 a.4.11. Cf. quoque q.47 a.4.

660. Scholion 2. *De valore infinito satisfactionis Christi.* Agitur, ut patet, de operibus Christi satisfactoriis consideratis non sub aspectu physico, cum ut talia sint finitae entitatis, utpote a natura humana tanquam a proximo principio procedentia, sed consideratis sub aspectu *morali* seu in ordine morali aut in aestimatione morali.

Inter *nominales* et *scotistas,* etiam inter ipsos qui satisfactionem Christi intrinsece condignam et superabundantem admittunt, vix non communis est *negatio* huius infiniti valoris satisfactionis Christi, si satisfactio intelligatur non solum *extensive* infinita, sc. quatenus infinitis hominibus applicari valeat, sed etiam *formaliter* et stricte infinita, et quidem *ab intrinseco,* non ex Dei acceptatione ’.

Caeteri vero theologi fere communiter' docent Christi satisfactionem fuisse valoris infiniti simpliciter *ob dignitatem personae divinae* talem satisfactionem infinite dignificantis. Quae ratio videtur certo rem probare, quamvis concedendum sit quaestionem intime cum aliis doctrinis metaphysicis et moralibus necti, ut supra innuimus n.650 et perspicue tradit Frassen, l.c. in nota 6 praecedenti.

De Bulla Clementis VI (cf. D 552): non constat eam esse definitionem nec apparet clare an infinitatem *strictam* vel solum *extensive* significare veht

661. Nonnullae tamen exsurgunt difficultates ex doctrina hac de *infinita* Christi satisfactione.

a) Si opera Christi satisfactoria *infinitum* valorem haberent, omnia Christi opera essent aequalia seu eiusdem prorsus valoris nec omnibus Christi actibus plus esset valoris quam uni.

Responderi potest cum aliquibus theologis concedendo omnia Christi opera satisfactoria esse quidem valoris simpliciter infiniti *ratione personae.* At hic valor infinitus non tollit eiusdem operis valorem *ex parte obiecti et circumstantiarum,* qui maior vel minor esse potest. Hic autem maior vel minor valor iam *acquivalenter* continetur in valore quem actus habet ratione personae infinitae ideoque simul cum hoc non constituit aliquid maius *intensive* sed tantum *extensive,* quatenus habetur alius valor *formaliter* non contentus in illo qui procedit ex valore personae.*

662. Potest vero aliter dici cum Suârez: *Bonitas* actuum Christi est *finita* atque ideo opera Christi fuerunt inaequalia in propria bonitate intrinseca et essentiali, h.e. realiter inhaerente ipsi actui. Sed

8 Cf. Mastrium, *Tn 3* d.3 q.8 n.275; Frassen, *Dc ineam.* t.7 disp.3 a.2 s.2 q.ult. (ed.Romae 1901) p.652; in sequentibus clare proponit Frassen scotistarum argumenta atque adversariorum obiectiones solvere conatur. De Scoti sententia, cf. praeterea Minges, 1, n.588s. De S.Bonaventurae sententia cum doctrina S.Thocnâé convenienti, cf. *In 3* d.20 q.5 (Quaracchi) Schol., p.430.

7 Cf. apud Muncunill, n.829. Fusius, apud Salmanticenses, d.I dub.6 n.165, ubi etiam plura invenies circa illud per quod satisfactio Christi formaliter infinita constituatur (n.180-190).

8 Cf. DTC 13,1989.

0 Ita Muncunill, n. 837.841s. Similiter, Pesch, n.436. Salmanticenses (d.28 dub.l n.14) et Gonet (d.4 a.3 S 3 n.76) tum hanc sententiam tum Patris Suârez sententiam immediate exponendam videntur per modum unius sequi.

quodlibet opus Christi fuit *infinitum* ex parte personae operantis quoad illius operis *valorem;* consequenter omnes actus Christi infinitum atque adeo *aequalem* valorem habebant ".

Rectius nihilominus, his distinctionibus omissis, concedendum videtur omnia Christi opera satisfactoria, utpote infinita, *eiusdem esse valoris* ad satisfaciendum. Quod autem passio Christi habuerit aliquem effectum quem praecedentia opera satisfactoria Christi non habuerunt, *propter genus operis* fuit, quod erat conveniens tali effectui, ut cum S.Thoma indicavimus supra th.24 n.620 ".

663. *b) Plura* viderentur dari *infinita,* si omnes Christi actus simpliciter infiniti dicuntur in ordine ad satisfaciendum.

Solutio stat in eo quod repugnet quidem plura dari infinita *in entitate* seu in ordine *ontologico.* In ordine vero *morali* aliter res se habet, cum phires entitates limitatae videantur a persona divina *infinite dignificari* posse.

Animadvertendum vero est omnia haec infinita ordinis moralis minime talia esse *praeter* Deum vel *independenler* a Deo. Sed praecise *ex* infinita illa «na divina entitate efficiuntur in ordine morali infinita.

Ratio ultima huius possibilitatis repetenda est ex eo quod ad infinitam Dei dignitatem participandam *unio* sufficiat, quod non sic se habet relate ad divina attributa (cf. supra, th.12 obi.1 n.252s).

664. Scholion 3. *De iustitia vigente in Christi satisfactione.* Duae praecipuae quaestiones distinguendae sunt, *a)* An Christus ita Deo Patri satisfecerit ut vera obligatio *iustitiae* in Deo adsit peccata remittendi; *bj* an in hoc casu satisfactio Christi dici valeat *ex rigore iustitiae.*

a) Ab omnibus tenendum est in Deo *aliquam veram iustiliam* dari, ut sacra Scriptura testatur: v.c. 2 Tim 4,8. Acriter tamen disputatur utrum *creatura* possit habere titulum veri *iuris* relate ad Deum necne.

Omnes quidem concedunt hoc *ius* in creatura non oriri nisi praesupposito divino pacto ve.l promissione.

Communius theologi tale ius in creatura recte concedunt, neque hoc imperfectionem in Deo importare videtur.

665. *b)* Communius quoque affirmant theologi, multis aliis id negantibus, Christi satisfactionem omnes conditiones adimplevisse, quae *ad rigorem iustitiae* servandum exiguntur. Conditiones istae enumerari solent: ut *alteritas* detur inter eum qui satisfacit et eum cui satisfit; ut sit *ex bonis propriis* satisfacientis; ut sit *ex bonis alias indebitis;* ut *non* fundetur in gratia seu in liberalitate creditoris.

Magna tamen ex parte solutio *ex ipsa notione iustitiae* pendet nec facile id dirimi posse videtur ".

10 D.4 s.4 n.40s.

11 Cf. Franzklin, s.4. Praenotiones, ad VI; Galtier, n.5I2.

12 Cf. Suârez. d.4 s.5s; E.Ei.orduy, S.I., *Teoria de Suârcs sobre la justicia de Dios* (Granada 1942); Salmanticenses, d.1 dub.7-10; Muncunill, n.845-868; DTC 13,1989s.

Thesis 27. Satisfactio, quam Christus passione sua pro peccatis generis humani Patri offenso obtulit, non sola divini honoris reparatio fuit sed etiam essentialiter, licet minus primarie, expiatio exstitit apud Dei iustitiam vindicativam; fuit, ergo, satisfactio per modum expiativae reparationis.

Galtier, th.32 n.484-507; J.Solano, *El sentido de la muerte redentora de Nucstro Sciior Jcsucristo y algunas corrientes modernas:* EstEccl 20 (1946) 399-414.

666. Nexus. Cum honoris laesi reparatio, de qua in praecedenti thesi egimus, per internos actus et absque dolore praestare posse videatur, quaestio exsurgit de causa cur Christi satisfactio tam doloribus plena fuerit. Id sine dubio ad liberum divinae Voluntatis decretum ultimatim revocandum est, cum ipsa incarnatio non nisi hypothetice sit necessaria (cf. supra, th.23); quaerimus tamen utrum aliqua ratio *proxima* assignari possit, et hanc indicamus vindicativam Dei iustitiam. Simul tractamus de *relatione* inter varia elementa quae opus Christi satisfactorium constituunt.

667. Notiones. Satisfactio sumitur sensu *theologico,* sc. opus Christi quod apud Deum valet *maxime* pro *honoris laesi* compensatione. Cum in thesi praecedenti ad rationem compensationis *honoris* laesi attendissemus, nunc ad *ulteriorem* Christi satisfactionis intelligentiam nos convertimus, considerantes quid sub voce illa "*maxime*" lateat, ita ut *integrum* sensum theologicum satisfactionis Christi perspicere valeamus. Agimus, itaque, de satisfactione sensu theologico, et quidem non tantum quoad praecipuum eius elementum sed quoad *totalem* conceptum theologicum Christi satisfactionis.

Divini honoris reparatio, Tanquam fructum laboris theologici inde a fi,Anselmo peracti (cf. supra, n.632) *supponimus* peccatum esse offensam *personalem* Dei, h.e. divini honoris laesivam; qua ratione Christi satisfactio fuerit superabundans compensatio Dei *honoris* laesi, in thesi praecedenti explicatum reliquimus.

668. Dei iustitia. Quoad nostra interest, iustitia est "perpetua et constans voluntas ius suum unicuique tribuendi" [1] Praescindentes a quaestione utrum *stricta* iustitia pos-

1 S.Th., 2.2 q.58 a.1 ad 1. Haec definitio apud Ulpianum iam invenitur et semper tanquam bona est habita: cf. D.M.PruEmmer. O.F., *Manuale Theologiae Moralis*...10 (ed. recognita a E.M.Muench, O.P.) 2, n. 70. Ulpianus id habet apud *Dig.* 1.1 t.I lege 10.

sit de Deo praedicari 2, dari in Deo *iustitiam* asserimus cum ipso Concilio Tridentino, quod diversam rationem qua a Deo peccatores ante baptismum et post baptismum recipiantur "divinae iustitiae" tribuit (D 904).

Iustitia vindicativa habet ut obiectum vindictam seu punitionem eorum qui peccaverunt (cf. S.Th., 2.2 q.108). "Vindicta autem fit per illationem poenae. Est autem de ratione poenae quod sit contraria voluntati, et quod sit afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur" (S.Th., 1.2 q.46 a.6 ad 2). Disputatur utrum iustitia vindicativa sit in Deo distinctum attributum, quod potius negatur; at multo gravior est disputatio ad quamnam ex diversis speciebus iustitiae sit revocanda, sc. an ad iustitiam legalem sive gubemativam aut providentialem an ad iustitiam distributivam an ad iustitiam commutativam 3. In vindicatione intentio vindicantis non fertur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, er ibi quiescit, sed principaliter fertur ad aliquod bonum ad quod pervenitur per poenam peccantis, v.c. ad iustitiae conservationem (cf. S.Tn., 2.2 q.108 a.1 c).

Expiatio est compensatio *poenalis* oblata huic Dei iustitiae vindicativae. Huiusmodi expiatio non intelligitur mera poenae toleratio, ac si sufficeret materialis satispassio, sed catholica notio expiationis insistit *in morali qualitate* actus expiatorii, ut ad sententiarum expositionem patebit infra n.671.

669. Essentialiter. In opere Christi satisfactorio *essentia* constituitur his elementis sine quibus, in hypothesi condignae satisfactionis (cf. supra, th.23 n.589), haec Christi satisfactio non fuisset condigna seu perfecte sufficiens ab intrinseco quantitative, sensu simili ad quod explicatum est supra, n.586s. *Accidentale* vocatur autem quod in Christi opere satisfactorio *decentius* tantum seu *convenientius* invenitur, v.c. quod Christus non solum ex semine Adae (cf. supra, n,133s), sed praecise ex semine David ortus esset; convenientius quidem ita factum est, cum populus Israel fuerit a Deo tam peculiariter electus, sed ad valorem operis satisfactorii pro peccato generis humani id accidentaliter se habet.

Nolumus tamen affirmare *integram* Christi historicam

3 Cf. Suarez, *Opusc. sextum, Disputatio de iustitia...* s.1 n.1-25; s.6; UrrAburu, *Institutiones... Thcodicaca* (Vallisoleti 1900) 2,603ss; I.Hei.lîn, S.I., *Theologia naturalis (Cursus philosophicus S.I., 5,* B.A.C.. Madrid 1950) n.898.
8 Cf. SuXrez, *ibid.,* s.5 n.3-20; Urrâburu, *ibid.,* 612-616; Richard, *o.c.,* 267. Iustitia quae vocatur misericordiae seu amoris miserentis (cf. Philippe de la Trinité, O.C.D., *La Rédemption par le Sang.* Paris 1959) videtur notio quae potius confusionem generare valeat (cf. Urbano del N.J. Barrientos, O.C.D., apud EphCarm 11 (1960) 475-479).

passionem fuisse in *abstracta* hypothesi condignae satisfactionis necessariam ad talem condignitatem. Per se, enim, minima quaelibet poena fuisset ad hoc superabundans. Dicendum est, ergo, *elementum poenale* pro qualibet abstracta hypothesi condignae satisfactionis fuisse in opere Christi necessarium. Age iam, Deus ob sapientissimas rationes decrevit ut hoc elementum poenale fuisset *concrete* passio et mors Christi ; hae itaque dici nequeunt accidentales, sed *essentiales* habendae sunt in *historico* Christi opere satisfactorio, sicuti essentiales habentur ad *honoris Dei* reparationem, non obstante facto quod minimus etiam actus reparationis ex parte Christi fuisset superabundans honoris Dei reparatio. De his, fusius infra, obi.4s n.687ss.

Minus primarie. lure theologi elementum maxime essentiale in peccato considerant offensam *personalem* Dei fcf. supra, n.583s 632) ; consequenter satisfactio *maxime* essentialiter consistit *in reparatione honoris divini* per peccatum laesi. Ideo dicimus *expiationem* oblatam Dei iustitiae vindicativae esse elementum quod *minus primarie* satisfactionis essentiam constituat.

ExpiaTiva reparatio. Haec verba in compendium redigunt nostram explicationem, prout apparebit postea (n.673), ad sententiarum expositionem.

670. Sententiae. Tres theoriae proponi solent ad explicandam intimiorem naturam satisfactionis quam Christus per dolorosam suam passionem pro peccato Patri obtulit.

a) *Theoria punitionis. Punitio* intelligitur non merum aliquod malum scu mera aliqua afflictio, sed malum aut afflictio ad hoc praecise imposita, ut violatus ordo ac voluntaria transgressio reparentur. Non attenditur ad qualitates morales actus quo afflictio illa sustinetur, sed quasi ad materialem *quantitatem* poenae sustinendae

luxta theoriam punitionis, Deus pro peccato, quod *inordinatio* quaedam est, sanctionem exigit, quae violatum ordinem restauret. Christus, eo ipso quod peccantium hominum personam gerit, integros irae divinae effectus experitur. Punitionis quantitatem, quae nobis peccantibus debita erat, ipse innocens in se suscepit. Hoc modo Dei iustitia vindicativa quievit *ac pro peccato satisfactum est.*

Doctrina haec, ab antiquioribus protestantibus ad extremas usque consequentias perductal, a catholicis non admittitur.

671. b) *Theoria expiationis poenalis.* Notio *expiationis* malum seu afflictionem importat, sicuti punitio; ab hac tamen differt, eo quod mali seu afflictionis perpessio *qua talis*

* Cf. Solano, *EI sentido de la mucrte redentora...:* EstEccl 20 (1946) 399; Richard, *o.c.,* 160s. De modernioribus, cf. v.c., Î'.GrECH, O.S.A., *Theoriae ad explicandam redemptionem apud protestantes reccntiores in Anglia cum doctrina catholica comparatae:* DocComm 8 (1955) 77-113.

ordinem violatum non dicitur reparare, nisi in quantum haec mali perpessio *a libera voluntate* procedit.

luxta theoriam poenalis expiationis, lesus Christus divinae iustitiae satisfacit quidem suae passionis doloribus, qui tamen Deo grati sunt, eo quod a libero Christi amore procedunt. Nullatenus necessarium est, ut dolores Christi eiusdem generis eiusdemque intensitatis sint ac illi quos nos merebamur; *dignitas* enim *moralis* horum dolorum eos apud Deum gratiores reddit qualibet *punitione,* quam divina iustitia exigere posset.

Dolor itaque primum locum occupat, at *voluntatis actibus dignificatus* ®.

672. c) *Theoria reparationis moralis.* Notio *reparationis moralis* importat *actum honoris* qui ad honoris laesi compensationem tendat. Huiusmodi actus potest esse actus doloris sed *de essentia* moralis reparationis non est nisi honoris reparatio sive per dolores *sive aliter.*

luxta theoriam reparationis moralis, ad opus Christi satisfactorium intelligendum clavis non est in dolore quaerenda sed *in dignitate personali* eius qui patitur. Dolor non est nisi elementum quod *de facio* adest, at secundarie omnino et accidentaliter. Inde passio Christi *essentialem* suum valorem habet, quod huiusmodi dolor est excellentissimus actus *submissionis* erga Deum in compensationem nostri peccati. Christus proprie non satisfecit *patiendo,* sed satisfecit *patiens.* Ita recenter I. Rivière ®.

Admittit quidem hic auctor *valorem doloris* subordinatum elemento morali. Ipsum terminum *poenae* retinet. At, cum de *iustitia* Dei sileat, valor doloris et sensus poenae inexplicati manent7.

673. Christi satisfactionem per modum *cxpiativae reparationis* explicamus, ut quae in utraque ex praecedentibus theoriis recte dicta inveniuntur, in unum coniungamus.

5 Cf. Galtier, n.491-500, ubi profunde exponitur quomodo expiationis notio catholica ac "extra scholarum controversias" posita elementum *morale* extollat.

° Cf. Solano, *El sentido de la muerte redentora...:* EstEccl 20 (1946) 400-403.406-40*/. De operibus circa redemptionem a Rivière conscriptis, de eius meritis ac defectibus, cf. Basilio he San Paulo, C.P., *El Doctor Juan Rivière, Teôloyo dc la Redcnciôn:* RevEspT 14 (1954) 79-103. Aliud est quod recte notat Richard (o.c., 267s), sc. iustitiam divinam non exigere reparationem *praeviam* exercitio misericordiae; totum enim opus redemptionis supponit amorem Dei gratuitum erga homines peccatores.

Contra exaggerationes iansenistarum, cf. G.FoururE, *Les châtiments divins. Étude historique et doctrinale* (Paris 1959).

1 Elementum *poenale* in satisfactione non satis probatum videt QuarEllo, *Peccatu c castigo...* 106-108.

Ex theoria expiationis poenalis elementum *iustitiae Dei vindicativae* omnino est retinendum.

Ex theoria reparationis moralis: elementum compensationis honoris divini laesi praecise per actus *liberos, qui Deum honorent,* ad fundamentalem notionem satisfactionis, qualis a theologis proponitur, spectat.

Dicendum est ergo Christum de facto pro nobis satisfecisse *et* internis actibus suae submissionis Patrem honorificantis *et* doloribus quos Dei iustitia vindicativa exigebat. Cum autem compensatio honoris primarias partes in satisfactione habeat, ideo "reparationem" per modum *substantivi* exprimimus; dolores autem, qui minus primarie *ad essentiam* huius Christi satisfactionis pertinent, indicamus per modum *adiectivi,* sc. "expiativae".

674. Valor theologicus. Expiationem esse *de ipsa essentia* operis satisfactorii Christi, contra id quod theoria reparationis moralis affirmat, nobis videtur *moraliter certum.* Reparationem *honoris* divini habere *primarias partes,* est sententia *communis et certa in theologia.*

675. Ratio theologica. In condignae satisfactionis hypothesi, a Deo libere electa, expiatio est *de essentia* operis Christi satisfactorii, 1) si pei· expiationem iustitiae Dei vindicativae *essentialiter* satisfaciendum est, 2) si Pater passionem et mortem Christi non solum permisit sed et *positive voluit.* Atqui utrumque obtinet. Ergo expiatio est de essentia operis Christi satisfactorii.

Mai. quoad 1). Si enim *de essentia* plenae satisfactionis pro peccato est ut iustitiae Dei vindicativae per expiationem fiat satis, hoc *essentiale* momentum nequit denegari Christi expiationi, quae caeterum expiatio expresse et indubitanter ab adversariis admittitur 8.*

Mai. quoad 2). Si praecedens membrum admittatur, unum obstaculum ab adversariis obiectum hoc est: Deus Christi passionem et mortem positive non intendit neque voluit, sed eam tantummodo *permisit;* immediata enim causa illius passionis ingens iudaeorum *peccatum* fuit, quod peccatum Deus nonnisi permittere poterat at nullatenus directe intendere °. Caeterum de sensu quo haec Dei positiva voluntas intelligenda sit, distinctionem faciemus infra, n.681, inter *velle per se* et *velle per accidens.*

8 Rivière: DTC 13,1967s.1974; Id., *Le dogme... théologie contemporaine* 148.159.

" Cf. Rivière: DTC 13,1968.1973ss; Io,, *Le dogme... théologie contemporaine* 374s.

676. *Min. quoad 1).* Requiritur essentialiter ut iustitiae vindicativae fiat satis, a) *Specialis ratio huius attributi.* Iustitia Dei vindicativa una est ex divinis perfectionibus quas peccator parvi facit (cf. infra scholion 1 n.691), et cui proinde in satisfactione condigna satis esset faciendum. Quodsi aliis divinis perfectionibus, v.c. sanctitati, amori, uno eodemque actu reparationis divini honoris, debitis positis conditionibus moralibus, fit satis, id relate ad vindicativam Dei iustitiam non accidit. Aliis enim illis divinis attributis per actus pure internos submissionis, amoris, etc., sine dolore aut poena satisfieri potest. De ratione autem iustitiae vindicativae est ut *poenas* exigat.

677. b) *Essentiale momentum huius attributi.* Locus autem quem et ratio et maxime doctrina revelata assignant iustitiae Dei vindicativae circa commissa peccata, *omnino fundamentalis est.* Non enim intelligimus quomodo supremus Legislator gravissimas leges sine sanctione statuere possit. Factum vero divinae punitionis luculenter commonstrat iam *sacra Scriptura* inde a narrata punitione peccati originalis usque ad punitionem per diluvium et reliquas fere sine interruptione descriptas poenas quas Deus ab ipso populo electo repetebat, et, ut alia sileamus, usque ad revelata dogmata de purgatorio et de aeterno inferno ; nec cunctatur sacra Scriptura etiam Novi Testamenti de Dei "vindicta" (v.c. Lc 18,7s; 2 Thess 1,8) et "ira" (v.c. Io 3,36; Rom 2,5; Eph 5,6) explicitum et repetitum sermonem facere[10].

678. c) *Doctrina catholica* de fundamentali necessitate *expiationis* connexae *cum peccati remissione.* Principium enuntiatur a Moyse, quod sc. Deus peccatum dimittit sed illud minime impunitum relinquit: *Dominus patiens et multae misericordiae, auferens iniquitatem et scelera,* nullumque innoxium derelinquens, *qui visitas peccata patrum in filios...* (Num 14,18; idem, iuxta originale, apud Ex 34,7). Et Dominus de facto Moysi respondet: *Dimisi iuxta verbum tuum... Attamen omnes homines qui... et tentaverunt me iam per decem vices nec obedierunt voci meae, non videbunt terram pro qua iuravi...* (Num 14,20.22s). Hic modus procedendi Dei multis aliis exemplis confirmatur, inter quae illud notandum quod nec ipse Moyses a punitione liberatur in poenam suae praevaricationis: cf. Num 20,12; Deut 3,23-28; 32,48-52. Si-

10 Plures locos collectos vide apud A.Michel, *Vengeance:* DTC 15,2613s. De hac re in V.T., cf. Heinisch, *Théologie...* v.c. 227ss.251s.263-273. De N.T. quoad iram Dei recte notat Prat *(La Théologie...* 2,258): "modus sese gerendi Dei circa peccatorem idem remanet" ac in V.T.

mile quid Davidi accidit: cf. 2 Reg 12,13s[11]. Relate ad oeconomiam Novi Testamenti sufficiat sollemnis definitio Concilii Tridentini: "Si quis dixerit... et fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, *poena temporalis* plerumque exsolvenda *remaneat:* A.S." (D 925. Cf. D 904s, ubi fusius hoc evolvitur, et simul declaratur satisfactionem sacramentalem a sacerdote impositam debere esse "etiam ad praeteritorum peccatorum *vindictam et castigationem"*. Cf. quoque D 922)

Quin immo, expresse definitur in Tridentino quoad poenam temporalem *satisfieri* Deo *"poenis* ab eo inflictis et patienter toleratis..." et "sponte susceptis, ut ieiuniis..." (D 923).

679. d) Doctrina *de summo valore* expiationis *ad avertendas Dei graviores poenas.* Minor natu e septem illis fratribus ab Antiocho occisis, ita ad regem dicebat: *In me vero et in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quae super omne genus nostrum iuste superducta est* (2 Mac 7,38). Concilium vero Tridentinum haec habet: *"Neque vero securior ulla via* in Ecclesia Dei unquam existimata fuit *ad amovendam imminentem a Domino poenam,* quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent" (D 904). Manifeste agitur ex contextu proximo et remoto de operibus *poenalibus.*

680. e) *In ipso opere Christi satisfactorio* elucet *quantum momentum* expiationi a sanctis Patribus tribuatur in ordine ad redemptionem: "Ad efficacitatem redemptricem mortis Christi explicandam, obvium erat monstrare hanc mortem, via substitutionis, poenam nostris peccatis debitam solvere. Sic de facto huiusmodi explicatio per integram christianismi aetatem antiquam quasi locus communis est. Vix unus inter sanctos Patres invenietur, qui hanc ideam plus minus ample non exposuerit, sive id motu proprio fecerint sive occasione commentario donandi caput 53 Isaiae ac varia ea loca Novi Testamenti quae hanc ideam insinuant..."[13].

Ex his omnibus deducimus: satisfactionem praestare *iustitiae Dei vindicativae,* sc. per expiationem, non quid accesso-

11 Cf. Heinisch, *Théologie...* 232s. Multa de *dolore* in ordine ad *expiationem* peccati, cf. apud E.F.Sutcliffe. S.I., *Providence and buffering in the Old and New Testament* (London 1953); J.ScharbErt, *Dor Schniers bn alien Testament* (Bonn 1955). Hic Auctor scribit v.c.: "In V.T. est conceptio generalis, Jahve remittere aliquod peccatum, si de co habeatur expiatio per punitionem dolorosam ct contritionem" (wenn sie [eine Schuld] durch schmerzliche Strafe und Rcue gesuhnt ist) (p.212).

12 Alia reccntiora documenta Magisterii ecclesiastici, vide apud Quarello, *Peccato c castigo...* 17-20.

13 Rivière: DTC 13,1941.

rium seu accidentale, sed quid *essentiale* putandum est, ubi de opere aliquo praestando agitur quod pro peccato debeat integre satisfacere.

681. *Min. quoad 2).* Pater hanc concretam Christi expiationem per passionem et mortem non solum permisit sed etiam *voluit,* a) *Negative.* Passio et mors Christi gravissimum peccatum ex parte iudaeorum ut causam proximam habuerunt. Deus quidem *hoc peccatum* solummodo permisit. *Passio* autem bona erat, "et haec fuit voluntate absoluta praeordinata, sicut etiam ab ipso Christo fuit absoluta voluntate amata"[14]. Ne tamen huiusmodi absoluta volitio passionis Christi ex parte Dei male accipiatur, notandum est Deum mala physica et mala poenalia non posse velle per se, i.e. ea intendendo ut in eis sistat, sed *per accidens tantum,* i.e. ea ordinando ad bonum quod valet magis quam bonum quo privant illa mala. Ea tamen *vult,* non tantum permittit, dum mala culpae unice *permittit*[15].

Quomodo haec duo cohaereant, sc. mera peccati iudaeorum *permissio* et absoluta passionis Christi *voluntas,* erit explicandum iuxta varia systemata proponi solita in tractatu de Deo uno, ubi de scientia et voluntate Dei. Nos cohaerenter cum doctrina de scientia media dicimus sic: Deus prius ratione, nostro modo intelligendi, quam hanc passionem praeordinaret, praevidit per scientiam mediam quid iudaei in diversis adiunctis facturi essent, si illis permitteret suo arbitrio uti. Hac praescientia supposita, Deus ordinavit Christum tali tempore et loco nasci, praedicare et alia opera facere, simulque voluit permittere iudaeos ea facere quae facturos ipse praeviderat, si permitterentur; et tunc etiam *voluit* ut Christus ea pateretur quae passus est[16].

682. b) *Positive.* Si Pater passionem Christi solum permisit, dicendum est cum non voluisse sed tantum *permisisse* id cui praecise *redemptio* nostra tribuitur, sc. passionem (cf. th.24ss 28s). Logice itaque *ipsa historica Christi redemptio* esset solummodo *permissa* a Deo. Hoc autem, ut ab aliis praescindamus, nec adversarii admittunt.

14 Suarez, *De mysteriis vitae Christi.* Comment, in S.Th. 3 q.46 a.10 (ed. Vives. 19,572).

15 Cf. Hellin, *Theologia naturalis (Cursus Philosophicus...,* 5. Madrid 1950) n.911s.

16 Cf. Suarez, *De mysteriis vitae Christi.* Comment, in S.Th., 3 q.46 a.10 (ed. Vivès, 19,572). Haec eadem verba ex P.Suarez Rivière minus accurate adducit, ut probet optimos theologos nolle Christi passionem *nisi* ad permissivam Dei voluntatem referre: J.Rivière, *Le dogme de la Rédemption:* Etude théologique3 (Paris 1914) 256s; Id., DTC 13,1.973; Id., *Le dogme... théologie contemporaine* 375 nota 51.

Adde quod praeceptum moriendi fuit probabilius pro Christo praeceptum *directum* (cf. supra, n.488).

683. Obiectiones. 1. Etiam in hypothesi condignae satisfactionis, ad humani generis redemptionem *unus actus amaris ct reparationis* ex parte Christi sufficiebat plenissime. Ergo elementum *poenale* nequit operi Christi satisfactorio essentiale dici ".

Dist. antec. Ad humani generis redemptionem unus actus amoris ex parte Christi sufficiebat ad *honoris* Dei reparationem, *conc. antec.;* tum ad honoris reparationem tum ad *vindicativae Dei iustitiae* expiationem, quae ex probatis in thesi *essentialis* est, *nego antec. Contradis!. cons.* Elementum poenale nequit operi Christi satisfactorio essentiale dici, si per actum solius amoris et reparationis tum divino honori tum divinae iustitiae vindicativae fit satis, *conc. cons.;* si soli divino honori fit satis, *nego cans.*

Deus certe poterat nos redimere etiam *nulla* praestita Christi satisfactione (cf. th.23 n.589). In thesi autem casum respicimus quo Deus velit ut *condigna* ei detur satisfactio. Adhuc autem, *condignitas* haec posset esse *partialis,* h.e. relate ad solius *honoris* divini reparationem, quod quidem est *praecipuum et maxime essentiale* (cf. supra, n.669), et condignitas *totalis,* h.e. quae *vere et simpliciter* dicitur condignitas, relate nempe ad *omnia* essentialia quae in satisfactione sunt per se attendenda. Inter haec, ergo, non solus Dei honor sed *et Dei vindicativa iustitia* essentialiter considerari debet.

684. 2. Plures sunt locutiones Patrum et theologorum quae passionem et mortem Christi proponunt tanquam aliquid quod Deus solummodo *permisit* ". Atqui nimis durum videtur nostram thesim *certam* declarare contra tot auctoritates. Ergo ad summum nostra thesis *probabilior* dicenda est.

Dist. mai. Et hae locutiones generatim dicunt Deum Christi mortem *simpliciter* permisisse, *nego mai.;* dicunt Deum Christi mortem, *ut iudaeorum peccatum connotantem,* permisisse, *conc. mai. Contradict. min.* Nimis durum videretur nostram thesim certam declarare contra tot auctoritates, si hae mortem Christi *simpliciter* Dei permissioni tribuerent, *trans, min.;* si hae auctoritates mortem Christi *ut iudaeorum peccatum cannotantem,* Dei soli permissioni tribuunt, *nego min.*

Distinctionem hanc eiusque fundamentum exposuimus supra n.681.

Quoad textus illos adductos, ut tantum de tribus ex eis agamus, notandum est *textum S.Augustini* " expresse dicere: *"opus erat* sanguine iusti ad delendum chirographum peccatorum", et totum esse in distinguendis iniqua voluntate ludae et iudaeorum ex una parte et iusta permissione Patris ex alia parte. *Textus S.Bonaventurae* legitur a Rivière "Non tradidit [Pater Filium] infligendo mortem vel praecipiendo, sed permittendo"; integer vero textus distinctionem a nobis propositam satis indicat: "Deus eum non tradidit infligendo mortem, vel praecipiendo aliis, quod ipsi eum traderent, sed permittendo".* Caeterum in hoc eodem loco dicit S.Bonaventura:

« Cf. Rivière: PTC 13,1969.1980.
" Cf. supra, n.675 nota 8.
10 *Enarrat, in Ps.* 61 n.22: ML 36,745s.
30 DTC 13,1973.
21 *In 3 Sent,* d.20 a.unico q.5 resp. ad 1: Ed. Quaracchi, t.3 p.428.

"satisfactio debet esse poenalis, et maxima satisfactio maxime poenalis" *Textum ex Suarez* consideravimus supra n.681 nota 14.

685. 3. luxta S.Thomam: *"Una minima passio* Christi suffecit ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis" (3 q.46 a.5 ad 3). Atqui lustitia est *ad aequalitatem* cum damno reparando. Ergo saltem *tota* Christi passio nequit ex parte Christi procedere *a propria virtute iustitiae.*

1) *Conc. mai. Dist. min.* lustitia ita est ad aequalitatem ut sit contra rationem iustitiae inaequalitas *per defectum, conc. min.;* inaequalitas *per excessum, nego min. Contradist. cons.* Tota Christi passio nequit a propria virtute iustitiae procedere, si inaequalitas per excessum obstaret rationi iustitiae, *trans, cons.;* si tantum obstat inaequalitas per defectum, *nego cons.*

2) Conc. mai. Dist. aliter min. lustitia ita est ad aequalitatem, ut actus satisfactorius non possit intelligi habere honestatem iustitiae et esse actum proprium virtutis iustitiae, *si ponatur ad* constituendam quandam aequalitatem, licet excedentem, recompensando iniur.iam factam idque fiat *propter honestatem propriam huius obiecli, nego min.;* aliter, *trans, min. Contradist. cons.*

3) *Trans, totum.* Thesis nostra nullam facit mentionem *de virtute Christi* a qua procedat in Eo opus satisfactorium pro redemptione generis humani : quamvis haec virtus esset v.c. religio, thesis nostra staret. Investigamus enim utrum illud opus Christi satisfactorium sit *obiective* reparatio non tantum divini honoris sed etiam, et quidem essentialiter, expiatio apud Dei iustitiam vindicativam. Cum autem condigna Christi satisfactio sit tantum *hypothetice* necessaria, requiritur etiam *Deum voluisse* ut huic suae iustitiae vindicativae per Christi passionem fieret satis. Quaestio vero *de virtute Christi* ex qua huiusmodi satisfactio expiativa processerit, secundaria est.

686. *Explico.* 1) Proprium virtutis iustitiae est ut ipsa non sit inter duo vitia, sicuti aliae virtutes morales. Unde iustitiae nihil opponitur per excessum, sed per defectum, sc. non reddendo quod alicui debetur, vel minus ei reddendo quam debetur. Ex eo, ergo, quod Christus satisfecit per actus *superioris* valoris, non est cur ex hac parte praedicta satisfactio excludatur a ratione iustitiae[10].

Explicatio haec potius indicat quomodo *non adsit inconveniens* ex *superabundantia* satisfactionis. Ratio autem *magis positiva* cur haec superabundans satisfactio ad iustitiam sit referenda, apparet ex altera distinctione minoris quam praemisimus, et quam breviter nunc declarabimus.

2) In omnibus virtutibus sufficit ad hoc ut quis honestatem alicuius virtutis acquirat, quod agat *ex motive illius virtutis* Quaestio, de qua obiectio, non solum expiationem seu satisfactionem *poenalem* tangit sed etiam ipsam *satisfactionem honoris:* utraque enim satisfactio aeque ad iustitiam spectat, cum utraque aliquid intentet *compensare.* Age iam, si inter homines ut quis inhonorationem a se factam compenset, actum ponit quo offensum honoret, qui actus multum excedat priorem inhonorationem, omnes dicent eum posuisse

25 *Ibid.,* resp. ad 4.

» Cf. Salmanticenses, tr.12 q.64 a.1 n.7-10; *Arbor praedic, virtutum* n.55; tr.21 d.1 dub.9 n.254.267s.

24 Cf. M.Zalba, S.I., *Theologiae Moralis* (B.A.C. Madrid 1957) 1, n.1208.

actum praecise *compensationis* iniuriae, ideoque iustitiae, licet compensationis certe *superabundantis.* Idem, ergo, sentiendum est de Christi satisfactione *poenali* superabundant!. Communius theologi integram Christi satisfactionem ad veram et propriam iustitiam ex parte Christi referunta, quamvis in assignanda infima specie huius iustitiae non parum dissideant".

687. 4. Indignum est cogitare quod divina *iustitia multo plus poenarum* a Christo habere voluerit quam id quod ad satisfactionem necessarium erat. Atqui ex concessis in praecedenti obiectione, *quaelibet minima passio* Christi ad satisfactionem sufficiebat. Ergo saltem *tota* Christi passio nequit *ad vindicativam Dei iustitiam referri.*

Dist. mai. Indignum esset hoc de divina iustitia cogitare, si talis superabundans expiatio praestanda esset *ab extraneo coacto,* et simul *si optimae non darentur rationes,* quae hanc superabundantem expiationem redderent *convenientiorem, conc. mai.;* si haec superabundans expiatio praecipitur *non extraneo, volenti* et *propter optimas rationes, nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Tota Christi passio nequiret ad vindicativam Dei iustitiam referri, si haec superabundans satisfactio exigeretur ab extraneo coacto et absque convenienti motivo, *conc. cons.;* aliter, *nego cons.*

Miranda Dei *caritas* in hoc splendidissime eluxit quod *Detis ipse* qui ab hominibus fuerat offensus voluerit pro hominibus satisfacere, ita ut profunde scripserit S.Thomas: "Et hoc [Deum sc. hominibus dare satisfactorem Filium suum] fuit *abundantioris misericordiae,* quam si peccata absque satisfactione dimisisset" (3 q.46 a.l ad 3) (cf. supra n.647). Caeterum quomodo *sufficiens alteritas* habeatur inter cum qui satisfacit et eum cui satisfit, exposuimus supra n.644.

Verbum autem incarnatum maxima erga Deum et erga homines *caritate* actum, superabundantem expiationem iustitiae Dei obtulit, quin immo expiationem infiniti valoris, ut in thesi praecedenti vidimus.

688. Rationes cur tanta voluerit Deus ut Christus pateretur et ipse Christus etiam humana sua voluntate libentissime admiserit toleranda, ad pauca capita reduci possunt cum S.Thoma. Imprimis S.Doctor quaestioni cur, licet minimus dolor Christi suffecisset ad salutem humani generis, voluerit tamen Dominus *maximum* dolorem assumere, his verbis respondet: "Christus voluit genus humanum a peccatis liberare non sola potestate sed etiam iustitia. Et ideo non solum attendit quantam virtutem dolor cius haberet ex divinitate unita, sed etiam quantum dolor eius sufficeret secundum humanam naturam ad tantam satisfactionem" (3 q.46 a.6 ad 6). Quod de *proportione* non de *aequalitate* accipiendum est (cf. infra in explicatione sequentis obiectionis n.690).

Alias rationes enumerat S.Thomas, quas et verbis sacrae Scripturae probat, cur praecise homo *per passionem Christi* liberaretur: 1) per hoc homo cognoscit quantum Deus eum diligat, et per hoc provocatur ad Deum diligendum; 2) Christus per passionem nobis dedit exemplum obedientiae, humilitatis, constantiae, iustitiae et caeterarum virtutum ibi ostensarum; 3) Christus per passionem non solum liberavit hominem a peccato, sed etiam gratiam justificantem ct gloriam ei promeruit; 4) per hoc indicta est homini maior neces-

33 Cf. Süârf.z, <1.4 s.5 n.S.lS; Sai.masticensBS, d.l dub.9 n.253-259.
x Cf SalmanticBksES, d.l dub.9 n.259-264.267-274.

sitas se a peccato immunem conservandi; 5) hoc cessit ad maiorem hominis dignitatem, ut sicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem superaret (3 q.46 a.3 c)".

689. 5. Ad hoc ut *passio* dicatur *essentialis* in opere Christi satisfactorio, deberet non solum *elementum aliquod poenale* sed *integra passio* esse de essentia huius operis. Atqui *minimus quidam dolor sufficit* ad superabundantem expiationem. Ergo passio nequit dici *essentialis* operi Christi satisfactorio.

Conc. mai. Dist. min. Minimus quidam dolor sufficit ad superabundantem expiationem, si opus Christi satisfactorium consideretur *in concreto,* prout sc. Deus historice voluit ut satisfactio haberetur, *nego min.;* si opus Christi satisfactorium consideretur *in abstracto, subdist.:* et sub hac consideratione, neque passio ut est *reparatio moralis honoris divini* dicenda esset essentialis operi Christi satisfactorio, *conc.;* aliter, *nego. Dist. pariter eous.* Passio nequit dici essentialis operi Christi satisfactorio, si opus Christi satisfactorium consideretur *in concreto, nego cons.;* si hoc opus consideretur *in abstracto, subdist.:* et tunc idem valeret de reparatione morali honoris divini, *conc.;* aliter, *nego.*

Adversarii admittunt totam *essentiam* passionis Christi quoad satisfactionem esse *reparationem moralem honoris divini.* At si difficultas valeret, etiam hoc esset negandum, cum *minimus actus internus reparationis,* a Verbo incarnato positus, esset valoris superabundantis ad divini honoris reparationem propter dignitatem personae Unigeniti. Obicctio, ergo, illicitum transitum facit ab eo quod *per se* valeret pro condigna satisfactione ad id quod *de facto* valet in hac Christi historica satisfactione; haec historica satisfactio, ob rationes nuper expositas in praecedenti obiectione, includit tam *essentialiter* (licet minus primarie) passionem ad honoris reparationem quam eam includit ad expiationem apud iustitiam Dei vindicativam. In thesi autem non agimus de *possibili* aliquo opere Christi satisfactorio, sed agimus de *interpretandis* elementis *historicis* quae in concreto opere satisfactorio a Christo praestito inveniuntur.

690. 6. Si Christus pro peccatis humani generis satisfecisset iustitiae Dei vindicativae, debuisset sustinere *poenam aeternam omnesque poenas* quibus homines ob peccata obnoxii sunt. Atqui Christus has omnes poenas non sustinuit. Ergo iustitiae Dei vindicativae non satisfecit.

Dist. mai. Si in ipsa expiatione praecipue *ad dignitatem* eius qui poenam sustinet respiciendum est (cf. 4 CG 55 ad 23; supra n.671 673), *nego mai.;* si *ad solum elementum materiale* poenae attendendum esset, *subdist.:* si Christi satisfactio deberet aut posset habere *aequalitatem* cum omnibus illis poenis pro quibus erat expiandum, *conc.;* si tantum deberet et posset habere *proportionem* cum illis poenis, *nego. Conc. min. Dist. pariter cons.* Christus iustitiae Dei vindicativae non satisfecit, si praecipue ad eius dignitatem attendendum erat, *nego cons.;* si ad solum elementum materiale poenae attendatur, *subdist.:* non satisfecit *ad aequalitatem, conc.;* non satisfecit *ad proportionem, nego.*

Non poterat Dominus tantam dolorum magnitudinem experiri quanta est magnitudo doloris *in poena aeterna,* neque credibile est

27 Cf. Basilio de Sas 1'ablo, *Esboso da una Sotcriologia hunianistica:* Mise Com 34-35 (1960) 433-459.

dolorem Christi *in se sumptum* habuisse *aequalitatem* cum omnibus poenis temporalibus quibus vel in hac vita vel in purgatorio peccata hominum puniuntur, vel quibus omnia puniri possent, si omnia quoad culpam remitterentur. *Proportio* autem potest in hoc consistere, ut, sicut pro maximis culpis et poenis satisfaciebat, ita per *maximum* dolorem et poenam huius vitae satisfaceret, et etiam in hoc quod *mortem* nostram sua *morte* superaret". Caeterum praecipua solutio stat in eo quod catholica doctrina *ad dignitatem* Christi satisfacientis praecipue attendat, ut inter ipsum responsum innuimus.

691. Scholion 1. *De aliis divinis attributis contra quae peccator offendit.* Ex tractatu de peccatis constat quomodo peccatum multipliciter Deum offendat quoad varia attributa divina". Consideratio haec et ad peccati gravitatem ponderandam et ad varios aspectus satisfactionis a Christo praestitae penetrandos magni est momenti; nec tamen ulteriorem nunc postulat tractationem, suppositis his quae supra n.676 indicavimus.

692. Scholion 2. *De actualitate huius doctrinae circa expiationem Christi.* Eo vel magis in hoc doctrinae capite est insistendum, quod multi ipsum nomen expiationis et poenarum tolerantiae non libenter audiant, iuxta gravissima verba Pii XI: "Nos equidem non fugit, idque vobiscum, venerabiles fratres, vehementer lamentamur, nostris temporibus ipsam piaminis et poenitentiae nedum notionem at ipsum nomen apud complures haud parum amisisse pristinae suae virtutis, qua olim magnanimos ciebant sensus et ad fortia impellebant suscipienda, quippe quae hominibus fide alte imbutis sacro Christi eiusque Sanctorum sigillo insignita apparerent; nec desunt qui externas corporis afflictiones inter obsoletas res amandare velint; ne quid dicamus de hodierno homine libero seu autonome, quem vocant, qui poenitentiam quamlibet ut servile quid superbe contemnit. Nec mirum sane: quo magis enim in Deum fides debilitatur, pronum est ut eo magis primaevi peccati ac pristinae hominis contra Deum rebellionis notio obfuscetur atque evanescat, multoque magis iam nulla piaculi pocnitentiaeque necessitas persentiatur" ".

Existimamus rectum sensum Christianae expiationis inveniri non posse, si in ipso Christi opere satisfactorio huic expiationi *accidentales* solummodo partes assignantur.

693. Caeterum has tendentias, quae paenitentiam expiatricem ignorare vellent, non esse necessarium fructum modernae philosophiae satis ostendit nostris diebus v.c. Blondel, qui ut philosophus tam profunda scribit de redemptione tanquam de expiatione poenali divinae iustitiae oblata'1.

Quamvis integra vita Christiana, praesertim post mirabilem propagationem devotionis erga Sacratissimum Cor lesu, sensus filialis amoris erga Deum et illimitatae fiduciae *maxime induere debeat* (cf. supra, th.21), at sensus *timoris* Dei iusti iudicis ab ipso Do-

28 Cf. SuXrEz, d.4 s.4 n.45s.
20 Cf. SThS 2S, tr.2 n.850 ad 2.
80 *Encycl. "Caritate Christi compulsi":* AAS 24 (1932) 188s. Cf. P.Hartmann, S.C.J., *Le sens plénier de la Réparation du péché* (Louvain 1955). Plura alia supra n.564 allata sunt.
31 Cf. M.Blondel, *La philosophie et l'esprit chrétien* (Paris 1944) 1,159-186. 319-323. Potest quoque conferri: G.Truc, *Incarnation et Rédemption. Essai de psychologie et de philosophie religieuses* (Paris 1945) 20.50-56.89-108. Omnino profunde et accommodate ad hodiernam mentem, cf. Adam, *Der Christus des Glaubcns* 354-361.

mino commendantur: *Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita, dico vobis, hunc timete* (I.c 12,5).

Thesis 28. Christus secundum quod homo est sacerdos, qui se ipsum obtulit in ara crucis in proprium sacrificium.

S.Tn., 3 *q.22;* q.48 a.3; q.49 a.4; ScjiEi.l Er, *Das Priestertum Christi...;* Lercher®, th.25s; Cl.Dil l Enschneider, C.ss.R., *Le Christ, l'unique prêtre et nous ses prêtres 2* vol. (Faris 1960-1961).

694. Nexus. Cum ex ordine S.Thomae nobis agendum nunc sit de effectu passionis Christi *per modum sacrificii,* simul tractamus quaestionem *de Christi sacerdotio.* Quaestionem hanc ex th. 19 n.491 ad hunc locum remiseramus, eo quod sacerdotium intime cum sacrificio coniungatur, ut statim patebit.

695. Notiones. Christus secundum quod homo. Accipitur eodem sensu ac supra th.22 n.572s, ubi de Christo *mediatore* sermo factus est. Cum ad probandum Christum *ut hominem* esse sacerdotem vel eaedem rationes vel simillimae in hac thesi adducendae forent ac illae quae in thesi de Christo mediatore ut homine allatae sunt, satius duximus ab ulteriori huius aspectus probatione in hac thesi abstinere.

696. Sacerdos (jnh Ιερεύ). *Etymologice* originem ducit in quantum videtur, a "sacer" \ *Realiter* sensu quodam *lato* intelligitur homo peculiari modo deputatus ad cultum divinum.

Stricto sensu difficulter definitur, cum controversia habeatur an sacerdotium definiendum sit formaliter per ordinem *ad mediationem* an vero per ordinem *ad sacrificium* 1. Quidquid de formali hac determinatione et de sacerdotio *in genere* tenendum sit, veteris et novi Testamenti sacerdotium ex ordine *ad mediationem* quae *sacrificalem* potestatem includat, definiendum credimus (cf. S.Th., 3 q.22 a.1 c).

697. Sacerdos definiri potest cum S.Paulo: ille, qui ex hominibus assumptus et a Deo vocatus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, qui cum hominibus condolere possit atque dona et sacrificia pro peccatis offerat (cf. Hebr 5,1-4)[3]; vel cum Summo Pontifice Pio XI: vir qui, ex officio legitime concredito, Dei hominumque conciliator

1 Cf. Ae.Forcei.l ini-V.de Vit, *Totius latinitatis lexicon* (Prati 1871) 5,287.
2 Cf. R.RÂbanos, C.M., *El Sacerdocio de Cristo segun San Pablo* (Madrid 1942) 45-54.
• S.Paulus his verbis prae oculis habet sacerdotium *leviticum,* Cf. PraT> *La Théologie...* 1,4453; BonsIRVEN, *Epître aux Hébreux* 261; Spicq, *L'épître aux Hébreux* in h.l. Alii auctores credunt hic enuntiari a S.Paulo definitionem sacerdotis *in genere:* cf. Râbanos, *El Sacerdocio...* 36-39.

est, cuius totius vitae munus illas complectitur rationes, quae ad aeternum Numen pertineant, quique preces, piacula, sacrificia societatis nomine offert (cf. D 2274) 4.

Brevius idem dici posset: Sacerdos est homo, qui ex officio divinitus sibi concredito, est mediator Dei et hominum, societatem repraesentans in cultu Dei publico, praesertim sacrificio 56

698. Sacrificium. Cum plura de sacrificio ut excellenti actu virtutis religionis in tractatu de virtutibus, et cum similiter plura de notione sacrificii in tractatu de Eucharistia exponi soleant, ea tantum indicabimus quae ad thesim hanc *dogmaticam* spectant. Sacrificium, quod Christus obtulit, tam verum ac proprium intelligitur sacrificium sicut veteris Testamenti liturgica illa sacrificia. Hoc enim sensu de Christi sacrificio loquuntur tum S.Paulus (Hebr 7,27 ; 9,6ss) tum Concilium Tridentinum (cf. D 938s).

Sacrificia haec, quae ab eodem Tridentino l.c. indicantur, alia sunt quae naturae tempore (v.c. Gen 4,4; 8,20s; 22,1-13; 31,54) alia eaque praecipua quae *Legis* tempore oblata sunt.

Legalia sacrificia V.T. dividi possunt: spectata hostia et ratione offerendi, in cruenta et incruenta. Sacrificia *cruenta* erant sacrificia animalium quae *sanguinis effusione* offerebantur. *Incruenta* vero erant sacrificia, quorum materia erant non animalia sed *res* sive solidae, ut farina tritici, panes, sive liquidae, ut vinum. Res istae vel cremabantur aut saltem ab omni profano usu secernebantur vel effundebantur.

Spectato fine, sacrificia legalia praecipua erant: holocaustum (cf. Ley 1), sacrificium expiatorium (cf. Lev 41,7), sacrificium pacificum (cf. Lev 3)".

699. Obtulit. Utpote *sacerdos,* Christus hoc sacrificium Patri obtulit.

Skipsum obtulit. *Victima* itaque huius sacrificii ipse Christus fuit.

In ara crucis. Crux, in qua Christus proprii sanguinis effusionem perfecit et in qua mortuus est, consideratur tanquam ara seu altare, ubi sacrificium hoc Deo oblatum est.

700. Adversarii. A. Quoad Christi *sacerdotium: "recentes rationalistae,* quo securius reiciant sacramentum ordinis, negant Christum aut fuisse aut voluisse esse sacerdo-

4 Cf. *Encycl. "Ad catholici sacerdotii":* AAS 28 (1936). 8.

6 *De universalitate* sacerdotii, de qua Pius XI *l.c.,* plura inveniri possunt apud V.Cathrein, S.I., *Die Einheit des sittlichen Bcu'usstscins der Menschhcit* 3 tomi (Freiburg i.Br. 1914). Cf. quoque J.Hastings (non est catholicus), *Encvclopac. dia of Religion and Ethics* (Edinburgh 1018) 10.278-336. Breviter, J.GoETZ, *Priester:* Fr.Konic, *Religionswisscnschaftliches Worterbuch* (Freiburg 1956) 671-672. De sacerdotio *Veteris Testamenti,* cf. DB 5,640-660.

« Cf. DB 5,131 1-1333; Heinisch, *Théologie...* 189-199.

tem" [7]. *Sociniani* non admittunt nisi sacerdotium Christi *caeleste,* ut statim dicemus.

B. Quoad Christi *sacrificium. Rationalistae et modernistae* indolem sacrificalem mortis Christi *omnino* negant (cf. D 2038).

Sociniani (de quibus cf. supra th.25 n.634) negant quoque *mortem Christi in cruce* fuisse sacrificium, at fingunt oblationem quandam Christi caelestem, qua se Patri in caelo praesentavit seu obtulit. Ad hanc oblationem seu ad hunc *sacerdotalem ingressum* fuit mors crucis medium necessarium, et eatenus potest dici oblationis inchoatio. Caeterum Christi mors salutem nostram causavit *exemplariter,* quatenus magnum exemplum virtutis fuit, et *declarative,* quia Christi mors et glorificatio est argumentum Deum nobis paenitentibus velle peccata remittere et praemium vitae aeternae conferre.

Christus non prius *sacerdotium* adeptus est, quam cum *post mortem* in caelum, ut pro nobis coram Deo appareret, introductus est[8].*

701. Doctrina Ecclesiae. A. Christus *sacerdos. Concilium Ëphesinum:* "Si quis ergo Pontificem... nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est... A.S." (D 122)[8]. *Conc. Tridentinum:* "... oportuit sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum lesum Christum... quia tamen per mortem sacerdotium eius exstinguendum non erat..." (D 938). Cf. D 333 430 940 2195 2274.

Pius XI summi et aeterni Sacerdotis lesu Christi votivam Missam apparavit unaque cum *Litteris Encycl. "Ad catholici sacerdotii"* in lucem edidit[10.11]

B. *Sacrificium crucis.* In iisdem locis ex *Conc. Ephesino* et *Conc. Tridentino* allatis etiam de oblatione et sacrificio sui ipsius quae in cruce Christus Deo Patri obtulerit, fit sermo. Cf. insuper D 950s.

702. Valor dogmaticus. Quoad utramque veritatem de Christi sacerdotio et de Christi sacrificio sui ipsius in cruce thesis est *de fide divina et catholica definita* (D 122 [cf. supra th.3 nota 24] 938 940)

7 Pksch, n.530. Dc erroribus circa Christi sacerdotium *indirectis ac solum mediatis,* cf. SchEi.lF.r, *Das Pricstcrtum...* 107-119.

8 Cf. Franzei.in, th.51 ad I; Scheller, *Das Pricstertum...* 296-298. Plura argumenta *directe* contra socinianos, cf. apud Gautier, n.527-529.

|| Cf. Du Manoir de Juaye, *Dogme et spiritualité...* 502.

î0 Cf. AAS 28 (1936) 53-56. Maxime pro doctrina pontificia, cf. A.Navarro, *Pl Saccrdocio Redcntor de Cristo* (Salamanca 1957).

11 Aliquis scrupulus remanere forte posset circa strictam *definitionem.* Si vero

703. Probatur ex sacra Scriptura. A. Christus *sacerdos. V.T.* Ps 109,4: *Juravit Dominus et non paenitebit eum: tu es sacerdos* (jnâ) *in aeternum secundum ordinem (Melchisedech.*

De sensu *messianico* huius Psalmi clare constat iam ex solo Novo Testamento, in quo nullus alius textus Veteris Testamenti saepius allatus est. Cf. v.c. Mt 22,43s; Act 2,34-36. Ipse v.4 refertur tanquam messianicus. Cf. Hebr 5,6; 7,21. Expressio *secundum ordinem Melchisedech* significat fere: *ad modum* Melchisedech. Cf. Gen 14,18-20 12.13Solent quoque referri 1er 30,21; Zach 6,11-13 ".

704. *N.T.* Hebr 4,14-5,10; 6,20-10,18. Sacerdotii Christi *veritas:* Plebr 3,1 ; 4,14; 5,10; 6,20, etc. Huius autem sacerdotii prae sacerdotio levitico *excellentia,* iam ex ipsa personali dignitate Melchisedech regis et sacerdotis apparet (7,1-3). Praeterea Melchisedech supra Levi excellit, nam a Levi decimas accepit per Abraham et ipsum Abraham benedixit (7,4-10). Creatio novi sacerdotii Christi secum fert aaronitici sacerdotii abrogationem (7,11-14). Christus secus ac levitici sacerdotes, cum iureiurando et in aeternum constitutus est sacerdos immaculatus (7,15-28) 14.15

705. B. Christi *sacrificium crucis.* V.T. Is 53,10: *Si posuerit pro peccato* (ouJn) animam suam. λζοχ cç'x est terminus usitatissimus ad designandum sacrificium vel hostiam pro delicto (cf. v.c. Lev 5,6.15.18s; 7,1; 14,12; 19,21; Num 6,12)1β.

Sacrificia Veteris Testamenti Christi perfectissimum sacrificium crucis repraesentabant, iuxta doctrinam S.Pauli: Hebr 10,1ssie.

706. *N.T.* I. *Praevia consideratio:* Mors, sanguis, crux Christi saepe cum hominum redemptione connectuntur. a) *Mors.* Rom 5,6: *Ut quid enim Christus... pro impiis mor-*

non ad solam grammaticam sed ad sensum potius attendimus, de stricta definitione dubitandum non est.

13 Cf. Ceuppens, *De prophetiis messianicis...* 148-164; E.NÂcar, *Rey y sacerdote. Salmo* 110: EstBibl 5 (1946) 281-302; Esteve, *De caelesti mediatione sacerdotali...* 229-231; R.Galdos, S.I., *Jesucristo Sacerdote Eterno segûn el orden de Melquisedec:* MiscCom 2 (1944) 35-53; Id., *Melquisedec en la Patriskica:* EstEccl 19 (1945) 221-246; Spicq, *L'épître aux Hébreux* 2,203-214; R.Tourvάυ, O.P., *Le Psaume CX:* RevBibl 67 (1960) 5-41.

13 Cf. Heinisch, *Théologie...* 315.

14 Cf. Prat, *La Théologie...* 1,445-452; Râranos, *El Saccrdocio...* 113-216; Bonsirven, *Epître aux Hébreux* 17-75 et comment, in versus citatos; CEüppEns, *Theologia biblica* 3,176-196; L.Sourigou, *Le chapitre VII de l'épître aux Hébreux ou le sacerdoce selon l'ordre de Melchisédech:* AnTh (1946) 69-82; Spicq, *L'épître aux Hébreux* 2,119-139 et comment, in locos relatos.

15 Cf. supra, th.25 nota 16.

54 Cf. Heinisch, *Théologie...* 198s.

tuus est? I Cor 15,3: *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.* Cf. v.c. Rom 5,8.10: 6,3.5.8.10; 1 Cor 8,11; 2 Cor 5,15; Gal 2,21; Coi 1.22. Similiter "tradere" vel "dare animam": Mt 20,28; Io 10,15.17; Rom 4,25; 8,32; Gal 2,20; 1 Io 3,16.

Sanguis. Rom 5,9: ... *iustificati in sanguine ipsius.* Hebr 13,12: *Propter quod et lesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Cf. Rom 3,25; Eph 2,13; Hebr 12,24; 1 Io 1,7; 1 Petr 1,2.19; Apoc 1,5.

Crux. Eph 2,16: ... *et reconciliet... Deo per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Coi 1,20: *pacificans per sanguinem crucis eius.* Cf. Rom 6,6; 1 Cor 1,17s; Gal 2,19s; 5,11.

707. II. Christi mors, verum *sacrificium.* 1) Designatio *generalis.* Eph 5,2: *Christus dilcxit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Per vocem "oblationem" (προσφοράν) designari videtur *Ubera ac amorosa "traditio"* quam Christus facit sui ipsius in honorem Patris "pro nobis". Vox "hostia" (Ουσία) significat "victimam" sacrificalem. In hoc ergo textu habetur et elementum materiale "victima" et elementum formale seu internum "oblatio". Cf. Hebr 8,3 17.

708. 2) Sacrificium *paschale.* 1 Cor 5,7: *Pascha nostrum immolatus est* (ἐτύθη) *Christus.* Tum sensus sacrificalis vocis "immolari" tum comparatio cum sacrificio paschali characterem vere sacrificalem mortis Christi denotat. Caeterum iam S.Ioannes symbolismum agni paschalis relate ad Christi mortem indicaverat: cf. Io 19,36. Alias etiam in sacra Scriptura comparatio fit inter Christum et agnum paschalem; cf. v.c. 1 Petr 1,19.

Licet denominatio "agnus", quam Christo sacra Scriptura saepe applicat, directe non ad agnum paschalem sed ad agnum de quo Is 53,7 (cf. Act 8,32) alluderet, sensus sacrificalis includeretur, cum in loco relato ex Isaia Messias per suam mortem *sacrificium* Deo obtulisse constet (cf. supra, n.7O5).

709. 3) Sacrificium *foederis.* Hebr 9,15-20: *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento... Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est...* Primum illud vetus Testamentum sacrificio quodam de-

" De textu 2 Cor. 5,21, cf. I,.Saiiioukix. S.I., *Note sur 2 Cor. 5,21: Lc Christ fait "péché":* ScEccl 11 (1959) 419-424.

dicatum fuit. Novum quoque ac aeternum Testamehtum sacrificio, et quidem morte Christi, dedicatum est. Cf. Mt 26,28; Mc 14,24; Lc 22,20; 1 Cor 11,25; 1 Petr 1,2.

4) Sàcrificium *expiatorium.* Hebr 7,26s: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex..., qui non habet necessitatem cotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo.* Cf. Hebr 2,17s; 9,11-14.26.28; 10,4-14; 13,lis. Plures sacrificiorum species considerantur: dona, oblationes, immolationes, holocautomata, quae *pro peccato* in expiationem Deo offeruntur; unum crucis sacrificium tanquam expiatio coram Deo pro omnibus peccatis hominum perfectissime substitutum fuit[18].

710. Probatur ex traditione. A. *Christus sacerdos.* 1) Patres *in connexione cum verbis sacrae Scripturas* Christi sacerdotium proponunt.

2) lesum Christum simpliciter vocant *pontificem* scu *sacerdotem.* Antiquissimos Patres retulisse sufficiat. S.Clemens Romanus: “Haec est via, dilecti, in qua salutem nostram invenimus, lesum Christum, oblationum nostrarum pontificem, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem” (R 18). S.Ignatius Antioch.: “Boni quidem sunt sacerdotes, praestantior autem est summus pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum...” (R 61). S.Polycarpus: “Deus autem et Pater Domini nostri lesu Christi, et ipse sempiternus pontifex, Dei Filius lesus Christus, aedificet vos...” (R 76).

711. 3) Christum ut sacerdotem *et simul victimam* proponunt. S.Gr'EGORius Nazianzenus: “Videbis... lesum... in crucem tolli, et peccatum meum secum crucifigentem: ut agnum offerri et ut sacerdotem offerre” (R 1007). Cf. R 1016. S.Gregorius Nyssenus: “... se ipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit” (R 1063). S.Ioannes Chrysost.: “Sic et Christus semel oblatus est. A quo oblatus? A se ipso. Hic non solum eum dicit sacerdotem, sed et hostiam et sacrificium...” (R 1221). Cf. R 1268. Plura apud R, in indice theologico n.418.

» Cf. Bover, *Teologtcp...* 291-297; Prat, *La Théologie...* 1,452-456; 2,214-224; CErfaux, *Lc Christ dans... saint Paul* 115s; MeinErtz, *Théologie...* 2,91-96. Maxime pro voce “testamento” (διαθήκη), cf. Bonsirven, *Efiltre aux Hébreux,* in 9,15; Spicq, *L'épitre aux Hébreux* 2,285-299. De “agno Dei” apud lo 1,29.36, cf. Eric E.May, O.F.M.Cap., *Ecce Agnus Dei! A philological and exegetieal approach to John 1,29.36* (The Cath. Un. of America. Studies in s.Theology, Second series 5, Washington D.C. 1947); JXeal, S.I., *El sentido soteriolôgico del cordero de Dios cn la exegesis catôlica (Io 1,29.36):* EstEccl 24 (1950) 147-182.

4) S.Augustinus totius nostrae theseos doctrinam nervose complectitur. Notionem Christi *sacerdotis* cum notione *mediatoris* et *sacrificii* connectit. Christus dicitur sacerdos *in quantum homo.* Ipse est *sacerdos et victima.* Cum Christi sacerdotio arcte cohaeret Christi *sanctitas.* Intimam consociationem sacerdotii atque *regiae dignitatis* in una persona Christi S.Augustinus exponit ac argumentis confirmat[10].

712. B. Christi *sacrificium crucis.* 1) *In connexione cum verbis sacrae Scripturae* hoc sacrificium proponitur a Patribus. Origen'ES: "Cum superius [Paulus] dixisset, quod pro omni genere humano redemptionem semetipsum dedisset... nunc addit... *proposuit eum Deus propitiationem...,* quo scilicet per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum..." (R 498) "°. S.Augustinus: *"Fuimus enim et nos natura filii irae...* [Eph 2,3], In hac ira cum essent homines per originale peccatum, tanto gravius et perniciosius, quanto maiora vel plura insuper addiderant, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificii singularis, cuius erant umbrae omnia sacrificia legis et prophetarum, oblatione placaret" (R 1915). Cf. R 2Î88 2270.

2) *Excellentia* sacrificii Christi *prae antiquis sacrificiis* asseritur. Origenes: "... et ideo cessaverunt ceterae hostiae, quia talis haec fuit hostia, ut una sola sufficeret pro totius mundi salute" (R 492). Eusebius Caesar.: "Ubi vero quod perfectum erat advenit..., priora illa desierunt et praestantiore et veriore sacrificio illico sublata sunt" (R 664). S.Leo I Magnus: "Aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit?" (R 2188). Cf. R 33 2208 2270 2311.

713. 3) Quaedam *necessitas* huius Christi sacrificii ad nostra tollenda peccata extollitur. S.Athanasius: "Nam cum Verbum intellegeret non posse aliter hominum corruptionem solvi, nisi omnino morerentur... Hinc corpus quod sibi ipse accepit velut hostiam et victimam omni puram macula morti offerendo, mortem statim ab omnibus similibus, suo pro aliis oblato, propulsavit" (R 715). S.Gr'Egorius I Magnus: "Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non 20

10 Plura ex Patribus, cf. apud Scheller, *Das Priestertum...* 119-151. In specie de S.Augustino, cf. praeterea, Moiiak, *De ntrminibus Christi...* 60-62; A.F.KruEgEr, *Synthesis of sacrifice according to Saint Augustin* (Fac. theol. S.Mariae ad Lacum, Mundelein, Illinois 1950) 76-78. De S.Cyrillo, cf. G.Sabatino, *La Dottrtna del Sacerdosio di Cristo in S-Cirillo Alessandrino* (Pontificia; Facoltà Teologica S.Luigi, Posillipo-Napoli) (Avellino 1949).

20 De hoc textu (R 498), cf. J.Solano, S.I., *Un texto de Origenes cn Rouct de Journet (EP num. 498):* EstEccl 19 (1945) 517s.

poterat; quaerendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri?... Fecit [Filius Dei] pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quae et humanitate mori et iustitia mundare potuisset" (R 2311). Cf. R 2188.

4) Christus in cruce se Patri obtulit tanquam novus Adam, genus humanum quodammodo in se portans. S.Irenaeus: "... in secundo autem Adam reconciliati sumus, oboedientes usque ad mortem facti" (R 255). S.Athanasius: "Deus sui ipsius Filium misit... atque ita omnibus veluti per ipsum mortuis sententia adversum nos lata compleretur (omnes enim in Christo mortui sunt)..." (R 767). S.Cyrillus Alex.: "Crucifixi itaque cum eo fuimus, quo tempore caro eius crucifixa fuit, quae universam quodammodo in se naturam continebat; sicuti etiam in Adamo..." (R 2123)[21].

714. Ratio theologica. A. Christus *sacerdos*. Proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum, praecipue in quantum pro hominum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Hoc autem maxime convenit Christo, ut in thesi exposuimus (cf. S.Th., 3 q.22 a.1 c).

B. Christi *sacrificium* in cruce. Sacrificium pro peccato dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum. Christus autem seipsum obtulit in passione pro nobis; et hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex caritate maxima proveniens (cf. 3 q.48 a.3 c)[22][23]

715. Obiectiones. 1. Sacerdotis est hostiam *occidere*. Atqui Christus seipsum non occidit. Ergo non fuit simul sacerdos ct hostia.

Nego mai. Cum plura de hac quaestione in tractatu de sacrificio eucharistico exponenda sint, sufficiat notasse sacram Scripturam non indicare Christum se ipsum occidisse, sed certe Christum *obtulisse* se ipsum Patri

716. 2. Omnis hostia ex eo quod Deo offertur, Deo *sanctifi-*

[21] Pro testimonio Origcnis (R 492), cf. J.Riviïrs, *Théologie du sacrifice rédempteur. Un témoignage d'Origéne:* BullLittEccl 45 (1944) 3-12. Pro S. Athanasio, cf. J.H.Br.RCirr.M, A. A., *Le Christ Sanctificateur d'après Saint Athanase:* Ang 15 (1938) 549s. Alios textus patristicos circa Christi sacrificium crucis, cf. apud DTC 13,1936s.1941s. De S.Leone, cf. Mozeris, *Doctrina Sancti Leonis...* 24-27.

[22] Cf. L-Hardy, *La doctrine de la rédemption chez saint Thomas* (Paris 1936) (quod opus valde diverse iudicatum fuit: cf. v.c. RevThom 43 [1937] 127-129 *et* BuliThom 5 [1937] 85-91), ubi sacrificio primae partes tribuuntur in doctrina S.Thomae. De valore *religioso* huius Christi sacrificii ac reliquorum generis humani sacrificiorum, cf. A.Gaudet., *Sacrifice:* DTC 14,687-690. De Christi *sacerdotio* apud theologos, cf. Scheller, *Das Priestertuni...* 151-294.298-392. Cf. quoque I.BrixktrinE, *De relatione sanctitatem substantialem inter et sacrificium Christi:* DivTh (Pi) 62 (1959) 566-568.

[23] Quo sensu Christus fuerit *causa* indirecta suae mortis (cf. S.Th., 3 q.47 a.1-3) et cur mors *martyrum* non sit sacrificium, cf. Suarez, d.46 s.1 n.2s; SaiacanticensEs, d.31 dub.1 n.6-8.

catur. Atqui Christi humanitas *a principio* fuit sanctificata et Deo coniuncta. Ergo Christus *secundum quod homo* non potuit esse huius sacrificii hostia seu victima.

Dist. mai. Omnis hostia ex eo quod Deo offertur, sanctificatur sanctitate ontologica *substantiali, nego mai.;* sanctitate ontologica *accidentali, subdist.:* proveniente ex interno ac physico habitu gratiae sanctificantis, *nego;* secus, *conc. mai. Contradist. min.*

Quod Christi humanitas sit sanctificata ab initio non impedit eam *alio modo* per oblationem sacrificalem sanctificari (cf. S.Th., 3 q.22 a.2 ad 3). Suo gradu essent huic difficultati applicanda quae supra, th.12 obi.3 n.256 diximus.

717. Scholion 1. *De forma qua Christus constituitur sacerdos.* Quaestio est de illo titulo seu de illa quasi-forma, vi cuius Christus sacerdos constituitur. Licet plures sint in hac re theologorum opiniones, conveniunt in eo quod *unio hypostatica* sit *fundamentum* seu radix sacerdotii Christi. Etiam conveniunt theologi in eo quod Christus non constituatur sacerdos per aliquem *characterem,* sicuti sacerdotes novi Testamenti (cf. S.Th., 3 q.63 a.5 c).

Quoad reliquas determinationes dicendum videtur unionem hypostaticam esse quidem quasi-formam unde Christus habet *sacerdotalem potestatem; ad exercitium* vero huius potestatis requiri insuper gratiam habitualem *capitalem,* quae unionem hypostaticam consequitur. "Vocatio" ex parte Dei (cf. Hebr 5,4-6) in ipsa unione hypostatica realiter includitur[14].

718. Scholion 2. *De momento quo incepit Christi sacerdotium.* Ex dictis scholio praecedenti sermo fieri non posse videtur de vero sacerdotio Christi *ante* incarnationem. Disputare autem licet quo momento post incarnationem Christus sacerdotales functiones *exercere* inceperit.

Magis conforme cum doctrina sacrae Scripturae nobis videtur affirmare Christum *in ipso incarnationis momento* sacerdotium suum iatn exercuisse (cf. Hebr 10,5-10). Hoc modo maxima quoque unitas haberetur inter omnes actus vitae Christi x.

Quo sensu haec Christi oblatio fuerit *sacrificium,* exponemus statim schol.5 n.722.

719. Scholion 3. *De aeterne duraturo sacerdotio Christi. Factum* constat. Hebr 6,20: *lesus... pontifex factus in aeternum.* Hebr 7,24: *hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.*

Duplex tamen quaestio remanet: *a)* an Christus sit sacerdos aeternus sensu quodam lato, sc. *usque ad finem mundi; b)* si cum mundi exsistentia sacerdotium Christi non finit, *quo sensu* possit Christus dici sacerdos aeternus?

a) Sunt aliqui theologi qui "aeternitatem", de qua Hebr l.c., intelligant de duratione *usque ad finem mundi.* Multo autem communius de *propria aeternitate accipitur.* Notandum vero est discrimen vix esse nisi de vocibus

31 Cf. Salmanticbnsss, d.31 dub.l n,16s; Ràbanos, *EI Saccrdocio...* 83-91. Utrum *cx Hebr 5,5* probari possit expresse includi divinam filiationem in Christi sacerdotio, cf. CbutfEns, *Theologia biblica* 3,179s; Spicq, *L'épître aux Hébreux* in h.l. De harmonia inter Christi sacrificium, sacerdotium ac sanctitatem profunde scribit F.Bourassa, *Verum sacrificium:* ScEccl 3 (1950) 146-182; 4 (1951) 91-139.

25 Varias auctorum opiniones vide apud Rabanos, *EI Saccrdocio...* 163-168.

* Ita expresse Arriaca, qui proprie dictam aeternitatem negat: *Dc ineam.*

Sacerdotium Christi usque ad finem mundi maxime connectitur cum celebratione *sacrificii eucharistici,* cuius Christus est principalis offerens, sensu explicando in tractatu de Eucharistia (cf. D 940).

720. *b)* Christus *sacerdos aeternus* dici potest, quia aeterna est *dignitas* sacerdotalis seu quasi-forma unde Christus sacerdotalem potestatem habet (cf. supra, n.717). Cf. Hebr 7,16.

Aeterna est quoque *operatio* quaedam sacerdotalis Christi, saltem hoc sensu quo Christus perenniter approbat immolationem semel cruente in cruce factam, et ita Deo indesinenter offert *adorationem et gratiarum actionem.*

Aeterna est quoque *hostia semel in cruce immolata,* sc. Christi humanitas cicatricibus signata. Apoc 5,6: *Ei vidi: et ecce... agnum stantem tanquam occisum.*

Aeterna denique erit *virtus* illius hostiae semel oblatae seu ipsa sacrificii *consummatio* (cf. S.Th., 3 q.22 a.5) ”,

721. Scholion 4. *De genere sacerdotii ad quod Christi sacerdotium pertineat.* Sacerdotium Christi est cuiusdam eminentioris et altioris ordinis quam sacerdotium legis naturae, legis veteris, legis gratiae, habens in illo genere infinitam dignitatem ratione personae.

Omnia illa sacrificia ad Christum aliquo modo referuntur et aliquam similitudinem cum Christi sacrificio habebant.

Secundum ordinem Melchisedech dicitur Christi sacerdotium, “quasi praefigurantis excellentiam sacerdotii Christi ad sacerdotium leviticum" (S.Th., 3 q.22 a.6 ad 1) a.

722. Scholion 5. *De sacrificio Christi a primo instanti vitae suae terrestris et durante tota hac vita.* Termini apud Hebr 10,5-10 sunt *sacrificales.* Dicendum est ergo Christum ab initio vitae suae se *in sacrificium* offerre.

Explicatio huius facti duplex est. Qui distinctionem sacrificii *ritualis* et sacrificii *personalis* tenent, oblationem hanc (Hebr 10,5-10) et reliquam vitam terrestrem Christi existimant *verum ac proprie dictum sacrificium.*

Alii vero hanc Christi oblationem ac totam vitam terrenam considerant *ut praeparationem* ad sacrificium proprie dictum, quod esset sacrificium crucis; Christus per integram suam vitam internos illos obedientiae ac caritatis sensus habuit, qui crucis sacrificio valorem contulerunt.

Notandum est S.Thomam Christi *sacrificium* non ad ipsam mortem restringere, sed ad totam passionem extendere (3 q.48 a.3 ; cf.3 q.47 a.2 c: “sacrificium passionis et mortis Christi”)”.

Huius rei dilucidatio pendet ex quaestione de essentia sacrificii, quae in tractatu de Eucharistia erit exponenda.

723. Scholion 6. *De sacrificio Christi caelesti.* Catholici omnes tenent mortem Christi fuisse verum sacrificium, quo peccata horni-

d.47 s.3 n.14. Talem aeternitatem Luco quoque negat: *De ineam.* d.29 s.3 n.33-35, licet concedat “posse dici de facto sacerdotium Christi mansurum in aeternum, etiam post diem iudicii” *{ibid.,* n.36).

27 Plura, cf. RAbanos, *EI Sacerdocio...* 170-192.

28 Cf. SuArez, d.46 s.3 n.7; Salmanticenses, d.31 dub.2. De comparatione inter Christum et Melchisedech *ratione unius sacrificii,* cf. RAbanos, *o.c.,* 193-212. Cf. quoque *ibid.* 213-216.

20 Cf. M.Lepin, *L/idée du sacrifice de Ia Messe...* (Paris 1926) 741-745. Aliter, Esteve, *De caelesti mediatione sacerdotali...* 77s.l04.

num per Christi sacerdotis expiationem deleta sunt hominesque cum Deo sunt reconciliati.

Duplex autem ulterior quaestio proponitur, *a)* Estne crucis sacrificium in se *completum? b)* Potestne sermo fieri de quodam Christi *vero sacrificio caelesti?*

a) Sunt qui existiment Christi oblationem *post ascensionem* requiri, ut crucis sacrificium compleatur et absolvatur. Quod variis quidem modis intelligitur.

Dicendum videtur doctrinam hanc sufficiens fundamentum in fontibus theologicis non habere. Locutiones traditionis pleno sensu donantur, quin quidquam detrahendum sit integritati sacrificii crucis.

b) Etiam quaestio de sacrificio Christi *caelesti* a generaliori doctrina de natura sacrificii pendet.

Optimi exegetae theoriam hanc minime in doctrina epistolae ad Hebraeos fundari posse dicuntM.

724. Scholion 7. *De efficacia sacrificiorum Veteris Testamenti.* Efficacia *quasi-sacramentali* sacrificia illa *ex opere operato* conferre poterant idoneitatem legalem ad cultum divinum. Cf. Hebr 9,9s.13.

Significatione *tvpica* omnia illa sacrificia *adumbrabant* sacrificium Christi. Cf. Hebr 7,19; 10,1.

Virtute *symbolisa* sacrificia Veteris Testamenti apte exprimebant debitas animi erga Deum habitudines, sc. humilitatem, adorationem, pacnitentiam, maxime fidem, quibus homo *ex opere operantis* disponebatur ad gratiam verae justificationis recuperandam. Cf. S.Th., 1.2 q.102 a.3; q.103 a.2 '.

Thesis 29. Iesus Christus sanctissima sua passione nostram redemptionem operatus est.

S.Th., 3 q.48 a.4s.

725. Notiones. Redemptio. *Etymologice* est actus redimendi. *Redimere* vero est *iterum emere* seu invicem *emere,* seu simpliciter *emere.* Idea ergo *pretii soluti,* si ad huius vocis solam etymologiam spectes, indubie exprimitur '.

Rcaliter significat liberationem ab aliquo malo sive pretio soluto sive *sine pretio.* Vox enim *redimere* in sacra Scriptura reddit non solum graccam radicem ἀγ'φάζω sed etiam λύω (λύτρου, λύτοωσί ...). lam vero λυτροῦσθαι reddit praeter alia hebraicam radicem cum qua idea pretii soluti non necessario connectitur, immo vero, aliquando etiam expresse excluditur, ut Is 52,3 '.

30 Cf. Galtier, n.532s; Prat. *La Théoloaie...* 1,456: BonsïrvEn. *F.bUre aux Hébreux* 65s; RAbanos, *El Sacerdocio...* 175-179; Esteve, *o.c.,* 17-23.101-108; Spicq, qui multa habet de Christo sacerdote caelesti, *unum* memorat sacrificium terrenum crucis: *L'épître aux Hébreux,* v.c. 1 (1952) 297-300 et 2,268-285. Cf. quoque A.VanhoyE. *De "aspectu" oblationis Christi secundum epistolam ad Hebraeos:* VerDom 37 (1959) 31-38. Inclinat tamen in sacrificium caeleste admittendum Teodorico da Castel S.Pietro, *Il sacerdocio celeste di Christo nclla lettera aoli Ebrei:* Gr«t 39 (1958) 319-334.

31 Cf. Lercher, n.203; DTC 14,689.

1 Cf. Forcelijni-De VIT, *Lexicon...* in h.v. Ideam "pretii" fortius adhuc secum fert m "redemptio" apud mediam et infimam latinitatem; cf. Du Cange, *Glossarum medde et inFmae lat:n'fatis* (Paris 1°38) in h.v.

2 Cf. A.Vittt, S.I., *Theologia biblica novi Testamenti, Soteriologia* (Ad usum privatum auditorum Pontificii Instituti Biblici, Romae 1932) 32s.34-40; Kittel,

726. *Concrete et exacte*[3] quoad thesim nostram, redemptio significat liberationem praecipue a peccato atque a peccati effectibus per passionem Christi.

Quo sensu haec intelligenda sint, e praecedentibus thesibus de merito, satisfactione, sacrificio satis patent. De horum conceptuum relationibus dicemus infra, schol.l n.743.

Liberatio haec potest intelligi adaequate vel inadaequate. *Adaequate* complectitur *integrum opus* Christi erga nos[4]. *Inadaequate* respicit *particularem aspectum* huius Christi operis, nempe aspectum *liberandi* nos ab aliquo malo. Ad hunc *particularem* aspectum attendimus in thesi.

727. Doctrina Ecclesiae. 1) Opus Christi salutiferum expresse tanquam *redemptio* proponitur, *a)* Paulus IV: "aut eundem Dominum ac Deum nostrum lesum Christum non subiisse acerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis et ab aeterna morte redimeret..." (D 993). Cf. D 550 717d 2212. Pius XI anno 1933 indixit annum sanctum extra ordinem ad generale maximumque iubilaeum "undevicesimo exeunte saeculo a peracta humani generis redemptione"[8].

b) Ipse Christus saepe *redemptor* vocatur. *Conc. Trident.:* "Si quis dixerit, Christum lesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem..." (D 831). Cf. D 328 355 494 874 877 907 1100 2195.

728. 2) Opus Christi proponitur tanquam *liberatio.* Sufficiat *Encycl. "Tametsi futura"* Leonis XIII memorasse, ubi haec idea explicatur: "nec ea erant ulla humana ope sanabilia, quo tempore Christus Dominus, demissus e caelo liberator, apparuit..." (Cav 791s).

3) Opus Christi describitur tanquam *salus seu salvatio, a)* Recolantur loca, in quibus Christus dicitur venisse "propter nostram salutem". *Conc. Nicaenum:* "Credimus... in unum Dominum nostrum lesum Christum... qui propter nostram salutem... passus est..." (D 54). Cf. supra, th.l n.7.

b) Christus appellatur *Salvator. Conc. Constantin.* IV: "Sacram imaginem Domini nostri lesu Christi et omnium Liberatoris et Salvatoris, aequo honore... adorari decernimus" (D 337). Cf. D 1 253 269 271 337 796 809 874s 913.

729. Valor dogmaticus. Thesis est *de fide divina et*

Theologisches... 4,331 ad b.333-335. Cf. quoque pro λὐτρωσiζ (v.c. Lc 1,68; 2.38: 24.21) Kirrm.. *l.c.,* 353s; Frat, *La Théologie...* 2,227-231.

[3] De aliis sensibus, cf. DTC 13.1912-1915.

[4] Hoc sensu adaequato sumitur hodie frequentissime redemptio, v.c., tum in DTC tum in DB. Similiter aequivalens "Erlôsung" in LTK.

[8] AAS 25 (1933) 5.

catholica ex magisterio ordinario. Etiam dici debet *definita ex sollemni magisterio* (D 54—quoad ideam—, 831—quoad vocem—).

730. Probatur ex sacra Scriptura. A. Metaphora a radice λύω (solvo). 1) λύτραν (redemptio). Mt 20,28: ... *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem* (λύτρον) *pro multis.* Cf. Mc 10,45; 1 Tim 2,6 (ἀντίλυτρον).

In Veteri Testamento λύτρον (generatim in plurali) variis radicibus hebraicis respondens, est maxime *pretium* liberationis v.c. pro propria vita (Ex 21,30; Num 35,31), pro servo (Lev 25,51s), pro ancilla (Lev 19,20), pro agris venditis (Lev 25,26), pro primogenitis qui Domino offerebantur (Num 18,15).

In usu profano recurrit λύτρον etiam ut *pretium* liberationis pro hominibus in bello captis, pro servis etc.

Christus ergo suam vitam dicit se daturum tanquam *pretium liberationis* loco multorum (omnium) vel in bonum multorum.

Terminus a quo liberamur nequit ex integra Christi doctrina alius esse nisi peccatum, cum unum verum hominis malum peccatum sit. Cuinam pretium hoc Christus solvat, implicite indicatur cum dicitur Christus *ex mandato Patris* mori. *Pater* ergo est, cui pretium nostrae a peccato liberationis est per Christum oblatum ac persolutum.

731. 2) λυτροῦσθαι (vox *media* verbi). Tit 2,14: *qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret* (λυτρώσηται) *ab omni iniquitate.* 1 Petr 1,18s: *scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis* (ἐλυτρώθητε: vox *passiva)... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Idea liberationis ab iniquitate proponitur; et quidem simul idea pretii soluti, quod dicitur ipse Christus vel sanguis agni, indicatur.

Caeterum λυτροῦσθαι non semper notionem pretii soluti *neque in Novo Testamento* secum fert. Lc 24,21. Cf. supra, n.725.

732. 3) ἀπολύτρωσι (redemptio). Rom 3,24: *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem* (ἀπολυτρώσεω) *quae est in Christo lesu.* Cf. 1 Cor 1,30; Eph 1,7; Coi 1,14; Hebr 9,15. Non clare apparet utrum in his locis idea *pretii* soluti *etiam* contineatur an sola idea *liberationis* exprimatur. Cf. quoque Lc 1,68; 2,38 (λύτρωσι).

Sensu pleniori recurrit quoque ἀπολύτρωσι, denotans *per-*

fectarn liberationem in caelis. Eph 4,30: *El nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Cf. Rom 8,23 ; Hebr 9,12 e.

733. B. Metaphora a radice ἀγοράζω (emo). 1 Cor 6,20: *Empli enim estis pretio* (ἠγοράσΘητε... τιμή). Cf. 7,23 ; 2 Petr 2,1 ; Apoc 5,9; 14,3s. Apud Gal 3,13 ; 4,5 recurrit derivatum ἐξαγοράζω.

Origo huius metaphorae, praesertim in S.Paulo, ex usu late tunc temporis praecipue apud graecos vigente de sacrali servorum in libertatem emptione petendus forte sit. Dii enim pretium dare fingebant, quod revera ipse servus antea in templum intulerat, ut praedictus servus a servitute, cui obnoxius erat, liberaretur. S.Paulus vero insistit in eo quod Christus pretium hoc pro fidelibus omnino *realiter* solvit (cf. Gal. 3,13), quod pretium nihil aliud fuit nisi ipse Christus.

Notandum vero est ideam *venditionis* populi israelitici a Deo iam a Veteri Testamento testificatam esse. Cf. Is 50,1.

Fideles a Christo pretio empti dicuntur *Christi vel Dei servi,* eo quod a Christo empti sunt (1 Cor 7,22s ; cf. 6,19s). Sed etiam considerantur ut *filii liberi,* in oppositione ad servitutem legis, a qua liberati sunt (Gal 4,1-7).

Haec autem Christi *emptio* non est a sola legis servitute, sed in genere a *peccati* servitute, ut supponit contrapositio apud 1 Cor 6,15-20. Cf. quoque Rom 7,14'.

734. C. Metaphora a radice σώζω (salvo). 1) Verbum σώζω missionem vel opus Christi describit. Mt 1,21 : *ei vocabis nomen eius lesum; ipse enim salvum faciet* (σώσει) *populum mm a peccatis eorum.* Io 3,17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur aco'lÿ) mundus per ipsum.* Cf. v.c. Lc 19,10; 1 Cor 1,18.21; 1 Tim 1,15.

2) Vocabulum σωτηρία (vel adiect. σωτήριον) Christi opus designat. Act 4,12: *Et non est in alio aliquo salus* (σωτηρία). Hebr 5,9: *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* Cf. Lc 1,69.71; Tit 2,11.

3) Nomen Σωτήρ Christo defertur. Lc 2,11: *quia natus est vobis hodie Salvator* (Σωτήρ), *qui est Christus Dominus.* Act 5,31: *Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit.* Tit 2,13; *exspectantes... adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri lesu Christi. Cf. v.c.* Act 13,23; 2 Tim 1,10; 2 Petr 1,1.11; 1 Io 4,14.

735. Radix haec σώζω saepe in novo Testamento adhibetur de liberatione a malis corporis seu reductione ad statum pristinum sanitatis (cf. v.c. Mt 9,21s; Mc 5,23; Io 11,12; Act 4,9), vel de liberatione ab clementis naturae adversis (v.c. Mt 8,25; 14,30; Act 27,20.

" Cf. Kittel, *Theologisches...* 4,341-359; Prat, *La Thiologic...* 1,507s; 2,227. 231; Vitti, *Sotcriologia,* 34-40; DBS 3,112-114.123-133.157-162.184s; Lyonnm, *La sotcriologia paulinienne,* apud RobErT-Peuil1ET, *Introduction à la Bible,* 2 (1959) 864-867. De exspectatione redemptionis (sensu latiori) in V.T. et apud antiquos Orientis populos, cf. Heinisch, *Théologie...* 323-331; DTC 13,1921-1927.

7 Cf. DBS 3,159-161; Kittel, *Theologisches...* 1,125-128; VtTTt, *Sotcriologia* 28-34; Prat, *La Théologie...* 2,229s; Meinertz, *Théologie...* 2.101s: I,voχχET, *o.c.,* 863s.867s; F.BômEr, *Vntcrsuchungcn Uber die Religion dcr Skiaven ini Griechcnland und Rom. 2* vol. (Wiesbaden 1957.1960) (qui Auctor non tenet metaphoram Sti.Pauli originem ducere ex usu graeco de sacrali illa liberatione servorum).

31.34.44; 1 Pctr 3,20), vel de liberatione ab inimicis hominibus (v.c. Mt 27,40.42.49; Io 12,27; Act 27,43), etc.

Malum vero a quo lesus homines maxime salvat est *peccatum.* Mt 1,21: *salvum faciet... a peccatis eorum.* Lc 19,10: *Venit... Filius hominis quaerere ct salvum facere quod perierat* (de Zachaeo peccatore). 1 Tim 1,15: *Christus lesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere...*

Proponitur ergo opus Christi ut liberatio hominum a peccato ct restitutio ac redintegratio in statum spiritualis sanitatis seu salutis. Hanc *salutem* operatam fuisse maxime *per passionem et mortem Christi* deducendum est imprimis cx aliis duabus metaphoris nuper expositis (n.730-733) et cx supra dictis de sacrificio (th.28 n.703-709) '.

736. Probatur ex traditione. 1) Patres passionem et mortem Christi recte proponere tanquam opus quo homo Deo reconciliatur et a peccato liberatur, satis superque patet ex dictis praecipue in praecedentibus thesibus de satisfactione (th.25 n.641s) ac de sacerdotio et sacrificio Christi (th.28 n.711-713). Pauca nunc addenda quae aspectum *liberationis* magis directe extollunt.

2) Redemptio *physico-mystica.* Plures Patres, praesertim graeci, insistunt'in eo quod humana natura fuerit iam *per ipsam unionem hypostaticam* restaurata seu in pristinum statum redintegrata. Primaeva enim hominis felicitas in divina immortalitate participanda consistebat; salus ergo spectanda erit *e.r liberatione a morte. Age* iam, Verbum nostram naturam per hypostaticam unionem divinitatis participem effecit nostramque mortem destruxit, dum nos sui ipsius resurrectionis socios reddidit (cf. quoque infra, schol.l n.742).

Liberationem hanc minime *soli* incarnationi Patres attribuunt; sed *mortem* Christi tanquam satisfactionem et sacrificium indubie simul proponunt8.*

737. 3) Liberatio *e diaboli potestate.* Cum in ipsa sacra Scriptura liberatio a peccato tanquam ereptio e potestate dia-

8 Cf. ViTTi, *Sotcriologia* 20-28, ubi dc hac radice σώζω etiam in V.T. graeco ct in hcllcnismo; Bardessono, *L'antitcsi d> "peccato"...*: DivThom (Pi) 15 (1938) 9-23; Lyonnet, *o.c.,* 860-862. De liberatione *a multiplici servitute,* cui homo subiectus erat, cf. Lercher6, n.218. Cf. E.B.Allo, O.P., *Les dieux sauveurs du paganisme gréco-romain:* RwScPhTh 15 (1.926) 5-34.

0 Cf. DTC 13,1938s; I.Loncke, *De indole ac valore theoriae physico-mysticae redemptionis:* CollartBrug 46 (1950) 123-129; A.SiundEi.ER, *Die Menschwcrdung Gottcs ais Ursache der Erlosung in der lateinischen' Liturgie:* ThGl 48 (1958) 203-207; G.Colombo, *Escatologismo c incarnacionismo: le due posicioni:* ScuoCatt 87 (1959) 344-376; S.Francesco, O.P., *Ulncarnasionc came consacrasione dell'Universo intero:* RivAscMist 4 (1959) 513-530; Fr. X.Arnold, *Cultura profana y cristianisnio cscatolôgico:* OrbCath 3 (1960) 138-151. De evolutione mentis Sti.Augustini, qui optime theoriam Pairum graecorum compleat, cf. E.BraEM, O.E.S.A., *Het christologisch Aspect van Augustinus'Leer over de heiligmakende Gnadc:* SyllExcerpDiss 22 (1951) [l]-[38], De S.Cyrillo, qui utriusque theoriae *synthesini* proponat, cf. B.FraignEau-Julien, *L'efficacité de l'humanité du Christ selon saint Cyrille d'Alexandrie:* RevThom 55 (1955) 615-628.

boli proponatur (cf. Act 26,18) et diabolus repraesentetur sive in relatione oppositionis erga Christum (cf. Io 12,31; 14,30; 1 Io 3,9) sive in relatione cum peccatore (cf. 1 Io 3,8), Patres has ideas amplius evolvunt novisque imaginibus exornant.

a) *Idea redemptionis seu liberationis e potestate diaboli* saepe quidem occurrit. Quod vero sanguis Christi fuerit huius redemptionis pretium *diabolo solutum,* a pluribus Patribus *expresse* excluditur; ab his autem, a quibus tale quid asseritur, ut ex contextu elucet, non nisi *metaphorice* intelligitur, ut sc. indicetur qualibus onerosis conditionibus Christus nos salvos fecerit. Durius loquitur S.Ambrosius. Quaedam testimonia exempli causa adducemus.

738. OrigEnes: "Cuinam autem animam suam redemptionis pretium pro multis dedit? Non Deo. Numquid igitur malo? Is enim nos dominabatur, donec pro redemptionis mercede anima lesu daretur ipsi decepto" (R 508). S.Ambrosius: "Pretium autem nostrae liberationis erat sanguis Domini lesu, quod necessario solvendum erat ci, cui peccatis nostris venditi eramus" (R 1257).

Adamantius: "...diabolus retinet sanguinem Christi et animam eius pro humani generis pretio. Grandis est ista blasphemia et profunda stultitia"10. S.Gregorius Nazianz.: "Si autem redemptionis pretium non alii solvitur nisi illi qui captivos tenet, quaeso, cui oblatum est et quam ob causam? Si maligno, o contumeliam!... Perspicuum sane est Patrem quidem accepisse, non tamen quod petierit aut indiguerit, sed propter redemptionis oeconomiam..." (R 1016). S.Ioannes Damascenus: "Moritur itaque... seipsum Patri pro nobis hostiam offerens. In eum enim deliqueramus eique proinde redemptionis nostrae pretium pendendum erat, ut hoc pacto a condemnatione liberaremur. Absit enim, ut Domini sanguis oblatus tyranno fuerit"

739. b) *Idea abusus dominii* quod diabolus in peccatores exercet. Maxime apud latinos Patres extollitur quomodo diabolus quoddam *ius* in *peccatores* habeat; hoc autem ius nihil aliud est nisi facultas eos puniendi, quam a Deo habet. Eo quod Christum *innocentem* diabolus occiderit, criminis reus factus est ac *iuste* et ipse amissione suorum captivorum *poena plectitur.*

S.Hilarius: "... veniens hic mundi princeps nihilque inveniens peccati tamen poenam, id est ius mortis, exeruit, per quod humanae mortis auctor, quia in auctorem vitae peccati

10 *De recta in Detttn fide* 1. c.27: GChS 55; MG 11,1758.
u *De fide orthod. 3,27:* MG 94,1095.

nescium mortem molitus sit, indicatur"[12]. S.AUGUSTINUS: "Quae est igitur iustitia, qua victus est diabolus? Quae, nisi iustitia Iesu Christi? Et quomodo victus est? Quia, cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique iustum est ut debitores quos tenebat liberi dimittantur, in eum credentes, quem sine ullo debito occidit" (R 1675).

740. c) Plures *imagines* a Patribus adhibentur. Inter alias, imago *pugnae* seu certaminis Christum inter et diabolum, ac variae metaphorae quibus indicatur diabolum fuisse *deceptum,* eo quod, humana natura Verbi divinitatem abscondente, cum Christo ausus fuerit luctari et sic captus fuerit.

S.AMBROSIUS: "Spiritali itaque palaestra Dominus Iesus onera nostra suscipiens in illa se passionis suae congressione subiecit; et in infirmitatis specie, ut eum adversarius hominem parem caeteris indicaret, quem facile posset opprimere, divinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoria propius tentator accessit: in costa cum telo militis voluit vulnerare, reputans et hunc sicut Adam per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Iesus vitam produxit e vulnere... et in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum aestimaretur oppressus, elisus sua se virtute versavit: cecidit adversarius, Dominus resurrexit". S.CYRILLUS HIEROS.: "Oportebat Dominum pro nobis pati: sed non ausus fuisset accedere diabolus, si ipsum novisset... Esca igitur morti obiecta fuit corpus, ut, cum illud se devoraturum speraret draco, etiam evomeret eos quos iam devoraverat" [13].

S.AUGUSTINUS: "Quid est ergo quod insipienter exsultasti, meus captivator, quia carnem mortalem habuit meus Liberator?... Muscipula tua erat: unde laetatus es, inde captus es". "Exsultavit diabolus quando mortuus est Christus, et ipsa morte Christi est diabolus victus: tanquam in muscipula escam accepit... Muscipula diaboli, crux Domini: esca qua caperetur, mors Domini". S.GREGORIUS I MAGNUS: "Quis nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim provocat, ut aculeus pungat Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem camis appeteret. Quam mortem dum in illo iniuste appetit, nos quos quasi iuste tenebat, amisit" [14].

[12] *Tract, in ps.* 68,8: CSEL 22,319s; ML 9.475.
[13] S.AMBROSIUS, *Enarrat, in Ps.40* v.4 n.13: ML 14,1073. S.CYRILLUS, *Catcch.* 12.15: MG 33,742.
[14] S.AUGUSTINUS, *Scrm.* 134 s.5 n.6; 263,1: ML 38,745.1210. S.GREGORIUS, *Moral,* 1.33 c.7: ML 76,680. De toto hoc Patrum argumento, cf. DTC 13,1939-

Hacc omnia luculenter confirmant, quam alte in mentibus Patrum insederit notio nostrae *liberationis seu redemptionis* per mortem Christi.

741. Ratio theologica. Triplex servitus indicatur a S.Thoma a qua per passionem Christi liberati sumus, a) *A peccato* liberati sumus, quia per passionem suam Christus abundanter compensavit *personalem iniuriam* quam Deo peccando intuleramus sicque per Christi meritorum applicationem ipsa *macula culpae* in nobis deletur ac *reatus culpae* cessat (cf. supra, th.23 n.583s).

b) *A poena peccati* sumus per Christi passionem liberati tum *directe,* quatenus exhibita a Christo sufficienti satisfactione poena tollitur (cf. supra, th.26 n.658), tum *indirecte,* quatenus passio Christi est causa remissionis peccati, in quo fundatur reatus poenae.

c) *A potestate diaboli* Christus morte sua nos eripuit. Imprimis *a poena aeterna,* cuius exsecutor dicitur diabolus, Christus nos liberavit (cf. supra *b)*; sed etiam *ab animae tentationibus et corporis vexationibus* ex parte diaboli Christus nos liberavit, quia per passionem suam *remedium* hominibus praeparavit, quo se ipsos possimt tueri contra hostis impugnationes (cf. 3 q.48 a.4; q.49 a.1-3).

742. Scholion 1. *De redemptione Universi.* Docet S.Paulus ipsum mundum partem habiturum in glorificatione hominis per resurrectionem (cf. Rom 8,19-22). Deus mundum materialem creavit non ad destructionem et mortem sed ad vitam, oportet, enim, ut scribit S.Thomas, "quod etiam creatura corporalis quandam claritatis gloriam suo modo consequatur" *(Contra gentes* 1.4 c.97).

Labor humanus in subicicndo Universo novam lucem ex hac consideratione acquirit, at simul patet materialia ordinem dicere ad hominem (cf. quoque supra, n.736 ad 2) de redemptione physico-mystica) [15].

743. Scholion 2. *Comparatio inter diversos aspectus sub quibus opus Christi descriptum est.* Terminus *redemptio,* si sumatur sensu adaequato (cf. supra, n.726), *integrum* Christi opus designat. *Meritum* denotat opus Christi quatenus opus fuit *bonum, Deo gratum,* quod *hominibus dona obtinuit. Satisfactio,* quae est *species* me-

1941; J.Rivière, *La doctrine dc la Rédemption chez saint Césaire d'Arles:* BullLittÊccl 44 (1943) 3-20; Id., *Contribution an dossier des "Cur Deus homo" populaires...:* BullLittEccl 46 (1945) 129-138. De hac eadem rc apud scholasticos, cf. DTC 19,1942-1950; J.Rivière, *Le dogme dc la redemption au XII· siècle d'après les dernières publications:* RevMoiAgeLat 2 (1946) 101-112.219-230; D.E.de Ci.Erck, *Questions de sofériologie nfédiévalc:* RevThAncMéd 13 (1946) 150-184; Id., *Droits du démon et nécessité de la redemption:* RechThAncMcd 14 (1947) 32-64; Id., *Nouveau témoin du "conflit des filles dc Dieu":* RevBén 58 (1948) 110-124; Landc.raf, *Dogmengeschichte... 2.a* pars, 2.254-287.

15 Cf. S.Lyonnet, S.I., *La Rédemption de VUnivers* LumVie 9 n.48 (1960) 43-62. Cf. quoque J.IT.Wright, S.I., *The consummation of the universe in Christ:* Greg 39 (1958) 285-294; *La seigneurie du Christ stir CDglise ct stir le monde:* Istinar 6 (1959) 131-166.

riti, ulterius attingit radicem cur Deus hoc Christi opus gratum habuerit *praecise* in ordine ad dona peccatoribus largienda, sc. compensationem scu *reparationem honoris divini laesi;* sic Deus, qui iuste erat hominibus offensus, eis placatus factus est. *Sacrificium* denique adhuc magis determinat modum concretum Christi satisfactionis, sc. per exercitium excellentissimi actus virtutis religionis. *Redemptio* autem sensu inadaequato connotât *effectum erga homines,* qui utpote sub peccato captivi, *liberantur* “.

744. Scholion 3. *Passio Christi per modum efficientiae.* Efficiens *principalis* humanae salutis est Deus; quia vero humanitas Christi est divinitatis *instrumentum* (cf. supra, th.14), ideo omnes actiones et passiones Christi *instrumentaliter* operantur in virtute divinitatis ad salutem humanam; passio ergo Christi *efficienter* causât salutem humanam (S.Th., 3 q.48 a.6 c).

Persona quidem *divina* sacrificium crucis offerebat; inde eius infinitus valor (cf. supra, th.26 schol.2). At *principium quo* tale sacrificium offerebatur, erat *humana Christi natura.* Christus enim *secundum quod homo* est sacerdos (cf. supra, th.28 n.695). Omnino itaque *physice* concurrit ad salutem nostram operandam humanitas Christi passione sua. Vere passio Christi salutem nostram *effecit.*

Quod etiam ad *actualem gratiae collationem* physice humanitas Christi concurrat ut longe probabiliorem sententiam supra (th 14) defendimus. Neque tamen id ita intelligendum est, ac si *passio* Christi, prout fuit aliquod fieri *quod iam pertransiit,* sit instrumentum physice efficiens supernaturalem effectum qui *nunc fit;* ad operandum enim physice, requiritur ut physice et actualitcr exsistat quod operetur ".

745. Scholion 4. *De descensu Christi ad inferos.* A. Factum. Animam Christi ad inferos durante triduo mortis descendisse, docet iam sacra Scriptura, maxime in 1 Petr 3,19. Veritas haec ct a sanctis Patribus docetur et a symbolis aliisque magisterii documentis proponitur, ita ut dicenda sit de fide divina et catholica definita (D 429) “.

Quoad *locum* ipsum, ad quem Christus descenderit. *Inferorum* nomen abdita illa receptacula significat, in quibus animae detinentur, quae caelestem beatitudinem non sunt consecutae ”.

Certum quidem est in theologia Christum ad infernum, in quo iusti detinebantur, descendisse. Probabilius est eum ad *purgatorium* non descendisse ac fere certum videtur eum ad *infernum damnatorum* minime descendisse M.

746. B. Momentum soteriologicum. *a)* Pro ipso Christo est *inchoatio glorificationis* quam per passionem meruerat, ita ut iam tum

18 De relatione inter Christi satisfactionem et sacrificium, cf. E.HocedEz, *A propos d'un livre sur l'incarnation:* Greg 12 (1931) 144-146.

« Cf. Caihtanum, *In 3* q.56 a.1 ad 3; Suarez, d.31 s.8 n.6-10. De generaliori doctrina S.Thomae, cf. J.LictrvER, C.S.Sp., *La causalité efficiente des mystères du Christ selon saint Thomas:* DocCom 6 (1953) 91-120.

18 Cf. Hoi.zmEist BR, *Commentarius in epistolas SS.Petri ct Ittdae apostolorum* 295-354. De aliis textibus sacrae Scripturae, cf. *ibid.,* 318; Lerciirr, η.222; H.Quii.i.ET. *Descente de Jésus aux enfers:* DTC 4.565-583, ubi de adversariorum obiectionibus quoque agitur; Gru.i.mEier, *Der Cottcssohn im Totcnrcich:* ZkathTh 71 (1949) 1-53.184-203. De opere non catholico, in quo multa colliguntur consideratione digna, a W.BibdEr, *Die ICorstellunti von der Uôllcnfahrt lesu Christi,* cf, J.DasiElou: RechScRel 37 (1950) 594-600.

“ *Catcch. Rom.* p.1 c.6 n.2.

30 *Cf.* SuÂREZ, *De mysteriis...* d.43 s.4 n.3; DTC 4,583-590.

verba Sti.Pauli: *omne genu flectatur... et infernorum* (Phil 2,10) adimplerentur.

b) Pro animabus iustis in limbo Patrum detentis Christi descensus fuit *applicatio fructus redemptionis,* concrete' eo quod illae animae inciperent *Deum videre*

Utrum Christus aliquas animas in *purgatorio* detentas liberaverit, quae secus ibi adhuc manere debuissent, controvertitur. In genere negant theologi Christum omnes animas in purgatorio detentas liberasse ".

747. Scholion 5. *De resurrectione Christi.* Quamvis Christi resurrectio et ascensio logice ad huius libri caput secundum pertineant (cf. th.30 n.753), ob rationes practicas de his nunc ad modum scholii agemus. Cacterum cum de hoc nostrae fidei dogmate circa Christi resurrectionem abunde in theologia fundamentali actum sit, sufficiat eius momentum soteriologicum efferre.

Praeter speciales rationes propter quas necessarium fuit Christum a mortuis resurgere (cf. S.Th., 3 q.53 a.l c), Christi resurrectio est quoad nos causa resurrectionis corporum et animarum.

Quoad *corporum resurrectionem,* Christi resurrectio est et causa efficiens et causa exemplaris. *Efficiens* quidem in quantum humanitas Christi secundum quam resurrexit, est instrumentum coniunctum divinitatis ipsius (cf. supra, th.14). *Exemplaris* autem erit causa maxime quoad *iustorum* resurrectionem, qui sunt facti conformes imaginis Filii Dei (cf. Rom 8,29). Cf. Phil 3,21 3.

Insuper Christi resurrectio est *pignus* nostrae corporeae *resurrectionis.* 1 Cor 15,20.23: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium... Unusquisque autem in suo ordine, primitiae Christus M.*

748. Quoad *animarum* resurrectionem seu quoad iustificationem. Dependentia nostrae iustificationis a Christi resurrectione clare effertur a S.Paulo. Rom 4,25 : *traditus est propter delicta nostra et resurrexit* (iuxta graecum: *resuscitatus fuit) propter iustificationem nostram.* Cogitandum quidem est de influxu causali resurrectionis Christi in nostram iustificationem *mediante fide;* huius fidei obiectum est Deus *qui suscitavit lesum Christum Dominum nostrum a mortuis* (Rom 4,24).

Causalitas autem Christi resurrectionis est insuper *exemplaris:* cf. Rom 6,4s.ll. Praeterea est haec causalitas *moralis,* quatenus per modum *sacrificii* resurrectio Christi influit in nostram redemptionem, siquidem unum quid constituit cum Christi morte: est namque ex parte Dei publica agnitio et acceptatio sacrificii propitiatorii Christi. At etiam est causalitas *efficiens* instrumentaliter, quia nos Christi vitam (iustificationem) non participamus nisi ut membra corporis Christi, cuius corporis caput est Christus *gloriosus.* Praeterea

21 Cf. S.Th., 3 q.52 *a.l.4s;Catech. Rom.* p.l c.6 n.6; DTC 4,618s. Cf. G.Philips, *La grâce des justes de l'Amcien Testament:* EphThLov 24 (1948) 33-37. De relatione inter descensum Christi ad inferos et nostrum baptismum, cf. O.Rousseau, O.S.B., *La descente aux enfers, fondement sotériologique du baptême chrétien:* RechScRel 40 (1951-1952) (Mélanges J.Lebreton, 2) 273-297. Cf. quoque H.J.Schulz, *Die "Hâllenfahrt" ais "Anastasis":* ZkathTh 81 (1959) 1-66; E.BisER, *Abgcstiegen su der Halle. Versuch einer aktuellcn Sinndcutung:* MünchThZ 0 (1958) 205-212.283-293.

22 Cf. S.Th., 3 q.52 a.8: DTC 4,616s.

22 Cf. S.Th., 3 q.56 a.l; *Catcch. Rom.* p.l c.6 n.13.

21 Cf Prat, *La Théologie...* 1,160s; 2,439-441.

haec Christi vita datur nobis simul per Spiritum Sanctum et maxime in Eucharistia; Christus autem influxum suum vitalem non iungit cum Spiritus Sancti influxu nisi ut glorificatus.

Haec connexio inter Christi resurrectionem ac nostram iustificationem ostenditur quoque a S.Paulo symbolismo baptismi (Rom 6,3-11) et comparatione novi Adami (1 Cor 15,45-49)

749. Scholion 6. *De ascensione Christi.* Hoc factum, de quo fusius agi nunc solet in schola exegeseos novi TestamentiM, inter nostrae fidei dogmata numeratur, ut iam ex ipsis symbolis abunde ostenditur. Cf. D 2 13 16 20 40 54 86. Christi ascensio intime cum resurrectione connectitur, de qua nuper, ac simul cum sessione Christi ad dexteram Patris, de qua in thesi sequenti agemus.

Praeter rationes ob quas conveniens fuit Christum in caelos ascendere (cf. S.Th., 3 q.57 a.1), soteriologicum momentum ascensionis considerandum est, vi cuius Christi ascensio iure *causa nostrae salutis* dici debet, tum ex parte nostra tum ex parte ipsius Christi.

Ex parte nostra, quia per Christi ascensionem mens nostra movetur in ipsum, dum fidei, spei, caritati, reverentiae locus datur. *Ex parte autem ipsius,* quia Christus in caelum ascendens et viam nobis praeparavit ascendendi in caelum, et ad interpellandum pro nobis et simul tanquam Dominus caelum intravit ut divina dona inde hominibus mittat (cf. S.Th., 3 q.57 a.6)".

750. Scholion 7. *Christus propheta.* De gratia gratis data prophetiae in Christo quaedam insinuavimus supra, th.11 schol.6 nota 42, ubi propheta accipiebatur cum S.Thoma (3 q.7 a.S c) tanquam qui "cognoscit et loquitur ea quae sunt procul ab hominum sensibus", seu qui, "speciali divina munitus assistentia, praeprimis futura contingentia, soli Deo nota, praenuntiat"œ. In connexione autem cum *opere* Christi addendum nunc est Christum esse prophetam *sensu* quodam *ampliori.*

In veteri Testamento vox προφήτη (lat.: propheta) reddit apud LXX interpretes tria nomina hebraica: maxime K'O3 sed etiam ali-

35 Cf. S.Th., 3 q.56 a.2; F.Holtz, S.C.I., *La valeur sotériologique de la résurrection du Christ selon saint Thomas:* EphThLov 29 (1953) 609-645; Prat, *La Théologie...* 2,250-254; Bover, *Teologia** 1.5 c.4 p.369-379; E.Sauras, O.P., *La Asunciôn de la Santisima Pirgcnf* (Valencia 1950) 382-412; D.M.StanlEY, S.I., *Ad historiam exegeseos Rom 4,25:* VerDom 29 (1951) 257-274; maxime T.ZapELEna, S.I., *De Ecclesia Christi,* 2." pars (Roinae 1954) 398-423; F.X.Durrwell, *La Résurrection de Jésus Mystère de salut2* (Le Puy-Paris 1954); J.Alfaro, S.I., *Cristo glorioso, revelador del Padre:* Greg 39 (1958) 222-270; W.A.Van Roo, S.I., *The Resurrection of Christ: Instrumental Cause of Grace:* ibid., 271-284; S.LyonnET, S.I., *La valeur sotériologique de la resurrection du Christ selon saint Paul:* ibid., 295-318; H.Schmidt, S.I., *"Paschalibus initiati mysteriis"*: ibid., 463-480; L.M.MendizAbal, S.I., *La vida espiritual conio participaciôn progresiva de la resurrecciôn de Cristo:* ibid., 494-524; J.M.Gonzalez Rutz, *"Muerto por nucstros pccados y resucitado por nucstra justificaciôn" {Rom 4,25):* Bibl 40 (1959) 837-858; K.Rahner, S.I., *Dogmatische Fragcn sur Ostcrfromigkeit:* Schriftcn zur Thcologie 4 (1960) 157-172; R.SchnackEnburg, *Einc Thcologie der Aufcrstehung:* ThKcv 56 (I960) 50-58; L.Cerfaux, *La sotériologie paulinienne:* Divin 5 (1961) 88-114. Multa suggerit consideratione digna J.Comblin, *La Résurrection de Jésus* (Bruxelles-Paris 1959).

28 Cf. V.Larranaga, S.I., *La Asccn'siôn dei Scitor en cl Nucvo Testamento* (Madrid 1943) 2 vol.; P.Benoist, O.P., *L'ascension:* RevBibl 56 (1949) 101-203.

27 Cf. *Catech, Rom.* p.1 c.7 n.4-9. Plura de his tribus postremis scholiis, cf. apud Lercher, n.222-229. De connexione inter Christi mortem et gloriam, cf. Esteve, *De caelesti mediatione sacerdotali...* passim, at praecipue 206-227.

28 H.Lamiroy, *De munere Christi prophetico:* CollatBrug 27 (1927) 359.

quando ΠΝΊ et Π'Π · *Etymologice* προφήτη significare videtur eum qui loquitur pro aliquo seu alicuius loco. *Realitcr* designat in veteri Testamento hominem qui nomine Dei loquitur et divinam voluntatem hominibus manifestat. Propheta a Deo eligitur, Deus quae dicenda et agenda sunt ei inspirat.

751. Prophetae populi israelitici sunt historice supremi et authentici magistri a Deo instituti, ut foedus a Moyse datum conservent, excolant, novis revelationibus augeant et novum foedus praeparent. Munus religiosum et simul politicum prophetis a Deo assignabatur in populo illo theocratico “.

Messias velut propheta inde a libro Deuteronomii (18,15-19; cf. Act 3,22s) ac postea apud Isaiam (42,1-7 ; 61,1-3) praenuntiatus erat M. In N.T., hic titulus Christo ab aliis applicatur. Cf. Mt 21,11 ; Lc 7 16; 24,19; Io 4,19; 9,17. Catechismus Romanus (p.l c.3 n.7) Christum summum prophetam vocat “.

752. Scholion 8. *Magister* (διδάσκαλο , καθηγητή) apparet Christus expresse in N.T., et quidem ipse sc hoc modo *explicite* designat. Cf. Io 13,13s ; Mt 23,8.10. *Quoad rem* vero id saepius dicitur v.c. ubi Christus *docens* inducitur vel ubi ipse testatur se nomen Dei hominibus manifestasse (Io 17,6.8.26) aut esse lucem mundi (Io 8,12). Ecclesiae magisterium hanc Christi qualitatem extollit ”.

Quamvis non raro “propheta” et “magister” per modum unius de Christo dicatur, discrimen adesse videtur. Propheta enim in V.T. munus cuiusdam supremi moderatoris supra ipsos reges ac sacerdotes exercebat, quod simplex “magister” non obtinet. Caeterum “propheta” quid veteris Testamenti proprium magis sonat; ideo libentius Christum "magistrum” quam "prophetam” audimusa.

20 Cf. A.Pohl, S.I., *Historia populi Israel inde a divisione regni usque ad exilium...* (ad usum privatum Pont. Instituti Biblici) (Rotnae 1933) 22-30; E.MangENOT, *Prophète:* DB 5,705-720; Liddell-Scott-Jones, *A Greek-English Lexicon...* 1540.

30 Cf. Cuui'PKNS, *De prophetiis messianicis...* 101-114: Kocn, *Der Gottcsqeist und der Messias:* Bibi 27 (1946) 376-403; Heinisch, *Théologie...* 311-314.

81 Plura, cf. apud J.Loncke, *Dc 'indole muneris prophetici Christi Redemptoris:* CollatBrug 46 (1950) 182-186; ibi de Christo propheta-magistro sermo fit. Multa habit, quamvis determinatam notionem prophetae vix nr^ebeat, F.Gils, *Jésus Prophète d'après les Évangiles synoptiques* (Louvain 1957).

52 Cf. plura apud Lercuek, n.235-237; J.Salaverri, S.I., *Cristo, Maestro:* EstEcl 32 (1958) 5-19.

33 Alia est distinctio inter «προφήτα » et «διδασκάλου », si de grands *gratis datis* sermo fit apud S.Paulum in primaeva Ecclesia; cf. breviter, Prat, *La Théologie...* 1, note D, 498-500.

CAPUT II

De exaltatione Christi post hanc vitam

Thesis 30. Christus homo est omnium hominum ac populorum rex ; estque rex etiam secundum quod homo. Suum regnum spirituale est: tamen in regna quoque temporalia potestas directa in actu primo ei competit.

S.Th., 3 q.58s; D'Ales. 402-414; Lercher5, n.238-244; R.SchnackEnrhrc, *Gottes Hcrrschaft und Reich, Eine biblisch-theologische Studie* (Freiburg 1959).

753. Nexus. In primo capite huius secundi libri egimus cum S.Thoma de exitu Christi ex hoc mundo. Ultimus nunc restat gressus faciendus cum eodem S.Doctore ad considerandam Christi *exaltationem.* Cum aliqua de Christi resurrectione (3 q.53-56) et ascensione (q.57) supra, th.29 schol.4s n.747-749, ob rationes practicas praemiserimus, tractanda venit quaestio de sessione Christi ad dexteram Patris (q.58) deque eius iudiciaria potestate (q.59), quae duo sub notione *regalitatis* Christi comprehendimus. Ipse enim S.Thomas ad Christi re[1]giam dignitatem in his duabus quaestionibus expresse attendit (cf. q.58 a.1 c; a.2 c; a.3 c; q.59 a.4 ad 1)

754. Notiones. Christus homo seu Christus *ut hic homo.* Sumitur eo sensu quo supra, th.19 n.492. Si quis hoc idem illa formula exprimere vellet: *Christus ut homo,* vox "homo" reduplicaretur sensu *specificativo minus proprio* (cf. th.19 n.493s).

Ad hoc ut haec propositio: "Christus homo, seu hic homo Christus, est rex" vera sit, communicatio idiomatum sufficit (cf. supra, th.16 n.372).

755. Rex. Notionem "regis" ex *Encyclica "Quas primas",* statim n.763 adducenda, desumimus. Sensu *metaphorico* rex dicitur qui in aliquo ordine summum excellentiae gradum obtinet: v.c. rex poetarum, rex artificum, h.e. summus poeta, summus artifex. Sensu autem *proprio* rex dicitur qui munus habet homines in societate adunatos regendi eosque ad finem communem perducendi : quo munere fungitur per exercitium triplicis potestatis, sc. legislativae, iudiciariae, exsecutivae.

[1] Alias tetigerat S.Thomas in *Summa* regalitatem Christi: v.c. 3 q.31 a.2 c; q.36 a.2 ad 3; a.7 ad 3. De doctrina S.Thomae circa Christi rcgiain potestatem, cf. J.Leclercq, O.S.B., *La réalésa de Jcsucristo en las obras de Santa Tornâs:* CiencTom 59 (1940) 144-156. Addi posset oratio habita a S.Thoma prima dominica adventus circa Christi regalitatem: cf. RevThom (1946) 158ss vel VieSpir 78 (1947) 400-415.

Christum esse regem sensu *metaphorico* ob summum excellentiae gradum quo inter omnes res creatas eminet, nimis patet, nec de hoc sensu in thesi agimus.

Asserimus itaque Christum esse regem sensu *proprio.*

756. Omnium hominum. Quo sensu Christus rex angelorum et omnium rerum creatarum dici debeat, infra, schol.3s n.786s exponemus.

Omnes homines intelligimus quotquot *post* Christi adventum exsistunt. De his qui *ante* Christum vixerunt, dicemus infra, schol.2 n.785.

Ac populorum. Populum intelligimus homines *societatem civilem perfectam* efformantes. A fortiori constabit Christum esse regem societatis cuiuslibet *domesticae.*

757. Christus secundum quod homo. Ulteriorem gressum in hac secunda parte theseos facimus. Vox "homo" reduplicatur sensu *specificativo proprio,* de quo supra, th.20 n.521. Dicimus ergo Verbum *voluntate sua humana* creaturas regere.

Videretur forte vox "homo" reduplicari sensu *reduplicativo* (cf. supra, th.19 n.496). Id tamen minus recte diceretur, quia regalis potestas non competit Christo homini *ex principiis naturae humanae,* sed datum est ei propter unionem ad divinam personam (cf. infra, maxime schol.1 n.784).

758. Regnum (βασιλεία). Duplici praecipue sensu accipitur haec vox; aliquando enim *ipsam regiam dignitatem ac potestatem* significat, qua supremus communitatis rector pollet; aliquando vero *integram communitatem* seu societatem designat in quam regia illa potestas exercetur [2].

Regnum spirituale. Potestas seu auctoritas per ordinem ad *societatem* definitur; societas autem a fine suo proximo specificatur. Regnum itaque spirituale habebitur, ubi societatis perfectae finis proximus sit sanctificatio animarum.

Regnum Temporale habetur ubi societatis perfectae finis proximus est prosperitas publica temporalis [8].

In hac thesi vox "regnum", ubi de Christi regno spirituali agitur, ipsam regiam *potestatem* potius designat; ubi autem "regna temporalia" memorantur, ipsa *societas* civilis perfecta indicatur.

1 Pro novo Testamento, cf. ZorEll, *Lexicon graecum...* in h.v. Pro generaltori usu huius vocis, cf. Kittel, *Theologisches Worterbuch...* 1,57.9s. Pro lingua latina, cf. ForcEi.i.ini-De Vit, *Totius latinitatis lexicon* in h.v.

8 Cf. V.Catjirein, S.I., *Philosophia Moralis...M* (Friburgi Br. 1927) n.5O5s. 600; I.Gonzalez, S.I., *Philosophia Moralis (.Philosophiae Scholasticae Sumina...* B.A.C. [Matriti 1952] t.3) 1006-1022; L.R.Sotillo, S.I., *Compendium luris Publici Ecclesiastici* (Santander 1947) n.14-24.102; A.VErmEErsch, S.I.-J.CrEusen. S.Ï.. *Epitome iuris canonici cum commentariis...0* (Nfechliniae-Romae 1937) t.1 n.2s.

759. Potestas directa est quae versatur circa aliquam rem *propter se ipsam.* Potestas autem *indirecta* est quae versatur circa aliquam rem *propter connexionem* quam habet cum alia re circa quam directa potestas habetur

Potestas directa in actu primo. Potestas, sive directa ea sit sive indirecta, considerari potest in se ipsa et in exercitio. Potestas *in se ipsa* dicitur potestas *in actu primo; exercitium* vero potestatis dicitur potestas *in actu secundo.*

760. Christus *secundum quod homo* habet, iuxta hanc thesim, potestatem *spiritualem* directam *in actu secundo,* h.e. regalem suam potestatem *exercet* in his quae ad sanctificationem animarum proxime ordinantur.

Quoad res *temporales* seu quae ex sua *destinatione* referuntur ad vitam terrenam, ac quoad *societates civiles,* Christus *ratione huius potestatis spiritualis* potestatem temporalem *indirectam* habet, prout et quatenus sc. res eae temporales connexae sint cum spiritualibus4.*

Insuper Christo potestatem directam temporalem *in actu primo* tribuimus. Unde reges societatis civilis non sunt proprie vicarii seu mandatarii Christi, sed *essent,* si Christus regiam potestatem, quam in actu primo habet, *exercuisset.*

761. Adversarii. A. Christum hominem esse omnium hominum ac populorum regem negat *laicismus,* "pestis aetatis nostrae". Maxime vero impugnat *laicismus societates civiles* Christum regem agnoscere debere.

Hoc *de ipso Deo* negat *laicismus;* at contra hominem Christum, visibilis Ecclesiae fundatorem, praecipue invehitur (D 2197)6.*

B. *Plures veteres theologi* referri solent, qui negassent Christum secundum quod homo potestatem temporalem directam in actu primo habuisse °.

♦ Haec denominatio potestatis sc. Christi *indirectae,* conformior videtur modo loquendi circa potestatem indirectam apud theologos et canonistas usitato. Cf. S.Bellarmino, *Tract, de potestate Summi Pontificis... adversum Gulielmum Barclajum* c.5 (edit. Neapol. 1858, t.2 p.2 pag.278); E.M.Cappello, S.I., *Summa iuris publici ecclesiastici...*8 (Romae 1943) n.199.219-246: A.Ottaviani, *Institutiones iuris publici ecclesiastici* (Civitate Vaticana 1935) t.l n.24; SoTillo, *Compendium iuris publici...* n.218. Tamen M.J.Nicolas, O.F., hanc denominationem impugnat ac Christi regalem potestatem in temporalia praefert *directam sed mediatam appellare* (Id., *Le Christ Roi des nations·.* RevThom 44 [1938] 476). Etiam VermEErsch-CrEusen *(Epitome...* n.15) loco potestatis *indirectae* loquitur aliquando de potestate *directe* attingente rem temporalem, quae *pet accidens* spiritualis est. Refutationem potestatis sic dictae *diredivae,* vide apud VermEErsch-CrEüSEN, *o.c.,* n.l6s. Alii loquuntur de exercitio dominii Christi supra mundum *per Ecclesiam:* cf. *La seigneurie du Christ sur l'Église et w le monde:* Istina 6 (1959) 156-166.

8 Cf *Encycl. "Quas prim'as":* AAS 17 (1925) 604s; B.EmonET, *Laicisme:* DAFC 2,1767-1810; J.Koch, *Laieism'us:* I/ΓK 6.343.

8 Cf. apud SalmantiCENSES, d.32 duh.2 n.9-11. A.Luis, C.SS.R., *La réalésa*

762. Doctrina Ecclesiae. A. Christus homo est omnium hominum ac populorum rex. *Symbolum Epiphanii:* "... Dominus lesus Christus... idemque rex" (D 13). *Symbolum Nicaeno-Constantinop.:* "cuius regni non erit finis" (D 86; cf. supra, th.9 n.162)[7].

Leo XIII: "...ipse [lesus Christus] princeps est ac dominus summus. Videlicet imperium eius non est tantummodo in gentes catholici nominis... sed complectitur etiam quotquot numerantur catholicae fidei expertes, ita ut verissime in potestate lesu Christi sit universitas generis humani" (Cav 794). "Humanae procreator idemque redemptor naturae, Filius Dei, rex et dominus est orbis terrarum potestatemque summam in homines obtinet cum singulos tum iure sociatos... Debet ergo in convictu humano et societate lex valere Christi, ita ut non privatae tantum ea sit sed et publicae dux et magistra vitae" (Cav 795).

763. Pius XI: "... nemo non videt, nomen potestatemque regis, propria quidem verbi significatione, Christo homini vindicari oportere; nam, nisi quatenus homo est, a Patre *potestatem et honorem et regnum* [Dan 7,13s] accepisse dici nequit, quandoquidem Dei Verbum, cui eadem est cum Patre substantia, non potest omnia cum Patre non habere communia..."[8]. Cf. D 3194s. "Nec quicquam inter singulos hac in re et convictiones domesticas civilesque interest, quia homines societate coniuncti nihilo sunt minus in potestate Christi quam singuli" (D 2196).

Idem Romanus Pontifex a.1925 festum D.N.Iesu Christi Regis, tanquam festum primarium sub ritu duplici primae classis Dominica ultima octobris ab universali Ecclesia celebrandum instituit, "ut vitae lesu Christi mysteria ante per annum commemorata sacris Christi Regis sollemnibus veluti absolvantur et cumulentur" [8].

764. B. Christus est rex etiam *secundum quod homo.* Pius XI in saepe relata *Encyclica "Quas primas"* plura habet, quae id affirmare videntur. Ita v.c. "... nomen potestatemque regis..., Christo homini vindicari oportere, nam, nisi quatenus homo est, a Patre *potestatem et honorem et regnum* [Dan 7,13s] accepisse dici nequit..." (cf. supra, n.763). "Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus

de Marta (Madrid 1942) 117-120. Res quoad magnam partem est lis dc verbo: cf. Pesch., n.568; Galtier, n.566.

' De documentis symbolo nicaen. antiquioribus, cf. Malt, *De verbis Symboli...* 4-11. De aliis documentis romanorum Pontificum, cf. J.Leci.Ercq, O.S.B., *La royauté du Christ dans les lettres des papes du XIIl" siècle:* RcvIIistDrFranç 21 (1942) 112-120.

• AAS 17 (1925) 596.

• */bid.,* 603. Cf. *ibid.,* 607.655-668.

Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint” (D 2194).

Non tamen negamus alias huius *Encyclicae* locutiones de Christo *homine* (cf. supra, n.754) intelligendas esse : unde dici posset Pium XI ulteriorem hanc nostram determinationem prae oculis forte non habuisse.

765. C. Christus homo regnum habet *spirituale.* Pius XI : “Verumtamen eiusmodi regnum praecipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere...” (D 2195). "... et suo subiectis imperio omnibus creaturis, aeternum et universale regnum, immensae tuae traderet Maiestati : regnum veritatis et vitae ; regnum sanctitatis et gratiae ; regnum iustitiae, amoris et pacis”[30].

D. Christus secundum quod homo *in regna quoque temporalia* potestatem directam in actu primo habet. Pius XI : “Turpiter caeteroquin erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab eiusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit...” (D 2196).

Quamvis his verbis Pii XI antiqua illa theologorum controversia (cf. supra, <n.761) auctoritative decisa generatim censeatur[31], res non plene liquet tum ob generalem rationem supra n.764 indicatam tum eo quod non facile est admittendum Romanum Pontificem tantorum theologorum sententiam durioribus hisce verbis indicare voluisse.

766. Valor theologicus. A. Christus homo est rex: *de fide divina et catholica definita* (D 86; cf. supra, th.9 nota 8). Christus homo est omnium hominum ac populorum rex : *doctrina catholica* (D 2196).

B. Estque rex etiam secundum quod homo: *Videretur doctrina catholica* (D 2194 ; supra, n.763 ; cf. tamen supra, n.764).

C. Christus homo regnum habet spirituale : *saltem doctrina catholica* (D 2195). At dici etiam debet: *de fide divina et catholica ex magisterio ordinario.*

D. Christus secundum quod homo in regna quoque temporalia potestatem directam in actu primo habet: *doctrina multo communior inter theologos ac videtur certa.* Forte pos-

30 Praefatio Missae in festo D.N.I.C.Regis: AAS 17 (1925) 668.
31 Cf. tamen Lavaud, O.F., *La royauté temporelle dc Jésus-Christ sur l'univers. Une controverse théologique:* VicSpir 18 (1926) 139.

set dici etiam: *doctrina catholica* (D 2196; cf. tamen supra, n.765).

767. Probatur ex sacra Scriptura. A. Christus homo est omnium hominum ac populorum rex. *V.T.* 1) Ps 2,6.8: *Ego autem constitutus sum rex*[12] *ab eo super Sion, montem sanctum eius... Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*

Messianitas huius psalmi tum ex testimoniis novi Testamenti (Act 4,25 ; 13,33 ; Hebr 1,5) tum ex traditione iudaica ac Christiana tum ex argumentis internis constat.

Docetur in hoc psalmo Messiam, h.e. Christum hominem, esse regem, cuius dominatio se extendat ad universam terram, ita ut sit rex regum et omnium nationum. Cf. quoque Ps 109 [13].

768. 2) Is 9,6s (hebr.5s): *et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius... Pater futuri saeculi* (pater aeternus, seu qui in aeternum se patrem benignum erga subditos suos ostendet), *Princeps pacis* (princeps pacificus). *Multiplicabitur eius imperium... super solium David et super regnum eius sedebit...*

Messianitas huius loci probatur tum ex testimonio S.Matthaei (4,13-16) tum ex traditione Christiana (iudaei post Christum viventes fere omnes characterem messianicum huic vaticinio denegant) tum ex eo quod variae qualitates huius "parvuli", quae in hoc contextu apparent, in Messia et in Messia tantum adimplentur.

Docetur hoc loco Messiam verum hominem, "parvulum", "filium", futurum esse regem, qui super solium David sedebit ; perdurantem amorem erga suos subditos nutriet in summa pace; regnum suum magis magisque extendet atque inimicos suos ad impotentiam rediget. Cf. quoque Is 11,1-16[14].

769. 3) Dan 7,13s: ... *et ecce cum nubibus caeli quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum perve-*

[12] Ceuppens (*De prophetiis mcssianicis...* 133s) asserit versionem graecam LXX omittere vocem "rex". Id tamen eo sensu, est verum quod apud codicem Vaticanum gr. 1209 ct ad summum apud unum codicem κηἱηυ5θη1ηηι«βασ-λεὑ)) omittitur. Recipitur tamen haec vox in editione critica quam de versionc LXX interpretum edidit A.Rahm'S (Stuttgart 1935, vol.2 p.2). Caeterum *sensus* regalis huius loci etiam sine hac voce integer remaneret.

[13] Cf. Ceuppens, *De prophetiis messianicis..*, 129-164; T.de Orbiso, O.F.M. Cap., *El "Reino de Dios" en los Sabnos:* RstFranc 49 (1948) 13-30.199-209; A.Robert, P.S.S., *Considérations sur le messianisme du Ps. II:* RechScRel 39 (1951-1952) (Mélanges Jules Lebreton, 1) 88-98. Plura de psalmis, cf. apud F.Seguea, *Messias Rcx in Psabnis:* VerDom 32 (1954) 21-33.77-83.142-154.

[14] Cf. Ceuppens, *o.c.*, 226-246. De Is 11,1-16, cf. *ibid.*, 246-274; Koch, *Dcr Gottesgeist und dcr Messias:* Bibl 27 (1946) 241-268; Id., *Geist und Messias* (Wien 1950). Forte etiam titulus "ebed-Iahveh" apud Is (cf. supra, n.638) sit titulus *regalis:* De Leeuw, *De koninklijkc vcrklaring...:* EphThLov 28 (1952) 449-471; Id., apud *L'attente du Messie* (Bruges 1954).

nit et dedit ei.,, regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient...

Messianitas huius loci elucet ex qualitatibus regni praedicti, quod sc. erit universale et sempiternum (7,18.27).

Difficultas pro messianitate *personali* huius vaticinii, quae fieri posset ex eo quod ubi haec visio *explicatur,* sermo fiat non de persona regis sed de *regno* (w. 18.22.27 : *populo sanctorum altissinii),* facile solvitur si et ad traditionis argumentum attendimus (v.c. Mt 26,64) et praeterea consideramus valde communem tum in antiquitate tum apud Danielem esse identificationem inter regem et regnum.

Rex ergo sanctorum simul cum populo suo seu cum regno suo designatur, ita tamen ut Daniel magis de persona regis quam de populo sanctorum cogitaverit, quando factum collationis potestatis regalis descripsit; ipse enim rex et non regnum sollemniter incoronatur ac claves regni accipit.

Proponitur itaque a Daniele Messias praecise ut *filius hominis* tanquam rex, cuius regnum est universale et sempiternum 1S.

770. *N.T.* 1) *Evangelia.* Lc 1,32s: ... *et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius et regnabit in domo lacob in aeternum.* Io 18,37: *Tu dicis quia rex sum ego.*

Mt 28,18-20: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes...* Textus hic vim probativam habet magnam, si tanquam compendium factorum et verborum Christi consideretur. Christus enim in novo Testamento proponitur instructus potestate legislativa (v.c. Mt 5, 22.28.32.34.. Io 14,15), iudiciali (v.c. Io 5,22.27; Act 10,42), exsecutiva (Mt 25,34.41 ; Apoc 1,18). Nunc autem *ex vi* suae plenissimae potestatis *(ergo)* apostolos mittit tanquam fundatores Ecclesiae societatis *perfectae,* quae vere est *regnum* Dei et Christi, ut fusius in tractatu de Ecclesia ostenditur.

771. 2) *S.Paulus.* 1 Cor 15,24s: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri... Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.*

Christus est rex Ecclesiae militantis, super quam regiam suam potestatem exercebit, donec omnes subiciat inimicos.

18 Cf. CeuppEns, *o.c.*, 481-490; Linder, *Commentarius in librum Daniel* in h.l. Alios locos ex veteri Testamento relatos vide apud *Jsncycl. "Quas primas":* AAS (1925) 596s; Heinisch, *Théologie...* 309-311. In genere, de aspectu religioso regalitatis apud isra^litas, cf. J.de FrainE, S.I., *L'aspect religieux de la royauté israélite...* (Roma 1954). Plura de V.T.. apud J L.McKkkziE, S.l.» *Royal messianism:* CathBiblQuart 19 (1957) 25-52.

Time demum hanc regiam potestatem sibi a Patre traditam ei reddet[10].

3) *Apocalipsis.* 1,5 ... *et a lesu Christo, qui est... princeps regum terrae.* 17,14: *et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est et Rex regum.* 19,12.16: *Oculi autem eius sicut flamma ignis, et in capite eius diademata multa... Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium*[1T].

772. B. Christus est rex etiam secundum quod homo. In sacra Scriptura rex annuntiatur originis *humani* (filius David), qui tanquam *homo* explicite proponitur. Ergo si non est ratio cur regia dignitas ab eo *tanquam homine* removenda sit, dicendum est eum esse regem etiam *secundum quod homo* est.

Nulla autem ratio apparet cur Christus *voluntate sua humana* regiam potestatem exercere non possit. E contra, ob rationes internas a Christo *secundum quod homo* excluditur *divinitas,* licet in eodem loco (Is 9,6; cf. supra, n.768) *puer ille* vocetur *Deus fortis.*

773. C. Christus homo regnum habet spirituale. Fundamentale argumentum huius assertionis est integra conceptio sacrae Scripturae, quae regnum Dei ac Christi prae primis intelligit in ordine ad animarum sanctificationem, cuius sanctificationis terminus sit salus aeterna supernaturalis.

Id quidem in veteri Testamento, etiamsi saepe sensibilia symbola adhibeantur, clare apparebat. Clarius autem effertur in novo Testamento, ita ut Christus ipse sub finem suae vitae terrestris dicere potuerit : *Regnum meum non est de hoc mundo* (Io 18,36).

De facto *praeparatio* ad ingressum in regnum Dei et Christi est paenitentia (Mt 3.2; 4,17); in illud *ingreditur* quis per fidem et baptismum (Io 3,3; Mc 16,16); huius regni *propria* sunt humilitas, paupertas, sui abnegatio, castitas, mansuetudo (cf. v.c. Mt 5,1-12, ac passim); huius regni *praeceptum maximum* est dilectio Dei ac propter Deum hominum etiam inimicorum (cf. v.c. Mt 22,37-40; 5.43-48); hoc regnum *opponitur* non regnis huius mundi sed potestati tenebrarum (Coi 1,13).

w Cf. v.c. HüB'Y, *Saint Paul...* in h.l.

,T Cf. J.Camdier, S.D.B., *La Seigneurie du Christ sur son Église et sur le monde d'après le Nouveau Testament:* Irén 30 (1057) 370.404: T.ni» t.a Potterie, S.I., *Jésus, roi et juge d'après Jn 19,13...:* Bibl 41 (I960) 217-247. Cf. quoque L.Cerfaux-J.Tondrian, *Un concurrent du Christian smc. Le Culte des Souverains dan la civilisation: gréco-rontaine* (Paris-Tournai 1957). Quomodo idea "regni" Dei et Christi totam pervadat sacram Scripturam, cf. apud J.Bonsirven, S.I., *Le Régne de Dieu* (Paris 1957).

Haec autem omnia ostendunt regnum Christi proxime ad animarum sanctificationem tendere [18].

774. D. Christus secundum quod homo in regna quoque temporalia potestatem directam in actu primo habet. Ex sacra Scriptura vix quidquam in favorem huius assertionis deduci posse videtur, cum sacrae Scripturae testimonia *realiter* de regno Christi spirituali agant, quamvis symbola adhibita sint frequenter temporalia. Hoc ex praecedenti numero 773 constat.

775. Probatur ex traditione. 1) *Facium* regni Christi Patres enuntiant. Ita S.Ambrosius: "Sumus regnum Christi ante, postea Patris..." (R 1274). S.Cyrillus Alexandrinus: "Regnavit enim ac imperavit orbi terrarum Christus. Et id manifestum nobis reddit, cum ait: *Data est mihi potestas in caelo et in terra.* Etsi enim in universitatem rerum potestatem haberet ut Deus, propter carnis ministerium sibi data esse ait quae ut Deus habuit. Cum ergo regnum obtinuerit, principes nobis praefecit sanctos apostolos..." [1®].

2) Speciatim ad *iudiciariam et exsecutivam* potestatem attendunt. S.Iustinus: "Quomodo enim homini crucifixo crederemus eum... indicium de universo genere humano facturum, nisi..." (R 125). S.Irenaeus: "... ut Christo lesu Domino nostro... omne genu curvet... et indicium iustum in omnibus faciat" (R 191). Tertullianus: "... lesum Christum... venturum cum claritate... et ad profanos adiudicandos igni perpetuo" (R 290). Cf R 31 33 101 552 647 1014 2262.

3) *Ulteriorem determinationem* huius regiae Christi potestatis tradunt. Pauca quaedam ex S.Augustino delibabimus: "Tamen quia ipse Christus ex semine David secundum carnem, Deus autem super omnia benedictus in saecula, ipse rex noster est et Deus noster: rex noster secundum quod natus est ex tribu luda secundum carnem, Christus Dominus Salvator; Deus autem noster, quia est ante ludam..." [20]. "Non onim rex Israel Christus ad exigendum tributum vel exercitum ferro armandum hostesque visibiliter debellandos; sed rex Israel, quod mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum caelorum credentes, sperantes amantesque perducat" [21].

1M Plura alia, cf. apud BonsirvEn, *o.c.*
Comment. in Is 1.3 c.41 v.27s: MG 70,843.
20 *Enarrat, in Ps 75* n.1: ML 36,958.
21 *Tract, in Io* tr.Sl η.4: ML 35,1765. Plura alia de S.Augustino, cf. apud Mohan, *De nominibus Christi...* 61-67; E-NegrEte, *La réalésa de Cristo scgun San Agustin:* RelCult 14 (1931) 161-178.331-350; J.M.Imîzcoz, *La réalésa sacerdotal de Jesucristo en San Agustin:* ScriptVict 5 (1958) 262-302. De S.Iustino, cf. J.Leclercq, *L\déc de la royauté du Christ dans l'oeuvre de Saint Justin:* AnTh 7 (1946) 83-95. Alia ex Patribus testimonia vide apud D'AlES,

776. Ratio theologica. A. Christus homo est omnium hominum ac populorum rex. *a)* Ratione *unionis hypostaticae.* Vi huius unionis homo ille lesus est omnium rex, quia verus est Deus, *b)* Ratione *redemptionis,* cum ipse nos a peccato, a poena peccati, a potestate diaboli liberaverit ac suos effecerit (cf. supra, th.29, maxime n.742) 22.

777. B. Estque rex etiam secundum quod homo, *a)* Iuxta quod probatum est supra, th.28 n.695, Christus est *Sacerdos* praecise *secundum quod homo,* ac idem probari posset de Christo *Redemptore;* iam vero regium Christi mimus induit ac participat naturam utriusque illius muneris, h.e. Sacerdotis et Redemptoris 23 ; ergo Christus est rex secundum quod homo.

778. *b)* Natura Christi humana omnem potestatem excellentiae participat, quantum possibile est ac consonum fini incarnationis 24 ; iam vero, quod voluntas Christi humana universum genus humanum regeret, possibile fuit ac fini incarnationis consonum; ergo Christus secundum quod homo est rex.

Possibilitas probatur non solum negative, eo quod nulla ratio impossibilitatis appareat, sed etiam *positive.* Ad alios enim regendos, maxime si de universo genere humano agatur, summae requiruntur scientia, rectitudo, potentia. Constat autem Christum intellectu suo humano summam habuisse *scientiam* (cf. supra, th.13), in voluntate sua humana summam habuisse *gratiam ac impeccabilitatem* (cf. supra, th.11.15), in anima sua summam *divinae omnipotentiae participationem,* ita ut ad ipsos supernaturales effectus haec concurrerit (cf. supra, th.14).

Incarnationis quidem finis fuit hominum redemptio per humilitatem, obedientiam, passionem, mortem Christi ; at simul venit Christus tanquam *rex* omnium hominum, ut in hac thesi probavimus. *Consonum* autem est huic muneri Verbi incarnati, ut et eius *humana voluntas* quae ab angelis et hominibus *uno eodemque latriae cultu adoratur* quo Christi divinitas (cf. supra, th.20), regiam Christi hominis potestatem suscipiat ac participet.

779. *c)* Inferiora quodam ordine reguntur a Deo per superiora, non quidem per superiora secundum quid, sed per superiora simpli-

404.408s.412s. Videas quoque J.KoixwiTZ, *Das Bild von Christus dem Konig in Kunst und Liturgie der christlichen Fruhzeit:* ThGl (1947-1948) 95-117. Plura de aevo medio, cf. apud J.LeclXrcq, O.S.B., *L'idée de la royauté du Christ au moyen âge* (Paris 1959).

22 Cf. *Encycl. "Quas primas":* ÂAS 17 (1.925) 598s.

23 Cf. *ibid.,* 600.

** Fortius adhuc hoc pricipium proponit SuXrEZ, *De Mysteriis...* d.52 s.1 n.11.

citer et absolute ; unde dicendum est omnia regt per animam Christi, quae est simpliciter et absolute super omnem creaturam

780. C. Christi regnum spirituale est. Ulteriori probatione id non indiget, cum totum opus Verbi incarnati maxime ad *salutem supernaturalem* hominum ordinetur.

D. In regna quoque temporalia potestas directa in actu primo ei competit. Probavimus nuper, n.777-779, voluntatem Christi humanam participare regiam Christi hominis potestatem ; Christus autem homo in regna quoque temporalia potestatem directam in actu primo habet ratione divinitatis. Aliunde nulla cogens ratio adducitur, ut participatio divinae potestatis regalis in humana Christi voluntate ad *sola spiritualia limitetur.*

Duplex solet ratio afferri contra hanc participationem potestatis regalis quoad temporalia. Prima petitur ex eo quod pro Christi missione spirituali ac pro humilitatis et paupertatis exemplo hominibus tradendo *inconveniens* videatur eum huiusmodi potestatem *in temporalia habuisse.* Respondetur haec valere quidem *de usu potestatis,* non vero *de ipsa potestate in actu primo.* Humilitas ac paupertas magis adhuc commendantur; nec spirituali Christi missioni obest eum *solam potestatem* habuisse, quam nunquam exercuisset.

Altera ratio petitur ex eo quod mera potestas, quae ad actum non reducitur, *inutilis* sit. Hoc tamen non valet, ubi sola iam potestas independenter ab exercitio *perfectionem* affert atque ad maiorem subiecti dignitatem confert, sicuti in hoc nostro casu accidit. Plura alia habuit Christi humana natura quae nunquam ad actum reducta sunt, uti donum linguarum, perfectam rerum naturalium scientiam 2e.

781. Obiectiones. 1. Romanus Pontifex est Vicarius Christi in terris. Atqui vicarius participat potestatem eius, cuius vices gerit. Ergo romanus Pontifex haberet potestatem directam in actu primo in regna temporalia.

Conc. mai. Dist. min. Vicarius participat potestatem cius, cuius vices gerit, *iuxta mensuram* qua potestatem accipit, *conc. min.;* illimitate, *nego min. Contradist. cons.* Romanus Pontifex haberet potestatem hanc directam, si illimitate participaret Christi potestatem, *conc. cons.;* si iuxta mensuram, *subdist.:* si Christus ei hanc potestatem dedisset participandam, *conc. cons.;* si de facto non dedit, *nego cons.*

Potestas Romani Pontificis tanquam Christi Vicarii participatur *iuxta finem* Ecclesiae : hic autem finis non est directe temporalis, ut in tractatu de Ecclesia et in iure canonico fusius exponitur.

Caeterum, etiamsi hanc potestatem participasset, nullatenus posset Romanus Pontifex eam *exercere,* quam *nec ipse Dominus* exercet.

23 Cf. S.Th., 3 q.59 a.6 ad 3; CatETanus, in h.l.
35 Cf. Saimanticenses, d.32 dub.2 n.7.

782. 2. In *Eneyclica "Quas primas"* legitur: "Quodsi principibus ct magistratibus... persuasum erit, se, non tam iure suo, quam divini Regis mandato ac loco imperare..."[11]. Atqui haec indicant principes temporales esse *vicarios* Christi Regis. Ergo Christus non solam potestatem directam in actu primo habet in regna temporalia, sed eam *exercet* in actu secundo.

Admitto textum et explico. Locus allatus significat principes sacculares esse proprie dictos vicarios Christi, *nego;* significat eos habere a Christo auctoritatem, simili sensu quo *maritus* pro uxore Christum repraesentat, *conc. Contradist. min.*

Summus Pontifex paulo antea in hac eadem *Encyclica* explicite *negaverat* Christum rerum civilium imperium aut in vita terrestri *exercuisse* aut nunc *exercere* (cf. D 2196). Nequeunt itaque verba allata sensum habere, quem obiciens indicat.

783. Quinam sit horum verborum legitimus sensus positive deducitur ex eo quod locus allatus immediate legatur post haec verba: "Quamobrem Apostolus Paulus, licet uxoribus et servis praeciperet, ut in viro suo, ut in suo domino Christum vererentur, monuit tamen, ut non iis tanquam hominibus obedirent, sed unice qui Christi gererent vicem..."[18].

Age iam, eatenus vir potest dici "gerere Christi vices" in exercitio suae potestatis quoad uxorem, quatenus subiectio uxoris debet praestari *propter Christum qui talem ordinem ac subtectionem praecipit.* Unde uxor vere in tali sublectione sesc potissimum *Christo* submittit.

Caeterum, nullum esset incommodum in eo quod dicatur principes mandato ac loco Christi imperare, quatenus Christus est *Deus.* S.Paulus enim de principibus saecularibus agens, dicebat: *non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt* (Rom 13,1). Haec solutio commendatur termino *"divini* Regis mandato", quem hic adhibet *Encyclica.*

784. Scholion 1. *Christus secundum quod homo veram potestatem regalem at non primariam nec supremam habuit.* Primaria potestas regalis haec duo includere videtur: independentiam ab omni superiori potestate et quod haec suprema potestas habeatur ex intrinsecis et essentialibus principiis naturae. Haec vero duo ita conveniunt Deo quatenus Deus est, ut nequeant humanitati communicari. Quoad independentiam absolutam patet; alterum vero non competere Christi humanitati constat, quia regalis potestas non convenit Christo homini *ratione humanitatis,* seu ex principiis illius; sed datum ei est *propter unionem ad divinam personam.*

Christi nihilominus potestas *vere,* proprie et simpliciter est regalis. Quin immo, *verius* est regalis haec Christi potestas, quam cuiuslibet regis mere humani. Tum enim Christus secundum quod homo tum quilibet legitimus rex *divinam* regendi potestatem participant; Christus tamen *multo perfectius ac eminenter*™.

785. Scholion 2. *Christus rex eorum qui ante eius adventum vixerunt.* Potest huic quaestioni solutio applicari quam S.Thomas circa *iudiciariam* Christi potestatem tradit, sc. ante incarnationem iudicia exercebantur "per Christum, in quantum Dei Verbum est;

« AAS 17 (1925) 602.
28 *Ibid.*
w Cf. SuXsnz, *De Mysteriis...* d.52 s.1 n.4-10, ubi directe de *iudiciaria* Christi potestate sermo est.

cuius potestatis facta est particeps per incarnationem anima ei personaliter unita" (3 q.59 a.4 ad 3).

Omnes homines nihilominus judicabuntur a Christo secundum quod homo est in ultimo iudicio, et sic omnes cadunt sub regali potestate Christi etiam secundum quod homo".

786. Scholion 3. *Christus secundum quod homo, rex angelorum.* Ptus XI explicite traditionalem doctrinam eiusque fundamentum exponit: "Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio hominis angeli et homines pareant et subiecti sint: nempe ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat" (D 2194).

Potestas haec regalis Christo *secundum quod homo competit,* prout rationes supra n.778s factae, ostendunt.

Quo sensu Christus secundum quod homo angelos *indicaturus sit,* controvertitur; utrum sc. in ultimo iudicio angeli boni quoad praemium essentiale, angeli vero mali quantum ad poenam essentialem a Christo sint indicandi.

S.Thomas quoad hoc punctum solius illius indicii angelorum mentionem facit, quod "factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, a principio mundi" (3 q.59 a.6 c).

Suarez autem probabilius censet omnes etiam angelos esse in ultimo iudicio a Christo, in quantum est homo, indicandos quoad praemium et supplicium essentiale, iudicio saltem approbationis et condemnationis ".

787. Scholion 4. *Christus secundum quod homo, rex inferiorum creaturarum.* Strictissimo sensu quo vocem "regem" in thesi hac sumimus (cf. supra, n.755), proprii subditi Christi regis nequeunt esse nisi *rationales* creaturae. Attamen, consonanter ad modum loquendi sacrae Scripturae, in qua Deus *rex omnis terrae* (Ps 46,8) dicitur, potest Christus rex appellari etiam rerum insensibilium.

Hic quoque valet principium S.Thomae: "cuicumque committitur principale, committitur et accessorium" (3 q.59 a.4 c). Res autem omnes inferiores *in hominem* ordinantur et consequenter in finem beatitudinis quae est salus aeterna.

788. Scholion 5. *Christus secundum quod homo, dominus temporalis omnium rerum mundi.* In praecedentibus maxime attendebatur potestas *regendi et gubernandi* subditos sive in ordine spirituali sive in ordine temporali. Relate autem ad *dominium proprietatis* rerum temporalium quod Christus secundum quod homo obtinuerit, fere eadem dicenda sunt ac quae de potestate eius in regna temporalia exposuimus B.

789. Scholion 6. *De notionibus affinibus capitis, domini, ducis, praesidis, regis.* Quamvis hae notiones simul ac plene in Christo locum habeant, discrimen tamen non parvi momenti inter eas assignandum videtur.

30 Plura, in tract, de novissimis, vel apud SuârEz, *De Mysteriis...* d.53 s.1s; d.57 s.7.

at SuariCz, *De Mysteriis...* d.57 s.8. De integra doctrina S.Thomae circa Christum regem angelorum, cf. Benoist d'Azy, *Le Christ et ses Anges...:* BullIJtt-Eccl (1943) 121-136; angeli sc. proponuntur a S.Thoma maxime tanquam "ministri" Christi.

32 Cf. Salmanticenses, d.32 dub.3. Brevius, Muncunill, n.1020-1024.

Caput influxum vitalem dicit, et quandam excellentiam ordinis ac perfectionis ac simul gubernationem externam (cf. supra, th.11 n.227s). Unde est notio *amplior* quam notio regis, et ideo non tam explicite ad potestatem imperandi seu *regendi,* et quidem in societate *perfecta,* attendit.

Domitius potest esse aliquid ordinis mere *privati;* ideo non plene coincidit cum notione regis, quamvis caeterum intime termini "Dominus" ac "Rex" nectantur.

Dux, praeses, non sunt terminus ille a sacra Scriptura tam usitatus ac longo saeculorum decursu apud innumeras gentes adhibitus, ut ille designaretur qui suprema auctoritate in societate perfecta potiebatur ".

Rex sensu *Encyclicae "Quas primas"* (cf. supra, n.755) connotât supremam auctoritatem iurisdictionis in societate perfecta. Quid proprium habet terminus "Christus rex", quem tanto odio *laid,* ac simul maiore amore tot fideles ac martyres nostris diebus prosequuntur.

790. Scholion 7. *Et sedet ad dexteram Patris.* Breviter est haec sacrae Scripturae formula exponenda, quae cum Christi regia potestate tam arcte cohaeret.

Haec metaphora iam in veteri Testamento de Messia dicebatur: Ps 109,1: *Sede a dextris meis, donec...* (cf. supra, n.767). Saepe autem recurrit in novo Testamento: Mc 16,19: *Et Dominus quidem lesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei.* Cf. v.c. Lc 22,69; Act 7,56; Rom 8,34; Eph 1,20; Col 3,1: 1 Petr 3,22; Hebr 1,3. Bene potest dici hanc ideam totum novum Testamentum pervadere.

Hac expressione significatur Christum singularem prorsus partem in gloria ac potentia Dei Patris habere. Id de Christo asserit novum Testamentum demum *post ascensionem;* per hanc enim Christus ingressus est in caelum tanquam in proprium locum a Deo destinatum ad habitaculum connaturale gloriosae Christi humanitatis et ad exercitium regiae potestatis".

791. Soli Christo proprie convenit ad dexteram Patris sedere. Hebr 1,13: *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis...?* Attamen "quia Christus est caput nostrum, illud quod collatum est Christo, est etiam nobis in ipso collatum" (S,Th., 3 q.58 a.4 ad 1).

Totam hanc oeconomiam salutis nostrae per intimam cum Christo *solidaritatem* verbis Sti.Pauli in breve compendium redigere liceat, quo tractatus noster de Verbo incarnato finem accipiat. Eph 2,4-6: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati, et conresuscitavit, et consedere fecit in caelestibus in Christo lesu.*

83 De notione "regis" *in sacra Scriptura,* cf. DB 5,1114-1128. *Relate ad mundunt hcllenisticum,* cf. Pauly-G.Wissowa, *Real-Encyclopadie der classischen AItertumswissenschaft* (Stuttgart 1899) 3,55-82; Kittel, *Theologischcs Worterbuch...* 1,562s. *Relate ad cunctos praecipuos populos nobis notos,* Hastings, *Encyclopaedia of Religion and ethics* 7,708-732.

34 Cf. I.erchER, n.230. Pro formula "sedere a dextris", cf. praeter ea quae ad Ps 109,1, supra nota· 12 attulimus, Kittel, *Theologisches...* 2,37-39; H.L.Strack-P.Billerbeck, *Kommentar... aus Talmud...* 1,835s (in Mt 20,21).

TRACTATUS II

Mariologia seu de Matre Redemptoris

Auctore

P. Iosepho A. de Aldama, S.I.

INTRODUCTIO

1. *Mariologia scientifica.* Mariologia, ut scientia, recenter creata est. Quae a revelatione traduit et a Patribus explicata fuerant, in theologicam deinde tractationem devenerunt ope Doctorum Mediaevalium^piaesertirmS^Bernardi, S.Alberti Magni, S.Thomae et Scoti.' Nucleus primitives alicuius specialis tractatus theologici "De R.Virgine" habetur in *Summa Theologica* 3 q.27 et sequentibus. Evolutio vero harum quaestionum maxime facta est a P.Francisco Suarez in opere,*De Mysteriis Vitae Christi* d.1-23, in quibus, praeter diligentiorem rei tractationem maioremque traditionis investigationem, nova etiam apparet praeoccupatio methodologica, quae ad Mariologiam efficiendam summopere conferre debebat. Haec semina novae scientiae mariologicae (quibus addenda erant opera stricte mariologica S.Petri Canisii primum, ac deinde Sylvestri Saavedra, Novati, De Rhodes, Vega, aliorum), vix conservata nedum evoluta fuerunt in primis theologiae Manualibus, in quibus tractatio de Maria Virgine ad duas tresve theses in tractatu de Verbo Incarnato aut de peccato originali reducitur. Sed tempora post definitionem Immaculatae Conceptionis novum ac valentem impulsum investigationibus marianis tribuerunt. Unde paulatim factum est, ut theses illae in verum et separatum tractatum, atque adeo in novam scientiam Mariologiae (partem utique Theologiae) evolverentur. Talia nunc opera habentur maxime: Alastruey, Merkelbach. Garrigou-Lar. grange, Roschini, Schmaus^ etc. Vox *Mariologia* in titulo primum recurrit anno 1602 apud Placidum Nigidum in "Summa Sacrae Mariologiae".*

2. *De principiis mariologicis.* Conatus huius verae scientiae efficiendae quaestionem invexit de principiis mariologicis, e quibus scientificae conclusiones deducerentur, quibusque hae conclusiones coniungerentur atque in aptum systema ordinarentur. Quae quidem principia nova non sunt; immo vero in SS.Patrum scriptis, in tota theologica traditione atque in ipso

1 De historia Mariologiae, cf. G.M.Roschini, O.S.M., *Mariologia* 1,383-399; CDiixenscmneider, C.SS.R., *La Mariologia de S.Alphonse de Liguori* vol.l (Fribourg 1931); J.A.de Aldama, *Piâté et système dans la Mariologia du "Docteur Eximius": Maria* (Du Manoir) 2,975-990. Cf. etiam I.Diamond, S.I., *De connexione inter Mariologiam ct ceteras Theologiae partes:* Alma Socii Christi 11,14-21; A.Winki.hofer, *Die genuine Entwicklung der marianischen Dogmcn:* ib. 5,1,1-24;A.Secovia, *Nota sobre cl autor y cl contcnido a la primera "Mariologia":* Miscelânea A.P.Goyena (Madrid 1960) 287-311.

Ecclesiae magisterio inveniuntur. Praecipua haec Mariologiae principia, praeter factum ipsum matennitatis Dei et Redemptoris, de quo infra, haec sunt2

3. a) *Principium singularitatis seu transcendendae.* Enuntiari potest: Cum Maria sit omnino singularis, cetera omnia creata transcendens, dotes et privilegia singularia sibi vindicat, quae aliis non conveniunt. Optime Eadmerus: "Nihil Tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est; omne enim quod est, aut supra Te est aut subtus Te est: quod supra Te est, solus Deus est; quod infra Te, omne quod Deus non est"8.* Nicolaus a S.Albano: "Singularis Virginis privilegium non habet similitudinis consortium" Ps.Albertus M.: "Maria non cadit in numerum cum aliis, quia non est una de omnibus, sed una supra omnes"6. S.Bonaventura: "Cum ergo sit supra omnes ordines, per se constituit ordinem" e. Suarez: "Mysteria gratiae, quae Deus in Virgine operatus est, non sunt ordinariis legibus metienda" 7. A Summis Pontificibus saepius usurpatur hoc principium. Sic Pius XI: "Ex divinae maternitatis dogmate, veluti ex arcanae scaturiginis fonte, singularis profluit Mariae gratia Eiusque summa post Deum dignitas" 8. Quibus in verbis insinuatur quoque radix ex qua principium hoc oritur, sci. maternités divina.

4. b) *Principium convenientiae.* Enuntiatur: Deus contulit Mariae omnia dona, de quorum positiva convenientia solida probatio afferri potest. S.Thomas: "In B.Virgine debuit apparere id omne quod perfectius fuit" °. Scotus: "Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae" 10II Patet, principium hoc caute et prudenter adhibendum esse, uti iam Gerson et Petavius notarunt. Usurpatur autem a SS.Pontificibus, ut a Pio IX: "Decebat omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret... tam venerabilis Mater" n.

2 De principiis mariologicis in genere, cf. G.M.Rosciiini, *De principiis fundamentalibus Mariologiae:* Marian 2 (1040) 232-250, et postea in *Mariologia* 1,338-379; J.M.Bover, S.I., *Los principias mariolôgicos:* EstMar 3 (1944) 11-33, et postea, in *Soteriologia Mariana* (Madrid 1946) 29-100; P.MahonKy, *Mariological Principles: Their Nature, Derivation and Function:* MarStud 10 (1959) 22-46.

* *De Conceptione:* ME 159,307.

4 *Epist. ad Petrum Ccllcnscnt:* ML 202,626.

6 *Mariale* resp.ad q.70.

° 2 dist. 9 q.7 (ed.Quaracchi 2,253).

I *Dc Mysteriis vitae Christi* d.3 s.5 n.31.

• *Erfcycl, "Lux veritatis":* AAS 23 (1931) 513; Marîn, *Documentas Mananos* 633.

0 3 dist. 3 q.2 a.1 sol.1.

1,1 3 dist. 3 q.1 n.10. Cf. C.Balic, *Dc regula mariologica loannis Duns Scoti:* EDoc 9 (1956) 110-133.

ll *Bulla "Ineffabilis Deus?':* CL 6,836; Marîn, 270.

5. c) *Principium eminentiae.* Enuntiatur: Omnia privilegia, quae Deus alicui Sancto contulit, dedit etiam Matri suae, sive formaliter, sive eminenter, sive aequivalenter. S.Bernardus: "Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certo non est suspicari tantae Virginis esse negatum". S.Bonaventura: "Quidquid dignitatis et gloriae istis partialiter est collatum, sacrae Virgini integraliter est concessum". S.Albertus M.: "Quidquid potest percipere creatura pura capax Dei, hoc totum communicatum est Matri Domini" M. Similiter Pius XI: "Mater Dei est: ergo quidquid ulli Sanctorum concessum est privilegii (in genere gratiae gratum facientis), hoc illa prae omnibus obtinet" 1S*

6. d) *Principium analogiae'14.* Enuntiatur: Inter privilegia humanitatis Christi et privilegia Mariae, viget vera analogia. Suarez: "Decuit Virginem esse Christo simillimam et coniunctissimam" 1B.

7. e) *Principium associationis*10. Enuntiatur: Maria associatur Filio Redemptori in opere redemptionis. Nicolaus Claravallensis: "Statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur..., et cum Ipsa totum hoc faciendum decernitur; ut sicut sine Illo nihil factum est, ita sine Illa nihil refectum sit"17. S.Albertus M.: "Dominus tecum. *Cum* praepositio notat associationem: si Dominus secum est, Ipsa etiam est cum Domino" 18.* Similiter Pius IX: "Sanctissima Virgo, arctissimo vinculo cum Eo coniuncta, una cum Illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit" 1B. Leo XIII: "Primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta"20. Pius XI: "Augusta Virgo... ideo Christi Mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur" ".

11 S.Bernardus, *Epist. 174 ad canontcos Lugdunenses:* ML 182,334; S.Bonaventura, *Scrm. 2 de Assumptione,* 2; S.Albertus M., 1 *Sent.* dist.44 a.5 ad q.3.

u *Encycl. "Lux veritatis":* AAS 23 (1931) 513; Marîn, 633. Verba desumuntur ex Cornelio a Lapide.

14 Cf. Laurent, *Le rôle dc l'analogie en Théologie Mariale:* EtMarr 4 (1938) 103-144; E.M.Esteve, O.C., *Del principio de analogia y proporeiôn:* EstMar 3 (1944) 55-65; M.Cuervo, *La cooperaciôn de Maria en cl misterio de nuestra salud debe ser conccbida analôgicamente a la acciôn de Jcsuscristo:* EstMar 2 (1943) 110-151; J.Bover, *El principio mariolôgico dc analogia:* Alma Socia Christi 11,1-13.

" *Dc Mysteriis vitae Christi* d.18 s.4 n.11.

w Cf. U.Urrutia, S.I., *De nomine Sponsae in unione hypostatica:* Alma Socia Christi 11,146-152.

17 *Scrm. 11 de Annunciatione* inter sermones S.T'etri Darmiani: MU 144,558.

w *In Lc* 1,28.

« *Bulla "Ineffabilis":* CL 6,839; Marîn, 285.

30 *Encycl. "Supremi Apostolatus":* ASS 16,114; Marîn, 329.

a‡ *Epist. "Auspicatus profecto":* AAS 25 (1933) 80; Marîn, 638.

8. f) *Principium recirculationis.* Enuntiatur: Actioni mulieris (Hevae) in ruina, contraponitur actio Mulieris (Mariae) in reparatione. S.IrenaBus: "Eam, quae est a Maria in Hevam recirculationem..." 22. S.Augustinus: "Huc accedit magnum sacramentum: ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur''23. S.Bonaven-Tura: "Congruus modus est, quod medicina ex opposito respondeat morbo, et reparatio lapsui, et remedium nocumento... ; ut sic contraria contrariis curarentur" 24.

9. *Principium primarium Mariologiae.* Quaestio agitatur de principio supremo et primario totius Mariologiae. Utrum scilicet haec omnia principia ita inter se connectantur, ut revera ab uno universaliore atque magis fundamentali principio oriantur et procedant. Quodsi ita sit, quodnam tandem tale principium designari debeat 2528

In hac re multae dantur sententiae theologorum, multi etiam et modi loquendi. Praeter enim paucos quosdam, qui de exsistentia unius principii dubitarunt (Zimara), aut eam negarunt (Bonnefoy), hae summatim sunt theologorum opiniones, aut modi dicendi :

a) *Unicum principium simplex,* quod est:
   Maria Mater Dei : Pohle-Gierens, Fernandez, Llamera, Gagnebert...
   Maria Nova Heva: Deneffe, Alameda.
   Maria Mater universalis: Roschini nunc.
   Maria typus Ecclesiae: Semmelroth.·"
   Maria perfectissime redempta: Rahner.
   Maria Mater Messiae: Dillenschneider nunc.

b) *Unicum principium compositum,* quod est:
   Maria Mater Sponsa: Scheeben. Druwé, Feckes.
   Maria Mater Corredemptrix : Merkelbach, Benz.
   Maria Mater Dei concrete et historice: Bover, Bernard.

22 *Adversus haercses* 1.3 c.22 n.4: MG 7,959.

23 *De agone christiano* c.2, n.24: MI/ 40,303.

21 *Breviioqtiium* p.4 c.3 (Ed. Quaracchi 5,243); cf. J.Carol, O.F.M., *De Corrcdcmptionc B.V.Mariae* (Civ. Vaticana 1950) 62ss. Plura circa hoc thema collecta sunt a mariologis gallicis in EtMar 12 (1954), sub titulo *La Nouvelle Eve.*

28 De hac quaestione, cf. G.M.Roscium, *De principiis fundamentalibus Mariologiae:* Marian 2 (1940) 217-232, et postea in *Mariologia* 1,324-337, ubi habetur abundans bibliographia; A.Luis, C.SS.R., *Principio fundamental o primario. /C6mo enunciarlo, si se da ese Unica principiof:* EstAlar 3 (1944) 186-217; EiJas de la Dolorosa, C.P., *La maternidad divina, principio supremo de la Mariologia:* EstMar 3 (1944) 35-53; S.AlamXda, O.S.B., *El primer principio mariolôgico, segun los Padres:* EstMar 3 (1944) 163-186. Pro recentiorc bibliographia, C.Dillenschneider, *Le principe premier d'une théologie mariale organique* (Paris 1955).

Maria Mater Christi totalis: Garcia Garces.

c) *Duo suprema principia,* quae sunt:

Maria Mater Dei et Mater spiritualis : Cuervo.

Maria Mater Dei et Socia Mediatoris : Bittremieux, Ceuppens, Alastruey, Roschini antea...

10. Sententias has consideranti facile patet theologos, qui prius non nisi de maternitate divina tanquam de supremo Mariologiae principio cogitarunt, paulatim, propter evolutam tractationem Soteriologiae marianae, in affirmationem duplicis supremi principii devenisse; quandoque sane duplex principium verbis agnoscentes, quandoque id certe re ponentes, verbis vero negantes. Quaestio autem non est simpliciter verbalis.

Quod utraque functio Mariae (maternitas Dei et maternitas hominum) retineri debeat, satis per se patet. Adeo, ut si haec duo sint aut ad invicem independentia aut simpliciter coordinata, duplex Mariologiae supremum principium sit constituendum. At putamus rem omnino aliter se habere[26]. Scilicet maternitas divina essentialiter infert in hoc ordine matemitatem spiritualem. In quam illationem defendendam mariologi quotidie magis propendere videntur. Hinc logice dicendum est, supremum Mariologiae principium unam esse divinam maternitatem. Vel si quis aliam formulam malit, maternitatem Redemptoris. Cum enim et Redemptor Deus necessario esse debeat, et redemptio non detur nisi per incorporationem hominum in Ipsum, quae incorporatio habetur essentialiter mediante divina maternitate, *maternitas Redemptoris* momentum maternale cum momento soteriologico apte coniungit.

11. *Divisio nostri tractatus.* Ex dictis colligitur nostri tractatus divisio, quidquid sit de aliis propositis divisionibus Mariologiae [27] :

Caput I. De praedestinatione Mariae in Matrem Redemptoris.

Caput II. De praeparatione Mariae ad eius maternitatem.

Caput III. De maternitate divina.

Caput IV. De maternitate spirituali.

Caput V. De glorificatione Matris Redemptoris.

30 M.LlamEra, O.P., *La maternidad espirthtal de Maria:* EstMar 3 (1944) 67-161.

w De variis Mariologiae divisionibus, cf. G.M.Roschini. *Mariologia* 16-23; M.J.NicolXs, O.P., *Essai de synthèse mariale:* Maria 1,707-741.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Alastruey, G., *Tratado de la Virgen Santisima* ed. B.A.C. (Madrid 1956).

Dillenschneider, C., *La Mariologie de saint Alphonse de Liguon* (Fribourg 1931).

Dublanchy, E., *Marie:* DTC 9,2339-2474.

Laurentin, R., *Court traité de théologie mariale* (Paris 1959).

Le Bachelet, X., *Immaculée Conception:* DTC 7,845-1218.

Lennerz, H., *De Beata Virgine* (Romae 1957).

Merkelbach, B.H., *Mariologia* (Paris 1939).

Roschini, G.M., *Mariologia'* (Romae 1947-1948).

Suarez, *De Mysteriis vitae Christi.* Ed. Vives vol.19 (Parisiis 1877).

CAPUT I

De praedestinatione Mariae in Matrem Redemptoris

12. Pius IX in *Bulla "Ineffabilis"* sic loquitur: “Ineffabilis Deus..., cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo, diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, non periret, et, quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur: ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in Illa una sibi propensissima voluntate complacuerit” [1].

Est ergo electio et praedestinatio Mariae coniuncta cum decreto Redemptionis per incarnatum Verbum peragendae; adeo sane coniuncta, ut ipsemet Pontifex paulo post scripserit: “Virginis primordia... uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerunt praestituta” [2].

13. Plura quidem, quae de illo decreto a theologis alibi disputantur, a nobis disputanda non sunt, etsi diversus opinandi modus diversa habeat consectaria in Mariologia[3]. Haec sufficiant nobis modo: Deus, decernens Redemptorem, simul decrevit dignam Matrem Redemptoris.

1 CL, 6,836; Marîn, 269.

2 CL 6,836. Cf. Pius XII, *Consi, Apost, "Munificentissimus Deus":* AAS *32* (1950) 768; Marîn, 809.

3 Videri potest RoSCHINI, *Mariologia* 2,1,19-43, ubi etiam habetur bibliographia circa hanc quaestionem. De peculiari sententia ipsius, vide *ibid.t* vel etiam I.Rocca, O.S.M., et G.Roschini, O.S.M., *De rat'one primaria exsistentiae Christi et Deiparae:* Marian 3 (1941) 1-31; C.M.Berti, O.S.M., *Animadversiones in articulum "De ratione primaria exsistentiae Christi et Deiparae" Patrum Mag.Rocca et Roschini:* ibid., 124-150; I.Rocca et G.Roschini, *Sul cos\ detto motivo deirIncarnasione. Consensi c dissensi:* ibid., 151-168; *Intorno alia ragione primaria dell'esistensa di Cristo e della Madonna:* ib., 301-371.

Thesis 1. Electio B.Mariae Virginis in Matrem Redemptoris est gratuita.

Suârez, *Dc Mysteriis vitae Christi* d.1 s.3; Merkelbach, *Mariologia* 93-104; Aeastruey, 51-66; Roschini, 2,1,9-66.

14. Notiones. Electio est actus divinus, quo Deus absolute et efficaciter decrevit hanc determinatam mulierem, Mariam, futuram esse Matrem Redemptoris. Haec quidem dupliciter concipi potest. *Primo,* ita ut inter mulieres, quae iam praevidebantur exstiturae, Maria ad hoc munus eligeretur. *Secundo,* ita ut Maria, nondum futura sed mere possibilis, eligeretur. In hoc secundo casu ratio ipsius exsistentiae Mariae habetur ex illo decreto; neque enim exsisteret nisi eligeretur in Matrem. In primo casu ratio exsistentiae Mariae independens est a decreto electionis in Matrem; exsisteret ergo etiamsi non esset Mater Redemptoris. In thesi praescindimus ab hac quaestione, de qua postea.

15. Mater Redemptoris. Terminus electionis, prout ad B.Virginem refertur, est directe et immediate maternitas Redemptoris. Sed, ut patet, maternitas haec, prout in decreto continetur, concipitur concrete et historice; sci. qualis exigitur ab hoc Redemptore, sive in sua persona, sive in suo munere redemptivo. Hinc electio in Matrem Redemptoris includit:

a) Electionem *in Matrem Dei.* Redemptor enim, iuxta divinum consilium, est Deus.

b) Electionem *in unionem maternalem cum Redemptore,* ut tali. Quae unio nequit esse pure physica aut physiologica, sed necessario est etiam psychologica et moralis. Hinc Mater Dei erit maternaliter Socia Redemptoris in ipso opere redemptionis.

Electionem *in matrem spiritualem hominum.* Redemptio enim, supposita necessaria solidaritate inter Deum et homines in Christo, non erit nisi nova communicatio vitae divinae ; quatenus homines, incorporati in Christo, ab Ipso Capite tanquam vera membra Ipsius accipiunt filiationem Dei adoptivam, quae ab Eius filiatione naturali fluit. Maternalis autem functio Mariae, qua Deus carne humana donatur, est vera incorporatio nostra in Christum ; unde Maria, quae fit Mater Dei ut possibilis fiat redemptio, est eo ipso Mater totius Christi totalis, sive Capitis sive membrorum.

Agimus ergo de electione Mariae in Matrem Redemptoris, prout haec omnia includit. Non agimus in thesi de electione Mariae ad gratiam et ad gloriam, dc qua postea.

16. Gratuita, seu non ex praevisis meritis ipsius Mariae. Scilicet Maria nullo modo meruit ut eligeretur in Matrem Redemptoris; sed electio haec, tota quanta, oritur ex praedilectione divina. Ut patet, agimus tantum dc ordine intentionis, non de ordine exsecutionis.

17. Adversarii. Vazquez tenuit B.Mariam Virginem electam esse ad maternitatem divinam ex praevisis ipsius meritis. Cum vero dicitur gratia prima collata Virgini *ut* esset Mater Dei, per particulam *ut* dicebat designari causam finalem praefinitam ante merita, non quidem efficaci electione, sed simplici voluntate. Similem electionem post praevisa merita tenuerunt Platel et Theophilus Raynaldus.*

18. Valor theologicus. Thesis dicenda est nunc *certa in theologia.*

19. Probatur. Exemptio a peccato originali concessa est Mariae propter maternitatem divinam. Ergo electio ad hanc maternitatem est prior in intentione. Ergo est gratuita. *Ultimum consequens* patet, quia ante praevisam conceptionem a peccato originali immunem nulla sunt merita Mariae absolute futura. *Antecedens* probatur: Sic loquuntur SS.Pontifices, v.c. Pius IX: "Deus ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... elegit... Quapropter Illam... caelestium omnium carismatum copia cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe libera [esset]... Et quidem decebat omnino ut... vel ab ipsa originalis culpae labe plene immunis de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum... ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius"[5]. Similiter S.Pius X: "Virgo ipsa expers primaevae labis fuit, quod Christi Mater futura erat; Christi autem Mater fuit, ut nobis aeternorum bonorum spes redintegraretur"[6]. Hunc omnino sensum refert etiam Liturgia: "Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum praeparasti..."

20. Scholion. 1. Electio Mariae in Matrem Redemptoris ita videtur fuisse gratuita, ut Deus Eam simpliciter elegerit inter possibiles creaturas. Unde tota ratio exsistentiae Mariae est Eius electio in Matrem. Est ergo *essentialiter Mater.*

2. Ex divina praedestinatione Mariae sequitur Eam *pertinere ad*

* G.VAzqukz, *In 3* q.23 c.4; Platel, *Synopsis universi cursus theologici* t.5 c.2 par.3 n.145s; Th.RaynalduS, *Dypticha Mariana* part.4 n.lOs. Cf. J.A.df. Aldama, *Gabriel Vâzques y cl problema de la clecciôn de Nuestra Scnora a la maternidad divina:* MiscCom. 34-35 (1960) 485-496.
* *Bulla "Ineffabilis"*: CL 6,836; Marîn, 269s.
e *Encycl. "Ad dicm ilium"*: ASS 36,458.

ordinem soteriologicum et ad ordinem hypostaticum. Quo sensu intelligenda sunt verba Pii IX: "Virginis primordia... uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerunt praestituta" Vel etiam, si loquamur de puris creaturis, dici potest Mariam constituere ordinem proprium et peculiarem per seipsam, ut ait S.Bonaventura '.

3. De praedestinatione Mariae *ad gratiam et ad gloriam,* dicendum videtur cum Suârez: "Dicitur B.Virginem nostro modo intelligendi prius secundum rationem praedestinatam esse et electam ut esset Mater Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam... Ideo enim B. Virgo praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in Matrem Dei..., ut esset ita disposita sicut Matrem Dei decebat" '.

4. Haec omnia dicta sunt de ordine intentionis. *In ordine exsecutionis* Maria *meruit* divinam maternitatem. Scilicet "ex gratia sibi data meruit illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue esset Mater Dei" Haec est sententia communis theologorum, quae in dictis SS.Patrum et Liturgiae fundatur. Meritum vero illud, ex communiore theologorum sententia, non fuit de condigno (Biel), aut accedens ad condignum (Janssens), aut de digno (S.Bonaventura), sed de congruo non tantum late sumpto (Sylvius, Billuart, Wirceburgenses, Garrigou-Lagrange), sed etiam stricte (Hugon, Bittremieux, Fricthoff, Alastruey, Merkelbach, Lercher, Roschini). Meritum de congruo late dicto intelligunt meritum impetrationis

CAPUT II

De praeparatione Mariae ad eius maternitatem

21. Matemitas Redemptoris, ad quam Maria divinitus eligebatur, cum maxime includeret maternitatem Dei, adeo excellens donum est, ut alia dona supernaturalia in Matre omnino exigat. Dignam enim Matrem Deum habere decebat. Digna autem Mater Dei, qui summa est sanctitas, non esset, nisi absolute immunis ab omni peccato, donisque gratiae plene cumulata exsisteret. Hoc ergo modo Deus Ipsam praeparavit, ut digna Mater Redemptoris fieret.

Sed praeterea, quia miraculosa haec matemitas divino consilio debuerat interim celari hominibus, oportuit ut Filius Matris Virginis intra legitimum connubium nasceretur. Hinc dandus Ei erat Sponsus, quocum sanctissimis nuptiis coniungeretur.

' *Bulla "Ineffabilis"*. CL 6,836; Mar!n, 271.
8 2 d.9 q.7 (Ed. Quaracchi 2,250).
• *De Mysteriis vitae Christi* 0.1 s.3 n.3.
« S.Th., 3 q.2 a.11 ad 3.
11 De hac quaestione vide Roschini, *Mariologia* 43-48, ubi diversi auctores citati allegantur.

Ideo agentes de hac divina Matris praeparatione, investigabimus:

Art.1. Eius immunitatem a peccato originali.

Art.2. Eius immunitatem a fomite peccati.

Art.3. Eius immunitatem a peccato personali.

Art.4. Eius positivam sanctitatem ac plenitudinem gratiae.

Art.5. Eius matrimonium virginale.

ARTICULUS I

De Mariae immunitate a peccato originali

Thesis 2. Beatissima Virgo Maria in primo instanti suae conceptionis fuit, singulari Dei privilegio, intuitu meritorum Christi, ab omni originalis culpae labe praeservata immunis.

SuarBz, *De Mysteriis vitae Christi* d.3; X. le Bachelet, *Immaculée Conception:* DTC 6,845-1218; Roschini, *Mariologia* 2,211-287, ubi habes amplissimam bibliographiam; AlastruEy, 141-231; Merkelbach, 106-142.

22. Nexus. Considerata electione, quam ab aeterno Deus fecit ut Maria Mater fieret Redemptoris, agendum est de exsecutione huius electionis. Adventante ergo plenitudine temporum, Deus conceptionem Mariae gratiae suae donis praevenit.

23. Notiones. Verba desumuntur ex ipsa definitione dogmatica (D 1641), utpote quae optime determinant sensum huius dogmatis:

Ab omni originalis culpae labe immunis, sci. non contraxit peccatum originale, non habuit actualem infectionem huius peccati, eius maculam, eius reatum culpae et poenae. Quia autem in hoc providentiae ordine carentia peccati originalis supponit sanctificationem per gratiam, ideo indistincto modo loquimur de immunitate a peccato originali et de immaculata seu purissima conceptione.

24. In primo instanti suae conceptionis. Agitur de conceptione passiva Mariae, qua Ipsa a matre concepta est. Dicimus Mariam non fuisse sanctificatam in utero ante nativitatem, sed in ipso momento conceptionis; et quidem in ipso primo momento unionis animae cum corpore. Unde simul tempore anima Virginis creata, unita et sanctificata fuit.

Singulari Dei privilegio. Dicitur *privilegium,* quia est vera exceptio in lege generali qua homines, naturali genera-

tione propagati, concipiuntur in peccato originali. Nihil interim dicimus de modo, quo haec exceptio facta sit. Dicitur *singulare,* quia vel Illi soli concessum est, vel saltem de Illa sola constat.

25. Intuitu meritorum Christi. Privilegium hoc in Maria habetur propter praevisa merita Christi Redemptoris. Cadit ergo Maria sub redemptionem Christi, quamvis sublimiori quodam modo.

Praeservatam. Gratia Dei ita Illam praemunivit a peccato originali, ut nunquam contraheret, quod sine tali praeservatione certo contraxisset.

26. Adversarii, *a)* Thesis *olini* negata fuit a pluribus magnis Doctoribus et theologis ex difficultate componendi cum ipsa dogma redemptionis universalis Christi.

b) Eam, ex aliis omnino motivis, acribus verbis negavit Lutherus, etsi non ab initio, sed ab anno 1522[1].

c) Post definitionem *lansenistae Ecclesiae Ultraiectensis* et *i7eleres Catholici, Protestantes* et *receniiores theologi Ortodoxi*[2].

d) Falsam dogmatis explicationem proposuit Rosmtni (D 1924).

27. Doctrina Ecclesiae[3]. 1. *Praeparatio historica definitionis* fit paulatim per successivas Pontificum interventiones circa festum, circa huius titulum et obiectum, circa ipsam doctrinam.

a) Circa festum: Sixtus IV anno 1477 (D 734) approbat festum pro Ecclesia Romana[4]. Pro Polonia Leo X anno 1515, qui anno 1517 commendavit Hispaniae Missam et Officium a Nogarolo facta. Reformatio liturgica S.Ph V anno 1568 festum Conceptionis in universa Ecclesia confirmentis VIII anno 1602 manet tamquam duplex maius. Ocmavit ; quod quidem festum post editionem liturgicam Ci.'Etava festi, a tempore Sixti IV Romae exsistens, a Pio V

1 Cf. GunthErus ab Horw, *Mariologia lutherana relate ad scholam franciscanam in his quae spectant privilegium Inmaculatac Conceptionis:* Regina Immaculata (Romae 1955) 279-282.

2 De Orthodoxis, cf. M.Gordillo, *Compendium theologiae orientalis* 134-152 cum bibliographia. De Muratori, J.Stricher, *Le voeu du sang en faveur de l'immaculée Conception* (Ronia 1959), praesertim 2,249-260.

3 Cf. R.Laurentis, *L'action du Saint-Siège par rapport au problème de ΓImmaculée Conception:* Virgo Immaculata 2,1-98 (anglice in opere E.D.O'Connor, *The Dogma of the Immaculate Conception* [Notre Dame 1958] 271-324); C.Sericoli, *De praecipuis Sedis Apostolicae documentis de B.M,V, immaculata conceptione:* Ant 29 (1954) 373-408; *Ordo Franciscalis ct Romanorum Pontificum acta de immaculata B.M.V, conceptione:* Virgo Immaculata 2,99-152.

4 Cf. C.Sericoli, *Immaculata B.Mariae V. conceptio iuxta Xysti IV constitutiones* (Sibcnici 1945) 57-70.

suppressa, variis in locis paulatiin restituta maxime ab anno 1661, universae Ecclesiae conceditur ab Innocentio XII anno 1693 sub ritu duplici secundae classis. Festum fit de praecepto in tota Ecclesia a Clemente XI anno 1708 (in Hispania iam ab anno 1645 sancitur usus antiquus). Quod autem hinc inde celebrabatur ut duplex primae classis, hunc ritum in Ecclesia universali non obtinuit nisi 25 annis post definitionem dogmaticam sub Leone XIII a.

b) Circa titulum et obiectum festi: Titulus "Conceptionis" (non "sanctificationis"), qui in usu Ecclesiae Romanae perpetuo fuit, sancitus est tamquam unicus legitimus a Gr'Egorio XV anno 1622. Titulus "immaculatae conceptionis", valde oppugnatus ab adversariis piae sententiae, proscriptus fuit ab Inquisitione Romana anno 1644; quod sane decretum, obscuris adiunctis in origine satis obnubilatum, revocatur tandem per expressam tituli concessionem ab Alexandro VII anno 1655 factam. Pius VIII anno 1806 concessit Franciscanis usus formulae "in conceptione immaculata" in praefatione Missae; quod anno 1834 obtinuit a Gregorio XVI dioecesis Hispalensis et anno 1838 concessum fuit omnibus qui illud peterente.

De obiecto festi Sixtus IV anno 1482 iam declaraverat illud non esse tantum "conceptionem spiritualem" aut "sanctificationem". Praecipuus tamen interventus pontificius in hac re fuit bulla "Sollicitudo" Alexandri VII anno 1661 (D 1100), in qua accurate definitur obiectum festi. In hac bulla continentur omnia fere verba futurae definitionis dogmaticae 78

c) Circa ipsam doctrinam: Sixtus IV anni 1482 et 1483 (D 735) prohibuit ut affirmaretur sententiam piam esse haereticam; quod etiam de contraria sententia affirmari prohibuit, "cum nondum sit ab Apostolica Sede decisum" s.

6 S.Pius V, *Bulla "Quod a nobis postulat*': BullTaur 7,685-688; Innocentius XII, *Breve "In excelsa":* BullTaur 20,522; Clemens XI, *Breve "Commissi nobis":* BullTaur 21,339; Leo XIII, *Breve "Quod catholica Ecclesia":* ASS 12,331. Pro historia horum documentorum, praeter citatum Sericoli, cf J.VÂ7.QUEZ, *Las ncgociaciones inmaculistas en la Curia Romana durante el reinado de Carlos II de Espaiia (1665-1700)* (Madrid 1957).

e Gregorius XV, *Bulla "Sanctissimus":* BullTaur 12,688. Pro historia, cf. J.Delgado Varela, *La Mariologla en los autores cspaûolcs de 1600 a 1650:* Est 7 (1951) 260s; I.Iparraguirre, *Pareceres encontrados sobre la defin;bilû dad de la Innfaculada en cl siglo XVII:* EstEcl 28 (1954) 616-622; J.At.Faro, *La Inmaculada Concepdôn en la bula "Sollicitudo" a la lus de documentas inàditos:* RevEspT 20 (1960) 11-13,55s. *

7 SixTui- IV. *Bulla "Grave n'mis"* prior: Sericoli, *o.c.,* 157. Fro historia bullae "Sollicitudo", cf. C.GutlérrEz, *Espaiia por el dogma de la Inmaculada. La embajada a Roma de 1659 y la bula "Sollicitudo" de ^Alejandro VII:* Mise* Co«n 24 (1955); J.Alfaro, *l.c.,* 1-76.

8 Utraque bulla Sixti IV incipit eisdem verbis "Grave nimis". Utriusque textus apud Sericoli, *o.c.,* 156-161. De aruthenticitate, cf. *ibid.,* 40-52.

Cancilium Tridentinum s.5 cn.5 (D 792) anno 1546 constitutiones Sixtinas innovavit, nec voluit Mariam includere in decreto de peccato originali. De quibus verbis sic loquitur Pius IX : "Hac declaratione Tridentini Patres, ipsam Beatissimam Virginem ab originali labe solutam, pro rerum temporumque adiunctis, satis innuerunt; atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis litteris, nihil ex traditione Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo rcfragetur" [9].

S.Pius V anno 1570 prohibuit in concionibus popularibus vel in scriptis vulgari sermone in alterutram quaestionis partem. disputare. Paulus V anno 1617 interdixit proferre sententiam maculistam in publicis actibus, ita tamen ut haec sententia nequiret etiam a contrariis publice impugnari. Gregorius XV anno 1622 hoc decretum extendit ad privata colloquia et prohibuit proponere sententiam maculistam in sermonibus et privatis scriptis [10].

Nota. Anno 1439 *Concilium Basileense* in s.36 definivit doctrinam de Immaculata Conceptione [11]. Decretum istud in mente Patrum fuit vera definitio; quia tamen Concilium tunc non erat catholicum sed vere schismaticum, valor dogmaticus nullus fuit. Decreti tamen influxus historicus magnus evasit.

2. *Solemnis definitio dogmatica* a Pio IX anno 1854 (D 1641) [12].

3. *Centenaria celebratio definitionis dogmaticae* a Pio XII in encydica "Fulgens Corona" [13].

9 *Bulla "Ineffabilis Deus":* CE 6,839; Marîn 281. Cf. J.Olazarân, *EI dogma de la Inmaculada Conccpciôn cn el Concilio de Trento:* EstEccl 20 (1946) 105-154; L.Kruse, *Die Conceptio Immaculata auf dem Konsil von Trient:* ThGl 44 (1954) 161-185; J.Sagîlîs, *Trento y la Inmaculada:* EstEccl 28 (1954) 323-367.

10 Pius V, *Bulla "Super speculam*"*: BullTaur 7,872; Paulus V, *Breve "Regis Pacifici":* BullTaur 12,356; Gregorius XV, *Bulla "Sanctissimus":* Bull Taur 12,688. Cf. Delgado Varela, *l.c.,* 251-259; I.Iparraguirre, *l.c.,* 604-608

11 Msi 29,183; Marîn, 137. De hoc decreto et de eius historica et ideologica praeparatione, cf. H.AmERI, *Doctrina theologorum de Immaculata B.V.Martac conceptione tempore Concilii Basileensis* (Romae 1954); K.Binder, */Cardinal Juan de Torquemada und die feierliche Verkundigung der Lehre von der unbeflecktcn Empfdngnis auf dem Konsil von Basel:* Virgo Immaculata 6,146 163. Vide etiam J.I.Tellechea, *La Inmaculada Conccpciôn en la controversia del P.Maldonado, S.I., con la Sorbona* (Vitoria 1958).

12 Cf. M.Gordillo, *La definiciôn dogmôtlca de la Inmaculada en la historia de la Bula "Ineffabilis Deus":* EstMar 15 (1955) 327-337; J.AlFaro, *La fôrmuta definitoria de la Inmaculada Conccpciôn:* Virgo Immaculata 2,201-275; quo in volumine plura alia adducuntur pro historia bullae. De natura huius definitionis dogmaticae, cf. H.LennERZ, *Duae quaestiones de Bulla "Ineffabilis Deus":* Gceg 24 (1943) 356-366; contrariam explicationem dederat Marîn Sola, *La evoluciôn homogénea del dogma catôlico** (B.A.C., 84) n.209. p.371-378.

13 AAS 45 (1953) 577-592; Marîn, 848-860. Cf. Salm 1 (1954) 726-731; J.Filocrassi, *Il dogma dcll'Inimacolata nell'enciclica "Fulgens Corona":* Greg 36 (1955) 67-96; *Progressus dogmatis in Litteris encyclicis Pii XII "Fulgens Corona":* Virgo Immaculata 2,488-496.

Valor dogmaticus. *De fide divina ei catholica solemniter definita.*

28. Probatur ex sacra Scriptura. 1. Gen 3,15.

N.B. *De Proloevangelio".* Traditionalis catholicorum sententia, quae, tamquam verus et genuinus illius loci sensus a Spiritu Sancto intentus et expressus, a Summis Pontificibus Pio IX et Pio XII docetur, tenet sensum mariologicum Protoevangelii, quamvis non uno modo. Quidam enim inveniunt in illo textu Mariam tantum in sensu eminenti, quidam in sensu typico, alii in sensu pleniore, alii in sensu litterali. Pro argumento theologico conficiendo haec accidentalia sunt ; sensus enim sive typicus, sive litteralis, sive plenior, sunt sensus revera biblici. Probabilius tamen excluditur sensus typicus, agiturque de sensu quem Spiritus Sanctus ipsis verbis hagiopraphi exprimere voluit atque adeo expressit, sive is ex solis verbis, sive ope traditionis, Magisterii, analogiae fidei inveniatur. Utrum vero talis sensus simpliciter litteralis, an plenior sit appellandus, disputari potest

Ad argumentum est quoque accidentale, quod Maria includatur in “muliere” aut in “semine” ; etsi prior hypothesis probabilior videatur.

29. *Unde ita arguo* ie. Deus praenuntiat se positurum inimicitias inter Mariam et diabolum. Atqui hae inimicitiae important immunitatem Mariae a peccato originali. Ergo Maria a peccato originali immunis fuit.

Maior: Haec est, ut diximus, traditionalis catholicorum sententia. Et quidem, iuxta recentes investigationes x7, quam-

14 Cf. V.G.BertElli, *L'interpretasione mariologica del Protovangelo (Gen 3,15) ncgli esegeti e teologi dopo la Bolla “Ineffabilis Deus” di Pio IX (1854-1948):* Marian 13 (1951) 257-291; *H senso mariologico picno e il senso letterale nel Protovangelo (Gen 3,15) dalla “Ineffabilis Deus” al 1948:* ib. 369-395; T.Gallus, *Interpretatio mariologica Protoevangelii (Gen 3,15) tempore postapostolico usque ad Concilium Tridentinum* (Romae 1949); *Interpretatio ma* riologica Protoevangelii postridentina usque ad definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis* (Romae 1953-1954); B.Mariani, O.F.M., *L'lmm'acolata nel Protovangelo:* Virgo Immaculata 3,28-99, ubi habes amplissimam bibliograpliiam; M.Peinador, *Estudio comparativo de las pruebas de Escritura en favor de la Inmaculada Conccpciôn de Maria:* EsMar 15 (1955) 53-77; J.Galot, *Le Protévangile, première annonce de Marie:* RevClAfric (1958) 1-16. Negant sensum mariologicum Protoevangelii J.Chaîne, R.de Vaux, Clamer, Heinisch; cf. Bertelli, *l.c.,* 258-269. GoossEns, *De cooperatione im'mediata matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam* 86-101, tuetur sensum mere accommodatitium. CeuppExs quoque scripsit: “Opinamur quod argumentum peremptorium non datur probans prophetiam Gen 3,15 intendisse B.Mariam, neque in sensu litterali, neque in sensu typico” *(De Mariologia biblica* 60).

“ Cf. A.Bea, *Bulla “Ineffabilis Deus” ct hermencutica biblica:* Virgo Immaculata 3,1-17.

14 Cf. Mariani, *l.c.,* 76-99;).Brinktrine, *Das Protocvangclium und dic unbcfleckte Empfangnis:* Virgo Immaculata 3,18-28; A.-M.Ma i.o, O.F.M., *L*economic divine dans la Révélation biblique de VImmaculée Conception:* L'Immaculée Conception (Otawa 1955) 13-15.

11 Cf. T.Gallus, *l.c.·,* S.Stys, *Fundamentum exegcticum interpretationis mariologicac Gen 3,15* (Dublin 1949, in lingua polonica, sed cum summa latina p.107-109); *De antithesi Eva-Maria eiusque ralatione ad Protoevangclium apud Patres:* CollTh 23 (1952) 318-365; D.J.UngEr, O.F.M.Cap., *The first Gospel, Genesis 3,15* (New York 1954); R.LaurEntin, *L'intcrprctation de Genèse 3,15 dans la tradition jusqu'au début du XIII* siècle:* EtMar 12 (1954) 79-186; T.Gallus, *Quaestiones de Protocvangclio in bulla “Munificentissimus Deus”:* Marian 17 (1955) 309-331; J.Madoz, *Hacia los origenes de la interprctacién mariolôgica del Protocvangclio:* EstEcI 23 (1949) 291-306. Iuxta has investiga-

vis maior SS.PP. et Scriptorum veterum pars Protoevangelium interpretari videantur in sensu collectivo et morali, non tamen putant hanc interpretationem pugnare cum sensu christologico, quem plures aperte praeter moralem sequuntur. Sensus vero niariologicus apud nonnullos, antiquiores sane, B.Virginem in "muliere" agnoscit, videns Christum in "semine mulieris" (S.Irenaeus, S.Cyprianus, Serapion Thmuisitanus, S.Ephraem, Ps.Ephraem, Epistola ad amicum aegrotum, S.Epiphanius, Prudentius, S.Leo Magnus, Isidorus Pelusiota, S.Isidorus Hispalensis, S.Ildephonsus Toletanus, Ps.Beda, Etherius et Beatus, Claudius Taurinensis, Agobardus, Breviarium Gothicum, Notkerus, Rupertus Tuitiensis, etc.); apud alios, recentiores, cum victoria sit totius posteritatis Hevae contra daemonem, eamdem specialissimo modo tribuit B.Virgini (S.Fulbertus, Ps.Paulus Diaconus, S.Bernardus, Petrus Venerabilis, Amedaeus Lausannensis, Osbertus de Clara, Petrus Blessensis) ; apud alios denique utroque modo coniungitur (Godofridus Vendomensis, Hermanns Turnocensis, Petrus Cellensis, Gilbertus Foiotensis, etc.).

Adde multos auctores veteres, qui sensum christologicum profitentur (S.Hippolytus, Clemens Alexandrinus, Alexander Alexandrinus, S.Methodius, Novatianus, S.Ambrosius), in quo virtualiter inveniri videtur Maria. Necnon omnes, qui antithesim Heva-Maria urgent; quod, etsi sub litterario aspectu independenter a Protoevangelio fiat, realiter tamen sensum mariologicum attingit.

Est ergo haeci interpretatio, etsi non certo omnium prima, tamen vere traditionalis : quae saec.XIH et XIV fere ab omnibus usurpata, habetur iam saec.XV tanquam communis Doctorum expositio, et saec.XVI incipit impugnari a Protestantibus. Haec mariologica interpretatio nec ortum habuit in falsa lectione "ipsa" pro "ipsum" (cum primo apud Graecos occurrat), nec posteriore tempore ab his solis adhibetur qui falsam illam lectionem retinent.

Maior probatur quoque ex ipso textu : nam mulier nequit esse sola Heva (quae certe peccato succubuit), aut mulier in genere (quia qua mulier sane non vicit diabolum).

Minor: Inimicitiae intelligendae sunt de victoria in peccatum (seu de immunitate a peccato). Atqui tales ponuntur inimicitiae, ut victoria illa debeat esse absoluta, seu ab omni peccato. Ergo extenduntur usque ad immunitatem a peccato originali.

tiones corrigendus est L«Drewniak, *Die marwl-ogische Deutung von Gcn 3,15 nt der J^atereeit* (Breslau 1934).

Maior haec: Inimicitiae in textu sunt poena opposita amicitiae factae inter Hevam et diabolum. Atqui talis amicitia non fuit nisi per consensum in peccatum. Ergo. Praeterea nullo alio modo potest homo esse inimicus diaboli, nisi per victoriam contra peccatum.

Minor illa: Inimicitiae sunt plenae et sine exceptione. Ergo debent excludere omne peccatum, etiam originale; secus Maria in illo saltem casu amica fuisset diaboli. Praeterea eaedem ponuntur inimicitiae inter Mariam et diabolum ac inter Christum et diabolum (in Maria utique ex relatione et unione ad Christum). Atqui hae sunt absolutae. Ergo.

30. *Nola.* 1. De hoc argumento sic loquitur Pius IX: "Patres Ecclesiaeque scriptores..., enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians, et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens: inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius, docuere divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Tesum, ac designatam Beatissimam Eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca, sicut Christus Dei hominumque Mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo coniuncta, una cum Illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit". Circa haec verba notandum est Bullam docere non solum mentem Patrum et Scriptorum Ecclesiae de interpretatione mariologica Protoevangelii (etsi non affirmet eorum in re consensum), verum etiam hunc esse sensum illius; non utique mere accommodatum, sed vere intentum et expressum a Spiritu Sancto. Atque ideo Protoevangelium recte adhiberi ad probandam Immaculatam Conceptionem, prout illud in interpretatione Patrum Ecclesiaeque Scriptorum innititur; quod tamen non est alienum a sensu vere biblico illius loci[18].

[18] Cf. Bea, *l.c.,* 5-9; T.Gallus, *Quaestiones...:* l.c., 305-308. De disputatione circa consensum Patrum, cf. H.LennErz, *Duae quaestiones de Bulla "Ineffabilis Deus":* Greg 24 (1943) 34-366; G.M.Roschini, *Sulïintcrprctasione patnstica del Protovangelo:* Marian 7 (1944) 76-96; H.LennEkz, *Consensus Patrum in interpretatione mariologica Gen 3,151:* Greg 27 (1946) 300-318; G.M.Roschini, *Ancora sulTintcrprctasione patristica del Protovangelo:* Marian 8 (1946) 293-299; T.Gallus, *"Patres Ecclesiacque scriptores" in Bulla Pii IX*

2. Allusiones ad Protoevangelium, quae eius sensum mariologicum traditionalem et supponunt et confinnant, habentur in SS.Pontificibus sequentibus. Sic Leo XIII scribit: "Ubi autem volvi primum coepere saecula, lapsis in culpam humani generis auctoribus, infectisque eadem labe posteris universis, quasi pignus constituta est [Maria] instaurandae pacis atque salutis". S.Pius X: "Hinc porro in Scripturis sanctis, quotiescumque de futura in nobis gratia prophetatur, toties fere Servator hominum cum sanctissima Eius Matre coniungitur. Emittetur Agnus dominator terrae, sed de petra deserti; flos ascendet, attamen de radice lesse. Mariam utique, serpentis caput conterentem, prospiciebat Adam, obortasque maledicto lacrimas tenuit". Pius XI: "Deprecatrice apud Deum utentes Deipara Immaculata, quae, ut olim antiqui serpentis caput contrivit, ita semper tutissimum praesidium est invictumque Auxilium Christianorum" ",

3. Pius XII de eodem loco docuit: "Maxime autem illud memorandum est, inde a saec.II, Mariam Virginem a Sanctis Patribus veluti novam Hevam proponi novo Adae, etsi subiectam, arctissime coniunctam in certamine illo adversus inferorum hostem, quod, quemadmodum in protoevangelio praesignificatur, ad plenissimam deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quae semper in gentium Apostoli scriptis inter se copulantur". Et rursus, cum expressa relatione ad probandam Immaculatam Conceptionem: "Primo autem huius doctrinae fundamentum in ipsis Sacris Litteris cernitur, in quibus rerum omnium Creator Deus, post miserum Adae casum, tentatorem corruptoremque serpentem hisce verbis alloquitur, quae non pauci ex Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus atque plurimi probati inteiprêtes ad Deiparam Virginem referunt: Inimicitias... Atqui, si aliquando B.Virgo Maria, utpote hereditaria peccati labe in suo conceptu inquinata, divinae gratiae evasisset expers, eo saltem, etsi brevissimo temporis vestigio, inter Ipsam et serpentem non ea sempiterna, de qua inde a primaeva traditione usque ad definitionem sollemnem Conceptionis Immaculatae Virginis fit mentio, inimicitia intercessisset, sed potius quaedam subiectio" 2°.

"Ineffabilis Deus"·. DivThom (Pi) 52 (1949) 76-82; Carol, *De Corredcmptione* 110.

'· Leo XIII, *Encycl. "Augustissimae Virginis"*·. AAS 30 (1898) 129; S.Dus X. *Encycl. "Ad d;cm ilium"*·. ASS 36 (19041 462; Pius XI, *Encycl. "Divini Redemptoris"*: AAS 29 (1937) 96; Marîn, 450.485.

» *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 32 (1950) 768; *Encycl. "Fulgens Corona":* AAS 45 (1953) 379; Makîs, 809.850. Cf. S.Hartina, S.I., *Los argumentas de Escritura en la bula "Fulgens Corona":* EstEcl 28 (1954) 373-

31. 2. De 1,28[21].

Maria dicitur gratia plena, non quomodocumque, sed prout decet Matrem Redemptoris et Dei. Atqui talis gratiae plenitudo includit immunitatem a peccato originali. Ergo Maria immunis est a peccato originali.

Maior: Vox κεχαριτωμένη designat antonomastice Eam, quae abundantissima est gratia cumulata. Evidenter non agitur de absoluta plenitudine gratiae, qualem habuit Christus, sed de plenitudine relativa. Iam vero alius terminus relationis in contextu nequit esse nisi obiectum ipsius annuntiationis angelicae, quae immediate sequitur, sci. maternitas Dei Redemptoris.

Minor: Dignitatem Matris Redemptoris decet quod nullam unquam participationem habuerit cum inimicis ipsius Redemptoris; dignitatem vero Dei decet, quod nunquam fuerit a Deo aversa. Atqui hoc utrumque non obtinetur, nisi per immunitatem a peccato originali. Ergo plenitudo gratiae involvit immunitatem a peccato originali.

32. *Nota.* De hoc argumento sic loquitur Pius IX: "Cum vero ipsi Patres Ecclesiaeque scriptores animo menteque reputarent, Beatissimam Virginem ab angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem Ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione, nunquam alias audita, ostendi Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus carismatibus exornatam, immo eorundem carismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxiam, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui". Pius quoque XII sic loquitur: "Ac praeterea, cum eadem Sanctissima Virgo gratia plena, seu κέχαριτωμένη, et benedicta inter mulieres salutetur, ex istis verbis, prout traditio catholica semper intellexit, manifesto innuitur hac singulari solemnique salutatione... [sequuntur verba citata Pii IX]"[22]. Quae

386; Felite DE FuBnterrabIa, O.F.M., Cap., *El Protoevangelio (Gen 3,15) a la lus de la bula "Ineffabilis" y de la "Munificentissimus":* EstFranc 55 (1954) 15-52; S.M.Gozzo, O.F.M., *De valore Sacrae Scripturae in quibusdam documentis ecclesiasticis circa Immaculatam Conceptionem B.Mariae Firginis:* Ant 29 (1954) 357-372.

[11] Cf. P.BonnETain, *Immaculée Conception:* DBS 4,254-263; J.Leal, *Ld salutaciôn del àngcl en cl estudio de la Inmaculada desde su definiciin (1854-1954):* EstEcl 28 (1954) 391-415. De interpetatione philologica huius textus, cf. J.Fastini, Κεχαριτωιχένη *(Lc* 1,28): Salm 1 (1954) 760-763.

" Pius IX, *Bulla "Ineffabilis Deus":* CL 6,840; Pius XΠ, *Encycl. "Fulgens Corona": AAS* 45 (1953) 579; Marîn, 288.850. Cf. Bartina, *l.c.,* 386-390; Car-

Pius IX dicebat a SS.Patribus doceri, haec eadem docentur a Pio XII, affirmante praeterea hunc esse sensum verborum, prout traditio catholica ea semper intellexit.

33. Probatur ex traditione. Dogma Immaculatae Conceptionis non semper eadem claritate in Ecclesia fulsit. Diversa stadia huius historicae evolutionis haec fere distinguuntur:

1“ *periodus,* fidei implicitae, usque ad controversiam pelagianam. Veritas immaculatae conceptionis implicite invenitur in doctrina Patrum de parallelism© Heva-Maria, Mariam exhibente tamquam Sociam Redemptoris in destructione operis diaboli; id maxime in S.IrEnaHO. Necnon in locutionibus saepe generalioribus de Maria “sancta”, “innocente”, “purissima”, “intacta”, “immaculata”; sic maxime S.Ephraem (R 719), S.Irenaeus, alii. Tandem in exigentiis vitae plene virginalis; sic praesertim S.Ambrosius (R 1314)”.

34. 2" *periodzis* oritur objectionibus Pelagianorum, qui ex omnimoda sanctitate Mariae, a fidelibus communiter admissa, male arguebant pro falsa doctrina pelagiana. S.Augustinus contra eos duo protulit, quae magnum influxum exercuerunt in ulteriorem evolutionem quaestionis. Ex una enim parte principium generale posuit: “Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem...” (R 1794). Haec verba videntur generalia et principium in eis expressum revera applicationem habet etiam in peccato originali; sed S.Augustinus ibi agit tantum de peccatis personalibus. In ulteriore evolutione saepe recursus fiet ad haec verba a defensoribus piae sententiae. Sed ex alia parte S.Augustinus, defendens universalitatem peccati originalis, Mariam non excepit, sed Ipsam a “conditione nascendi” solutam voluit per “gratiam renascendi”. Conditio nascendi fert

LOS de Villapadierna, *El saludo del Angel y de Isabel (Lc 1,28-42} a la lue de la "Ineffabilis" y dc la "Munificentissimus Deus"*. EstFranc 55 (1954) 53-72. Dc aliis textibus Scripturae, qui aliquando afferuntur in probationem Immaculatae Conceptionis, cf. P.Bonnetain, *l.c.,* 263-281; I,E Bachelet, *Immaculée Conception:* DTC 7,861-863; M.JuGiE, *L'Immaculée Conception dans l'Ecriture Sainte et dans la Tradition orientale* (Borna 1952) 46-54.

23 Pro aetate patristica, cf. G.Jouassard, *The Father of the Church and the Imm'aculatc Conception:* O'Connor, *o.c.,* 51-85; JugiE, *o.c.,* 55-94; A.Rivera, *Inmaculada Conccpciôn: la tradicién en los Padres griegos:* EstMar 15 (1955) 79-109; G.Soi.L, *Elementa evolutionis in historia dogmatis Immaculatae Conceptionis B.M.V. ante Concilium Ephesinum:* Virgo Immaculata 4,1-9; P.KrücEr, *Die Immaculata-Frage bei den Syrischcn Kirchcnvatern:* ib., 10-27; F.P.Solâ, *La doctrina de la Inmaculada Concepciôn en los Padres occidentales no espaiioles:* EstMar 15 (1955) 111-127. Pro S.Ephraem, cf. I.Ortiz de Urbina, *jValc el testimonio de San Efrén en favor de la Inmaculadaf:* EstEcl 28 (1954) 417-422. Pro S.Ambrosio, c. J.Huhn, *Das Geheimnis der Jungfrau-Muttcr Maria nach dem Kirchenvater Am'brosius* (Wiûrzburg 1954) 238-253.

secum peccatum originale *propter concupiscentiam conceptionis activae,* quae ex mente augustiniana essentialiter cum ipso connectitur 24. In ulteriore evolutione haec conceptio plus minus communis erit inter theologos usque ad S.Anselmum. Hinc est, quod absoluta puritas Deiparae, cuius exigentiae crescente in dies penetratione, maxime post Concilium Ephesinum, investigantur, usque ad exemptionem a peccato originali non nisi post plura saecula fuerit protracta 28.

35. *3& periodus* incipit institutione festi conceptionis in Occidente saec.XTI. Hoc *festum,* cuius antiquissimum *in Oriente* testimonium habetur S.Andreas Cretensis, ibi saec.VIH-IX propagatur. *In Occidente,* post fugacem apparitionem saec.XI ex. in Anglia, stabili modo ibidem atque in Normannia saec.XI! instituitur; inde in pluribus ecclesiis Galliae, Germaniae, in aliqua Italiae et fortasse etiam Hispaniae ipso saec.XI! 20. Non tamen sine contradictione quorumdam, maxime S-Bernardi 2r, aliis multipliciter festum defendentibus. Oppositio S.Bernardi magnum influxum exercuit in evolutionem doctrinae. Sed, ipsa non obstante, festum

a' S.Augustinus. *Adversus Julianum* 4,122: ML 45,1717. De mente S.Augustini, du qua multum disputatum fuit, cf. C.BoyEir. *La controverse sur l'opinion de S.Augustin touchant la conception de la Vierge:* Virgo Immaculata 4, 48-60; I.M.DiETZ, *1st die hl.Jungfrau nach Augustinus "Immaculata ab initio"7:* ib., 61-112; in quibus praecipua bibliograpliia.

24 Cf. A.Van RoEy, *La sainteté de Marie d'après Jacques de Saroug;* Virgo Imin. 4,113-132; C.Vona, *Un argomento filologico a favore dell'Immacolata Concezionc in S.Giacomo di Sarug:* ib., 133-144; J.Solano, *La Inmaculada en los Padres espanolcs:* ÊstMar 15 (1955) 129-151.

28 Pro festo in Oriente, cf. JuciE, *o.c.,* 135-140; in Occidente, cf. A.M.Cecciiin, *L'Immacolata nclla liturgia occidentale anteriore al secolo XIII:* Marian 5 (1943) 58-1'4; C.A.Bouman, *The hrtmaculate Conception in the Liturgy;* O'Connor, *o.c.,* 113-159; B.Capei.lê, *La fête de la Conception de Marie en Occident: L'Immaculée Conception* (Lyon 1954) 147-161. Pro Hispania, cf. L.Frîas, *Origen y antigiiedad dei culto a la Inmaculada Concepcion en Espana;* MiscCom 22 (1954) 65-87, additis *Antigiiedad de la fiesta de la In maculada Conccpciôn en las iglesias de Espana:* ib., 27-64; 23 (1955) 81-156. Vide ctiam J.M.Guix, *La Inmaculada y la Corona de Aragôn en la baja Edad Media:* ib., 23 (1955) 303-321; J.FerrErES, *Historia del Misai Romano,* 312-325. Pro Lusitania, S.Corbin, *L'Office dc la Conception de la Vierge (a propos d'un manuscrit du XV· siècle du monastère dominican d'Aveiro):* Bull· EtPort 13 (1949) 105-166. Pro ulteriore evolutione orientali, JuciE, *o.c.,* 200· 307; Gordillo, *Mariologia Orientalis* 120-129; A.WENGER, *Foi et Piété mariales a Byzance: Maria* (Du Manoir) 5, 944-955; F.Dvornik, *The Byzantine Church and the Immaculate Conception:* O'Connor, *o.c.,* 87-112; plures tractationes in Virgo Immac. 4.

27 *Epist. 174 ad canonicos lugdunenses:* ML 182, 332-336. S.Bernardo responderunt, inter alios, Nicolaus a S.Albano, *Liber de celebranda conceptione B.Mariae:* RevBen 64 (1954) 92-117; et fortasse anonymus germanus sacc. XII ex., editus a H.Barré, *Deux sermons du XI1· siècle pour la fête de la Conception:* ScienEccl 10 (1.958) 356-359.

28 Durante saec. XIV festuxn recipitur a *Franciscanis* (tempore incerto, sed certo post annum 1263), *Carmelitanis* (1312, fortasse 1306), *Praemonstratensibus* (1322), *Carthusianis* (1335), *Cistcrcicnsibus* (1356), ipsis *Dominicanis* (1388 pro oboedientia avinnionensi, 1397 pro romana); *Augustinianis* (tempore incerto). In *Universitate Parisiens!* natio anglica festum suscepit anno 1376, gallica anno 1380; normannica vero iam saec. XIII. Tn *Universitate Bononiensi* facultas Iuris festum celebrabat ab annis 1317-1347, facultas theologica ab institutione anno 1364.

saec.XTII-XIV ubique propagatur Hoc tempore eminent Eadmerus, Osbertus de Clara, Nicolaus a S.Albano, ignoti Ps.Cantor, Ps.Abaelardus, Ps.Comestor, necnon anonymi inediti Sanctae Crucis et Parisiensis ; qui omnes, festum defendentes, doctrinam ipsam formulis saepe vix claris adumbrant 2e.

36. *4a periodus* notatur oppositione magnorum doctorum scholasticorum saec.XIII. Omnes hi eximii Doctores immaculatam Virginis conceptionem negant. Unde festum, cuius legitimitatem iam negare non audent, tanquam festum sanctificationis in utero (tempore incerto) explicant30. *Difficultas* praecipua pro ipsis oriebatur *ex universalitate redemptionis*

20 Eadmerus, *De Conceptione Sanctae Mariae:* ML· 159, 301-318; potior editio a H.Thurston (Friburgi 1904). In ipso iam legitur: *"Potuit* plane; si igitur *voluit, fecit"* (n.10); Osbertus de Clara, *Epistolae ad Ansclmum abbatem S.Edmundi* et *ad Warinum, Sermo de Conceptione:* in citata editione Eadmeri; Nicolaus a S.Albano, *o.c.* (cf. Marian 22 [1960] 506-511). Sermones pseudocpiip-aphici citati editi sunt ad Alva ET Astorga, *Monum'enta Antique* et *Radii solis.* Influxum historicum et liturgicum magnum exercuit apocrypha *Epistola S.Ansclmi ad coepiscopos Angliac,* seu *Sermo de conceptione Sanctae Mariae,* cuius plures fuerunt rcdactiones plus minusve auctae; cf. A.Emmen, *Epistola Pseudo-Ansclmiana "Conceptio veneranda" eiusque auctoritas in litteratura mediaeval! de Immaculata Concepttone:* Virgo Immac. 5, 137-150. Vide ibidem plures tractationes pro hac periodo. Cf. etiam F.M.Mildner, *The Immaculate Conception in England up to the tim'c of John Duns Scot:* Marian 1 (1939) 200-221; *I'he Immaculate Conception in the Writings of Nicholas of St.Albans:* ib., 2 (1940) 173-193; A.M.Cechin, *"Ineffabilis Deus" et Eadmerus:* ib., 6 (1944) 87-107; I.Riudor, *La Concepdfin Inmaculada de Maria en la primera mitad del siglo XII:* EstEcl 28 (1954) 445-472. De Petro Compostellano, cf. L.Modric, *De Petro CompostePano. qui primus assertor Immaculatae Conceptionis dicitur:* Ant 29 (1954) 563-572.

80 F'ro *S.Bonaventura,* cf. J.Bitremieux. *Lc sentiment de St.Bonaventure sur ΓImmaculée Conception de la sainte Vierge:* EtFranc 40 (1928) 367-394; Joseph .a Leonisa, *Dogma Immaculatae Conceptionis et Doctorum' Angelici et Seraphici doctrina:* DivThom (Pi) 5 (1904) 632-640; *St.Bonaventura sur unbefleckten Empfangnis Maria:* FranzStud 20 (1933) 304-308. De vera *S.Thomae* doctrina multum disputatum est. Solutio historica, iuxta quam S.Thomas initio et in fine admiserit Immaculatam Conceptionem, a MandonnET (BullThom 1933, 164-167) et a Vosté *(De mysteriis vitae Christi* 13-20) propugnata, defenditur nunc a P.Garrïgou-Lagrange, *La Madré del Salvador* 53-58, supposita editione opusculi facta a J.F.Rossi, *S.Thomas Aquinatis expositio salutationis angelicae:* DivThom (Pi) 34 (1931) 445-479; de qua tamen cf. Svnave, *Le commentaire de Saint Thomas sur l'Ave Maria et la doctrine de ΓImmaculée Conception:* BullThom 9 (1932) 563-584; J.de Blic, *Saint Thomas et l'immaculée Conception:* RevApol 56 (1933) 25-36. De hac solutione vide Roschini in Marian 3 (1941) 81-83 et G.de Rosa, *Importante problema di esegesi tomistica nclla solusionc di due studiosi contemporanei:* ib., 10 (1948) 133-159. Cf. praeterea S.EuziPi, *Il pensicro di Tommasso d'Aquino riguardo al dogma della Immacolata Conccsione* (Roma 1941), qui tenet S.Doctorom nihil de facto docere pro privilegio aut contra illud; C.Gutiérrez Velasco, *Immaculata Conceptio ct Angelicus Doctor:* DivThom (Pi) 57 (1954) 181-219; G.F.Rossi, *Quid senserit S.Thomas Aquinas de Immaculata V.Conceptione* (Piacenza 1955); variae tractationes in Virgo Immac. vol.6. De aliis auctoribus, cf. E.Longpré, *Robert Grossête et rlm'maculée Conception:* ArchFramcHist 26 (1933) 550-551; C.RomEri, *De Immaculata Conceptione B.M.V. apud S.Antonium Patavinum* (Romae 1939); L.di Fonzo, *La Mariologia di Sant'Antonio:* S.Antonio dottore della Chiesa (Città dei Vaticano 1947) 126-139; A.Schulter. *Die Bcdeutung Heinrichs von Gent fur die Entfoltung der Lehre von der unoeflckten Em'pfangnis:* ThQSchr 110 (1937) 312-340.437-455; J.M. Goicoechea, *Doctrina mariana de Enrique de Gante* (Lima 19^4).

per Christum, cuius compositionis modum cum immaculata conceptione non videbant81.

37. 5a *periodus* oritur solutione huius difficultatis a theologis franciscanis primum proposita: Christus, perfectissimus mediator, perfectissimum actum mediandi habuit respectu Mariae, eam *praeservando* a peccato originali. Sic, Ware eius magistro fortasse praeeunte, maxime Scotus 32; cuius influxus ingens fuit non solum in theologos saec.XIV, sed etiam in totam posteriorem evolutionem. Sic post ipsum Guilelmus Nottingham et Gualterus de Catton; Aureolus, Bassolis, A.Andreas, Hugo de Novocastro, Fr. de Mayronis, Landulphus Caracciolo, Petrus Thomas, Franciscus de Marchia, G.Rubiô, Ioannes Vitalis, Petrus de Aquila ex O.F.M.; ex aliis vero ordinibus Ioannes TaulER et Ioannes Bromiard inter Praedicatores, Ioannes Bacon inter Carmelitas, Thomas Argentoratensis inter Augustinianos, multique alii 33. Ex contrariis nominandi sunt Cowton, Sutton, Ioannes de Polliaco, Ioannes de Neapoli, Guido Terreni, Gregorius Ariminensis, Alvarus Pelagius, necnon doctores qui postea fuerunt Benedictus XII et Clemens VI34.

Quaestioni sic propugnatae a bene multis theologis, adduntur saec.XV decretum *Conc.Basileensis* (magni utique

51 Pro hic et sequenti periodo, cf. C.Balic, *The Mediaeval Controversy over the Immaculate Conception up to the Death of Scotus:* O'Connor, *o.c.*, 161-212; F.Guimaraens, *La doctrine des théologiens sur l'Intmaculée Conception de 1250 à 1350:* EtFranc 3 (1952) 181-203; 4 (1953) 23-51.167-187; Alejandro de Villalmonte, *Contribuciôn de la teologla franciscana al dcsarrollo del dogma de la Inmaculada, siglos XIII y XIV:* Salm 1 (1954) 693-712.

32 G.Guarrae, *Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione* (Ad Claras Aquas 1904); C.Balic, *Ioannes Duns Scotus, Doctor Immaculatae Conceptionis. I. Textus auctoris* (Romae 1954). Cf. F.CavallERA, *Guillaume Ware ei l'immaculée Conception:* RevDSc (1911) 133-136; J.Kaup, *Duns Skotus als Vollendcr dcr Lehre von den· unbeflccktcn Empfdngnis:* Beitr GPHMA Suppl., 3,2,991-1008; C.Balic, *Ioannes Duns Scotus ct historia Immaculatae Conceptionis* (Romae 1955). De controversia in hoc libro adumbrata habetur amplissima bibliographia.

83 Cf. A.Emmen, *Immaculata Deiparae conceptio secundum Gulielmum Nottingham:* Marian 5 (1943) 220-260; *Hugo de Novocastro eiusque doctrina de Immaculata Conceptione:* StudFranc 41 (1944) 385-419; L.Rosato, *Doctrina de Immaculata B.V.M. Conceptione secundum Petrum Aureolum* (Romae 1959); L.Ferrer, *La conccpcié immaculada de la Verge segons Fr.Guillem Rubiô O.F.M.:* AnalSacrT 7 (1931) 95-121; I.JüRiC, *Franciscus de Mayronis immaculatae conceptionis eximius vindex:* StudFranc 51 (1954) 224-263; D.Scaramuzzi, *L'Immacolato concepimento di Maria. Questione inedita di Landolfo Caracciolo O.F.M. (f 1351):* ib., 28 (1931) 44-69; J.Alfaro, *La Inmaculada Conccpdôn en los escritos inédites de un discipulo de Duns Escoto, Aufrcdo Gontier:* Greg 36 (1955) 590-617; G.Bueno Couto, *Doctrina loannis Bacon, thorpe de immaculata conceptione:* Carm 2 (1955) 54-84; L.Saggi, *loannis Baconthorpe textus de Immaculata Conceptione:* ib., 2 (1955) 216-303.

u Ioannis de Polliaco et Ioannis de Neapoli, *Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B.M.V.* (Sibcnici 1933); B.Hechich, *De Immaculata Conceptione B.M.V. secundum Thomam' de Sutton O.P. ct Robcrtum dc Cowton O.F.M.* (Romae 1958); P.Glorieux, *Une question inédite de Gérard d'Abbeville sur l'immaculée Conception:* RechThAncMed 2 (1930) 261-289; A.Deneffe, *Deux questions Médiévales concernant l'immaculée Conception:* ib., 4 (1932) 401-423.

momenti historici pro quibusdam regionibus et speciatim pro Universitate Parisiensi)[85*] atque praecipue interventus Six-Ti IV, a cuius tempore decisiones S.Sedis opportuno tempore prudentique modo usque ad ipsam definitionem dogmaticam, ut vidimus, numquam cessarunt[8n].

38. 6“ *periodus* a saec.XV exeunte haec praecipua facta complectitur:

a) *Ex parte pietatis Christianae* non solum festum celebratur universim, quotidie maiore cum splendore, sed, pia sententia omnino praevalente (novi ordines religiosi, praecipue S.I., eam defendunt), introducitur iuramentum ipsam propugnandi; quod *votum* non a particularibus tantum, sed etiam a civitatibus et Universitatibus emittitur. Sic inter Universitates: *Parisiensis* (1497), *Coloniensis* (1499), *Mogunlina* (1500), *Viennensis* (1501), *Valentina* (1530), *Caesaraugustana, Compostellana, Complutensis, Hispalensis, Granatensis, Osunae* (1617), *Baezae, Barcinonensis, Panormitana, Sahnantina, Vallisoletana* (1618), *Limensis, Oscensis, Onatensis* (1619), *Ingolstadiensis, Mexicans* (1653), *Duacena, Conimbricensis, Evorensis* (1662), *Salisburgensis, Cracoviensis* (1697)[87]. Saec.XVII in voto huic apponitur saepe clausula “usque ad sanguinis effusionem”, quae postea ingentem oppositionem Muratori excitavit[sa]. Immo a nonnullis obiectum voti extenditur usque ad defensionem negationis aut debiti proximi aut cuiuscumque debiti peccati originalis.

b) *Ex parte theologorum,* fundamentali doctrina iam acquisita, disputatur praesertim de *qualificaiione* piae sententiae, de eius *definibilitate,* de *debito* proximo et remoto eiusque negatione[80].

39. *Ex quibus omnibus fit argumentum ex traditione:* Doctrina, quae in Ecclesia ita per plura saecula continuo crevit in confessione fidelium, cum esset doctrina quae apparen-

M Cf. H.AmEri et J.I.TellEchEa, supra, nota 11.

Fro tota hac periodo, cf. W.Sebastian, *The Controversy over the Immaculate Conception from after Scotus to the End of the Eighteenth Century:* O'Connor, *o.c.,* 213-270; A.Brana, *De Immaculata Conceptione B.M.V. secundum theologos hispanos saeculi XIV* (Romae 1950); G.Tumminello, *L*Immacolata Concesione di Maria c la scuola agostiniana del secolo XIV* (Rclma 1942); C.Catena, *La dottrina immacoiista negli autori carmcHtani:* Carm 2 (1955) 132-215; Andrés de Palm,. de Mallorca, *La Inmaculada en la escucla lulista:* EstFranc 55 (1954) 171-194.

” Cf. O.Gômez, *Juramcntos concepcionistas de las Universidades cspaiiolas en cl siglo XVII:* ArchlbAm 15 (1955) 867-1045; F.Marcos. *La Univcrsidad de Salamanca y la Inmaculada:* Salm 1 (1954) 539-605; Virgo Iinmac. 14, 35-118; R.Vargas, *Historia del culto de Maria en Iberoamérica*9 (Madrid 1956) 1,136.

83 Cf. J.StriciiEr supra nota 2.

30 Cf. plures tractationes in collectione *Virgo Immaculata,* vols. 6, 7, 8, 14.

ter haberet difficultates maximas ratione aliorum dogmatum et aliarum doctrinarum catholicarum ; contra quam tot magni theologi dimicarunt; cum qua connectebatur festum et cultus, a pluribus impugnata et tamen quotidie crescentia; idque totum SS.Pontificibus non tolerantibus solum, sed in dies magis magisque faventibus; doctrina, inquam, his ornata historicis adiunctis, nequit non esse revelata a Deo. Atqui talis exstitit doctrina de Immaculata Conceptione. Ergo est revelata. *Minor* patet ex dictis. *Maior:* quia huius facti tam mirabilis, si in suo complexu accipiatur, nulla alia explicatio sufficiens afferri potest.

40. Ratio theologica. Decuit ut B.Maria Virgo haberet tantam immunitatem a peccato, quantam habere potuit. Atqui immunitatem a peccato originali habere potuit. Ergo eam habuit[40].

Maior: a) Hoc principium admittitur a theologis, etiam ab his qui negabant privilegium Virginis; sic S.Anselmus, S.Bernardus, S.Thomas, S.Bonaventura hoc principio utuntur. Audiatur pro omnibus S.Anselmus: "Decens erat ut ea puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi, Virgo illa niteret"[41]. *b)* Matrem Dei decet esse sanctissimam. Cf. S.Th., 3 q.27 a.4.

Minor: Deus potuit creare animam Mariae in statu gratiae. Nec obstant:

a) dogma *de universalitate peccati originalis:* hinc enim sequitur Mariam debuisse contrahere peccatum originale, si sibi relinqueretur; sed non sequitur Deum non potuisse Eam eximere a peccato contrahendo de facto;

b) dogma *de universalitate redemptionis:* potuit enim redimi redemptione praeservativa;

c) dogma *redemptionis per Christum:* potuit enim redimi ex meritis Christi, a Deo iam absolute praevisis.

41. *Nota.* De hoc argumento scribit Pius IX: "Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plene immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit ut naturaliter esset

40 Argumentum primo propositum videtur a F.Guliclmo de Ware, magistro Scoti. Cf. G.GuarraE, I.Duns Scoti et Aureoli *Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B.M.Virginis* p.XIIs. Vide tamen quae adnotavimus supra nota 28 de Eadmero. et M\Bélanger, *Immaculée Conception et Maternité divine:* L'Immaculée Conception (Ottawa) 127-150,

41 *De conceptu virginali* 18: ML 158,451.

unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur Ille de quo Ipse procedit"[42]. Pius XII nuper scripsit: "Poterat certe Deus, Redemptoris meritorum intuitu, hoc praeclarissimo privilegio Eam donare; id igitur factum non esse ne opinari quidem possumus. Decebat siquidem Redemptoris Matrem talem esse, ut exstaret, quantum fieri posset, Ipso digna; atque digna non fuisset, si hereditaria labe infecta, etsi primo tantum conceptionis suae momento, teterrimae fuisset Satani dominationi subiecta"[43].

42. Scholion. *De redemptione B.Mariae Virginis.* a) *Pactum.* B.Mariam Virginem fuisse a Christo Domino vere redemptam, expresse docetur a Magisterio Ecclesiae. Sic Pius XII: "Facile cernimus Christum Dominum perfectissimo quodam modo divinam Matrem suam *revera redemisse,* cum, Ipsius meritorum intuitu, Eadem a Deo praeservata esset a quavis hereditaria labe immunis" [44]. Pius etiam IX scripserat: "Sanctissimam Dei Genetricem Virginem Mariam, ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita, nunquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo *redemptam*" [45]. Ideo aliter intelligi nequit formula definitionis dogmaticae: "intuitu meritorum Christi Salvatoris generis humani", quae correspondet formulae bullae "Sollicitudo": "intuitu meritorum Iesu Christi, Eius Filii, humani generis Redemptoris" (D 1100). Neque ullo modo in mutatione verbi "Salvatoris" pro "Redemptoris" insistendum est, cum propter verba ipsius bullae modo allata, tum propter aequivalentiam formularum ab ipso Pio IX factam postridie dogmaticae definitionis.

Ex his omnibus dicendum est, doctrinam, quae tenet B.Virginem includi intra limites redemptionis tamquam subiectum passivum ipsius (non solum activum), omnino tenendam esse ut implicite in dogmate Immaculatae Conceptionis contentam. Unde redemptio B.Virginis aut de fide dicenda est, ut putamus, aut saltem proxima fidei[46]. Hinc est quod Pius XII scriberet: "Neque asseverari potest, hac de causa [sci. propter privilegium Immaculatae Conceptionis] minui redemptionem Christi, quasi iam non ad universam pertineat

[42] *Bulla "Intffabitis":* CL 6,836; Marín, 270.
[43] *Encycl. "Fulgens Corona":* AAS 45 (1953) 581; Marin, 852.
[44] *Ewycl. "Fulgens Corona":* AAS 45 (1953) 581; Marín, 852.
[45] *Bulla "Ineffabilis Deus":* CL 6,839; Marín, 280.
[46] Cf. J.Alfaro, *La formula definitoria de la Inniacula-da:* VJum 2,265.

Adami sobolem" 41. Quibus verbis expresse docetur privilegium Immaculatae Conceptionis nihil officere universalitati redemptionis passivae; atque adeo, opportuna distinctione inducta inter universalitatem peccati originalis et universalitatem redemptionis, illa negatur haec omni.no retinetur.

43. b) *Natura.* Est ergo Maria et praeservata a peccato et redempta. Immo, *ideo redempta quia praeservata,* ut in citatis textibus exprimitur: "praeservatam... et idcirco sublimiori modo redemptam"; "revera redemisse, cum... praeservata esset". Quare pleno iure dicitur Maria redempta redemptione *praeservativa.* Quae sane redemptio "vera" est, et "perfectissima" atque "sublimior" redemptio 8. Haec autem redemptio supponit praeservationem, non a quolibet peccato, sed a peccato originali. Ita expresse textus Pii IX et Pii XII supra allegati. Unde non sufficienter explicatur redemptio B.Virginis per praeservationem a peccato personali, sed omnino tenendum est Eius redemptionem importare veram praeservationem a peccato originali,

Hinc«equitur B.Virginem ideo dici redemptam a Christo, quia intuitu meritorum Eius praeservata fuit a peccato originali. Unde aequivalenter dicendum est: contraxisset peccatum originale, nisi ex meritis Christi ab ipso fuisset praeservata. Talem esse sensum dogmatis Immaculatae Conceptionis, videtur omnino constare, sive ex tota ipsius historia, sive ex mente Ecclesiae populique christiani conceptione.

44. c) *Consequentiae.* Inde iam erui postest quid requiratur ut vera detur redemptio praeservativa. Sunt sane auctores, qui teneant redemptionem praeservativam bene servari si admittatur in B.Virgine, antecedenter ad Eius praeservationem, *mera possibilitas* contrahendi peccatum originale. Unde eius ledemptio erit praeservatio a tali possibilitate peccandi. Hoc vero non sufficit ad salvandam veritatem redemptionis. Mera enim possibilitas aequa est pro utraque contradictionis parte. Unde aeque verum erit dicere: Maria, si non praeservatur, potest contrahere peccatum originale; ac dicere: Maria, si non praeservatur, potest non contrahere peccatum originale. Ergo nullo modo servaretur quod modo dicebamus, praeservationem sci. talem fuisse ut, nisi praeservaretur, certo contraxisset peccatum originale.48

47 *Encycl, "Fulyens Ccrona":* AAS 45 (1953) 581; Marîn, 852.

48 Nullatenus ergo contraponi possunt redemptio praeservativa et redemptio perfectissima atque sublimior, quasi duae sint diversae fonmae redemptionis. Textus historici et verba Magisterii utramque formulam intclligunt de una cademque redemptione.

Ideo admitti debet praevia *quaedam necessitas,* obiectiva et hypothetica, contrahendi peccatum originale. Quae quidem necessitas nihil est aliud quam certa consecutio causarum, ex quibus verum peccatum originale ortum fuisset certo in Maria, si non intervenisset divina praeservatio. Haec necessitas obiectiva et hypothetica, quae nihil est in ipsa persona Virginis adeoque nihil maculae aut minoris puritatis in Ea supponit, asserenda est a posteriori ex veritate redemptionis Ipsius, quae aliter salvari non videtur.

45. d) *Quaestio de debito.* Ex his quae diximus solvitur quaestio satis controversa de debito peccati originalis in B.Virgine. Debitum enim nihil est nisi necessitas quaedam, magis vel minus proxima, contrahendi peccatum originale. Ideo, praescindendo a verbis, putamus aliquod debitum peccati originalis asserendum esse ut redemptio B.Virginis defendatur.

Necessitas haec multipliciter concipi potest, prout in tota consecutione causarum diversimode concipiatur signum in quo intervenit praeservatio. Hoc sensu loqui possumus de debito proximo vel remoto. Potest enim defendi Mariam, inclusam in Adamo, praeservatam fuisse a peccato originali eo tantum signo in quo Eius persona constituebatur ; tunc habetur debitum proximum. Potest vero defendi Mariam praeservatam fuisse ab ipsa inclusione in Adamo ; tunc habetur debitum remotum. In primo casu adest vere necessitas contractionis; in secundo, vera necessitas inclusionis. Primus concipiendi modus aptior omnino videtur.

46. Sunt quidem auctores qui omne debitum in Maria supprimere conantur, eo quod negent Ipsam ad “ordinem Adami” pertinuisse, ex Ipsius praedestinatione in Christo et cum Christo antecedenter ad Adamum. Sed in hac sententia non apparet quomodo salvari possit redemptio praeservativa a peccato originali. Huius enim peccati, in illa hypothesi, non solum nulla cogitari posset necessitas in Maria, sed neque possibilitas ; sublata sci. qualibet connexione cum Adamo, quae non sit pura et physica origo naturae. Posita vero hac sola physica connexione, peccatum originale ne quidem cogitari potest[4β].

40 Quaestio de debito peccati originalis in B.Virgine oritur historice Medio Aevo inter defensores Immaculatae Conceptionis, primo quidem implicite, deinde etiam explicite. Catarinus, negans Mariam peccasse in Adamo, necessitatem tamen hypotheticam inclusionis in ipso supponens, conceptum debiti paululum immutavit, id fere asseverans quod postea debitum remotum vocatum est. Haec Catarini doctrina·, ab annis 1615 et 1616, in quibus Toleti, Compluti, Hispali defendebatur, per decretum Inquisitionis Hispanae a censura liberata.

ARTICULUS II

Df, Mariae immunitate a fomite peccati

47. Cum immunitate a peccato originali satis coniuncta est immunitas a fomite peccati, seu a concupiscentia, quae, ut loquitur Tridentinum (D 792), ex peccato est et ad peccatum inclinat. Quaeritur ergo nunc, utrum Maria Virgo immunis fuerit a fomite peccati, et quomodo.

48. *Pomes peccati* dicitur inclinatio ad peccandum, proveniens ex appetitu sensitivo. Est ergo concupiscentia in quantum inclinat ad peccandum, sive quia deliberationem rationis et voluntatem praevenit, sive quia contra rectam rationem agit.

Consideratur dupliciter: a) *In actu primo,* sci. ipse appetitus sensitivus, prout expeditus et proxime dispositus ad eliciendos actus qui sunt contra rationem ; b) *In actu secundo,* sci. motus appetitus sensitivi contrarius rectae rationi.

Fomes autem in actu primo adhuc dicitur: a) *solutus,* si est proxime expeditus ad suos actus ; b) *ligatus,* si non potest prodire in actus contrarios rationi propter *extrinsecam* remotionem occasionum aut denegationem concursus divini ; c) *extinctus,* si appetitus sensitivus propter suam *intrinse-*

frequenter a theologis saec.XVII et XVITI propugnata fuit, multis sane repugnantibus, nonnullis usque ad negationem cuiuscumque debiti pertingentibus. Ultimis nostris temporibus quaestio renovata est; ita quidem ut plurcs theologi omne debitum peccati originalis negent in B.Virgine. Qut›rtJlm alii, retinentes redemptionem praeservativam, eam per praeservationem a sola possibilitate peccati explicare conentur; alii vel ipsam redemptionem praeservativam avertere velint. De quaestione tota. cf. J.A.de Aldama, *En torno a la redenciôn preservativa:* Salm 1 (1954) 164-777; ubi datur recentis disputationis bibliographia. Cui adhuc addendi sunt: J.M.Alonso, *Num B.Virgo peccati debiti fuerit obnoxia:* EphMar 5 (1955) 33-46: *El débito del pccado original en la Virgen: Reflexiones criticas:* RcvEspT 15 (1955) 67-96; Basilio de San Pablo, *Imprcsiones de un indépendante sobre la cucstiôn del "débito":* EphMar 5 (1955) 9,32; Crisôstomo de Pamplona, *La redenciôn preservativa de Maria y el requisito cscncial de la preservation:* EstMar 15 (1955) 153-167; J.M.DElgado Varela, *Una célébré discusiôn accrcc. del débita del pecado original en la Virgen Santisima:* EphMar 5 (1955) 191-209; Enrique del Sagrado Corazôn, *La Inmaculada en la tradition tcolôgica espafiola: la sententia sobre cl "debitwn pcccati'* 1595-1600:* CiencTom 95 (1954) 513-564; *Los Salmanticenses y la Inmaculada: su tests sobre la redenciôn y cl débito dc pecado:* EstMar 16 (1955) J01-133; N.Garcîa Garcés, *jDebiô tener la Santisima Virgen d pecado original?:* EphMar 5 (1955) 95-110; M.LlamEra, *El problema del débito y la redenciôn preservativa de Maria:* CiencTom 81 (1954) 441-512, vel EstMar 15 (1955) 169-223; Pedro Alcântara, *Las primeras elaborationes de los conceptos dc redenciôn preservativa y débito de pecado:* EstMar 16 (1955) 101-133; E.Sauras, *Contcnido doctrinal del triisterio de la Inmaculada:* CiencTom 81 (1954) 363-420 (maxime 383-292), vel EstMar 15 (1955) 9-52; Alejandro de VillalmontK, *Maria Inmaculada exenta del débito del pecado original:* Peina Inmaculada, 215-253; J.A.de Aldama, *Documentas en torno a Gonsalo dc Albornoz y su ncgaciôn del débito del pccado original en Nuestra Senora:* ArchTeolG 17 (1954) 149-232; O.Casado, *Mariologla clàsica espafiola* vol.1 (Madrid 1958). Tractationes de hac quaestione complectitur totum vol.11 collectionis *Virgo Immaculata.*

cam perfectionem est omnino subiectus rectae rationi, ac proinde nequit prodire in actus contrarios. Unde stricte loquendo, si fomes est extinctus, revera non est; si vero est ligatus, quoad rem de facto non est, quamvis possit disputari de conceptu; nec, si umquam fuit, potest bene dici extinctus, sed nullus.

49. *Omnes theologi conveniunt* in Virgine Maria non fuisse fomitem peccati in actu secundo. Conveniunt etiam, saltem a sacc.XII, fomitem in illa fuisse extinctum a momento Incarnationis; idque videtur satis consentaneum locutionibus, quibus Patres explicant specialem puritatem quam ex illo tempore habuit Virgo.

Disputant vero theologi, utrum illa extinctio fomitis facta sit tantum in momento Incarnationis, an haberetur iam antea. Et quidem disputatio ita ponitur: utrum a primo instanti suae conceptionis usque ad conceptionem Christi fomes fuerit in Ea tantum ligatus, an penitus extinctus. Quae quidem quaestio historice valde connexa est cum quaestione de Immaculata Conceptione. Qui enim hanc negabant, facilius admittebant fomitem fuisse ab initio ligatum et post Incarnationem extinctum.

Sic ergo admittunt: *a)* fomitem tantum *ligatum,* S.Beda, Paschasius Radbertus, Petrus Lombardus, Richardus a S.Victore, Alexander Halensis, S.Thomas, S.Albertus M., Petrus a Tarantasia, S.Bonaventura, Aegidius Romanus, Durandus, alii; *b)* fomitem *cxtinc'um,* Scotus, Gabriel Biel, Thomas Argentina, Marsilius, Maior, Suarez, Vazquez, Valentia; quam sententiam sequuntur nunc fere omnes.

Fuerunt theologi (Vega, Sedlmayr), et sunt etiam nunc (Hugon, Chollet, jannota), qui dicunt fomitem in Virgine proprie loquendo non fuisse ligatum aut extinctum, sed simpliciter *exclusum.* Quod quidem potest esse quaestio de modo loquendi, dummodo retineatur ex una parte fomitem in artu primo non fuisse unquam in Virgine, sed ex alia parte hoc obtineri ex vero privilegio[1]

50. Sane post definitionem Immaculatae Conceptionis nulla apparet ratio cur ab initio non habuerit quod habuit post conceptionem Christi. Sunt autem rationes positivae pro exsistentia illius doni in Virgine *iam ab initio:*

a) Honor Christi postulabat, ut caro Virginis, ex qua caro Ipsius formanda erat, esset purissima, ac proinde im-

1 De auctoribus Medii Aevi, cf. B.Korosak, O.F.M., *Mariologia S.Mbcrti M. ciusque coaequalium* (Romae 1954) 384-394.

munis a fomite peccati. Atqui eadem ratio probat quod puritas illa non debuerit unquam esse maculata. Ergo ab initio debuit immunis esse a fomite.

b) Fomes peccati est sequela peccati originalis. Ergo cum Ipsa nunquam habuerit peccatum originale, nec fomitem unquam habere debuit.

c) Immunitas haec concessa est primis parentibus ab initio. Ergo B.Virgini negari non debuit.

51. *Nec valet obicere:* aliae sunt sequelae peccati originalis, quas protoparentes ante peccatum non habuerunt, quae tamen fuerunt in Virgine, v.gr. passibilitas ; ergo idem valet de fomite. Nam aliae poenalitatcs vitae non sunt imperfectiones morales et ideo potuerunt esse in B.Virgine et in ipso Christo Domino; sed fomes peccati est imperfectio moralis, quatenus ad peccatum inclinat[2].

52. Unde *fraseiones* in B.Virgine non fuerunt sicuti sunt in nobis, sed potius sicuti fuerunt in Christo; de quo S.Th., 3 q.15 a.4.

53. Hac occasione quaeri potest *de statu naturae* in quo B.Virgo concepta fuerit. Utrum sci. Ipsi concessus fuerit status iustitiae originalis, necne. Et quidem, posita immunitate a peccato originali et a fomite peccati, tota quaestio est de donis impassibilitatis et immortalitatis.

Prima theologorum *sententia* est asserentium B.Virginem illa dona habuisse, eis autem renuntiasse vel a primo instanti, vel saltem a tempore conceptionis Christi. Sic Vega, Baeza, Sedlmayr, Janssens, Lepicier, Alastruey, Roschini ut videtur, Bover. Plenitudinem status iustitiae originalis iam concesserant B.Virgini saec.XIV notissimi theologi bizantini Gregorius Palamas, Isidorus Glabas et Nicolaus Cabasilas, repugnante Scholarios[3].

Altera sententia tenet B.Virginem illis donis caruisse, non quidem ex peccato (quod minime contraxit), sed quia Deo placuit sapientissimo consilio Eam in his pati necessitatem naturae. Sic Suarez, Terrien, Hugon, Campana, Merkelbach, Garrigou-Lagrange.

54. Nobis sane haec *secunda sententia verior* videtur. Status enim B.Virgini concessus non habetur vi primaevae

2 Circa quaestionem hanc de fomite peccati, cf. AlastruEy, 235-242; MerkElbach, 149-157; Roschini, 2,2,96-105; J.de Castro Engler, C.M.F., *Explicaçào tcohflica do dont da imuniaade da concupiscenda na Inuiculada:* EphMar 4 (1954) 333-356.

3 Cf. M.Gordillo, *L'Invntacolata Concesionc e lo stato di giuslida originate nclla Mariologia dei Palamiti:* Virgo Immaculata 4,170-184.

elevationis (nam debitum peccandi habuit), sed vi novae et specialis elevationis (nam redempta fuit a Christo). Qualis autem haec peculiaris elevatio fuerit, seorsim investigandum est. Constat quidem eam importasse maximam gratiam sanctificantem initialem et immunitatem a concupiscentia. Ex alia vero parte constat de facto B.Virginem fuisse passibilem ct mortalem ; quod cum in ipsa conditione naturae inveniatur, non aliunde putandum est provenire, nisi certo probetur. Unde concludendum potius est, hanc necessitatem naturalem in B.Virgine mansisse. Cuius rei ratio aliunde aptissima in munere Corredemptricis apparet. Hinc quod in nobis naturale est sed etiam poena peccati, in B.Virgine naturale est sed opus divini consilii ad redemptionem peragendam. Unde B.Virgo nec in statu iustitiae originalis fuit, nec in statu naturae lapsae et reparatae, sed in statu omnino singulari et proprio [4].

ARTICULUS III

De Mariae immunitate λ peccato personam

55. Immunitas a peccato, quam fert secum maternitas Redemptoris, non contrahitur ad peccatura originale, sed extenditur etiam ad quodlibet peccatum personale. Quia vero de peccato mortali satis per se patet, agendum est de immunitate a peccato veniali, quae est speciale quoddam privilegium B.Virginis.

Thesis 3. B.Maria Virgo in tota sua vita ex speciali Dei privilegio immunis fuit a quolibet peccato veniali.

Roschini, *Mariologia* 2,2,105-120; Merkelbach, 142-149; Alastruey, 242-251; Dublanchy: DTC 9,2413-2421.

56. Nexus. Perfecta praeparatio Matris Redemptoris completam puritatem importat. Ita ergo, postquam vidimus Eius immunitatem a peccato originali, cum qua connectitur immunitas a fomite peccati, probanda est iam immunitas a quolibet peccato personali. Cum autem satis clarum sit B.Virginem omni peccato mortali caruisse, quaestio ponenda est speciatim de Eius immunitate a quolibet peccato etiam veniali ; quae, si in B.Virgine adsit (ut adest), speciale privilegium in Ea constituet.

* De hac quaestione, cf. Roschini, 2,2,214-224; B.Prada, C.M.F., *t',La inmunidad de la concupiscenda en la Virgen es una consecuenda del dogma de la Inmaculadat.'* IlustrCler 47 (1954) 488-498; Bernardo de la InmaCUlada, C.P., *La primera gracia de Maria y la justida original. Su inscrciôn en cl misterio de Cristo:* EstMar 15 (1955) 225-254.

57. Notiones. Peccatum veniale est actus humanus, moraliter malus, quo non tollitur habitualis animae conversio ad Deum per caritatem, qui tamen ad Deum non est referibilis.

Quodlibet peccatum veniale, sci. sive deliberatum, sive subrepticium. In thesi praescindimus ab imperfectionibus positivis, quae non sint peccata venialia. De hac quaestione postea.

In tota sua vita, non solum diu.

Ex speciali Dei privilegio: nam de fide est (D 833) hominem iustum non posse vitare omnia peccata venialia per totam vitam. Si ergo Maria ea omnia vitavit, debuit fieri pro Ipsa aliqua exceptio a tali lege. Hinc *privilegium.* Dicitur autem *speciale* privilegium, quia rarissime conceditur; immo non constat alii concessum fuisse, saltem in hac amplitudine.

58. Adversarii. *Protestantes veteres ct reccntiores,* qui Mariam in multis accusant. Turmei, tenuit doctrinam traditionalem usque ad saec.XIII admisisse peccata in B.Virgine[1][2]

59. Doctrina Ecclesiae, a) *Conc. Tridentinum* s.6 cn.23 (D 833), ubi definitur fides Ecclesiae circa hoc privilegium ~.

b) S.Pius V contra Baium, prop.73 (D 1073).

c) Pius IX: "Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos caelestium omnium carismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest" [3].

d) Pius XII: "Ipsa fuit, quae vel propriae, vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta..." [4].

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* in Tridentino.

60. Probatur ex sacra Scriptura. Maria dicitur habitura perpetuas inimicitias cum daemone (Gen 3,15) et esse

1 In libre *La sainte Vierge dans Γhistoire* (Paris 1908) p.52, edito sub nomine ficto G.Herzog. De quo libro, cf. AAS 1 (1910) 554 et 22 (1930) 517-520.

2 Cf. J.A.de Aldama, *El valor dogmdtico de la doctrina sobre la inmunidad de pecado venial en Nuestra Senora:* ArchTG 9 (1946) 53-67.

3 *Bulla "Ineffabilis":* CL 6,836; Marîn, 269.

4 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; Marîn, 713.

gratia plena (Lc 1,28). Atqui neutrum dici posset si aliqua peccata, vel minima, habuisset. Ergo nullum, vel minimum, peccatum habuit.

61. Probatur ex traditione[5]. a) Hacc veritas initio continetur *implicita* in locutionibus Patrum, in quibus Maria dicitur purissima, innocentissima; comparatur cum Ecclesia et utraque dicitur sine ruga, sine macula etc. 1'itque *magis explicita* iam a saec.IV: S.Ephraem (R 719), S.Ambrosius (R 1314), S.Augustinus (R 1794), S.Athanasius [6].

b) Dantur tamen *quaedam vacillationes* Patrum saec.ITI-IV. Quarum praecipua habetur ex falsa interpretatione prophetiae Simeonis, quasi gladius praenuntiatus significasset dubitationes et scandalum Mariae in passione Christi. Haec interpretatio, cuius auctor est Origenes [7], per aliquod tempus in nonnullis scriptoribus duravit [8]. In quorum tamen locutionibus, licet durioribus, non semper clare habetur eorum mens de aliquo peccato Mariae. Alii sunt aliquorum Patrum textus circa intempestivam quandam Mariae festinationem aut vanitatem apud lo 2,3s et Mt 12,46-48, ut S.Irenaei, Tertulliani, S.Chrysostomi, Severiani GabalEnsts [9]. In his quoque locutionibus non semper patet Patres invenisse peccatum in Maria.

62. *c)* Postea *nulla* datur *disceptatio aut dubitatio* in theologis. In aliquos textus: S.AnseLMUs: "Decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo aequalem Sibi genitum tanquam Seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius". Eadmerus: "Nulli dubium, castissimum corpus et sanctissimam animam Eius funditus ab omni fuisse macula peccati, iugi angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus et ex qua hominem in suae personae unitatem

[5] De hoc argumento, cf. Le Bachelet, *Immaculée Conception:* DTC 7,873-882; Dublanchy, *Marie:* DTC 9,2414-2419; GJouassard, *Le problème de la sainteté de Marie chcs les Pères depuis les origines de la palristique jusqu'au concile d'Ephèse:* EtMar 5 (1947) 13-31; M.Gordillo. *Marioloyia orientalis* 8; J.Huhn, *Das Gehcimnis der Jungfrau-Muttcr,* 238-253.

[6] *Eragm. comment, in Lc:* MG 27,1391.

[7] *In Lc* hom.17: MG 13,1845.

[8] Vide textus horum auctorum apud T.Gallus, *De sensu verborum Lc 2,35 eorumque momento mariologica:* Bibl 29 (1948) 226-228. Cf. etiam G.Jouassard, *L'interprétation par saint Cyrille d'Alexandrie de la scène de Marie au pied de la Croix:* Virgo Immaculata 4,28-47.

[9] S.Irenaeus, *Advcrs. hacreses* 3,16,7: MG 7,926; Tertullianus, *De carne Christi 7:* ML 2,812; OeiilER, 2,440; S.Io.Chrysostomus, *In lo* hom.21,2: MG 59,130s; *In Mt* hom.27,3; 44,1: MG 57,347.464s; Severianus de Gabala, hotn.8 (ed. Aucher, p.317). Cf. S.Th., 3 q.27 a.4 ad 3.

ineffabili fuerat operatione sumpturus". Godefridus Admontensis: "Ipsa namque nobilis illa terra erat, quam totam nebula ista tegebat er circumquaque obumbravit, ne eam... actualis culpae macula... tangeret". S.Bernardus: "Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in Eam descenderit, quae Ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem ; quod deinceps nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum". Richardus a S.Victore: "B.M.V. tota pulchra fuit...; ab utero quoque egressa nec mortale unquam nec veniale commisit". Hervaeus Burdigalensis: "Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, sive originalibus sive etiam voluntate additis vel ignorando vel sciendo nec faciendo quod iustum est". Alanus ab Insulis: "Macula non est in Te, venialis et criminalis; quia nullum credimus in Virgine ante et post conceptum fuisse peccatum" J0.

d) Purificatio Mariae in momento Incarnationis, de qua loquuntur nonnulli Patres u, fortasse intelligenda sit de plena sublatione fomitis peccati, sicut sermo est apud auctores posteriores 32.

63. Ratio theologica, *a)* Matrem Dei decet summa puritas. Ergo immunitas a quolibet peccato, etiam levissimo. Si haec valent de peccato originali, a fortiori valent de peccato personali.

b) Praecipuus fons peccatorum venialium est fomes peccati. Atqui fomes, etiam in actu primo, fuit extinctus (aut saltem ligatus). Ergo Maria non habuit peccatum veniale.

64. Obiectiones. 1. In Lc 1,34 apparet Maria incredula in quaerendo ab angelo *quomodo fiet istud.* Sic veteres protestantes et recenter Harnack

Resf. Incredulitas certe nulla est, cum laudetur Eius fides ab10

10 S.AnsElmus, *De conceptu virginali 18:* ML 158,451; Eadmerus, *De excellentia B.M.V.* 3: ML 159,560; Godefridus Admontensis, *Homiliae dominicales* 6: ML 174,51; S.Bernardus, *Epist.* 174,5: ML 182,334; Richardus a S.Victore, *Explicatio in Canticum Cant.* 26: ML 196,482; Hervaeus Burdi, cai.ensis, *In epist.2 ad Cor.* 6.5: ML 181,1048; Alanus ab Insulis, *Elucidatio in' Canticum Cant.:* ML 210,80.

11 Cf. S.Leo M., *Scrm.* 22,3: ML 54,196; S.Ioannes Damascenus, *De fide orthodoxa* 3,2: MG 94,986; *In dormitionem B.Mariae V.* 1,3: MG 96,704.

13 Cf. DTC 9,2414s.

18 Cf. Canisius, *De Maria Virgine incomparabili* 4.1; Harnack, *Zu Lc 1,34-35:* ZNTWiss 2 (1901) 55s. Harnack (qui inde concludere vult versus hos non esse authenticos) plane assimilât Lc 1,34 et Lc 1,18. Sed differentia magna est. Zacharias, nondum credens, petit signum ut credat; unde angelus urget propriam loquentis auctoritatem et eum damnat. Maria, credens factum nuntiatum, quaerit tantum modum, ut quae Deo voverat virginitatem, in omnibus Deo obtemperet; hinc ab angelo docetur de modo, et nullatenus damnatur.

Elisabeth plena Spiritu Sancto (Lc 1,45). Sed, ut ait S.Augustinus, "quod futurum esset, certa erat; modum quo fieret, inquirebat"[14]

2. In Lc 2,43-50 apparet Maria negligens in amittendo lesu, nimis anxia et impatiens in quaerendo; unde et a lesu reprehenditur. Sic veteres protestantes “.

Resp. Nulla est ncgligcntia, cum recte putaret Eum esse “in comitatu”; nulla item impatientia aut nimia anxietas, cum verba Mariae ad Filium non sint reprehensionis aut correctionis alicuius, “sed cuiusdam admirationis ex materno ac tenerrimo erga Filium affectu ac fiducia procedentis” “. Tandem verba Christi "non sunt reprehensionis, sed instructionis et consolationis et defensionis cuiusdam" ",

65. 3. In Iu 2,3s apparent indicia importunitatis, vanitatis et ostentationis; unde et a lesu corripitur. Sic iterum protestantes veteres “.

Resp. In illis verbis Mariae nihil sane apparet quod plenum non sit caritatis erga sponsos, modestiae et fiduciae erga Filium. Verba autem Christi nullatenus intelligi possunt ut reprehensiva, cum statim miraculum operetur. Ceterum quomodo positive intelligenda sint, diversimode explicatur “.

4. In Mt 12,46s iterum habentur indicia ambitionis et importunitatis. Sic veteres protestantes”.

Resp. Neganda omnino sunt talia indicia, quae penitus finguntur ab haereticis. Diversus modus, ouo de lesu cogitabant Mater Eius et cognati Eius apparet in Mc 3,21, ubi nihil omnino de Maria.

66. 5. Supra citata sunt SS.Patrum loca, quae obici possunt. De his textibus nota, in pluribus eorum interpretationem benignam fieri posse, cum non satis appareat Patres illam importunitatem aut etiam dubitationem deliberatas et voluntarias intellexisse. In aliis, etsi talis interpretatio difficulter locum habere possit, non datur cohaerentia inter has locutiones et alias in quibus extollunt praeclaram puritatem Mariae. Tandem aliqui loci salvari nequeunt ”.

67. Scholion 1. Quae dicta sunt de immunitate a peccato veniali, pari iurc valent *de immunitate ab imperfectione positiva,* in sententia probabiliore eorum, qui tenent distinctionem inter imperfectionem positivam et peccatum veniale. Maior enim sine dubio puritas est carentia harum imperfectionum, quam desiderant et curant viri spirituales ; quae item imperfectiones magna ex parte proveniunt ex fomite peccati “.

68. Scholion 2. *De impeccabilitate.* Diximus hucusque de impeccantia; vidimus enim B.Virginem nunquam de facto peccasse, ne

14 *De civitate Dei* 16,24,2: ML 41,SOI; CSEL 40,167.
·“ Cf. Canisius, *I.c.,* 4,14-19.
« TolEtus, *In Lc* 2.48.
17 Toletus, *In Lc* 2,49.
15 Cf. Canisius, *I.c.,* 4,20.
“ Cf. E.Power, *Quid mihi et tibi, mulieri:* VerDom 2 (1922) 129-135; P.Gaechter, *Maria in Kana:* ZkathTh 55 (1931) 351-402; E.Zolli, *Quid mihi et tibi, mulieri:* Marian 8 (1946) 3,15; Euehasio di Cristo Re, *Che significa "quid mihi et tibil'!:* ScuoCatt 75 (1947) 137-142; P.Vannutelli, *Alie noese di Cana:* Marian 10 (1948) 72s.
Cf. Canisius, *I.c., 4,21.*
21 Cf. T.E Bachelet *Immaculée Conception:* DTC 7,886-889. Dc omnibus his difficultatibus, cf. Suarez, *De Mysteriis vitae Christi* d.4 s.3s.
22 Cf. Garricou-Lacrancb, *La Madré del Salvador* 60; AlastruEy, 2S0s.

quidem venialiter. Sed quaerendum amplius est, num saltem potuerit peccare, necne. Hoc est problema de impeccabilitate, quod valde connexum est cum praecedentibus.

Impeccabilitas dicitur impossibilitas peccandi, seu iiidefcctibiliitas in ordine morali. In nostro casu patet nos non agere de impeccabilitate naturali, quae solius Dei est. Sed neque agimus dt impeccabilitate mere accidentali, quae voluntati et personae extrinseca est. Agimus ergo de quadam impeccabilitate *personali,* simili impeccabilitati Christi. In Christo enim impeccabilitas habetur ex ipsa unione hypostatica; in Maria vero habetur ex sua divina maternitate. Sicut ergo Christus constituitur vere impeccabilis ex unione hypostatica, sic Maria constituitur vere impeccabilis eo ipso quod eligitur in Matrem Redemptoris. Patet differentiam magnam esse in repugnantia quae adest inter unionem hypostaticam et peccatum ex una parte, et inter maternitatem Redemptoris et peccatum ex alia. Hac tamen distinctione facta, impeccabilitas Mariae dici potest *intrinseca.* Ipsi enim, quia Mater Dei Redemptoris, vere repugnat peccatum.

Hinc etiam patet impeccabilitatem hanc haberi in Virgine non solum a tempore Incarnationis, sed *a sua conceptione.* Quod sane, etsi a magnis quibusdam Doctoribus negatum est (cohaerenter cum eorum sententia de sanctificatione in utero et de ligatione fomitis), nunc post definitum dogma Immaculatae Conceptionis videtur negari non posse. Ideo omnes admittunt nunc factum impcccabilitatis Mariae ab initio.

Hinc dicendum quoque est, impeccabilitatem Mariae esse *antecedentem,* non tantum consequentem. Scilicet Maria non ideo tantum est impeccabilis quia Deus praevidit Eam de facto nunquam esse peccaturam, sed per prius ad hanc praevisionem divinam, cx sua constitutione in Matrem Redemptoris. Hoc tamen ita tenendum est ut salvetur libertas, quam sufficienter non salvarunt quidam auctores antiqui, maxime Nominales.

Modus ergo, quo impeccabilitas Mariae ponebatur in actu, non est visio beatifica (quam habitualiter Virgo non habebat) ", sed fuit cx una parte extinctio fomitis, et ex alia parte specialissima Dei providentia, tum externa tollendo occasiones peccati, tum interna Ipsam roborando et confirmando in bono per plenitudinem gratiae[24]

ARTICULUS IV

De Mariae positiva sanctitate et plenitudine gratiae

69. Vidimus elementum magis negativum in summa puritate B.Mariae Virginis. Cum hoc elemento coniungebatur (nec aliter fieri poterat in hoc ordine) elementum magis positivum:

23 De hoc problemate, cf. J.A.de Aldama, *jGozô de la visiôn beatifica la Santisinia Virgen alguna ves en su vida mortalf:* ArchTG 6 (1943) 121-140; A.Martinelli, *De primo instanti conceptionis B.Mariae* K. (Romae 1950) 65-75; *La B.Vcrgine vide m terra ia divina essensa?* (Rocna 1957); *La visione di Dio "per speciem" durante la présenté vita* (Roma 1958). Visionem beatificam permanentem durante Eius vita mortali tr buit recenter B.Virgini, non quidem argumentis positivis, sed ex ratione theologica, G.Scalia, *La visione-beatifica della Madonna* (Catania 1954). Eandem visionem intuitivam Virginis· perpetuam in vita mortali defendit saec.XVII Barbianus in Universitate Salmanticensi, iuxta tractationes ineditas.

M Cf. SuXrez, *De Mysteriis vitae Christi* d.4 s.4; Alastruey, 251-259.

scl. B.Virgo non solum erat ab omni peccati aut imperfectionis positivae macula immunis, verum etiam tota pulchra et perfecta, caelestium omnium carismatum copia mirifice cumulata, innocentia et sanctitate plena, ut loquitur Pius IX (supra, n.59). Haec enim omnia conveniebant Matri Redemptoris, hisque omnibus a Deo ad illud munus praeparabatur. De hac sanctitate iam agendum est.

Et quidem diximus supra, B.Virginem eo ipso quod immunis a peccato originali concepta fuit, ornatam fuisse gratia sanctificante a primo conceptionis momento; eo autem ipso quod nunquam peccavit, immo impeccabilis erat, illam gratiam nunquam amisisse. Cum vero loquimur de gratia, designamus hoc nomine totum organismum supernaturalem ad vitam divinam agendam ; qui organismus, docente Leone XIII [1] constat gratia sanctificante tanquam nova natura, virtutibus infusis tanquam novis vitae facultatibus, donis Spiritus Sancti tanquam habitibus quibus anima Spiritus Sancti impulsionibus docilis, ipsis facilius promptiusque obsequitur.

Haec ergo omnia perfecto quodam modo in B.Virgine fuerunt, prout dignam Matrem Redemptoris decebat. Nunc autem non de singulis agendum est, sed de his tantum in quibus aliquid specialiter notandum inveniatur[2].

70. In B.Virgine datur primo *plenitudo gratiae;* quod, ita in genere, ad fidem pertinet, cum expresse hoc titulo fuerit Ipsa ab angelo salutata (Lc 1,28). Hoc utique valet immediate de momento, in quo Mater Dei Redemptoris facta est. Immo idem dicendum est ab initio suae conceptionis, cum causa sanctitatis Ipsius non sit maternitas divina tanquam forma physica sanctificans, sed tanquam dignitas quaedam moralis exigens sanctitatem in Ea, quae iam est vel destinatur ut sit Mater Dei.

Quae quidem plenitudo gratiae sine dubio non absoluta, sed *relativa* intelligenda est. Neque enim agitur de plenitudine gratiae, quae ab unione hypostatica exigatur. Quin immo nec intelligi potest talis plenitudo gratiae in Maria, quae ex sua ipsa perfectione et quantitate absolute crescere non posset. Designatur ergo hac plenitudine relativa abundantia quaedam gratiae, et quidem tanta quanta pro sublimi munere maternitatis Redemptoris digne suscipiendo requiritur. Cum autem hoc munus sit altius omnibus aliis, praeter munera Christi, immo ad munera ipsius Christi quam propissime accedat, Ma-

1 *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,652-654.
a Dc virtutibus, donis, gratiis gratis datis, cf. Roschihi, *Mariologia* 2,2,148-149; AlastruEy, 287-350; Garrigou-LaGrange, *La Madré del Salvador* 118-131.

ria recepit plenitudinem gratiae prae omnibus praeter Christum, ipsique Christo, quantum fas est purae creaturae, accedentem 89

71. Sed *in explicatione* huius cumuli gratiarum plurimum adlaborarunt theologi saec.XVI-XVIl. Quorum doctrina hanc fere evolutionem obtinuit:

a) Initium desumendum est a verbis S.Thomae, in quibus dicta SS.Patrum colliguntur: "Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem; quia ex Ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere" (S.Th., 3 q.27 a.5). In his verbis continetur comparatio inter gratiam initialem Mariae et gratiam ceterorum. Quos quidem intellexit Caietanus homines tantum, non angelos. Comparationem vero ad angelos etiam extendit Medina®, et post ipsum Suarez, docte illam explicans, et asserens hoc credi posse pie et verisimiliter 6. In hoc stadio evolutionis gratia *initialis* Mariae dicitur maior quam gratia *finalis cuiuscumque* angeli aut hominis. Idaee thesis omnibus postea auctofibus placuit, estque hodie communis et certa theologorum sententia.

b) Simul autem addidit Suârez ', gratiam *finalem* Virginis probabiliter maiorem esse gratia *finali* omnium angelorum et hominum collective sumptorum s. Id initio non omnibus placuisse videtur; at ibi continebantur germina sequentis evolutionis °.

c) Interea ulterius progressi sunt theologi, asserentes gratiam Virginis fuisse maiorem gratia *finc.li* omnium collec-

8 Plenitudinem tamen gratiae absolutam, quae ideo crescere· nequiret, tribuit B.Virgini C. del Moral. Cf. I.db Guerra, O.F.M., Lo *gracia inicial de la Inmaculada en la Mariologia de Carlos del Moral'.* VerVid 12 (1054) 203-229. Pulcherrime explicat plenitudinem gratiae relativam in Maria ToIEtus, *In Lc* anot.67.

4 *In 3 q.27* a.5.

6 *In 3* q.27 a.5.

• *De Mysteriis vitae Christi* d.4 s.1 n.4.

7 *De Mysteriis vitae Christi* d.18 s.4 n.8.

8 Ex his quae dicunt Suârez *{.bid.* n.14) et HenrîquBz *{Summa Theologiae Moral's* 2,56), doctrina haec, a B.Ioanne de Avila publice praedicata, primum in scholis propugnata fuit Salmanticae anno 1571, approbantibus Doctor-bus pluribus illius Üniversitatis, inter quos Luisius Legionensis et MartInez CanTalaPIBdra. Cf. R.de Scorraille, *François Suârez* 1,77. Brevis responsio L-Legionensis edita est in *Documentas inéditos para la historia de Espana* 10,467s.

9 *De Mysteriis vitae Christi* d.18 s.4 n.9; cf. Vazquez, *In 3* disp.119 n.80; Tanner, *De Incarnatione* (Ingolstadii 1627) 523s.; Henno, *Theologia Dogmatica* (Venetiis 1768) 6,449. Quantum haec continerentur in solida pietate illius temporis, probant non solum citatus sermo B.Io.de Avii.a, sed etiam sermones varii S.Laurentii a Brundusio. Cf. eius *Mariale* (Opera omnia, Patavii, vol.1, 1928) 230.341.425.451.462s.472.482.499s. De Suârez cf. J.A.de Aldama, *El sentido moderno de la Mariologia de Suârez:* ActCentNacSuâr (1948) 2,65-68.

tive angelorum et hominum, *tempore conceptionis Christi.* Sic iam Valentia et Novatus[10.11]

d) Quin immo et gratiam *initialem* Virginis maiorem esse quam sit gratia *finalis* angelorum et hominum collective, in disputatione publica asseruerunt Vallisoleti anno 1649 PP.FranciscaniId iam defenderat anno 1641 B.de los Rios[12]* Immo, ut refert Alva y Astorga [13] circa annum 1616 Franciscani Complutenses defenderunt "quod in instanti Conceptionis habuit maiorem gratiam quam omnes beati, etiam collective". Postea vero Vega, De Rhodes, Contenson, C.del Moral, S.Alphonsus de Ligorio[14], ac deinceps alii plures, ut Sedlmayr, Baudrand, etc. Nunc sententia haec communior fit inter theologos; sic Lahitton, Garrigou-Lagrange, Janssens, Hugon, Campana, Neubert, Tanquerey, Muncunill, Alastruey, Ravagnan, Roschini ; negantibus Terrien, Lepicier et recenter Baudiment[15], quibus praeiverat Theophylus Raynaldus [10]. Sententia haec pia est et solide teneri potest, tum ex auctoritate extrinseca theologorum qui eam defendunt, tum ex dignitate supereminente matemitatis divinae, cui id certe congruere videtur".

72. Et quidem hanc sententiam videntur supponere verba SS.Pontificum, quae sequuntur:

Pius IX: "Ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter Illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos caelestium omnium carismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa... eam sanctitatis plenitudinem prae se

10 Valentia, *In 3* d.2 q.l p.5; Novatus, *Dc eminentia Deiparae* t.2 c.6 q.22 ct 24; Salazar, *In Proverbia Salomonis* 31,29 n.179, id etiam asserere videtur. A tempore conceptionis Christi habuisse B.Virginem gratiam infinitam, defendit CArdEnas, *Geminum Sidus* disp.2.

11 Cf. Vei^zquEZ, *Maria Immaculate concepta* 1.3 diss.3 adn.3 n.7.

,a *Hicrarchia Mariana* p.547. Utrum P.Lapucnte hanc sententiam tenuerit anno 1622 (cf. L.Cura PelliCEr, *Santidad positiva de Maria en su Inmaculada Conccpdôn segun el P.P.Luis de Lapucte S.I.:* MiscCom 23 [1955] 39), plena claritate non patet.

u Militia Immaculatae Conceptionis 696.

M Cf. Vega, *Theologia Mariana* pal.16 cert.3; Rhodes, *Disputationes theologicae scholasticae* t.2 q.4 s.3 part.l; Contenson, *Theologia mentis ac cordis* 1.10 d.6 c.l spec.2; C.del Moral, *Fons ilt.mlis* 2,15ss.; S.Alphonsus M.de la-Corio, *Le glorie di Maria* disc, della nascita p.l.

15 *De quelques outrances dc la théologie mariale contemporaine:* AnTh *6* (1943) 105-115. De quo cf. P.E.VadeboncoEUr, *Quelle est cette outrance?:* RevUnivOtt 16 (1946) 209-226 in sectione speciali.

je Dypticha Mariana p.2 punct.7.

17 Cf. A.Majitinelli, *De primo instanti conceptionis B.P.Mariae* 3 nota 8.

ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest” [1S].

L'EO XIII : “De thesauro largiatur illius gratiae, qua inde ab initio donata est plena copia a Deo, digna ut Eius mater exsisteret; hac scilicet gratiae copia, quae in multis Virginis laudibus est praeclarissima, longe Ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnium proxima” [ie].

Pius XII : “Veracem erga Ecclesiam amorem omnibus impetret Deipara Virgo, cuius sanctissima anima fuit magis quam ceterae una simul omnes a Deo creatae, divino lesu Christi Spiritu repleta” [20].

Hinc etiam patet, *rationem theologicam* pro hac doctrina inveniri in maternitate Mariae, tum quatenus est Mater Dei, tum quatenus est Mater Redemptoris Ipsi associata in opere redemptionis [21].

73. Haec tamen gratiae plenitudo, quam adeo excellentem esse vidimus iam ab initio, nullo modo excludit *augmentum* eiusdem gratiae in B.Virgine. Fuit enim Ipsa viatrix, et tantum viatrix, in sua vita mortali. Unde sicut opera sua erant perfectissima, ita continuo augmentum gratiae suscipiebat in anima, cum in hoc non fuerit in peiore conditione quam ceteri lusti ; quin immo multiplici ex causa erat in meliore.

Augmentum vero gratiae habebatur in Virgine tum *ex opere operato* [22] (maxime per sacramentum Eucharistiae post passionem et mortem Christi), tum *ex opere operantis;* et revera ea mensura, quam vix suspicari possumus. Cum enim meritum nostrorum operum crescat ex influxu caritatis, meritum omnino maius ponendum est in operibus Virginis, cuius caritas adeo erat perfecta. Adde nullum posuisse Ipsam impedimentum huic continuo augmento gratiae, cum peccatis et imperfectionibus omnibus careret, ipso etiam fomite concupiscentiae. Praeterea tenendum videtur, gratiam crevisse in Virgine post Incarnationem etiam *ex physico et intimo con-*

“ *Bulla “Ineffabilis”*: CL 6,836; Marîn, 269.
10 *Encycl. “Magnae Dei Matris”:* ASS 25,141; Marîn, 391.
Encycl. “Mystici Corporis”: AAS 35 (1943) 347; Marîn, 713.
21 De tota hac quaestione, cf. MerkElbach, 157-213; Roschini, *Mariologia* 2.2,122-133; AlastrüEy, 260-267; Godts, *La sainteté initiale de VImmaculée* (Bruxelles 1904); Dii.i.EnschnEider, *La mariologic de S.Alphonse de Ltguori 2 c.16;* B.RavaCNAN, *Dc Mariae plenitudine gratiae:* Marian 3 (1941) 102-123. 269-285; 3 (1942) 42-56; S.GutvérrEz, *La plcnitud de la gracia de la Santisima Virgen:* EstMar 5 (1946) 188-196; A.Pérez Goyena, *Historia de una célébré opiniôn teolôgico-mariana:* RazFe 39 (1914) 30-44; J.M.Bover, *Santidad initial dc Maria:* EstEcl 28 (1954) 563-571; R.MorEncy, S.I., *La libre cooperation de Marie à sa grâce initiale:* L’Immaculée (Ottawa) 105-126.
22 De baptismo, cf. D.StiErnon, *Le baptême dc la Sainte Vierge: témoignages orientaux et spéculation latine:* EDoc 9 (1956) 232-269.

tactu cum Christo, maxime cum Eum concepit, servavit in utero virginali, edidit, lactavit. Est enim Christus Dominus totius gratiae fons; unde vix concipi potest tam familiaris et intima coriiunctio cum Christo, sine augmento sanctitatis et gratiae 23.* In hoc continuo augmento gratiae B.Virginem culmen vitae mysticae attigisse patet s‘.

74. Augmentum gratiae ex operibus meritoriis connectitur cum quaestione, *quandonam meruerit,* seu quibus actibus meruerit B.Virgo. Et quidem, praesupponcndo Ipsam revera meruisse toto tempore suae vitae (quamvis fuerint theologi aliquando, qui iniuria negaverint Ei possibilitatem merendi post conceptionem Christi), quaestio est duplex:

a) Utrum meruerit *a primo conceptionis momento.* Certum est Ipsam non meruisse a primo instanti suae conceptionis, si Deus Ipsi non dedit ab initio usum rationis ac liberi arbitrii. IIoc ergo est quod in concreto quaeritur. Et quidem sententia affirmans *usum rationis* B.Virginis in primo conceptionis instanti, quae a nonnullis auctoribus saec.XIV iam insinuata saec.XV maxime a S.Bernardino Senensi docetur 2S, fit revera communis a saec.XVI usque ad nostra tempora; quamvis sint nonnulli theologi, qui, admittentes usum rationis in primo conceptionis instanti, id intelligunt exclusive (putant scilicet illud privilegium non perdurasse in B.Virgine). Hoc Virginis privilegium negarunt Gerson, Muratori, Pohle-Gierens et P.Synave20, quorum negatio pondus sententiae communioris infirmare non potest. Sententia igitur affirmativa pia et probabilis est, non solum ex auctoritate theologorum, sed etiam ex interna sua congruentia, maxime si admittatur acceleratus usus rationis in sanctificatione S.Ioannis Baptistae; de quo tamen disputatur 2T. Admisso usu rationis pro primo conceptionis instanti, tenent communiter theologi, contra

23 Dc modo augmenti et progressionis gratiae in Maria, cf. SuÂRBz, *De Mysteriis vitae Christi* d.18 s.4; Rosciiini, *Mariologia* 2.2,139s.

w Cf. Gabriele di Santa M.Maddalena, O.C.D., *Aspctti e sviluppi della grasia in Maria Santissima seconda la dottrina di S.Giovanni della Croce:* Alma Socia Christi 11,43-57.

35 *De excellentia B.V.Mariae in gloria* scrm.13 a.2 c.3; *De conccphone B.M.V.* serin.4 ar.l c.3.

23 Gerson, *Dc susceptione humanitatis (hristi* ver.20; Muratori, *De superstitione vitanda* c.23; PohlE-Gierens, *Dogmatik 2* (Paderborn 1932) 263; P.Synave, *Somme théologique. Vie dc Jésus* 1 (Paris 1927) 251. De sententia S.Thomae, qui in 3 η.27 a.3 id negasse videtur, multum disputatum est, asserentibus multis S.Doctorem negasse tantum permanentem rationis usum, non vero transeuntem pro primo conceptionis instanti exclusive.

21 Cf. Martinblli, cuius opus citatum supra in nota 17 nihil est aliud nisi disquisitio de usu rationis B.Virginis in momento conceptionis. De hoc libro, cf. A.Martinelli, *Ancora sulTuso dclla ragionc concesso alla B.V.Maria nel primo istante dclla sua esistenza:* Marian 17 (1955) 473-526.

Soto et Belluto, Eam propriis actibus supernaturalibus sese disposuisse ad primam sanctificationem 23.

b) Utrum *meruerit continuo omnibus actibus* suae vitae. Haec quaestio adhuc duplex est, prout agatur de tempore vigiliae tantum, vel etiam de tempore somni. In primo sensu sententia affirmans est satis communis inter theologos, et Suarez 20 dicit eam certam. In secundo autem sensu, non defuerunt theologi qui eam affirmarent, ut S. Bernardinus, Dionysius Carthusianus, S.Petrus Canisius, Suarez, Rhodes, Contenson, S.Franciscus Salesius, Vega, S.Alphonsus M.n de Ligorio, Terrien, Hugon, Alastruey, Roschini, alii ; et hoc sensu dicit Suarez sententiam hanc esse verisimilem. Notandum tamen est, ideo posse affirmari meritum Virginis tempore somni, quia supponitur in Ea fuisse scientia infusa permanens. Hanc scientiam infusam habitualem tribuunt Virgini theologi omnes qui affirmant Eam habuisse usum rationis a sua conceptione. Contradicunt tamen nostro tempore Lepicier, Van Noort, Campana, Merkelbach, aliif0.

ARTICULUS V

De matrimonio virginali Mariae

75. Postquam egimus de praeparatione animae Mariae ad munus matemitatis Redemptoris (et hac occasione diximus etiam de plenitudine gratiae in Maria toto tempore suae vitae), restat ut aliqua tractemus de praeparatione quasi sociali, qua Deus Ipsam disposuit ad maternitatem. In consilio enim divino maternitas Dei debebat esse maternitas virginalis, utpote quae magis deceret Deum ; quonam sensu, erit postea investigandum. Sed aliunde miraculum hoc virginitatis occultum interea manere debebat. Ideo ex una parte inclinanda erat divinitus Maria ad virginitatem, quidquid mulieres iudaicae in contrarium cogitarent; ex alia vero parte verum aliquod matrimonium instituendum erat, cuius fructus naturalis Christus putaretur, quamvis revera fructus supernaturalis esset et virginalis. Efficax illa inclinatio in anima Mariae perduxit ad propositum, immo ad votum virginitatis ; matrimonium vero

28 Soto, *Dc natura et gratia* 1.5; B.Bet.luto, *Disputationes dc Incarnatione doni'inica* disp.16 q.1 a.3 n.53s. Cf. Martinelli, *l.c*·, 111-116; Morency, *l.c.* in nota 21.

29 De Mysteriis vitae Christi d.18 s.2 n.7.

90 Dc augmento gratiae in Virgine et de quaestionibus connexis, cf. SuÂREz, *De Mysteriis vitae Christi* d.18; d.4 s.7; d.19 s.3; Alastruey, 267-340; Merkelbacii, 206-298.199-208; Garricou-Lagrance, *La Madré del Salvador* 71-98; Dil i.ensciineidER, *La Mariologic dc saint Alphonse de Liguori* 2,243-264.

hoc est verum connubium exsistens inter Mariam et loseph. Utrumque tandem convenienti modo consociandum erat.

76. *De voto virginitatis* [1]. *a)* B.Mariam Virginem Deo stabiliter suam virginitatem consecrasse, adeoque votum virginitatis emisisse, est certum in theologia ex consensu theologorum iam a saec.XII, nonnullis hisce nostris diebus repugnantibus [2].

Doctrina haec primo docetur expresse a S.Augustino [3], sub cuius luce et posteriore doctorum unanimitate intelligendi sunt antiquiores textus S.Hieronymi, S.Ambrosii, S.Gregorii Nysseni, S.Athanasii et aliorum, B.Virginem in exemplum virginibus proponentium aut firmum Mariae virginale propositum efferentium [4]; immo festum ipsum Praesentationis B.Mariae Virginis, quod iam inde a saec.VI Hierosolymis celebrabatur, sub eadem luce interpretandum est. Aevo Medio haec doctrina docetur a S.Beda, Radulpho Ardente, S.Anselmo, Eadmero, Rupcrto Tuitiensi, Hugone Victorino, S.Bernardo, Ernaldo Bonaevallensi, Arnulpho Lexoviensi, Petro Lombardo, ac deinceps ab omnibus doctoribus [5]. A quo tempore usque ad nostros dies facta est sententia omnino communis omnium theologorum.

1 Cf. Suarez, *De Mysteriis vitae Christi* d.6; Roschini, *Mariologia* 2,2,269-278; Alastruey, 474-486; Martinelli, *l.c.,* 07-103; B.Korosak, *Mariologia S.Alberti* 326-338; B.Leurent, *La consécration de Marie à Dieu:* RevAscMyst 31 (1955) 225-248; A.M.MaEstu OjangurEn, O.F.M., *De voto virgin,tatis B.l7.Mariae:* Alma Socia Christi 1,115-145; R.LaurEntin, *Luc LH* 176-188; *Court Traité* 21; R.RÂranos, *jVoto o promesa de virginidadf:* NatGrac 5 (1958) 3-37; J.Galot, *Vierge entre les vierges:* NouvRcvTh 70 (1957) 463-477; *Marie dan's l'Evangile* (Paris-Louvain 1958) 30-50; P.Brodmann, *Martens Juhgfrdulichkcit nach Lk 1,34* in *der Auseinaudersetzung von heute:* Ant 30 (1955) 27-44; maxime P.Franquesa, *Exégcsis del "quoniam virum non cognosco" y voto de virginidad:* EstMar 21 (1960), qui accurato examini recentiorem bibliographiam subicit; neenon pro evolutione historica, J.M.Alonso, *Virgo Corde:* EphMar 9 (1959) 175-228.

3 Cf. D.Haugg, *Das erste biblische Maricnivort* (Stuttgart 1938); GaEciiter, *The Chronology from Mary's Betrothal to the Birth of Christ:* ThSt 2 (1941) 145-170,347-368; *Maria im Erdenlcben* (Innsbruck 1953) 92-98; Férkt, *Messianisme de l'Annonciation:* F'rêtre et Apôtre (1947) 37ss; J.Auer, *Maria und das Jungfraulichkeitsideal:* GuL (1950) 41Iss; K.Rahner, *Le principe fondamental de la théologie mariale:* RechScRel (1954) 517; Schmaus, *Mariologie,* 110.

3 *De sancta virginitate* 4,4; *Serm,* 225,2; *Serm,* 291,5: ML 40,398; 38,1097. 1318.

4 S.Hieronymus, *Ep.* 22.18.38.41: ML 22.405.422.424; S.Ambrosius, *De institutione virginis* 5,35; 6,44; 7,15: ML 16,328.331.333; S.Gregorius Nyssenus, *In diem' natalem Christi:* MG 46.1140s; S.Athanasius, *De virginitate:* Muséon 42 (1929) 247. (Cf. M.Aubineau. *Les écrits de saint Athanasc sur la virginité:* RevAscMyst 42 [1955] 247). In eundem sensum, cf. Pius XTI, *Enc. "Sacra Virginitas":* AAS 46 (1954) 187-189. De textibus SS.Patrum cf. Petavium, *De Incarnatione* 14,4.

8 S.Beda, *In Lucae evangelium* 1: ML 92,318; Radulphus Ardens, *Horn.* 16: ML 155,1362; S.Anbelmus, *Horn.* 9: ML 158,645s; Eadmerus, *De excellentia B.Mariar* 4: ML 159,563; Rupertus Tuitiensis, *De laesione virginitatis* 6: ML 170,551; Hugo Victorinus, *De B.Mariae virginitate* 1: ML 176.865s; S.Bernardus, *Super Missus est horn.* 3,7: ML 183.74s; Ernaldus Bonaevallen-Sis, *De laudibus B.Mariae virginis:* ML 189,1727; Arnulphus Lexoviensis, *Serm.* 4: ML 201,172; Petrus Lombardus, *Sententiae* 4,30.

Fundamentum huius doctrinae inveniendum est in communi etiam expositione responsionis Mariae: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (Lc 1,34) [6]. "Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se antea vovisset", ut loquitur Augustinus. Patet enim ex toto contextu verba haec intelligenda esse de futuro, non de praesenti. Ut enim dicit S.Augustinus, "si cognoscere disponeret, non miraretur" [7]. Nec exponi potest responsum Virginis ex eo quod, cum desponsata tantum esset, nondum matrimonio copulata, non posset iuxta mores iudaicos matrimonium consummare. Quasi diceret: quomodo fiet istud *nunc,* ut iubes, quoniam virum nec cognosco nec *modo* cognoscere possum? Talis explicatio, etsi possibilis esset, non tamen necessaria est, nec sane traditionalis; immo supponit B.Virginem in momento Annuntiationis nondum esse veram uxorem S.Ioseph, quod minus probabiliter dicitur, ut statim videbimus. Praeterea ineptissima fuisset talis responsio Virginis Angelo nuntianti voluntatem Dei sicque traditiones mere humanas deroganti.

Quae autem in contrarium obiciuntur nullius momenti sunt. Etsi enim perpetua virginitatis consecratio non fuisset in usu illius temporis (quod sane nunc caute affirmandum est), inspiratio tamen Spiritus Sancti, ex cuius familiari instinctu Maria virginitatem vovit (S.Th., 3 q.29 a.1 ad 1), hisce humanis legibus coarctari nequit. Cum vero obicitur studium virginitatis non nisi per Christum originem habuisse, oblivioni traditur votum Mariae ex praevisis ipsius Christi meritis atque ex divina inspiratione originem habuisse.

Quodsi additur B.Virginem vitam vulgarem atque in omnibus communem duxisse, non singularem qualis foret vita consecratae virginitatis, meminisse oportebit interiorem Ipsius perfectionem non vulgarem sed altissimam fuisse.

b) Inter theologos, ex influxu maxime Canonistarum Aevi Medii, longa fuit disputatio circa naturam huius voti virginitatis a Maria emissi. Multi enim theologi cum S.Thoma (4 d.30 q.2 a.1) tenuerunt votum illud fuisse condicionatum ; alii vero, cum S.Bonaventura, votum absolutum defenderunt. Quae ultima sententia hodie communior et probabilior evasit.

c) Disputatur etiam de tempore quo votum virginitatis a B.Maria Virgine emissum fuerit. Admittendum sane est, ex

[6] De authenticitate Lc 1.34 cf. B.Brinkmann, *Jungfraucngeburt und das Lukascvangclium:* Bibi 34 (1953) 327-332, qui respondet novissimis obiectionibus ab H.Vogels factis.

[7] *Serm.* 225,2: ML 38,1097.

dictis, emissum certo fuisse ante Annuntiationem, cum secus responsum Virginis sensum non haberet. Ulterior vero temporis determinatio vix fieri potest, etsi plures sunt theologi qui emissionem voti posuerint in ipso momento conceptionis, supposito usu rationis Mariae concesso in illo momento; quod quidem pie et rationabiliter dicitur.

77. *De matrimonio Mariae et loseph. a) Verum* extitisse *matrimonium* inter Mariam et loseph, negatum fuit a luliano Eclanensi8 9 Plures etiam canonistae Medii Aevi minus accurate locuti sunt, propter doctrinam de essentia matrimonii non semper plene cognitam. Immo recenti adhuc tempore id negavit Freisen 8, qui tamen postea sententiam retractavit. Est tamen doctrina *certa in theologia* 10;* ex consensu theologorum; quae etiam a Leone XIII docetur: "Sed tamen quia intercessit losepho cum Virgine Beatissima maritale vinculum... Quocirca, si sponsum Virgini Deus dedit, dedit profecto non modo vitae sociam, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis Eius ipso coniungali foedere participem" ". Fundamentum desumitur ex Alt 1,16-20, ubi Maria vocatur coniux et loseph vir Eius; quae tota pericopa sensum aliter non habet. Idque tenent etiam, si praescindamus a vacillationibus terminologiae, SS.Patres ; qui valde insistunt in sapientia consilii divini, facientis nasci Christum ex Maria coniugata. Patrum rationes pulchre collegit S.Thomas, 3 q.29 a.I32.

b) Quaestio *de tempore,* in quo matrimonium hoc initum fuit, valde complexa est propter diversum modum loquendi. Alii quidem tenent matrimonium iudaicum duobus momentis constare ; quorum primum ita erat inchoatio matrimonii, ut plus accederet ad nostrum matrimonium ratum quam ad nostra sponsalia, plures enim effectus veri matrimonii fluebant ex ipso; alterum erat deductio sponsae in domum sponsi, qua matrimonium complebatur. In hac sententia haec duo momenta designa.ntur in Evangelio: primum, "cum esset desponsata" (μνηστευΊε'.ση) ; secundum, "antequam convenirent" (συνελΟεϊν)·

8 *Contra Julianum* 5,12,46: ML 42,812.

9 CIC c.44s.C.27 q.2 (Friedberg, 1,1075s). Freisen, *Geschichte des canonischen Ehcrcchts* 85,152.

10 Suarez (Dc *Mysteriis vitae Christi d.7* a.I n.2) dicit id esse dc fide, sicque* doceri ab omnibus teologis. Hoc tamen nimis esse, ostendit Vazquez (7n J d.125 c.3). Certum dicit esse Beneihctus XIV, *De Synodis* 13,32,13.

33 *Encycl. "Quamquam pluries**:* ASS 22,66; Marîn, 366.

. ,a De tota hac quaestione, cf. Holzmeister, *Dc Sancto loseph quaestiones biblicae* (Romae 104) 31-33, ubi etiam praecipua bibliographie. De SS.Patrum terminologia, cf. R.BidaGOR, *Sobre la naturalesa dei matrimonio en San Isidoro de Sevilla:* Miscellanea Isidoriana (1936) 263-285; J.Huhn, *Das Geheimnis dcr Junofrau-Mutter Maria nach dem Kirchcnvater Ambrosius* (Wiizburg 1954) 221-238.

Unde in hac sententia Maria in Annuntiatione erat iam vera uxor S.loseph, etsi adhuc in domum inariti non intraverat. Sic Holzmeister, Perrella, alii.

Alii tenent, suppositis illis duobus momentis matrimonii iudaici, matrimonium proprie non haberi nisi post deductionem sponsae in domum sponsi. Unde in hac sententia Maria in Annuntiatione erat quidem sponsa, nondum tamen uxor S.loseph. Facta est uxor post monitionem angeli (Mt 1,24). Sic Vosté.

Alii tandem tenent Mariam vere et plene celebrasse nuptias cum S.loseph, et cum eo incepisse cohabitare iam ante Annuntiationem, sed ut patet virginaliter. Monitum angeli tantum facit ut retineat, seu iterum assumat, quam animo iam dimiserat. Sic Henze, Frangipane[13].

78. *Matrimonium virginale.* Fx his, quae hucusque diximus, exsurgit difficultas in componendo vero matrimonio, cum antecedente voto virginitatis, et quidem absoluto. Quae difficultas potest sic poni : quodnam fuit immediatum obiectum huius consensus matrimonialis. Si enim de vero matrimonio agitur, obiectum consensus videtur fuisse ius in corpus; hoc autem admisso, non apparet quomodo stare possit votum virginitatis inviolatum.

Dicendum ergo est, obiectum huius consensus fuisse revera ius in corpus, ideo quia fuit verum matrimonium ; ita tamen ut simul daretur condicio non utendi illo iure. Sed haec condicio in casu videtur transiisse in veram obligationem, contractam simul cum acquisito iure in corpus. Quae quidem obligatio non oriebatur ex virtute iustitiae (sic enim daretur vera contradictio in hoc consensu et contractu), sed ex virtute religionis et fidelitatis. Sic videtur explicari posse matrimonium virginale.

De quo optime scribit Billot: "Singulare hoc coniugium super alia cuncta praeeminet. Nam matrimonium in prima sua institutione, futurum incarnati Verbi mysterium quodammodo praenuntiavit; matrimonia Novi Testamenti illud imitantur, sicut origo suum exemplar. Sed matrimonium parentum Chris-

13 U.Holzmeister, *De Sancto loseph quaestiones biblicae* 68-79; J.M.Vosté, *Dc conceptione v'rginali Christi* 19; C.Perrella, *Beatissima Virgo cum caelestem excepit nuntum. S.loseph spousal bus solis, non vero nuptiis iuncta erat;* Div-Thoin (Pi) 35 (1932) 378-398.519-531; Cl .M.Henze, *Beatissima Virgo, cum caelestem excepit nuntium, S.loseph non solis sponsalibus, sed nuptiis iuncta erat et cum eo cohab tabat:* DivThccn (Pi) 51 (1Q48) 46-58; D.Frangipane, *Utrum B.V.Maria ab angelo salutata iam in domo loseph ut coniux fuerit·.* VerDom 25 (1947) 99-111; J.M.Bover, *Las bodas dc Maria con José, anteriores a la Anunciacion:* Estjos 5 (1951) 8-18.

ti, ipsum incarnatum Verbum de caelo descendentem suscepit, fideliter enutrivit et decentissime in mundum introduxit" 14.

CAPUT III

De matemitate divina

79. Munus, ad quod B.Maria Virgo tot gratiae thesauris a Deo praeparabatur, est maternitas Redemptoris. Sed quia Redemptor in hoc ordine necessario erat Deus, maternitas illa est *maternitas Dei.* De hac ergo nobis agendum est.

Quae quidem investiganda est primum *in scipsa,* sci. quo sensu, qua veritate, quo iure Maria dicenda sit Mater Dei. Sed praeterea maternitas illa revelatur nobis de facto ut *virginalis,* quaecumque tandem sit necessitas huius proprietatis in maternitate divina. His ergo investigatis et positis tanquam verum totius quaestionis fundamentum, consideranda est *excellentia* huius divinae maternitatis virginalis, sive in se spectatae, sive in relatione ad alia dona gratiae. Hinc ergo agemus:

Art. 1. De maternitate divina.
Art·. 2. De maternitate virginali.
Art. 3. De excellentia divinae maternitatis.
Art. 4. De transcendentia divinae maternitatis.
Art. 5. De divina maternitate formaliter sanctificante.

ARTICULUS I

Di·: maternitate divina

Thesis 4. B.Virgo Maria proprie et vere est Dei Genitrix.

S.Th., 3 q.35 a.4; SuXrEz, *De Mysteriis vitae Christi* d.1 s.1; Alastruey, 75-89; Merxelbach, 19-55; Roschini, *Mariologia* 2,1,141-170; Dublanciiy, *Marte:* DTC 9,2340s.2349-2369.

80. Nexus. Diximus B.Mariam Virginem praedestinatam ab aeterno fuisse ad matemitatem Redemptoris, ad quam etiam vidimus Deum Eam amplissimo modo praeparasse. Quaerimus iam de illa maternitate. Sed quia ex una parte scimus Redemptorem fuisse lesum, Deum et hominem, et ex

M *De Sacramentis* th.36. De tota quaestione, cf. MerkElbach, 260-263; Alastruey, 33-47; H.Rett, *Die Joscph-Ehe in ihrem Original und ihrer Nachahmung:* ZkathTh 32 (1908) 590-596; Korosak, *Mariologia S.Alberti* 183-193, 198-209; Esteban San MartIn de la Inmaculada, *l'oto dc virginidad y ma. trimonio cn la Madré del Redcntor:* EstMar 21 (1960) 297-324.

alia parte probavimus in Christologia hunc Redemptorem corpus suum vere traxisse de Maria, quaerimus nunc, utrum Maria, quae vere est mater lesu, vere etiam dicenda sit mater Dei.

81. Notiones. Dei genitrix, seu Deipara Οεοτόκο sci. Mater Dei.

VERE et proprie, seu non solum in aliquo sensu lato et improprio, sicut aliqua mulier dicitur mater architecti aut mater pictoris; sed quia vere genuit Deum, personam sci. divinam, ita ut in ipso momento suae generationis activae Filius ab Ea genitus sit simpliciter Deus.

82. Adversarii. Praeter eos, qui negant aut divinitatem Christi, aut Eius vel humanitatem veram vel originem ex Maria, directi adversarii sunt Nestorius et *Nestoriani.* Nestorius, iuxta suam doctrinam de unione hypostatica, negavit 'Alariam esse proprie Οε^τόκον; neque hunc terminum admitti posse dicebat, nisi abusive et admisso etiam termino ἀνθρωποτόκο . Dicitur autem vere et proprie χριστοτόκο vel etiam Οεοδόχο (deifera) \ Posteriores *Nestoriani,* non tantum verbis, sed etiam re tenent eundem errorem ; defendunt enim mordicus maternitatem Mariae terminari ad hypostasim humanam Christi 2. Hos omnes anteibant Paulus Samosatensis, qui tenebat Mariam solum hominem genuisse, Verbum non peperisse, cum Maria non sit ante saecula 3.

83. Doctrina Ecclesiae, *a) Ante Concilium Ephesinum:* CaelESTINUS I damnavit Nestorium in Synodo Romana anni 4304.

b) Conciliïim Ephesinum: damnavit Nestorium ut haereticum 5, et veritatem maternitatis divinae expresse tenuit in epistola 1a S.Cyrilli ad Nestorium, quam probavit (D Illa). Anathematismi (D 113) ibidem quoque lecti sunt, licet a Concilio non expresse approbati6. Concilii Ephesini doctrinam genuinam exposuit Pius XI in encvclica "Lux veritatis".

1 Haec est vera Nestorii doctrina in sermonibus et epistolis annorum 428-430 (vide *Efisi, ad Caelcstinwn:* ACO 1,2,13: ML 50.439-441), quam non mutavit, sed verbis nutigavit tantum in Libro Heraclidis. Cf. Gordillo, *Mariologia* 33; Nilus a S.Brocardo, O.C.D.. *De Maternitate divina B.M. semper Virginis Nestorii Constantinopolitani et Cyrilli Alexandrini sententia* (Romae 1944) 4-11; Tn.Camelot, *De Nestorius a Eutychès:* Das Konzil von Chalkedon 1,212-228.

2 Cf. Gordillo, *l.c.,* 34-39.

• Cf. G.Bardy, *Paul de Samosatc* (Louvain 1923) 309. De Diodoro Tarsensi et Theodoro Mopsuesteno cf. Jovassard, *Maria* 1,94.

« ML 50,45ss.

6 ACO 1,1.2,35s. Sic iam dicebatur a Benedicto XIV (D 1462) et recenter a Pio XI in *Encycl. uLux veritatis"*: AAS 23 (1931) 511s. Cf. A.d'AlES, *Le dogme d'Ephèse* 145; J.Lebon, *Autour de la definition de la foi au Concile d'Ephèse:* EphThLov 8 (1931) 393-413; I.Ortiz de Urbina, *Lo sviluppo délia Mariologia nelia Patrologia Orientale:* OrChP 6 (1940) 66.

e De valorc amathematismorum, cf. J.Fuie DE la Bellacasa, *Los doce anate·*

c) *Post Conc. Ephesinum:* Conc. *Chulccdoncnse* (D 148), *Constantinopolitanum II* cn.2 et 6 (D 214 218), *Lateranense* cn.3 (D 256), *Constantinopolitanum III* (D 290); Paulus IV contra Socinianos (D 993).

Valor dogmaticus. *De fide divina ct catholica definita.*

84. Probatur ex sacra Scriptura. Le 1,35. Id c|uod ex Maria nascetur est Filius Dei sensu proprio, ac proinde Deus. Atqui id quod ex Maria nascetur est filius Mariae. Ergo filius Mariae est Deus, seu Maria est Dei Genitrix 7.

Gal 4,4. Filius Dei dicitur factus (id est, natus) ex muliere (id est, ex Maria). Ergo similiter.

Lc 1,43. Maria est mater Domini (sic dicitur ab Elisabeth Spiritu Sancto afflata). Atqui Dominus (κὑριο) est nomen divinum, etiam in eodem contextu. Ergo Maria est mater Dei 8.*

85. Probatur ex traditione 9. O Antiquissimus usus vocis θεοτὁκο 10 habetur Alexandriae in antipherna "Sub tuum praesidium", quae probabilius est saec.III ex.11; certo autem saltem anno 325 apud Alexandrum 12.* Dein apud S.Athanasium (R 788), Didymum 13.* Eodem saec.IV θεοτὁκο usurpatur a Tito de Bostra 14 in Arabia; a S.Basilio 15, S.Gregorio Nazianceno 16 et S.Gregorio Nysseno 17* in Cappadocia; ab Eusebio 18 et S.Cyrillo Hierosolymitano 19* in Palaestina;

matisnws de San Cirilo, ifucron aprobados por el Concilio dc Efcsof: EstEcl 11 (1932) 5-25; P.Galtier, *Les anathématismes dc saint Cyrille ct le Concile de Chalcédoine:* RechScRel 23 (1933) 45-57; A.DenEffe, *Der dogniatischc IVert der Amathcniatismcn Cyrills:* Schol 8 (1933) 64-88.203-216. De ipsis anathematismis atque de eorum compositione, cf. J.Mahé, *Les anathématismes de saint Cyrille d'Alexandrie ct les évêques orientaux du patriarchal d'Antioche:* RevHistEccl 7 (1906) 505-540; J.Lebon, Le., 402-412.

7 Dc interpunctione et de sensu textus, cf. J.BovEr: Bibl 1 (1920) 92-94; EstEcl 8 (1929) 381-392; G.Carli, *"...Jdcoquc ct quod nascetur sanctum vocabitur Filius Dei":* PalCl 30 (1951) 714-722.

8 Cf. Lebreton, *Histoire du dogme dc la Trin'tc7* 1,354-373.

9 Cf. A.d'Ales, *Dc Verbo Incarnato* (Pans 1930) 132-135; I.Ortiz de Urbina. *Lo sviluppo della Mariologia nella Patrologia Orientale:* OrChP 6 (1040) 50-53.62-67; P.Clement, *Le sens chrétien et la maternité divine dc Marie avant le conflict ncstoricn:* EphThLor 5 (1928) 599-613.

10 Cf. Laurentin, *Court traité* 145s.

11 Ita videtur, non obstantibus difficultatibus a Stegmuller motis. Cf. I.CECCHETTI, *Sub tuum praesidium:* EncCatt 11,1468-1472.

12 *Epist. ad Alexandrum Constant.,* 12: MG 18,568; *Athanasius Werkc* (ed. Opitz) 3,1,28.

13 *De Trinitate* 1,31; 2,4; 3,41; MG 39,421.481.988.

14 *Fragni.in Lc* 1,46: TU 21,1,145.

15 *Homilia in sanctam Christi generationem* 5: MG 31.1468. Dc authentia cf. Sole, *Die Mariologie der Kappadosicr:* ThQschr 131 (1951) 178ss.

16 *Orat.* 29,4: MG 36,80; *Epist.* 1: MG 37,177.

17 *Dc virginitate* 13,19: MG 46,3377.396; *epist.* 3: MG 46,1024: *Orat. 5:* MG 46.684; cf. ctiam *In diem natalem Christi:* MG 46, cuius tamen authentia dubia manrt.

18 *Vita Constantini* 3.43: MG 20,1104; GChS 1,95; *Contra Marcellum* 2,1: MG 24, 777; GChS 4,32.

19 *Catecheses* 10,19: MG 33,685.

ab Eustatiiio [20] et Severiano GabalENSI [21] in ipsa Antiochia; necnon a formula Synodi Antiochenae anni 325 [22].

h) Aequivalenter inter Latinos dicitur "Dei Mater" a S.Ambrosio [23]; "Dei Genitrix" a Prudentio [24], Cassiano [25]; S.Augustinus loquebatur sic: "Quomodo *Deus* esse desisteret, cum homo esse coepit, qui *genitrici suae* praestitit ne desisteret virgo esse cum peperit?" [26].

c) Doctrina ipsa, sine nomine, erat traditionalis ante Concilium Ephesinum: Sic saec.II S.Ignatius (R 42), S.Iustinus (R 127), S.Irenaeus (R 223). Saec.III Tertullianus [27], S.Hippolytus (R 393). Saec.IV Lactantius (R 634), S.Hilarius [28], [30] S.Chrysostomus (R 1172), S.Ephraem (R 745), S.Damasus 2fl, S.Hieronymus (R 1400), Sedulius scribens "Salve, Sancta Parens...". Ideo commotus est populus cum audivit Nestorium et Theodorum Mopsuestenum, negantes veritatem divinae maternitatis [30].

86. Ratio theologica. S.Til, 3 q.35 a.4: Mater alicuius vere et proprie dicitur mulier, quae ipsum concepit et peperit. Atqui B.M.Virgo concepit et peperit Deum. Ergo est mater Dei.

Maior intelligenda est formaliter. *Minor* patet, quia subiectum conceptionis et partus non fuit persona humana, quae in Christo nunquam fuit, sed divina [31].

87. Obiectiones. 1. Terminus generationis est natura. Sed Maria non generavit naturam divinam. Ergo non est mater Dei.

Dist. mai. Terminus totalis, *nego mai.;* terminus formalis, *subdist:* natura prout in subiecto, *conc.;* natura sola, *nego.*

Terminus totalis est id quod generatur, seu subiectum generationis, seu persona. Terminus formalis est id quo subiectum generatur. Hoc autem solum nequit generari, quia nequit subsistere se solo, nisi in persona. Sicut etiam persona nequit generari nisi in aliqua natura, quia in aliqua natura subsistit. Solet dici terminum generationis

x *Hom.dc tentationibus* (cd. SpannEut) 116; cf. *ib.,* 78 ct *Das Konsil von Chalkedon* 1.125.

*) *Hom.in legislatore* 7: MG 56,410. Cf. Zeixinger, *Studicn cu Sevcrian von Gabala* (Münster 10261 60s; M.Marx, *Sevcriana tinter den Spuria Chrysostomi·.* OrChP 5 (1939) 310.

23 Cf. Opinz, *Athanasius Wcrkc* 3.1,39.

Ω *Dc virginibus* 2,2,7: ML 16,209; *Hexaemeron* 5,20,65: ML 14.148. Cf. J.Huns, *Das Gcheim'nis der Jungfrau-Muller* 32-37. Dicit etiam S.Ambrosius de Maria: "quae Deum generaverat" (Expos.in Le 10,130: ML 15,1930).

21 *Psychomachia* 5,384: CSEL.

20 *De Incarnatione Christi* 2,2: ML 50,32.

=» *Senn.* 186,1: ML 38,999.

« *De carne Christi,* 18: ML 2.828s; Oeheer, 2.455.

28 *Tractatus super Psalmos* 131,8: ML 9,733; CSEL 22,668.

20 *Carmen 2:* ML 13.376.

30 Cf. IoannEs Antiochenus, *Epist. ad Nestorium:* MG 77,1451s.; Leontius Byzantinus, *Contra Nestorium* 3,10: MG 83,1363.

31 Cf. J.BittrEmieux, *De notione divinae maternitatis B.M.Virginis:* Eph· ThLov 1 (1924) 71-81.

esse personam. Melius autem dicit S.Thomas *terminum* generationis esse naturam; quia haec significatur per modum formae, in quam fertur intentio naturae; *subiectum* vero generationis esse personam, quae significatur per modum subsistentis. Cf. S.Th., 3 q.35 a.l.

(8§) *2.* Filius Mariae incepit esse per generationem ab Ipsa. Sed Deus non incepit esse. Ergo filius Mariae non est Deus, seu Ipsa non est Dei Genitrix.

Dist. mai. Incepit esse in natura humana, *conc. mai.;* incepit esse simpliciter, *nego mai. Contradict. min.* Deus nou incepit esse simpliciter, *conc. min.;* non incepit esse secundum quid, id est in natura humana, *nego min.*

89. 3. Actio generativa Mariae terminatur in humanitate prius natura quam haec uniretur Verbo. Atqui sic Matia nullo modo potest dici mater Verbi. Ergo Maria non est mater Dei.

Dist. mai. Prius natura et simul tempore, *conc. mai.;* prius natura ct tempore, *nego mai.*

Influxus maternus Mariae terminatur ad corpus, exigens infusionem animae; ita tamen ut in eodem momento anima, corpus et humanitas unita sint Verbo. Eodem modo iudaei dicuntur interfecisse Deum, quia per eorum actionem dissoluta est unio animae cum corpore, et consequenter humanitas ut sic separata est a Verbo. Haec quidem melius intelliguntur m sententia, quae ponit animam et carnem Christi prius natura unita esse Verbo quam inter se

90. 4. Si parentes humani non disponerent materiam ad unionem cum anima ita ut hanc unionem quodammodo causaient, vere parentes dici non possent. Ergo a pari, si Maria per suum influxum nullo modo causavit unionem cum persona Verbi, nequit vere dici mater Verbi. Atqui hanc unionem de facto non causavit. Ergo non est mater Verbi.

Sunt auctores, qui simpliciter negant minorem huius difficultatis. Admittunt enim B.Virginem per veram et physicam efficientiam attigisse unionem hypostaticam. Hoc tamen, quamvis ab aliquibus auctoribus dicatur probabile, simpliciter non solvit difficultatem. Hic enim influxus esset influxus instrumentalis; influxus vero mere instrumentalis non est influxus generativus, et hinc non explicaret veritatem generationis, quam explicare intendimus “. Ideo *concessa minore,* aliter respondendum est.

Nego igitur *paritatem maioris.* Patres humani communicant filio humanitatem, quae non est solum corpus, sed etiam anima. Ideo, quamvis animam immediate causare non possint, debent tamen ita disponere materiam corporis, ut haec vere exigat infusionem animae; unde hanc infusionem aliquatenus causant. Hoc autem totum perfectum est a Maria relate ad Christum, ideoque Ei vere communicavit humanitatem. Non vero dicitur mater Dei quia eodem modo communicaret Ei divinitatem, sed quia humanitas illa nunquam exstitit ut in se subsistens, sed semper subsistens in Verbo.

Potest tamen *adhuc addi,* Mariam fuisse etiam quodam vero sensu causam unionis humanitatis cum Verbo, quatenus haec non est

M Cf. SuAnKZ, *Dc Mysteriis vitae Christi* d.1 s.1 n.14-16.

" Cf. SuArEz, *ib.,* n.15. Historiam huius quaestionis theologicae, ab Ovando primum, ut videtur. Salmantictre suscitatae, optime descripsit J.Maktln Palma, *El influjo fisico de Maria en la uniôn hipostdtica. Orientacioncs ideoldgicas c histâricas:* ArchTeolG 17 (1954) 5-82; ubi etiam habetur praecipua recentior bibliographia.

facta sine consensu Mariae, ac proinde sine Eius vero influxu, qui tamen non videtur fuisse nisi moralis.

Praeterea dici fortasse potest, influxum maternum Mariae, non solum, sed simul cum influxu fecundante Spiritus Sancti, vere terminari ad aliquam exigentiam animae unitae cum hypostasi divina. Sic enim bene intelligerentur verba SS.Patrum, quibus ita coniungunt generationem virginalem cum generatione divina, ut simpliciter asserant Deum non posse generari nisi virginaliter, et fructum conceptionis virginalis non posse esse nisi divinum

91. 5. Si Maria esset vere mater Dei, relatio filiationis daretur Dei ad Mariam. Atqui talis relatio dari nequit. Ergo non est mater Dei.

Solutio huius difficultatis pendet a quaestione de relatione reali vel rationis, quae in Christo detur relate ad Mariam; in qua non omnium eadem est sententia.

Qui tenent in Christo esse relationem realem (creatam) filiationis ad Eius Matrem (Suarez), *concedunt maiorem et negant minorem.* Quodsi urgeatur: relatio filiationis afficit personam, ac proinde in casu personam divinam ; atqui in persona divina nequit esse relatio realis ad extra; respondet distinguendo sic: afficit personam ut subiectum denominationis, *conc.;* ut subiectum inhaesionis *nego,* et *contradist. min.* Et haec sententia verior videtur.

Qui vero tenent in Christo esse relationem rationis filiationis ad Eius Matrem (S.Thomas, S.Bonaventura, plures alii), *dist. mai.:* daretur relatio vel realis vel rationis, *conc. mai.;* realis tantum, *nego mai.; et contradist. min.:* nequit dari relatio realis, *conc. min.;* rationis, *nego min.* Quodsi urgeatur : per relationem rationis nemo fit realitcr filius; ergo Deus non esset realiter Filius Mariae; respondent *dist. antec.:* per relationem quae sit relatio rationis ex utroque termino, *conc. antec.;* quae sit rationis in Filio et realis in Matre, *nego antec.* Sicut accidit in relatione creaturae et Creatoris".

92. Scholion. *De supernaturalitate divinae maternitatis active sumptae.* 1. Maria tribuit Verbo in ratione humanitatis id totum quod filiis tribuunt aliae matres. Scilicet ex substantia propriae carnis per vitalem processum physice efformavit ovulum, quod determinatione accepta ab extrinseco (in casu Mariae ab Spiritu Sancto, ob conceptionem virginalem) fecundatum est, et factum embryo exigens informationem animae ; qui deinde evolutus, nutritus in utero et editus est.

Infusio animae et unio cum persona divina uno eodemque momento fieri debuerunt ; hoc implicitum est in ipso dogmate maternitatis divinae ". Quodnam fuerit illud momentum, non ab omnibus eodem modo explicatur.

Iuxta recentiores, infusio animae fit in momento quo ovulum per principium extrinsecum fecundatur. Unde dicendum esset Verbum unitum esse cum humanitate existente in statu embryonario et evolutivo. Haec tamen theoria non est certa.

Iuxta antiquos, prima evolutio embryonis est ante animationem.

** Cf. J.A.de Aldama, *El tenxa de la divina maternidad dc Maria en la invcstigaciôn dc los ultimos decenios:* EstMar 11 (1951) 63-70; cf. Martin Palma, *l.c.*

M Cf. S.Th., 3 q.35 a.5; SuârKz, *Dc Mysteriis vitae Christi* d.12 s.2; Alas-Truey, 1,123-126; Merkelbach, 50-52; Roschini, *Mariologia* 2,1,167-170.

36 S.Th., 3 q.35 a.4; SuârBz, *Dc Mysteriis vitae Christi* d.1 s.2 n.12s.

quae non fit nisi versus finem tertii mensis. Unde in casu Christi ponebant novum miraculum, quo Spiritus Sanctus evolutionem embryonis ita fecit in uno momento, ut ab initio posset animari et uniri Verbo

93. 2. In hoc processu generative ponendus est iuxta doctrinam fidei *influxus supernaturalis* ad fecundandum germen, cum generatio haec fuerit virginalis. Quaeritur utrum praeterea admittendum sit *aliud elementum siifernaturale* per prius ad ipsam fecundationem, quo elevaretur ipsa potentia generativa Matris in productione germinis.

Quidam rccentiores (post Saavedra3") id affirmant, ponentes elevationem aliquam intrinsecam potentiae ; quae elevatio est qualitas activa spiritualis ct supernaturalis, recepta non in potentia organica (ut volebat Saavedra), sed in anima Virginis, qua Maria formaliter constituitur Mater Dei in actu primo.

Fundamentum huius opinionis est *intrinseca* ordinatio teleologica seu exigentia, quam in germine (et consequenter in potentia generativa) putant requiri omnino respectu termini totalis generationis, qui est persona Verbi33.

Haec tamen sententia non videtur admittenda. In illo germine materno, praecise sumpto, nulla alia teleologia intrinseca est nisi ut per fecundationem evolvatur in naturam humanam. Ordinatio vero ad hoc ut natura sic evoluta terminetur a Verbo personaliter, sola videtur esse quae cx potentia oboedicntiali habetur in creatura, quaeque *extrinsece* accedit cx decreto Dei ct ex consensu Mariae.

Nec ideo actio generativa Matris terminaretur ad personam Verbi per accidens, sed per sc, posito illo decreto et consensu.

Addi tamen potest, si germen consideretur non praecise ut a potentia generativa Matris producitur, sed reduplicative ut ab Spiritu Sancto fecundatum, revera habere *intrinsecam* teleologiam respectu personae divinae, ut dictum est n.90. Sed, ut patet haec teleologia non procedit a potentia generativa Matris (nec proinde in hac ponenda est elevatio), sed a supernaturali fecundatione Spiritus Sancti ".

Unde: Matcrnitas divina active sumpta dicenda est supernaturalis ex fecundatione. Sed in seipsa considerata dicenda est naturalis, si pure physiologice exspectetur; supernaturalis vero si complete exspectetur, ut est actio generativa ex libero et supernaturali Virginis consensu extrinsece ordinata, et ex fecundatione Spiritus Sancti intrinsece terminata ad generandum Deum.

81 Cf. Mbrkblbach, 26-38; A.BrSttunc, *De conceptione Christi Domini inquisitio physiologico-thcologica:* Greg 5 (1924) 391-423.531-568; A.Ciïo11ET, *Animation:* DTC 1,1305 1320.

38 *De Sacra Deipara* vest.1 d.4 s.1. Cf. etiam J.de t.a Zerda, O.S.B., *Maria effigies rcvelatioquc Trinitatis et attributorum Dei* acad.6 s.2 n.12ss; Ciir.Veca, *Theologia Mariana* pal.24 cert.9 n.1569 ss.

8J J.M.Bover, *La gracia de la divina maternidad:* EstMar 5 (1946) 147-164; cf. R.de Yurre, tbid. 135; J.M.Delcado, *Er.Silvestre de Saavedra y su concepto de matern.dad 'divina:* EstMar 4 (1945) 152-158; G.Rozo, C.M.F., *Sancta Maria Mater Dei* 24-39.

"° Cf. J.A.de Aldama, *El tema de la d.vina maternidad:* EstMar 11 (1951) 68-72.

Thesis 5. Ad conceptum plenum Maternitatis divinae pertinet liber consensus Mariae.

S.Th., 3 q.30 a.1; M.J.Nicolas, *Lc concept intégral de Maternité divine*. RevThom 62 (1937) 58-93.230-272; J.M.Bover, *Deiparae Virginis consensus* (Matrîti 1942); S.M.Ragazzini, O.F.M.Conv., *La dvina Maternilà di Maria nel suo concetto tcologico intégrale* (Roma 1948) 125-143.

94. Notiones. Conceptus plenus Maternitatis divinae sci. Maternitas divina prout a Deo praevisa et intenta est, ac proinde prout de facto historice fuit. Unde liber consensus Mariae non est aliquid adiacens Maternitati Dei, sed aliquid in ea essentialiter inclusum.

Maternitas divina potest accipi active et passive. *Active* est actio generativa, quae terminatur ad Verbum in natura humana exsistens. *Passive* est relatio in Maria resultans ex illa actione generativa. Active sumpta potest adhuc considerari: a) *mere physiologice:* actio illa generativa Dei, quae eodem modo haberetur si fieret in Maria, ipsa nesciente aut nolente; b) *moraliter:* actio illa generativa Dei, prout fit a Maria sciente et volente. Dicimus maternitatem divinam intelligendam esse non mere physiologice, sed etiam moraliter, ut habeatur conceptus illius qualem ipsam Deus decrevit.

95. Consensus Mariae potest considerari dupliciter ex parte termini: *a)* prout fertur in generationem lesu, qui est Deus, sed *praescindendo a maternitate Redemptoris,* ut talis; *b)* prout fertur in generationem lesu, qui est Deus et *formaliter Redemptor.* Primus aspectus est in consensu Mariae, in quantum est persona particularis; secundus, in quantum repraesentat genus humanum. Consideramus interim consensum Mariae tantum *in primo sensu,* praescindendo a secundo.

Hic Mariae consensus intelligi debet praeterea *in ordine supernaturali.* Importat proinde actum Virginis summe meritorium, tum ex parte intellectus (fidem), tum ex parte voluntatis (consensum formaliter simul cum caritate erga Deum).

96. Doctrina Ecclesiae. S.Leo Magnus: "Virgo regia davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore" 3.

S.Qelasius I: "Scientes quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium; et dignatus est [homo fieri] per consensionem sane-

l *Sermo* 21,1: ML 54,191; Marîn, 24.

tissimac Virginis, cum dixit ad angelum: Ecce ancilla Domini..." 23

Innocentius III: "His ita peractis, statim Spiritus Sanctus advenit et triplicem viam ante faciem Domini praeparavit. Prima fuit virginalis consensio... Cum enim angelus admiranti Virgini modum conceptionis et ordinem indicasset, statim Illa summo desiderii flagrans ardore, consensit, et instinctu Spiritus Sancti respondit: Ecce ancilla Domini... Beata quae credidit, quoniam completa sunt Ei. Non enim auctor fidei concipi potuit de incredula; ideoque primam viam, scilicet assensum Virginis, oportuit praeparari" '.

Leo XIII: "Filius Dei aeternus, sese inclinat ad homines homo factus; assentiente vero Maria et concipiente de Spiritu Sancto" 4.

Valor dogmaticus. Ex dictis thesis est *doctrina catholica.* Est praeterea *de fide divina,* ut videbimus.

97. Probatur ex sacra Scriptura. Lc 1,28-38. Maternitas divina proponitur Mariae (v.30-33); Ipsa difficultates exponit, quas angelus solvit (v.34-37); tunc demum Maria assentitur (v.38).

Unde sic: Maternitas divina habebitur cognoscente et libere volente Maria. Atqui sic liber Mariae consensus includitur in conceptu maternitatis divinae. Ergo.

Mai.: Maternitas divina revelatur Mariae tanquam futura: fiet ergo Ipsa cognoscente, id est Ipsa credente. Rursus maternitas divina est adhuc futura dum Maria difficultates opponit earumque solutionem audit ab angelo; apparet ergo libertas. Tandem ubi primum datur consensus Mariae, angelus discedit ab Ea; ergo hic consensus intendebatur in toto colloquio angelico.

Min.: Conceptus plenus maternitatis divinae totum illud includit, quod Deus de facto praevidit et voluit ut esset in tempore relate ad generationem humanam Christi a Maria. Atqui Deus praevidit ct voluit praevium Mariae consensum liberum. Ergo liber consensus Mariae includitur in maternitate.

98. Probatur ex traditione, *a) Sancti Patres. Opponunt obedientem Mariae consensum inobedientiae Hevae.* Sic v.c. S.Iustinus (R 141). S.Irenaeus: "Et si Ea [Heva] inobedierat Deo, sed haec [Maria] suasa est obedire Deo:

' *Epist.* 2: ML S9.20; MarIn, 30.
3 *Sermo* 12: ML 127,506.
4 *Encycl. "Jucunda semper"*: ASS 27,178; Mar^n, 411.

ut virginis Hevae Virgo Maria fieret advocata; et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per Virginem; aequa lance disposita: virginalis inobedientia per Virginalem obedientiam" s. Tertullianus: "Deus imaginem et similitudinem suam, a diabolo capiam, aemula operatione recuperavit: crediderat Heva serpenti: credidit Maria Gabrieli" ®.

2. *Exspectatur consensus Virginis.* Sic v.c. S.Ephraem: "Mulierum benedictissima... Stupefaciet tua agendi ratio, si tuo responso irritum facias nuntium quod tibi affero de conceptione Altissimi... Accipe verba mea cum gratiarum actione... Igitur, angele, non resisto; si Spiritus Sanctus vult ad me venire, licet Ei; ancilla Eius sum" 7. S.Proclus: "Renuis Eius partui inservire, qui est immortalis, ut mortis destruatur imperium? Recusas Eum in utero suscipere, qui tollit peccatum mundi?... Age itaque, excute pulverem carnalis cogitationis, ac induere vestimentum mysticae cognitionis" 89

3. *Extollitur consensus Mariae.* Sic v.c. S.Ambrosius: "[Maria] non fidem renuit, non officium refutavit: sed accommodavit affectum, spondit obsequium... Ecce ancilla Domini... Habes obsequium, vides votum. Ecce ancilla Domini, apparatus officii est; contingat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti" °. S.Io.Damascenus: "Haec itaque [Maria], nomen illud [Dei], quod omni desiderio et honore semper colebat, sacra quadam reverentia audiens, obedientiae vocem timore atque gaudio plenam emisit: Ecce ancilla Domini" 10.

4. *Extollitur Eius -fides.* Sic v.c. S.Augustinus: "Maria... Christi carnem fide concepit"11. S.Petrus Chrysologus: "Quae credit verbo, merito concipit Acerbum...; et ad totam rem pervenit, quae secretum fidei consentit auditu"12.

99. *b) Posteriores Doctores et theologi.* S.Bernardus: "Ecce offertur tibi pretium salutis nostrae: statim liberabimur, si consentis... Hoc totus mundus, tuis genibus provolutus, exspectat. Nec immerito, quando ex ore pendet tuo... salus universorum"13. S.Albertus M.: "Scire desideramus, quid sui vel de suo in hac operatione cum Domino habuerit.

9/Idvers. hacrcses 5,19,1: MG 7,1175.
c *De carne Christi* 17: ML 2,827s; Of.h1Er, 2,454.
7 Th. J.Lamy, *S.Ephraem Syri hymni ct sermones* 2,600.
8 *Orat, dc Laudibus S.Mariae* 14: MG 65,747.
9 *In Lc* 2,14-16: ML 15,1639; CSEL 32,4,49-51.
10 *Hom. 1 in Dormitionem B.V.Mariae* 1: MG 96,710.
11 *Contra Faustum* 29,4: ML 42,490; CSEL 25,747.
« *Sermo* 142: ML 52,582.
ω *Homil. super "Missus est"* 4,8: ML 183,83.

Et dicimus quod duo: consensum videlicet humilis caritatis et fidem indubitatam promissae veritatis"[14]. S.Thomas: "Angelus intendebat circa Virginem... animum Eius inducere ad consensum". S.Bonaventura: "Virginis... fecundatio facta est, Deo efficiente et Virgine consentiente; ut reparatio lapsui responderet"[15]. Toeetus: "Non enim aliter voluit Deus homo fieri pro nobis, quam B.Virgine libere consentiente" [16]. S.Petrus Canisius: "Huic tantum aeterna sapientia deferre voluit, ut non nisi Illius assensu accedente, redemptionis nostrae mysterium inchoaretur, hoc est ut sciens et volens Illa fieret Mater Emmanuelis" ". Sic ceteri.

100. Ratio theologica. Potuit Deus sine dubio aliter facere, voluit autem ut consensus Mariae haberetur; quod scimus ex revelatione. Huius vero voluntatis divinae *summa convenientia* est: *Primo,* quia hoc valde necessarium est in qualibet maternitate humana, cum ex ea consequantur magna quaedam iura et officia erga filium, *Secundo,* quia multo magis hoc valebat de maternitate divina, in qua Virgo accedebat ad Deum quantum infra unionem hypostaticam possibile est; hoc vero per actus maxime meritorios fieri oportuit. Patet enim actus Virginis consentientis meritum habuisse maximum, tum ex parte fidei, tum ex parte obedientiae, tum ex parte adhaesionis Deo, tum ex parte caritatis.

101. Scholion. *De Maternitate divina passive sumpta.* Maternitas divina passive sumpta est relatio realis in Maria, cuius terminus est Verbum in humanitate subsistens, fundamentum vero est mutatio in Maria introducta per Matcrnitatem divinam active sumptam, proinde mutatio physiologica, psychologica et supernaturalis. Quaeritur utrum praeter hanc relationem aliqua nova entitas addenda sit, qua formaliter constituatur Maria in statu Matris Det.

Et quidem id affirmatur ab aliquibus. Quidam enim ponunt realitatem quandam physicam, quam vocant gratiam divinae maternitatis, quaeque recepta in anima Virginis, Eam constituit in actu primo Matrem Dei. Diximus in scholio theseos praecedentis, hanc nobis sententiam non probari.

Alii ponunt "esse maternale", quod dicunt esse specialem relationem praesentiae Dei Trini, ut talis, in anima Virginis; qua persona Mariae supernaturaliter elevatur totaliter. Haec autem specialis praesentia fundatur in participatione formali, non appropriata, fecunditatis Patris, propter quam Maria habet eundem Filium et est comparentalis cum Patre. Sed haec theoria, quia, praeter alias difficultates, tota supponit tanquam fundamentum actiones ad extra divinarum personarum, quae non sint mere appropriatae sed vere diversae in singulis Personis, reicienda est.

« *In Lc* 1,28.
15 S.Th., 3 q.30 a.4; S.Bonaventura, *In Lc* 1,25 n.40.
M *In Lc* 1, annot.112.
17 *Dc Maria Virgine inco-m'parabili* 3,1.

Restat ergo, divinam maternitatem passive sumptam nihil esse praeter illam realem relationem in Maria exsistentem [18].

ARTICULUS II

De MATERNITATE virginali

102. In connexione cum dogmate maternitatis divinae revelata est nobis a Deo virginitas Mariae. Quae sensu pleno involvit integritatem mentis et integritatem corporis. Dogma autem virginitatis videtur signare potius virginitatem corporalem. De hac ergo nunc agendum, cum de virginitate mentis iam prius egerimus.

Thesis 6. Maternitas divina B.Mariae est maternitas plene virginalis.

S.Th., 3 q.2S; Suârez. *De Mysteriis vitae Chr:sti* cl.5; AlastruEy, 443-473; Merkei.rach, 216-263; Rosciiini, *Mariologia* 2.2,239-268, tibi habes bibliographiam praecipuam; Dublanchy, *Marie:* DTC 9,2369-2385.2341-2346.

103. Nexus. Maternitas divina est maternitas omnino specialis non ex eo solum quod habeat ut terminum personam divinam, sed etiam ex modo miraculoso et singulari quo facta est, scilicet virginaliter. Ideo, postquam stabilivimus factum maternitatis divinae, agendum nobis est de modo quo illa maternitas historice in mundo apparuit, iuxta ea quae per revelationem accepimus.

104. Notiones. Plene virginalis, id est Maria ita fuit Mater Dei, ut plenam semper servaverit virginitatem.

Virginitas est integritas corporalis mulieris; quae normali modo per copulam carnalem perfectam laeditur. Maternitatem Mariae fuisse plene virginalem, seu servasse plenam virginitatem (seu, quod idem est, dogma perpetuae virginitatis Mariae) tria complectitur:

a) Conceptionem virginalem Christi, sci. sine concursu viri. Germen vitae, quod naturaliter a viro subministratur, debuit suppleri miraculoso modo a Deo. Haec autem actio miraculosa tribuitur Spiritui Sancto per appropriationem. Hinc primum hoc elementum dogmatis efferri potest negative (conceptio sine concursu virili, sine semine viri), et positive (conceptio de Spiritu Sancto). Virginitas *ante parium.*

[18] Cf. Suârez, *De Mysteriis vitae Christi* d.12 s.3; J.M.BovEr, *La gracia de ia divina matcrivdad:* EstMar 5 (1946) 147-164: T.Alonso, C.M.F.. *Naturalesa y fvndamentos de la gracia de la Virgen:* EstMar 5 (1946) 11-110: T.A.DE Alt»ama: EstMar 11 (1951) 71s. Circa Doctores Medii Aevi,, cf. C.Koser, O.F.M., *D- constitutivo formali maternitatis divinae B.M.Virginis:* Alma Socia Christi 11,79-114.

b) Partum virginalem Christi, sci. sine detrimento integritatis corporalis. Conservatio huius integritatis corporalis et absentia dolorum in partu ita sunt in perpetua professione Ecclesiae atque in traditione patristica cum partu virginali connexae, ut omnino retinendae sint tanquam necessarium elementum dogmatis partus virginalis[1]. Cuius tamen elementi asserimus tantum factum, praescindendo ab ulteriore explicatione. Virginitas *in partu.*

c) Negationem cuiuscumque alius conceptionis vel partus. Sci. B.Virgo nullum alium filium habuit, nec ullam matrimonialem laesionem integritatis corporalis passa est. Virginitas *post partum.*

Hanc ergo triplicem virginitatem dicimus habuisse Mariam, quam ideo vocamus "semper Virginem". Verba tamen theseos duplici modo intelligi possunt. Primo modo, quatenus enuntiant aliquid nobis per revelationem transmissum; sci. *de pacto* maternitatem divinam fuisse illo triplici sensu virginalem. Secundo modo, quatenus verba illa enuntiant intrinsecam connexionem inter maternitatem divinam et illam triplicem virginitatem; sci. maternitatem divinam *non potuisse esse* nisi virginalem. Utroque modo vera est enuntiatio theseos; sed interim agimus tantum de primo.

105. Adversarii, *a) Omnem virginitatem negarunt:* Celsus, iuxta quem lesus natus est ex Maria per adulterium; Cerinthus et Carpocrates, iuxta quos lesus est filius Mariae et loseph, secundum leges naturales conceptus et editus[2]. Saec.XVI *Anabaptistae,* idem dicentes, immo et alios filios fuisse ex eodem matrimonio. Similiter *Unitarii*[3]. Tandem *Rationalistae* et *Modernistae,* qui abhorrentes quidquid supcmaturale sapiat, doctrinam catholicam de maternitate virginali tenent introductam esse saec.II ex influxu doctrinae docetarum (sic v.c. Turmel), vel esse mythum quendam seu legendam, cuius varia stadia assignavit H.Koch[*].

1 Hinc nullatenus admitti potest recentissima interpretatio virginitatis, quae ab hac integritate corporali et absentia dolorum in partu praescindere vult. Cf. A.Mitterer, *Dogma und Biologic der heilige Familie* (Wien 1952) 110s. De quo libro vide R.Laurenttn, *Le mystère de la naissance virginale:* EphMar 10 (1960) 345-374: cf. *ib.,* 375-384; J.M.Alonso, *Mariologia y biologia:* EphMar 6 (1956) 197-221; D.FernAndEz. *Maternidad perfecta y virginidad integral de Maria:* EstMar 21 (1960) 243-295.

a Cf. OrigenES, *Contra Celsum* 1.32: MG 11,721; S.IrEnaEus. *Advcrs. haereses* 1,25.26: MG 7,680.686; S.Epiphanius. *Hacrescs* 30,14: MG 41,429; S.Pinlastrius. *Liber de hacresibus* 35: ML 12.1151.

3 Cf. Canisius, *De Maria Virgine incomparabili* 2,8; Paulus IV, *Consi. "Cum quorundam":* Pullarium Romanum 6,500.

* Herzog (Turmel), *La Sainte Vierge dans l'histoire* (cf. supra n.59 nt.1); L.Coulange (Turmel), *La Vierge Marie* (Paris 1925); H.Kock, *Adhuc Virgo* (Tubingen 1929); Ftrpo *Eva-Virgo Maria* (Berlin 1937), qui, negata veritate virginitatis Mariae, haec in legendae evolutione historica stadia adinvenit: 1)

b) Partum virginalem negarunt: Tertullianus, qui admissa virginitate in conceptione, tenet naturalem partum (R 359). Iovinianus (saec.IV), iuxta quem Maria "virgo concepit, sed non virgo generavit", quia dicebat "Eam pariendo fuisse corruptam" 6.

c) Perpetuam post partum virginitatem negarunt: Tertullianus (R 380). *Antidicomariamilae* in Oriente, Helvidius Romae et Bonosus episcopus in Sardica e. Qui omnes tenuerunt Mariam plures post lesum habuisse filios, id maxime ex S.Scriptura volentes confirmare.

106. Doctrina Ecclesiae, *aj Conceptio virginalis:* Sine viro: Symbolum Toletanum I (D 20). De Spiritu Sancto: Symbolum Apostolicum (D 2 6) et alia Symbola (D 13 16 86), S.Gregorius M. (D 250), Conc. Lateranense IV (D 429).

b) Partus virginalis: dicitur lesus natus ex virgine: Symbolum Apostolicum (D 6), Innocentius III (D 422), Sixtus IV (D 734).

c) Conceptio virginalis et partus virginalis simul: S. Leo M. (D 144 R 2182), I-Ionortus I (D 251), Conc. Lateranense sub Martino I (D 256), Symbolum Toletanum XI (D 282).

d) Perpetua virginitas: S.Stricius (D 91), S.Leo III (314a in nota), Paulus IV (D 993).

e) Alaria dicitur ἀειπαρθένο , *"semper virgo":* Symbolum Eniphanii (D 13), Ioannes II (D 201s), Conc. Constantinopolitanum II (D 214 218 227), Conc. Lateranense (D 255s), Leo IX (D 344), Conc. Lateranense IV (D 429), etc.

f) *S.Officium* anno 1960 damnavit novum modum loquendi de virginitate in partu contra traditionem Ecclesiae et sensum fidelium 7.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica.*

107. Probatur ex sacra Scriptura. 1) *Maternitas vir-*

lesus est primogenitus naturalis inter multos filios Mariae et Toseph. 2) Introducitur idea conceptus virginalis; alii filii dicuntur fructus matrimonii posterioris Mariae et loscpli. 3) Admittitur idea perpetuae virginitatis; alii filii sunt fructus anterioris matrimonii losepli. 4) In Occidente adhuc postea etiam loseph dicitur virgo; fratres Domini dicuntur consobrini Eius: *Virgo Eva-Virgo Maria* 91. De hoc libro, cf. Lebon in RevHistEccl 3 (1938) 336-345. Vide etiam J.M.VosTÉ, *De conceptione virginali Christi* (Romae 1933)· vel Ane 10 (1933) 195-241.335-358.

» Cf. S.Hieronymus, *Epist. 42 ad Sindum* 4: ML 16,1125; S.Avcustinus, *De hacresibus* 82: ML 42,35. De loviniano vide W.Haller, *Iovinianus, Die Fragmente seiner Schriften, die Quellen cu seiner Geschichtc, scin Lcben und seine Lchre* (Leipzig 1897) in TU 17,2,151-159.

• De Antidicomariamitis, cf. S.EriritANivs, *Hacrescs* 78,1: MG 42,700; de Helvidio, cf. S.Hieronymus, *De perpetua virginitate B.Mariae adversus Helvidium* 3.5.7.9.11: ML 23,195.198.201.204; de Bonoso, cf. S.Siricius *Epist.* 9,3: ML 13,1176.

' Cf. EphMar 11 (1961) 138.

ginalis promittitur: Is 7,14[8]* Iuxta textum hebraicum : *Ecce* (sensu demonstrativo) *virgo* (determinata quaedam virgo, ex articulo) *gravida et pariens filium et vocat nomen eius Emmanuel.* Ex hoc textu *ita arguo:* Emmanuel est Christus. Atqui mater Emmanuelis praenuntiatur mater virginalis. Ergo mater Christi praenuntiatur mater virginalis.

Mai.: a) Ex Pια VI, qui damnavit sententiam affirmantem prophetiam hanc ad Christum nullo sensu litterali aut typico pertinere, b) *Ex Novo Testamento:* Mt 1,22s. c) *Ex unanimi traditione catholica:* sunt tantum pauci qui non admittunt Emmanuelem esse Christum in sensu litterali, admittunt tamen identitatem in sensu typico; quod, quamvis verum non sit, pro argumento sufficit, d) *Ex contextu:* Emmanuel est dominus terrae ludae (8,8), quae constanter dicitur terra lahve ; propter ipsum vincentur hostes (8,9s) ; habet nomina messianica (9,6ss) ; habet regnum messianicum (Us)·.

Min.: a) *Ex Novo Testamento:* Mt 1,22s (cf. Lc 1,27-31). b) *Ex unanimi traditione catholica,* c) *Ex ipso textu:* 'almah significat puellam nubilem. Atque ipsa ut talis dicitur concipere et parere. Ergo.

Mai. haec: quamvis ex sola etymologia argui non possit, neque certo ex usu biblico °, probatur tamen ex eo quod propheta loquitur de signo quodam miraculoso. Atqui id non obtineret, si ageretur de puella naturaliter concipiente. Ergo agitur de puella nubili.

Min. haec: Propheta videt virginem gravidam et parientem, quae, etiam stante praegnatione et partu, adhuc bene vocari potest virgo; ideo illam effert ut quid vere miraculosum; idque confirmatur ex absentia patris et ex impositione nominis a matre, contra mores iudaicos; cf. Is 8,1-4[10].

108. N.B. *De hoc vaticinio.* 1. Argumentum hoc, ex quo clare probatur conceptio virginalis et partus virginalis, est argumentum classicum et traditionale apud SS.Patres. Sic S.Iustinus, S.Ircnaeus, Origenes, S.Basilius, Lactantius, Tertullianus, Augustinus, S.Hieronymus, etc. ".

8 De hoc argumento vide amplissimam bibliographiam apud Roschini, *Mariologia* 2,1,98. Adde J.Coppens, *La prophétie dc Ia'almah:* EphThLov 28 (1952) 648-678; S.J.Bonano, *Isaias 7,14. Text and context:* EphMar 4 (1954) 99-115; M.Peinador, *La profecta isaiana de la'almah (Is 7,14-17):* ib. 117-123; R.Tournay, *L'Emmanuel et sa Vierge-Mère:* RevThom 55 (1955) 249-258; M.Peinador, *La Mujer-Virgen en la tradiciôn profética del A.T.:* EstMar 21 (1960) 33-57.

• Cf. *quoad hoc* LaTTEy: BiblCathQuart 9 (1947) 89-95.

10 Cf. J.Cales, *Lc sens de 'alrnah en hébreu d'après les données sémitiques et bibliques:* RechScRel 1 (1910) 161-168.

u S.Iustinus, *Apologia* 1,33: MG 6,380; S.Irenaeus, *Advcrs. haereses* 3,19: MG 7,941s; Origenes, *Contra Celsum* 1,34: MG 11,725; S.Basilius, *Homil. in*

2. Matrem Emmanuelis esse *Mariam,* nequit theologice dubitari, ut vidimus. Immo mater Emmanuelis est Maria non in sensu typico, sed in sensu litterali, quidquid a nonnullis auctoribus catholicis minus cohaerenter aliquando affirmatum sit. Cuicumque enim mulieri, praeter quam Mariae, dcest id in quo praecise S.Matthaeus et tota traditio Christiana reponit impletionem huius phophetiae, nempe conceptio et partus virginalis. Ergo nulla mulier potuit esse typus huius rei. Ergo textus intelligendus est litteraliter de Maria. Hinc reiciendae sunt aliae quaecumque interpretationes, de uxore Achaz matre Ezechiae, aut de uxore Isaiae matre illius filii de quo Is 8,1-4, aut de muliere indeterminata alicuius filii indeterminati matre.

3. Quaeritur quomodo conceptio Emmanuelis, post tantum tempus secutura, potuerit esse *signum* proximae liberationis ludae. Qua in re haec dicenda videntur. Isaiae offerenti signum illudque praenuntianti duo obversantur obiecta: dynastia davidica conservanda, ct liberatio ludae ab hostibus; primum intendebatur absolute, alterum non nisi condicionate iuxta promissa Dei (2 Reg 7,12-16). Connexio inter utrumque est certe causalis (quia liberatio illa datur tandem intuitu futuri Messiae), non tamen temporalis (ut maxime patet ex sequentibus 8,1-4; 9,1-7). Conceptio ergo Emmanuelis est signum divinae benevolentiae (nullatenus signum comminationis) et consequenter liberationis ab hostibus, in quantum hi hostes intendebant destruere perdurationem dynastiae davidicae. Quasi dicat Propheta : adeo est certum hos vestros hostes hodiernos dynastiam davidicam non destructuros, ut Deus iam nunc proponat vobis Emmanuelem, virginaliter conceptum et editum ; Emmanuelem, inquam, qui ex illa dynastia erit, propter cuius adventum domus davidica perseverabit ; debetis ergo maximam habere fiduciam in Domino. Hoc tamen signum intelligi nequit, nisi supponatur recipiendum per fidem; qui sane modus agendi et loquendi non semel a Deo usurpatur (cf. Ex 3,12, et alibi). Tandem signum hoc apparet immediate connexum cum proxima liberatione ludae (v.16) per anticipationem propheticam ".

109. 2) *Maternitas virginalis annuntiatur:* Lc 1,26-38". Ex verbis Mariae apparet Eam tunc virginem esse, propositumque habere manendi in sua virginitate, quod erat unicum impedimentum ab Ea positum (v.34). Ex verbis angeli apparet, illo impedimento non obstante, totum peragendum esse supernaturaliter ab Spiritu Sancto (v.35). Unde Maria erit mater miraculoso modo, ut non debeat renuntiare virginitati.

sanctam Christi generationem: MG 31,1468; Lactantius, *Divinae Institutiones* 412: ML 6,749; Tertullianus, *Advers. ludaeos* 9: ML 2,617s; S.Augustinus (cf. F.Cavali.Era. *Saint lAmgustin et la prophétie de la Vierge Mère:* Rcch-ScRel 1 [1910] 380-384); S.Hieronymus, *Advers. lovinianum* 1,32: ML 23,266.

12 Cf. A.Vaccari, *De signo Emmanuelis Is 7:* VerDom 17 (1937) 45-49.75-81. Aliter L.Denneeeld, *Le "signe" dans la prophétie d'Emmanuel:* RccliScRel 7 (1917) 69-86; J.Cai.ES, *Les trois discours prophétiques sur l'Emmanuel:* Rcch-ScRel 182 (1922) 169-177; A.Colunga, *El vaticinio de Emmanuel:* CiencTom 32 (1925, II) 345-361; C.Ceuppens, *De signo Emmanuelis:* Ang 23 (1946) 53-59; *De Mariologia biblica* 24-44. Non tamen omnes eodem modo.

" De authenticitate et historicitate textus, cf. L.Fonck, *Moderne Gegrfer Mariae:* ZkathTh 25 (1901) 650-662; BardenhewEr, *Mariae Verk-ünd gung* 4-26; A.MederiellE, *Annonciation:* DBS 1,271-273; Dublanchy. *Marie:* DTC 9,2341-23-45; Prümm, *Der cmpfangen ist vom Heiligen Geist:* Stimm 114 (1928) 413-424; Ceuppens, *De Mariologia biblica* 81-95.

In hoc textu continetur immediate conceptio virginalis; sed mediate continetur etiam partus virginalis. Immo videtur etiam ibi contineri perpetua virginitas: virgo enim, quae ad admittendam dignitatem maternitatis divinae difficultatem habet ex proposito servandi virginitatem, nequit admitti quod virginitatem deinde amiserit; praesertim cum servaverit eam tum in conceptione, tum in partu.

110. 3) *Matemitas virginalis verificatur:* Mt 1,20s. Maria non concepit ex loseph (v.18s), sed positive ex Spiritu Sancto (v.20s)[14].

Ex textu immediate habetur conceptio virginalis; sed nota Evangelistam dicere sic adimpletam fuisse prophetiam Isaiae, in qua continetur etiam partus virginalis.

111. Probatur ex traditione [15]* 1) Maria vocatur *virgo* (παρθένο) iam a S.Ignatio (R 62), S.Iustino (R 136), Tertulliano (R 330), S.Hippolyto (R 394).

2) Vocatur *semper virgo* (ἀειπχρΟένο) iam a Didymo Alexandrino [10] et a S.Athanasio [17]; a S.Epiphanio [18] [19] et a S.Cyrillo Alexandrino [10] in Oriente. In Occidente autem invenitur haec appellatio in Leporio, Iuliano Eclanensi et Pelagio [2o].

3) *In Oriente* affirmatur: *a)* virginitas ante partum et in partu, clare ab Aristide (R 112), S.Iustino [21], S.Irenaeo [22]* Clemente Alexandrino [33], S.Ephraem (R 711 745), S.Gregorio Nysseno [24], Amphylochio Iconiensi [2'], S.Cyrillo Alexandrino (R 2133), S.Chrysostomo [26].

b) Virginitas post partum expresse affirmatur ab Ori-

[14] De Mt 1,16 et versione syrosinaitica, cf. J.ScHAtTMBKitG&R, *Ucbcr die Echthcit der Lesung des Sinai-Syrcrs* (Mt 1,16): ThPraktQschr 78 (1925) 302-314.

M A.Rivera, *La perfecta virginidad de Maria en los Padrcs y cscritorcs eclcsidsticos:* EstMar 21 (1960) 157-181; Dublanchy, *Marie:* DTC 9,2369-2382.

w De Trinitate 1,27; 3,4: MG 39,404.832.

[17] Fragmenta *in Lc:* 27,1393.

[18] *Ancoratus* 120: MG 43,233; GChS 25,148; *Panarion* 78,10: MG 42.716.

[19] *Homiliae diversae* 4: MG 77,992.996. Textus S.Petri Alexandrini et Hippolyti, qui citari solent, non videntur esse authentici. Cf. J.A.de Aldaha: EstEcl 21 (1947) 487-489.

[20] Hahn 289,290.

a' Dial, cum Thryphone 84: MG 6,673s.

[33] *Advers. haereses* 3,19: MG 7,94Is. Expressio "adhuc virgo" apud IrEναειγμ (R 223) nullatenus significat Mariam postea amisisse virginitatem, ut voluit H.Koch, *Adhuc virgo.* Dc hac quaestione, cf. B.CAPELLE, *Adhuc virgo chez saint Ircnêc:* RcchThAncMéd 2 (1930) 388-395.

[38] *Stromata* 7,16: MG 9,529s.

[21] *hi Cantica* 13: xMG 44,1053. Cf. M.Gordillo, *La virginidad transcendente de Maria Madré de Dios en S.Gregorio de Nisa y en la antigua tradiciôn dc la Iglcsia:* EstMar 21 (1960) 117-155.

M Homit. in occursum Domini 3: MG 39,49.

M In Gen. hom.49,2: MG 54,446; *Hom. de nativ. Domini* 1-2: MG 56,387s.

gene[27], Didymo Alexandrino (R 1073), S.Basilio [28], S.Ephraem [29], S.Epiphanio [30], S.Chrysostomo [31], S.Athanasio [32].

4) *In Occidente* plenam virginitatem praedicant S.Hilarius[33], S.Zeno Veronensis[34], S.Hieronymus (R 1361), qui contra Helvidium et Iovinianum scripsit; S.Ambrosius [35], qui contra Iovinianum scripsit; S.Leo M. (R 2194), S.Maximus Taurinensis (R 2217). S.Augustinus (R 1518), S.Petrus Chrysologus (R 2177), Gennadius (R 2228), S.Fulgentius (R 2242), S.Ildephonsus Toletanus, qui tractatum scripsit "de virginitate perpetua S.Mariae adversus tres infideles" [36], etc. Patres tradunt virginitatem, etiam in partu, tamquam magnum quoddam prodigium, quod nostram fidem in re difficili et paene incredibili exigit.

4) Speciatim commemoranda est traditionalis *expositio Symboli,* quae per saecula constanter docuit non solum conceptionem virginalem, sed etiam partum sine corruptione corporali [37].

5) Tandem recolenda sunt splendida *Liturgiae testimonia* pro perfecta virginitate Mariae [38].

112. Ratio theologica. Argumenta, quae ad profundiorem cognitionem huius mysterii pertinent, quaeque passim adhibentur a SS.Patribus, optime collegit S.Thomas, 3 q.28 a.1-3.

113. Scholion 1. *De fratribus Domini.* Citantur in Evangelio: Mt 13,55 (Mc 6,3); 12,46 (Mc 3,31 Lc 8,19); Io 2,12; *7.3-5.* Similiter in aliis textibus N.T.: Act 1,14; 1 Cor 9,5; Gal 1,19. Hi certe filii Mariae non erant, ut vidimus in thesi. Quodsi fratres vocantur, hoc habetur ex modo loquendi Scripturae, iuxta quem nomine "fratris" et "sororis" designantur omnes cognati, maxime in secundo gradu. Cf. Gen 13,8; 14,14.18; 24,60; 29,15; 1 Par 15,5-9, etc.

27 *In Io* 1,6: MG 14,32; *In Lc 7:* MG 13,1818. Origenes imperfecto modo intellexit virginitatem in partu, ex male intellecto Lc 2,23 (R 476), ut videtur; nec id putabat esse contra plenam virginitatem Mariae. Sic fortasse alii quoque Patres.

28 *Homil. in sanctam Christi generationem:* MG 31,1468.

29 *Comm. in Diatessaron Tatiani.* Cf. I'.Krueger, *Die somatische Virginitat der Gottesmuttcr in Schriftung Rphraewts des Syrcrs:* Alma Socia Christi 5,1,46-82.

30 *Haereses* 78.8s: MG 42,709s.

31 *In Mt* homil.5: MG 57,58

32 *De Virginitate:* Le Muséon 42 (1929) 243s.

33 *In Mt* 1,3s: ML 9,921s.

34 *Tractatus* 2,8,s: ML 11,414.

35 *De institutione virginis* 13: ML 16,325. Cf. J.Hunit, *Das Mariengeheitn'nis bcim Kirchenvater Ambrosius:* Alma Socia Christi 5,1,105-114; *Das Gcheimnis der Jungfrau-Mutter* 37-94,110-126,192-221.

36 ML 95,51-110. Cf. J.M.Cascantk, *La doctrina de la virginidad en S.Ildefonso de Toledo:* EstMar 21 (1960) 391-415.

37 Cf. J.A.de Aldama, *"Natus ex Maria Virgine":* Greg 42 (1961) 37-62.

38 Cf. M.Garrido, *La virginidad de Maria en la liturgia:* EstMar 21 (1960) 183-208.

Quaeritur utrum fuerint filii loseph ex alio matrimonio. Sic affirmarunt in antiquitate Christiana aliqui libri apochryphi; quae sententia videtur in Ecclesia graeca praevaluisse (Clemens Alex., Origcnes, Hippolytus, Eusebius, Epiphanius, Cyrillus Alex., Theodoretus Ancyranus; Severus Antiochenus, loannes Thessalonicensis, Anastasius Sinaita, alii ; maxime autem libri liturgici orientales) et in Ecclesia syra. In Ecclesia vero latina paucissimi sic loquuntur (S.Hilarius, Ambrosiaster, Gregorius Turonensis; eam tanquam possibilem solutionem innuunt S.Ambrosius et S.Augustinus). Saec.XIX praecipue hanc sententiam defendit Lighfoot. Sed revera haec sententia admitti nequit, tum quia aliter vix intelligitur vox Christi morientis (Io 19,26s), tum quia in Evangelio sacra Familia tribus tantum personis perpetuo constat, tum quia mater lacobi et loseph est Maria quae adhuc vivebat tempore mortis Christi (Mt 27,56). Ceterum apud hodiernos theologos praevalet sententia de virginitate S.Ioseph, quae iam habetur in S.Hieronymo (R 1361), Ps.Augustino, Alcuino, Rhabano Mauro, Petro Damiano, Ruperto, Abaelardo, Hugone a S.Victore, Petro Lombardo, S.Alberto M., S.Thoma ", S.Bernardino Senensi, Gerson, Scoto, Dionysio Carthusiano, Salmeron, Toleto, Suarez ", Alapide, Benedicto XIV et aliis; et docetur a Leone XIII: "habent virgines integritatis virginalis exemplar eundem [S.Ioseph]" " Quaenam tandem cognatio intercedat inter hos cognatos lesu, difficile est determinare ".

114. Scholion 2. *De paternitate S.Ioseph.* Non obstante dogmate virginitatis, S.Ioseph vocatur pater lesu: Lc 2,33.41.43.48. Quonam sensu? Seu quodnam reale fundamentum habet hoc nomen?

Proposita est quaedam paternitas "realis ct proprie dicta" ", Haec sententia damnata fuit a S.Officio".

Proposita deinde est quaedam paternitas "naturalis incompleta" ; iuxta quam efficienter S.Ioseph non abfuit in conceptione Christi, in quam influxum habuit tanquam cooperator Spiritus Sancti ut instrumentum sub divina actione. Haec quoque doctrina damnata est ",

Proposita tandem est quaedam "paternitas virginalis" ; quae sic explicatur, ut sit ex una parte formalis et vera, quamvis analogica, participatio paternitatis quae est in prima Persona Trinitatis, vi cuius ille solus habet communem cum prima Trinitatis Persona titulum "pater Verbi"; ex alia autem parte, sublata qualibet cooperatione positiva in conceptionem Christi, est realis paternitas, sensu pleno, etsi non sensu proprio, qua S.Ioseph est pater virgineus lesu mente tantum, non corpore; hinc paternitas haec non est physica, sed mysteriosa. Sed participatio illa formalis et analogica nullatenus est admittenda, cum necessaria non sit et gratis omnino asseratur. Pater autem *sensu pleno* videtur aliquid plus dicere quam pater *sensu pro-*

x S.Th., 3 q.28 a.3 ad 5; a.4 c et ad 3.

40 *De Mysteriis vitae Christi* d.5 s.4 n.9.

41 *Encycl. "Quamquam pluries":* ASS 22,68.

*- F.Prat, *Jésus Christ* 1,533-545; Ceurrens, *De Mariologia biblica* 192-201; U.Holzmëister, *Quaestiones biblicac de S.Ioseph* (Romae 1945) 42-45; A.Durand, *Frères du Seigneur:* DAFC 2,131-148.

43 Sic José D.M.Corbatô, *El inmaculada S.José* (Valencia 1907).

44 ASS 41 (1908) 43.

45 Sic R.Petrone, C.M., *La paternité divina di S.Giuseppe:* DivThom (Pi) 31 (1928) 29-49; vide retractationem ibid., 361. *Intorno alla paternité di San Giuseppe:* CivCatt 79 (1928,3) 481-496; M.Cordovani, *La paternité di San Giuseppe e la concesione di Gesù:* ScuoCartt 12 (1928) 3-8.203s; A.Denetfe in Schol 4 (1929) 299; AJanssEns in EphThLov 16 (1929) 155.

prio, scilicet quod naturam filio per generationem communicaverit; ideo vix intelligitur quod sit pater sensu pleno, idque tantum mente, non corpore. Disputatur inter auctores recentiores, utrum S.Ioseph sit pater sensu proprio, necne. Sane, si proprium sumatur prout opponitur metaphorico, pater sensu proprio dicendus videtur. Est enim in ipso vera quaedam relatio paternitatis erga lesum, cuius fundamentum non est physicum, sed iuridicum ; scilicet contractus ipse matrimonialis loseph cum Maria simul cum nativitate lesu in illo matrimonio (quamvis non ex matrimonio), idque non per accidens sed prout matrimonium illud decretum fuerat a Deo praecise ad illam nativitatem lesu conveniente modo obtinendam. Hoc ergo sensu bene dici potest loseph "pater virgineus lesu" ".

115. Scholion 3. *De origine dogmatis de virginitate perpetua.* Ex his, quae vidimus, satis patet originem huius dogmatis aliam esse non posse nisi revelationem a Deo. Cuius revelationis argumenta attulimus plus quam sufficientia. Quae autem a rationalistis afferuntur diversa evolutionis stadia, omnino vana sunt.

Doctrinam de virginitate Mariae ortam non fuisse sub influxu docetismi, vel ex eo solum probatur quod S.Ignatius et S.Irenaeus, debellatores docetismi, sunt etiam testes pro maternitate virginali.

Origo ex iudaismo, quasi iudaeo-christiani legendam confinxissent ad extollendam Christi sanctitatem (Harnack, Reville), inde excluditur, quod ipsi potius insisterent in origine davidico Messiae (contra quem primo aspectu potuisset intelligi conceptio virginalis) ; nec inter illos ea erat aestimatio virginitatis, quae inde attolleret magnam Christo gloriam.

Originem ex mythis hcllenioi s, quasi lesus, praedicatus Filius Dei, putaretur ortus secundum ideas mythologicas de origine deorum (Loisy, Clemen), eo refutamus, quod nullus influxus appareat etnicohellenisticus in narrationibus evangelicis; quod vera conceptio virginalis in mythologia graeca non habeatur; quod vel tempus sufficiens desit ad creationem legendae ante evangelium Lucae.

Tandem stadia evolutionis a Koch designata, omnino contradicunt documentis antiquitatis Christianae; nec affirmari possunt, nisi multis admissis interpretationibus textuum, quae a priori sunt et potius ex praeiudiciis ortae

116. Scholion 4. *De connexione infer maternitatem divinam et maternitatem virginalem.* Vidimus in thesi connexionem aliquam haberi inter maternitatem divinam et virginitatem ; eam saltem quae de facto utramque hanc realitatem coniungit historice. Quaeritur utrum ex ipsa natura maternitatis divinae et maternitatis virginalis detur etiam vera et intrinseca connexio. Et quidem sic videtur affirmandum omnino. SS. enim Patres saepe docent, filium Dei non potuisse nasci nisi ex virgine; et e contrario virginem non potuisse habere filium, nisi Deum. Haec autem verba videntur sufficienter

• Sic G.Brbvnat, *Saint Joseph, pire vierge de Jésus* (Montreal 1944); ct iam antea in articulis *Paternité dc S.Joscph:* RcvUnivOtt *6* (1936) 73-80; *Joseph, père vierge de Jésus:* ibid., 8 (1938) 81-111. De hac sententia, cf. F.Blanchin, *La paternité dc S.Joseph:* ibid., 6 (1936) 149-158; R.Garrigou-Lagrange, *De paternitate S.Ioseph:* Ang 22 (1945) 105-115; P.de Ambrozzi, *Patcrnità verginalc di S.Giuscppef:* ScuoCatt 74 (1946) 125-131 ; U.Holzmeister, *Quaestiones biblicac de S.Ioseph* 81-88; B.LlamEra, O.P., *Singular paternida-d de San José:* Estjos 3 (1949) 151-188.

4T Cf. Merkelbach, 227-235; CeuppEns, *De Mariologia biblica* 91-95 et alios auctores citatos, supra η.109; Alejandro de VillalmontE, *Origen del dogma dc la virginidad de Meria:* EstMar 21 (1960) 9-31.

non intelligi de mera quadam historica connexione, cum necessitatem veram significent. Dicendtnn ergo potius est Patres ibi assignasse intrinsecam connexionem inter haec duo; in qua doctrina intimiorem nobis dederunt huius dogmatis intelligentiam. Ad illam vero intrinsecam connexionem explicandam, nobis videtur sufficere influxus Spiritus Sancti in fecundationem germinis materni. Inde enim habetur vera et propria conceptio virginalis, et, ut supra diximus, intrinseca ordinatio germinis fecundati in personam divinam “.

117. Obiectiones. Plures in praecedentibus scholiis iam sunt praeoccupatae. Dicemus nunc de aliis.

1. In Lc. 2,7 et in Mt 1,25 lesus vocatur primogenitus Mariae. Ergo haec alios filios postea habuit.

Respondeo in usu biblico primogenitum significare filium primum, sci. quem nullus alius praecessit, ideoque dicitur *adaperiens vulvam* (Ex 13,2; Num 18,5ss). Quae ultima expressio nihil aliud est, nisi realisticus quidam modus loquendi pro “primogenito". Hinc potuit dici de Maria Virgine (Lc 2,23). Sic in quadam inscriptione sepulcrali iudaica sermo est de matre, quae post partum primogeniti mortua est “.

118. 2. In Mt 1,18 Maria inventa est in utero habens *antequam convenirent.* Ergo postea convenerunt, id est matrimonium consummaverunt.

Duplici modo *respondetur* sufficienter huic difficultati, iuxta sententias auctorum de tempore matrimonii contracti inter loseph et Mariam (cf. supra, n.77). Qui tenent Mariam ante annuntiationem nondum cohabitasse cum loseph, consequenter tenent verba *antequam convenirent* intclligenda esse de cohabitatione in eadem domo ; unde simpliciter negant suppositum. Qui vero tenent Mariam iam cohabitasse cum loseph ante annuntiationem, concedunt quidem verba *antequam convenirent* intelligenda esse de consummatione matrimonii, atque respondent cum S.Hieronymo: “Non sequitur quod postea convenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit”M.

119. 3. In Mt 1,25 Maria non cognoscebat loseph *donec peperit.* Ergo postea eum cognovit.

Quod a S.Hieronymo audivimus, id valet eodem modo de usu particulae “donec” (ἑω). Haec enim particula in mente evangelistae significat quod non est antea factum, non vero quod factum sit postea. Qui usus particulae est frequens in Scriptura: 2 Reg 6,23; Mt 5,18; 13,33; 22,44 (cum parallelis); Lc 22,16.18.

48 Vide textus collectos apud J.M.BovEr, *C6mo conciben los SS.Padres el tnistcrio de la divina maternidad. La virginidad, clave de la maternidad divina:* EstMar 8 (1949) 185-236; F.P.SolA. *Relaciones entre la virginidad y la maternidad divina a la lue de la tradiciôn:* EstMar 21 (I960) 325-371; cf. *ib.*. 373-389 et articulus citatus P.Gordillo. Pro S.Ambrosio, cf. Huhn, *Das Gchcimnis der Jungjrau-Mutter,* 74-90.

Cf. I.B.Frky, *La signification du terme* πρωτὸτοκο *d'anrès une scrip~ tion juive:* Bibl 11 (1930) 369-372. De sensu locutionis “primogenitus Mariae" apud SS.Patres, cf. G.Jouassard, *Lc premier-né de la Vierge ches saint Irénée et Hippolyte:* RcchScRcl 12 (1932) 509-533; 13 (1933) 25-27.

•° *Comm, in Mt* 1: ML 26.25.

ARTICULUS III

De excellentia divinae maternitatis

120. Postquam vidimus factum maternitatis divinae, quae est maternitas virginalis, investigare debemus ipsius excellentiam. Nam, ut diximus supra, ipsa in sua dignitate morali est causa seu ratio, propter quam Maria tot privilegiis et gratiis cumulata est a Deo, ut scilicet digna mater Dei exsisteret. Nunc autem ipsam hanc excelsam dignitatem moraliter aestimare debemus.

121. a) *Excellentia, quam Mariae Virgini obvenit ex sua divina maternitate, revera est summa.* Sic Romani Pontifices. Pius IX: "Quae fMaria] solo Deo excepto exstitit cunctis superior, et ipsis cherubim et seraphim et omni exercitu angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior, cui praedicandae caelestes et terrenae linguae minime sufficiant" [1]. Leo XIII: "Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat... [Praestantissima dignitate] naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit" [2].

Similiter SS.Patres. S.Ambrosius: "Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius Ea, quam splendor elegit?" [3] S.Petrus Chrysologus: "Vere benedicta, quae fuit maior caelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum, quem mundus non capit, sola capit" [4]. Nicolaus Claravallensis: "Quid grandius Virgine Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris claudit arcanum? Attende seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem, et videbis: quidquid maius est, minus Virgine; solum Opificem opus istud supergredi" [5]. S.Cyrillus Alex.: "Ecquis hominum laudabilissimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat?" [6]. S.Io.Damascenus: "Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti, quia ex te sola summus ille opifex partum assumpsit" [7].

Sic etiam theologi. S.Thomas: "Mater Dei superior erat angelis quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur" [8].

Ratio vero theologica esse potest: personae creatae digni-

1 *Bulla "Ineffabilis":* CL 6,841; Marín, 294.
2 *Encycl. "Quanquani pluries":* ASS 22,66; Marín, 366.
3 *De virginibus 2,2.7:* ML 16,209.
4 *Sermo* 143: ML 52,584.
5 *Sermo in Nativitatem B.V.Mariae:* ML 144,738.
6 *Homiliae diversae* 4: MG 77,991.
7 *Homil. 1 de nativitate M.V. 7:* MG 96,672.
8 S.Th., 3 q.30 a.2 ad 1.

tas eo maior est, quod arctius coniungitur cum Deo. Atqui Maria, quia est mater Dei, est persona creata, quae maxime unitur cum Deo. Ergo °. Vel sic ex S.Thqma: “Quanto nobiliore comparatione aliquid in Deum refertur, nobilius est; et sic humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem comparatur ad Deum; et post B.Virgo, de cuius utero caro divinitati unita assumpta est” [10] [11]

122. *b) Excellentia Mariae ex divina maternitate est quodammodo infinita.* Sic communiter theologi: S.Thomas: “B.Virgo, ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus” Ps.Albertus Magnus: “Exaltatur in eo quod non tantum genuit sibi Filium coaequalem, sed infinitum meliorem. Quod etiam ex hac parte quodammodo infinitat bonitatem matris. Omnis enim arbor ex fructu cognoscitur proprio; unde si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu ostendit infinitam in arbore bonitatem” [12]. Dionysius Carthusianus: “Non irrationabiliter asserunt magni theologi, quod ratione huiusmodi maternae fecunditatis matemitatisve Dei, Beatissima Virgo sit dignitatis quodammodo infinitae” [13].

Ratio est: Valor relationis desumitur ex termino (S.Th., 3 q.2 a.1 ad 2). Atqui maternitas divina est relatio, cuius terminus est infinitus. Ergo et ipsa quodammodo infinita dicenda est. Hinc patet, divinam matemitatem non esse simpliciter infinitam, sed tantum secundum quid, scilicet ratione termini.

123. *c) Propter divinam matemitatem Maria pertinet ad ordinem hypostaticum.* Sic expresse Suarez [14], et cum eo generatim theologi.

Ordines rerum dicuntur multitudo elementorum, quae uniuntur vi alicuius principii unius, univoce vel analogice, statice vel dynamice. Sic loquimur de ordine naturali, de ordine supernatural], de ordine hypostatico; qui quidem inter se differunt ex diversa communicatione Dei, sci. essentiae, naturae, personae divinae. Ordo hypostaticus primo et per se constituitur ex Christo, per ineffabilem communicationem personae Verbi, quae facta est naturae humanae. Sed omnia quae necessariam connexionem habent cum hac unione hypostatica, quaeque eam intrinsece respiciunt, ad illum ordi-

® T'ro hoc argumento, cf. S.Tn., 3 q.55 a.3; q.27 a.5.
10 *In 1* d.44 q.1 a.3.
11 S.Th., 1 q.25 a.6 ad 4.
° *Mariale* q.197.
13 *Sermo 1 de Conceptione B.M.Virginis*
u *De Mysteriis vitae Christi* d.1 s.2.

nem pertinent. Sic maxime maternitas divina; quae, ut talis, tota ordinatur in ipsam unionem, quaeque in ipsam unionem terminatur. Non quidem quod Mater Dei efficiat unionem, aut quod strictam exigentiam ipsius habeat (salva exigentia huius germinis materni prout ab Spiritu Sancto, supernatural! modo fecundati); sed quatenus Maria consensum suum dedit non in quamlibet maternitatem, sed in matemitatem divinam ; et quatenus germen illud maternum (etiam praescindendo ab actione Spiritus Sancti, ut tali) vere exigebat infusionem huius animae, quae de facto prius natura unita erat cum Verbo. Ideo melius dicitur Mariam pertinere ad ordinem hypostaticum intrinsece[15].

124. *d) Ex divina maternitate Maria speciali quodam modo cum divinis personis copulatur.* Pius IX docet: "Venerabilis Mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem Sibi genitum tanquam Seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius ; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit; et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur Ille, de quo Ipse procedit"[10]. Has relationes speciales ad Trinitatem vocat S.Thomas affinitatem ad Deum[17].

Relate ad Patrem Maria primo associata est in generatione eiusdem Filii. "Sola cum Deo Patre dicere potest Filio Dei : Filius meus es Tu"[1S]. Una enim eademque Persona subiectum est utriusque generationis in diversa natura. Unde in momento generationis Virginis simul habebatur utraque generatio, cum generatio divina nec initium nec finem habeat. Neque tamen Maria dici debet (stricte loquendo) Sponsa Patris, quod aliquando dicta est, sed raro. Deinde Maria speciali quadam ratione Filia Patris dicenda est; qui titulus est frequens in SS.Patribus (Filia unica, primogenita, praedilecta). Ratio est, quia Maria in sua maternitate perfectissimam cum Deo Patre similitudinem exhibet: Pater generat in una tantum natura, sic Ipsa ; Pater generat solus sine matre, Ipsa sola sine patre; Pater generat sine ulla mutatione, Ipsa sine laesione virginitatis. lam vero proprium est filii procedere a patre tanquam personalis imago et similitudo ipsius. Unde Maria, in qua non solum haec habetur similitudo,

[10] Cf. J.A.dE Aldama, *El terna de la divina maternidad:* EstMar 11 (1951> 73: ubi citatur recens bibiiographia.
« *Bulla "Ineffabilis"*. CI, 6,836; MarIn, 270.
[17] S.Tn., 2.2 q.103 a.4 ad 2.
» S.Tn., 3 q.30 a.l.

sed cui datum est esse ad hanc similitudinem efferendam, specialissimo modo Filia Patris est.

Relate ad Filium Maria est mater praestantissima ratione. Est quoque sponsa Ipsius. Qui titulus omnino traditionalis est sive in Patribus, sive in Liturgia [19]. Ratio autem esse potest similitudo et analogia maxima, quae intercedit inter unionem Matris Dei cum Deo et unionem hypostaticam ; haec vero solet a Patribus connubium vocari. Unde etiam S.Thomas dicit Mariam, nomine totius naturae humanae, consensum in hoc matrimonium dedisse ; quod sponsae proprium est [20].

Relate ad Spiritum Sanctum Maria est mater Spiratoris, utpote vera mater Filii qui Spirator est. Frequentissime etiam dicitur, iam ab antiquitate Christiana, templum Spiritus Sancti. Quod quidem non solum ex titulo gratiae sanctificantis, sed speciali omnino titulo obtinet; quatenus ab Spiritu Sancto obumbrata, sub Eius actione mater Verbi exstitit. Recentius dici solet etiam Sponsa Spiritus Sancti, quod sane antiquitus rarius fiebat. Patet rationem huius tituli esse incarnationem. Qui tamen cavendum est ne perperam intelligatur [21].

Disputant theologi, utrum Maria dici possit *complementum Trinitatis,* quasi Maria per suam maternitatem Sanctissimae Trinitati aliquid contulerit. Et quidem, agnita termini imperfectione, qui male intelligi potest, adhuc verum est Mariam causam fuisse cur novae relationes ad extra divinis Personis advenerint, et hoc sensu aliquid Trinitati contulisse. Sic ergo dici potest complementum Trinitatis, quatenus scilicet Trinitati singulariter accedit et vicina est, Eique specialiter copulatur [22].

ARTICULUS IV

De TRANSCENDENTIA DIVINAE MATERNITATIS

125. Comparamus iam maternitatem divinam cum aliis donis supernaturalibus, ac maxime cum ipsa gratia sancti-

19 Cf. A.Piolanti, *"Sicut sponsa ornata monilibus suis", Maria come "sponsa Christi" in alcuni teologi del secl.XII":* Virgo Immaculata 5,181-193.

20 S.Th., 3 q.30 a.1.

21 Cf. J.Müller, *Mariologia* q.1 a.2-4; S.Alameda, *La excelencia de la divina maternidad en los Padres:* RevEspT 3 (1943) 493-558; J.Bittremieux, *Relationes B.M.Virginis ad personas SS.Trinitatis:* DivThom (Pi) 37 (1934) 549-568; 38 (1935) 6-41; G.R.nE Yurre, *Suárez y la trascendencia de la maternidad divina:* RevEspT 1 (1940) 874-917; J.M.Bover, *La gracia de la Madré de Dios:* RevEspT 5 (1945) 65-86; Roschini, *Mariologia* 2.1,171-188: I.M.Alonso, *Relationes Immaculati Cordis B.M.Virginis ad personas Sanctissimae Trinitatis:* Alma Socia Christi 6,2,54-81.

22 Cf. P.Godts, *Marie complément de la T.S.Trinité* (Esschen 1926). Sic quidem Hesychius Hierosolymitanus, *Serm. 5 de Deipara:* MG 93,1461.

ficante. Et *quaerimus* qtiaenam ex his dignitatibus praevaleat. Quae quidem quaestio videretur sufficienter soluta ex praecedentibus. Si enim matemitas divina est summa quaedam dignitas et quodammodo infinita, excellat necesse est omnibus donis gratiae. Tamen quaestio haec, a theologis disputata, non ab omnibus eodem modo solvitur. Tenent plures theologi, et antiquiores et recentiores, matemitatem divinam esse excellentiorem gratia sanctificante; contrarium tenuerunt Nominales, vel saltem logice tenere debuerunt. Suarez, et post illum plures alii, distinguentes inter matemitatem divinam praecise sumptam et matemitatem divinam cum ordine ad dona gratiae quae ipsi debentur, illam dicunt minorem gratia sanctificante, hanc vero maiorem[1].

126. *Dicendum ergo est,* matemitatem divinam esse dignitatem, quae gratiam sanctificantem longe antecellit. Haec assertio est omnino traditionalis et breviter probatur sic:

1.° Maternitas divina est summa quaedam dignitas et infinita. Ergo excedit gratiam.

2.° Maternitas divina pertinet ad ordinem hypostaticum. Ergo excedit gratiam, quae pertinet tantum ad ordinem stipernaturalem.

3.° Effectus formalis maternitatis divinae est reddere Mariam matrem Dei naturalem ; effectus formalis gratiae est reddere hominem filium Dei adoptivum. Atqui maioris dignitatis est esse matrem naturalem, quam esse filium adoptivum. *Minor* vero probatur, quia in priore casu datur coniunctio cum Deo substantialis ; in secundo tantum accidentalis.

4.° Maternitas divina radicaliter et virtualiter continet gratiam. Ergo eam excedit.

5.° Ex matemitate divina debetur Mariae specialis cultus hyperduliae super omnes Sanctos. Atqui Sanctis debetur cultus ex donis gratiae. Ergo maternitas divina excedit gratiam.

127. Si tamen comparatio fiat inter matemitatem divinam et gratiam non sub ratione dignitatis, sed sub ratione doni elevantis actus nostros naturales eosque adaequantis cum fine ultimo supernatural!, gratia sanctificans dicenda est antecedere divinam matemitatem. Haec enim tantum radicali-

[1] Cf. S.Th., 1 d.44 q.1 a.3 c; Ps.AlbSrtus M., *Mariale* q.140s; S.BonavKntura, 1 d.44 dub.4; G.BiEl, 3 d.4 a.3 dub.3; SuârEz, *De Mysteriis vitae Christi* d.1 s.2; Novatus, *De eminentia Deiparae* vol.1 c.8 q.9; Vega, *Theolog:a Mariana* vol.2, palacstr.25 cert.2; Contenson, *Mariologia* 10, diss.6 c.2 spec.2: Saij^anTiCENSES, *De Incarnatione* disp.36 dub.3 parr.2 n.30; Sedlmayr, *Scholastica mariana* p.2 q.9 a.6.

ter et in virtute continet illam supcrnaturalem elevationem actuum moralium; cum e converso gratia illam formaliter efficiat. Quo sensu intelligi debet Lc 11,27s2.

ARTICULUS V

De maternitate divina formaliter sanctificante

128. Posita excellentissima dignitate maternitatis divinae, *quaeritur* a theologis, utrum ex ipsa sola iam possit dici Maria formaliter sancta, etiam praescindendo a gratia sanctificante. Et quidem hoc tenuerunt inter antiquos Ripalda, Saavedra, Vega, Sedlmayr, nonnulli professores Salmantini inediti; inter modernos Scheeben; nostris autem diebus, Millier, Lercher, R.de Yurre, Bover, Rozo, Nicolas, Bernard, Ceuppens, Delgado.

Quaestio haec disputatur, ut patet, per analogiam ad similem quaestionem agitatam circa sanctitatem humanitatis Christi. Et revera non omnes citati auctores sanctitatem illam formalem eodem modo concipiunt. Loquuntur sane de diverso conceptu sanctitatis, et nonnulli fundantur quoque in ea conceptione maternitatis divinae quae elevationem aliquam ipsius potentiae Virginis includat; quam conceptionem nobis non probari, supra diximus.

129. Sepositis ergo his omnibus, dicendum videtur quoad ipsam quaestionem:

1.° Ex maternitate divina Maria est sancta *sanctitate* quadam *ontologica.* Maternitas enim divina est quasi forma, qua redditur Maria unita Deo, quatenus et physice unitur cum Verbo incarnato, et mediante conceptione Christi fines Deitatis attingit, idque totum in ipso ordine hypostatico. Atqui hoc est formaliter habere sanctitatem ontologicam ex maternitate divina. In hunc sensum loquuntur Scheeben, Millier, Lercher, et fortasse alii; idque vix negari posse videtur.

130. 2.° Ex maternitate divina Maria probabilius est quoque formaliter sancta *sanctitate* quadam *gratificante.* Matemitatem divinam dicimus, praescindendo utique a gratia sanctificante, sed includendo omnes eius relationes ad Deum.

2 AlastruEy, 122-126: Me.rkei.bach, 64-71; *L'éminente dignité dc la Mère de Dieu* (Bruxelles 1921); G.R.DE YurrE, *Suârcc y la trasccndencia dc la divina maternidad:* RevEspT 1 (1940) 874-917; *La maternidad divina y la gracia santificante:* EstMar 5 (1946) 111-146; J.Alonso, *Naturalcca y fundamento* de la gracia dc la Virgen:* EstMar 5 (1946) 11-110; J.A.dE Aldama, *El tenta de la divina maternidad* 76s; F.LopEra, *De divina maternitate in ordine unionis hypostaticae ad mentem Doctoris Eximii:* EphMar 4 (1954) 67-88.

Sic ergo considerata adaequate, producit in Maria effectus similes effectibus gratiae sanctificantis. Quod patebit singulos hos effectus considerando.

a) Vi solius maternitatis divinae Maria est *consors naturae divinae.* Gratia sanctificans ideo dicitur conferre consortium naturae divinae, quia est fundamentum et radix actuum supernaturalium. Atqui maternitas divina est similiter fundamentum et radix illorum actuum, quatenus illos exigit moraliter. Praeterea maternitas divina est similitudo quaedam formalis, licet analogica, paternitatis Dei (sci. generatio temporalis Filii Dei ex Maria fit ad similitudinem generationis eiusdem Filii ex Patre). Ergo est quaedam specialis participatio naturae divinae.

b) Vi solius maternitatis divinae Maria est *Filia* Patris specialissimo modo. Filiorum enim est naturam habere similem patri ab ipso patre communicatam. Iam vero Maria vi maternitatis divinae perfectam similitudinem naturae Patris effert. Ad hoc autem a Patre processit (non utique per generationem), ut mater Dei esset, id est, ut talem similitudinem Patris in seipsa referret. Peculiari ergo modo Filia Patris dicenda est, et Filia Patris primogenita et unica, sicuti saepe a SS.Patribus appellatur.

c) Vi solius maternitatis divinae Maria *ius* habet *ad aeternam haereditatem.* Si enim Filia est, ius habet filiorum. Sed praeterea iura haereditatis negari nequeunt Mariae, quae ut Mater et Sponsa divinae familiae aggregatur.

d) Vi solius maternitatis divinae Maria est *Deo gratissima.* Per ipsam enim arctissime cum divinitate copulata est et familiae divinae inserta; unione scilicet intermedia inter unionem filii adoptivi cum Patre per gratiam, et unionem Filii naturalis cum Verbo per unionem hypostaticam.

Ex his ergo rationibus sententia illa defendi posse probabiliter videtur, etiamsi non defendantur omnia fundamenta quae a citatis auctoribus propugnantur, quaeque nobis debilia omnino et improbabilia videntur[1].

[1] G.R.de YurrE, *La teoria de la maternidad divina fomtalmente santificante, en Ripalda y Scheeben:* EstMar 3 (1944) 255,286; J.M.BovEr, *La gracia de la Madré de Dios:* RevEspT 5 (1945) 65-86; *Santidad inicial de Maria:* EstEcl 28 (1954) 571-574; Roschinî, *Marialogia* 2,1,189-194; G.Rozo, *Sancta Maria Mater Dei* (Milano 1943); J.Deuîado, O.deM., *Maternidad formaimente santificante (origen y dcscnvolvimicnto dc la controversia):* EstMar 8 (1949) 133-184; B.Prada, *La corredenciôn en los teôlogos jesuitas del S.XPII:* Est-Mar 19 (1958) 299-306; J.de Aldama, *El tenta de la divina maternidad* 77-80.

CAPUT IV

De maternitate spirituali

131. Postquam egimus de maternitate divina, quae primum et fundamentalem aspectum maternitatis Redemptoris constituit, agendum nobis est de maternitate spirituali, in qua secundus eiusdem aspectus est reponendus.

Cum hac spirituali Mariae maternitate intime connectuntur, uno vel alio modo, corredcmptio, dispensatio gratiarum et universalis mediatio. Disputatur vero inter theologos, quo ordine haec munera logice inter se connectantur \

Et quidem sunt qui teneant prioritatem corredemptionis supra maternitatem spiritualem; adeo ut Maria ideo sit spiritualis hominum mater, quia est corredemptrix[1]. Sunt ex adverso qui teneant prioritatem maternitatis spiritualis ; unde Maria ideo est corredemptrix quia spiritualis hominum mater est[3][4] Sunt tandem qui mutuam et variam interdependentiam inter haec omnia munera tueantur *

Quaestio magna ex parte pendet a definito uniuscuiusque horum munerum conceptu, cum vix non omnia magis vel minus ample concipi possint.

Nos quidem ponimus tanquam fundamentum matemitatem spiritualem. Cuius effectus immediatus quasi formalis est universalis mediatio; quae proinde est "mediatio maternalis". Utriusque autem quasi diversos actus agnoscimus corredemptionem ct dispensationem gratiarum ; quarum prima pertinet ad stadium redemptionis efficiendae, altera ad stadium redemptionis applicandae seu communicandae.

Hinc agemus in sequentibus:

1 De connexione inter maternitatem divinam et maternitatem spiritualem atque adeo corredemptionem, cf. E.Gacnon, F.S.S., *Maternité divine et corrcdemption:* Alma Socia Christi 2,40-60; Chrysostomus de Pamplona, O.F.M.Cap., *De d-'v:na maternitate ad corrrdemptionem et maternitatem spiritualem' relata:* ib. 118-132; cf. etiam infra nota 41.

1 Friethoff, *De alma Socia Christi Mediatoris* 112s; DillEnschneidEr, *La Mariolo/re de Saint Alphonse de Liguori* 2,155s; Alastruey, 730; Gregorio de Jesûs Crucificado, O.C.D., *Naturalesa de la maternidad espiritm.l de Maria:* EstMar 7 (1948) 142.

3 M.T.lamf.ra, O.P., *La maternidad espritual de Maria:* EstMar 4 (1944) 67-162; *Maria, Madré corredentora, o la maternidad divina-espiritual de Maria y la CorrcdcncMn:* EstMar 7 (1948) 145-106; N.Garcîa Garcés. C.M.F., *Mater Corredemptrix* (Roma 1940). *Della maternità spirituale alla corrcdcndone:* Marian 3 (1941) 372-307; Roschini, *Marioloyia* 2,1,200, in 2.» editione, nam antea sententiam contrariam tuebatur.

4 J.M.Bover, *Ordcn en que han de concebirse maternidad, corredenciôn y oficio de dispensar las gracias:* EstMar 1 (1942) 101-165; *Maria Mediadora universal* (Madrid 1946) 399-408.

ARTICULUS I

De MATERNITATE spirituali in genere

132. Nihil antiquius est in doctrina catholica, quam B.Mariam Virginem appellare matrem hominum. Qui quidem titulus magnam refert Virginis praerogativam in ordine supernaturali, iuxta quam vita spiritualis gratiae sanctificantis omnibus hominibus communicatur a B.Virgine Maria per aliquam actionem, quae apte maternalis appellatur. Valde autem attendendum est ad duplex stadium, in quo haec maternitas spiritualis exercetur. Nam primum Virgo est mater omnium hominum quasi globatim, omnium scilicet qui membra sunt Corporis Christi mystici, eaque mensura qua membra Christi erunt; deinde est mater uniuscuiusque de facto, a momento in quo inseritur in Corpus Christi mysticum per baptismum. Primum stadium pertinet ad ipsam redemptionem peragendam, ideoque apte connectitur cum munere Corredemptricis. Secundum stadium pertinet ad applicationem fructuum redemptionis, et coincidit cum distributione gratiarum per Mariam. De his ergo postea in specie erit agendum ; nunc in genere de maternitate spirituali.

Thesis 7. B.Maria Virgo constituta est proxime et formaliter spiritualis omnium hominum mater tum per consensum in incarnationem, tum per compassionem sub cruce.

Alastruëy, 741-758; MerkKt.racji, 296-306; Roschini, *Mariologia* 2.1,199. 227; J.M.Bover, *Maria Mcdiadora universal* 386-408; Th.KoeiilER, *Maternité spirituelle de Marie:* Maria (Du Manoir) 1,573-600

133. Notiones. Mater : intendimus interea titulum tantum, cui sine dubio apte quaedam realitas respondet. Sed nihil dicimus de natura huius maternitatis.

Spiritualis, scilicet in ordine gratiae sanctificantis, quae est vita animae.

Proxime et formaliter, scilicet terminus illius maternitatis sumus ipsi homines. Non tantum dicitur mater nostra

6 Bibliographiam dc maternitate spirituali collegit E.Lamirande in opere *La maternité spirituelle de la B.Vierge Marie* 1 (Ottawa 1958) 157-172.

quia est mater Christi, qui dedit nobis vitam gratiae. Hoc non sufficeret ad propriam maternitatem spiritualem.

Per consensum, quatenus Eius consensus ex voluntate Dei ferebatur non in nudam maternitatem temporalem Christi, sed etiam in maternitatem spiritualem nostram. Est enim simul titulus huius maternitatis et primum momentum in quo constituitur; quasi generatione seu conceptione.

PER compassionem, quatenus Eius compassio non erat maternalis tantum relate ad Christum, sed etiam relate ad nos. Est novus titulus maternitats spiritualis et secundum momentum in quo constituitur; quasi partu.

134. Doctrina Ecclesiae. Abundat maxime in recentioribus Pontificibus [6].[7]

1) *Maternitas spiritualis in Incarnatione:* S.Leo M.: "Renovat... nobis hodierna festivitas nati lesu ex Maria .Virgine sacra primordia; et dum Salvatoris nostri adoramus ortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis... Universa... summa fidelium, fonte orta baptismatis, sicut cum Christo in passione crucifixi, in resurrectione resuscitati, in ascensione ad dexteram Patris collocati, ita cum Ipso sunt in hac nativitate congeniti. Quisquis enim hominum... regeneratur in Christo..., habetur in germine Salvatoris" '.

S.Pius X: "An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est. Nam statuere hoc sibi quisque debet, lesum, qui Verbum est caro factum, humani etiam generis Servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum Ille, ut ceteri homines, corpus nactus est. Qua vero nostri generis restitutor, spiritale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum, quod societas eorum est, qui Christo credunt... Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex Ea assumens naturam; verum etiam ut per naturam ex Ea assumptam mortalium fieret sospitator... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus Sibi assumpsit, et spiritale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum, qui credituri erant in Eum. Ita ut, Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot

° G.Frénaud, *La maternité spirituelle de Marie dans les lettres ou allocutions des Souverains Pontifes:* EstMar 16 (1959) 1-33; H.M.Guindon, *La maternité spirituelle dans les documents pontificaux:* Maternité spirituelle (Ottawa) 1,65-79; C.KosER, *De doctrina Pontificum reccntiorum circa maternitatem spiritualem B.M.P.:* Maternidad espiritual (México 1961) 251-301.

7 *Serm.6 de Nativitate Domini:* ML 54,213.

cum Christo iumgimur, quique, ut ait Apostolus, membra sumus Corporis Eius, de carne Eius et de ossibus Eius, de Mariae utero egressi sumus tanquam corporis instar cohaerentis cum Capite. Unde spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimus, et Ipsa nostrum omnium mater est. Mater quidem spiritu; sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus" 8.*

Pius XI: "At aliud etiam, venerabiles fratres, in Mariae maternitatis munere recolendum putamus, quod quidem sapit dulcius, sapit suavius. Ipsa scilicet, ex hoc quod humani generis peperit Redemptorem, nostrum quoque omnium, quos Christus Dominus fratres habere voluit, quodammodo exsistit benignissima mater" 8.

Pius XII: "Ipsa fuit, quae Christum Dominum iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate ornatum... edidit... Ipsa igitur, omnium membrorum Christi sanctissima genitrix" 10. 11 "Quae enim Redemptoris nostri Genetrix fuit secundum carnem, Eiusque socia in Hevae filiis revocandis ad divinae gratiae vitam, Ea merito fuit totius humani generis spiritualis salutata Mater. Quam ad rem S.Augustinus de ea scribit: plane mater membrorum Salvatoris, quod nos sumus, quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt"

135. 2) *Maternitas spiritualis sub cruce:* Benedictus XIV: "Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eandem... tanquam amantissimam matrem, extrema Sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est" ia.

Pius VIII: "Ipsa enim mater nostra, mater pietatis et gratiae, mater misericordiae, cui nos tradidit Christus in cruce moriturus" 1S.

Leo XIII: "Virgo sanctissima, quemadmodum lesu Christi Genitrix, ita omnium est Christianorum mater; quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit" 14. "Talem nobis praestitit Deus, cui hoc ipso quod Unigenae sui Matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes, nisi amorem et veniam... Talem denique se dedit Ipsa, quae eam immensi laboris hereditatem, a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in om-

8 *Encycl. dient illuni*j* ASS 36,452s; Marîn, 487.
° *Encycl. "Lux veritatis":* AAS 23 (1931) 514; Marîn, 634.
10 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247s.
n *Encycl. "Haurietis Aquas":* AAS 48 (1956) 332.
12 *Bulla "Gloriosae Dominae":* Bullarium 2,428; Marîn, 713.
13 *Bulla "Praescntissimum":* Bullarium Romanum 9,106; Marîn, 254.
44 *Encycl. "Quamquam pluries?*:* ASS 22,67; Marîn, 366.

nes officia confestim coepit impendere. Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et Christi testamento ratum, inde ab intio Sancti Apostoli... senserunt"[15]. "Ceterum, praesente Ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... Stabat iuxta crucem lesu Maria Mater Eius; quae, tacta in nos caritate immensa, ut susciperet filios, Filium Ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum Eo commoriens corde, doloris gladio transfixa" [10]. "In loannc autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam generis humani..."[17]. "Cum [Christus] supremo vitae suae publicae tempore novum conderet testamentum, divino sanguine obsignandum, Eandem dilecto Apostolo commisit, verbis illis dulcissimis: Ecce Mater tua"[18]*

Benedictus XV: "Liquet item, Virginem Perdolentem, utpote quae, a lesu Christo universorum hominum Mater constituta, eos tamquam infinitae caritatis testamento sibi relictos acceperit officiumque tuendae spiritualis eorum vitae materna benignitate expleat, facere non posse quin carissimis ex adoptione filiis eo temporis momento studiosius opituletur, quo de eorum salute ac sanctitate agitur in sempiternum aevum confirmanda" [lfl].

Pius XI: "iVirgo perdolens redemptionis opus cum lesu Christo participavit; et constituta hominum mater, eos Sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa sit filios amantissimeque tueatur"[20]. "Populus christianus, non modo Dei Genitricem praesentissimam patronam religiosius coleret, sed etiam matrem sibi a Redemptore quasi testamento relictam amaret ardentius..."[21]. "Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit qui se fuisse a Christo lesu redemptos ignorant, quam qui Ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter" [22]. "Cum enim omnes homines filii sint, moriente lesu testante, Deiparae Virginis, eos omnes etiam decet de Ipsius laudibus laetari" [23]. "Maria Virgo sub cruce Nati omnium hominum mater constituta, pie sollemniter recolitur" [24].

18 *Encycl. "Octobri mense":* ASS 24,196: Marîn, 377s.
58 *Encycl. "lucunda Semper":* AAS 27,178; Marîn, 412.
37 *Encycl. "Adiutriccm populi":* ASS 28,130; Marin, 426.
38 *Encycl. "Augustissimae Virginis":* ASS 30,129; Marîn, 450.
38 *Epist. Apost. "Inter Sodalicia":* AAS 10,181.
30 *Litt. Apost. "Explorata res est":* AAS 15 (1923) 104s; Marîn, 556.
23 *Encycl. "Quas primas":* AAS 17 (1925) 604; Marîn, 596.
22 *Encycl. "Rerum Ecclesiae":* AAS 18 (1926) 83; Marîn, 597.
23 *Epist. "Saeculum mox quintum":* AAS 23 (1931) 10; Marîn, 611.
31 *Epist. "Septimo abeunte saeculo":* AAS 25 (1933) 435; cf. ib., 247; Harîn, 641.

Pius XII: "Ita quidem, ut quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta esset, ob novum etiam doloris gloriaeque titulum, Eius membrorum omnium mater" [25]. Similia habentur pluries documenta eius in anno Mariano [26].

136. Valor dogmaticus. Mariam vero aliquo sensu esse matrem spiritualem hominum, est *de fide divina et catholica ex magisterio ordinario* et professione universali Ecclesiae. Cetera sunt *saltem doctrina cathclica.*

137. Probatur ex sacra Scriptura. 1. Io 19,25-27. Tota vis argumenti pendet a quaestione, num in hoc textu loannes agat tantum propriam personam privatam, an repraesentet personam generis humani; non quidem sensu aliquo accommodato, sed vero. Et quidem sunt multi cxcgatae, qui sensum tantum accommodatum teneant, 'l'amen haec toties repetita SS.Pontificum doctrina videtur aliquid amplius exposcere quam merum sensum accommodatitium. Sed praeterea, quia ex Benedicto XIV id Ecclesia accepit "Sancti Spiritus magisterio edocta", et ex Leone XIII loannem designasse personam generis humani "perpetuo sensit Ecclesia" (supra n.135), investigandum est quomodo revera talis sensus in textu inveniatur.

Sane, praeeunte Gregorio Nicomediensi et iam antea Origene, haec interpretatio praevalet a Medio Aevo. Sic Anselmus Lucensis, S.Anselmus, Eadmerus, Rupertus Tuitiensis, Gerhohus Reicherspergensis, Odo Morimondensis, Philippus de Harveng [27]. Quae interpretatio ex analysi contextus, sive immediati (quia omnia immediate praecedentia et subsequentia universaliorem sensum habent), sive mediati (quia totum Evangelium loannis abundat narrationibus, quae, praeter sensum historicum, etiam sensum symbolicum altiorem habent), omnino probabilior videtur.

Haec tamen Christi verba non constituunt formaliter ip-

25 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; Marín, 713.

[26] AAS 46 (1954) 484.494.655.660-664. Cf. J.G. Vergara *El texto de SJuan 19,26-27 en' el magisterio de los Romanos Pontifices:* Matcrnidaa espiritual (México) 85-151.

27 Anselmus Lucensis, *Orat.* 1,3: RevAscMyst 19 (1938) 53.61-63; S.Anselmus, *Orat.* 52,6-9: ML 158,956-958; Eadmerus, *Dc Conceptione* 33: ML 159,315; Rupertus Tuitiensis, *In loannem:* ML 169.789s; Gerhohus Reicherspergensis, *Comment, in Psalmos* 21,17: ML 193,1014s; Odo Morimondensis, *In Lc* 11,17: EstMar 16 (1959) 110; Philippus de Harveng, *In Cant. Canticorum* 2,3.6: ML 203,253.257. Cf. Th.KoElher, *Les principales interprétations traditionnelles de Jn 19,25-27 pendant les douse premiers siècles:* EtMar 16 (1959) 119-155; Huhn, *Das Geheimnis der Jungfrau-Mutter* 162-169.

sam matemitatem spiritualem, sed eam declarant plene constitutam [28].

138. 2. Apoc 12. Mulier designat Mariam. lam vero Mulier in textu dicitur Mater non solum "filii masculi", id est Christi (v.5), sed etiam "reliquorum" de semine (v.17), "qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium lesu Christi".

Tota vis argumenti pendet ab interpretatione mariologica huius capitis; utrum scilicet Mulier sit Maria in sensu tantum accommodato, an in sensu aliquo intento ab Spiritu Sancto. Sensum non tantum accommodatum suadent haec verba S.Pii X:

S.Pius X: "Signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim. Nullus autem ignorat Mulierem illam Virginem Mariam significasse, quae Caput nostrum integra peperit... Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Vidit igitur Joannes sanctissimam Dei Matrem, aeterna iam beatitate fruentem, et tamen ex arcano quodam partu laborantem. Quonam autem partu? Nostrum plane qui exilio adhuc degentes ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium significat atque amorem indicat, quo Virgo in caelesti sede vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus expleatur" [29].

Maior pars interpretum intelligit in Muliere designatam fuisse Ecclesiam. Expositio tamen, quae Mulierem connectit cum Ecclesia, habetur iam in antiquitate Christiana; ultimis vero annis ita renovata est ut quotidie communior fiat, sensu non exclusive intellecta. Mulier ergo est et Maria et Ecclesia (quod non uno modo ab omnibus concipitur). Sane Mater

28 De hoc argumento, cf. M.Legnani, *De theologica certitudine maternitatis B.Virginis quoad fideles, iuxta Christi verba "Mulier ccce filius tuus"* (Venetiis 1899); C.A.KnEllEr, *Io 19,26-27 bei den Kirchenvatcr:* ZkathTh 40 (1916) 457-612; J.Ernst-C.A.KnellEr, *Ortgencs und die geistige Muttcrschaft* Marias *(Joh 19-26f):* ibid., 47 (1923) 617-632; P.GaEchtEr, *Dic geistige Mutterschaft Marias. Bin Beitrag sur Erklarung von Io 19-26:* ibid., 391-429; J.M.BovEr, *"Mujcr, he ahi a tu hijo": Maternidad de Maria para con todos los hombres, segiin San Juan 19,26-27:* EstEcl 1 (1922) 5-18; Id., *"Mulier, eccc filius tuus". Spiritualis et universalis B.Virginis maternitas ex verbis Christi morientis demonstrata:* VerDom 4 (1924) 225-231; Id., *La maternidad de Maria, expresada por cl Redentor cn la crus:* EstBibl 2 (1942) 627-646; T.Gallus, *Mulier, ccce filius tuus:* VerDom 21 (1941) 289-297; R.RAbanos, *La maternidad espiritual de Maria en cl Protocvangclio y en San Juan:* EstMar 7 (1948) 35-50; I.Leal, *Beata Virgo omnium spiritualis Mater ex lo 19,26-27:* VerDom 27 (1949) 65-73; A.Thyes, *Jean 19,25-27 et la maternité spirituelle de Marie:* Marian 18 (1956) 80-117; M.Peinador, *La maternidad espiritual de Maria proclamada por Cristo desde la crus:* Maternidad espiritual (México) 43-84.

29 *Encycl. "Ad diem ilium":* ASS 36,458; Marin, 496.

Messiae vix excludi potest a versu 5, maxime si modus scribendi Ioannis cum vaticiniis messianicis compareretur[30].

139. Probatur ex traditione[31]. 1) Implicite continetur maternitas spiritualis in parallelismo Heva-Maria: causa mortis, causa vitae. Hinc explicite dicitur Maria "mater viventium" iam a S.Epiphanio, S.Chrysologo, aliis[32][33]

2) Hoc sensu dicitur Christus a S.Irenaeo "primogenitus Virginis"; eodemque sensu intelligi debent, ut videtur, verba: "purus pure puram aperiens vulvam, eam, quae regenerat homines in Deum, quam Ipse puram fecit"[33].

3) Ex doctrina de corpore mystico dicitur Maria "mater membrorum" a S.Augustino (R 1644), verbis saepe commemoratis a RR.Pontificibus[34].

4) Relationem inter Incarnationem et matemitatem hominum urgent Patres. Sic S.Cyrillus Alexandrinus: "Ita [Christum] nobiscum et nostri similem subiisse generationem..., ut secundum carnem ex muliere genitus..., humanum genus recapitularet..., et per unitam Sibi carnem omnes in Scipso contineret"[35]. S.Augustinus: "Quomodo autem non ad partum Virginis pertinetis, quando Christi membra estis?"[36]. S.Leo M.: "Generatio Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis... Cum Ipso sunt in hac nativitate congeniti"[37].

30 De hoc argumento, cf. B.J.Le Frois, *The Woman Clothcr with the Sun (Apoc XII), individual or collective?* (Roma 1954); A.Trabucco, *La Domna ravolta di sole (Ap 12):* Marian 19 (1957) 1-58, 289-334; F.M.Braun, *La Femme vêtue de soleil (Apoc XII):* RevThom 55 (1955) 639-669; M.Peinador, *Estudio comparativo de los textos escriturarios que fundamentan las relaciones entre Maria y la Iglesia:* EstMar 18 (1957) 127-155; *El problema de Maria y la Iglesia:* EphMar 10 (1960) 162-194, ubi recentissiima biliograrphia; cui addendi sunt articuli a Flessenkemper, Kassing et Spedalteri editi in vol.3 collectionis *Maria et Ecclesia* (Romae 1959). De aliis argumentis, cf. J.M.Bover, *Spiritualis B.Mariae Virginis maternitas in Christo Iesu, B.Pauli documentis comprobata:* VerDom 3 (1923) 307-310; M.Peinador, *La Sagra-da Escritura en Mariologia:* EstMar 11 (1951) 38-41; M.de Goedt, *Bases bibliques de la maternité spirituelle de Notre-Dame:* La maternité spirituelle (Ottawa) 1,35-53.

31 Cf. J.Jouassard, *Maternité spirituelle: première tradition:* EtMar 16 (1959) 55-85; A.Rivera, *Maria Madré de los miembros del Cuerp-o Mistico en la tradiciôn patristica:* EstMar 20 (1959) 43-73; *La materreidad espiritual en la tradiciôn patristica:* Maternidad espiritual (México) 217-249; W.Sebastien, *Maternité spirituelle et Incarnation selon la doctrine des Pères Grecs:* La maternité spirituelle (Ottawa) 1,65-79.

32 S.Epiphanius, *Panarion* 79,18: MG 42,728; S.Petrus Chrysologus, *Serm.140 de Annuntiatione:* ML 52,576.

33 S.Irenaeus, *Adversus hacreses* 3,18-7; 3,22,4; 4,33,11; MG 7, 938.959. 1080. Cf. G.Jouassard, *Amorces chez saint Irénéc pour la doctrine de la maternité spirituelle:* NouvRevMar (1955) 217-232. Verba citata intclliguntur sensu mariologico, etiam hodie, a Jouassard, Koehler, Rivera, Galot, Unger.

34 Cf. J.Dietz, *Maria und die Kirche nach dem hl.Augustinus:* Maria et Ecclesia 3 (1959) 201-239.

35 *Adversus Nestorium* 1,1: MG 76,17.

36 *Scrm.* 192,2: ML 38,1012.

37 *Serm.* 21,2: ML 54,213.

5) De relatione inter compassionem et maternitatem, vide textus citatos supra n.137.

6) Speciatim evolvitur haec doctrina Medio Aevo: Maria est *mater nostra, mater omnium, mater nostri generis, mater Christianorum, mater fidelium, mater viventium, mater spiritualis,* etc. "Matei Dei est mater nostra". Titulus "mater misericordiae" primum apparet circa annum 945 (in IoannE Salernitano) 88.

7) Hae ideae recurrunt quoque in Liturgia s®.

140. Ratio theologica, *a)* Maria est mater non solum Christi physici, sed etiam Christi mystici. Ergo est mater nostra.

Antec.: Maternitas Mariae terminatur formaliter ad Redemptorem (scilicet non ad lesum, qui postea factus est Redemptor, sed ad Eum qui in Ipso primo momento iam est Redemptor, et ut sit Redemptor). Atqui redemptio fit per insertionem in Christum eorum qui solidaritatem fundamentalem habent cum Ipso in eadem natura humana. Ergo.

b) Maternitas spiritualis habetur ex generatione Corporis mystici. Atqui haec generatio habet duo praecipua stadia, in Incarnatione scilicet et sub cruce. Ergo in his duobus momentis maxime constituitur maternitas spiritualis.

Alinor probatur, quia in Incarnatione incipit nostra solidaritas cum Christo, ut Ipse, verus homo, possit satisfacere pro hominibus ; in cruce unio nostra cum Christo altiore modo habetur ex virtute sanguinis Christi, quo empti sumus per Ipsum et in Ipso.

141. Scholion 1. *De extensione huius maternitalis spiritualis* eadem proportionate dicenda sunt quae dicit S.Thomas, 3 q.8 a.3, de Christo Capite".

142. Scholion 2. *De natura maternitalis spiritualis.* Titulus propter quem Maria dicitur mater spiritualis hominum, non est mera adoptio aut mera donatio aut foederatio, sed est vera quaedam, etsi analogica, generatio in ordine morali. Physica enim generatio Christi tendit in formationem Christi mystici, id est in incorporationem hominum in Christo; non solum quia impossibilis fuisset redemptio nisi Christus esset homo, est autem homo per illam generationem, sed quia cx voluntate Dei redemptio habetur "in Christo", quod sup-

"* Vide textus citatos apud H.Barré, *La maternité spirituelle de Marie dans la pensée médiévale:* EtMar 16 (1959) 87-118 Pro Ioanne Salernitano *(Vita S.Odonis 2,20:* ML 133,72), cf. Laurentin, *Court Traité* 59. Vide etiam G.M.Roschinî, *La maternidad espiritual de la SS.V.M. en los escritores latinos medioevolcs:* Maternidad espiritual (Mexico) 303-371.

39 Cf. J.M.Parent, L< *maternité spirituelle de Marie dans la liturgie romaine:* Alma Socia Christ» 2,234-248. N GarcIa Garces, *La matermdad espiritual de la Virgen en la liturgia:* EphMar 11 (1^61) 87-12◊.

*· Cf. Alejandro de Villalmonte, *Maria y los Angeles:* EstMar 20 (1959) 401-438; M.Gordillo, *Maria y la lylcsia del A.T.:* EstMar 20 (1959) 439-452.

ponit solidaritatem praeviam cum Ipso. Ideo illa incorporatio hominum in Christo ordinabatur in participationem vitae spiritualis Ipsius. In his ergo omnibus habetur quaedam quasi generatio spiritualis ocu moralis. In primo igitur stadio, consensus Virginis in Incarnatione est vera conceptio spiritualis, quatenus est actus formaliter maternalis, inchoans generationes Christi mystici; in secundo autem stadio, compassio Virginis in Calvario est verus partus spiritualis, quatenus est actus formalitcr maternalis, quo humanum genus renascitur in Christo, per completam incorporationem in Ipsum [41]

ARTICULUS II

Dë MEDIATIONS universali in GENERE

143. Eo ipso quod B.Virgo est mater hominum, dici debet Mediatrix, cum ea, quae sunt Dei, deferat ad homines, et ea, quae sunt hominum, deferat ad Deum. Illud, quatenus homines regenerat ad vitam divinam; hoc, quatenus consensum maternalem praebet nomine generis humani. Ideo agendum est nunc de exsistentia et veritate huius marianae mediationis.

Thesis 8. B.Virgo Maria dicitur et est sensu proprio Mediatrix.

Alastruey, 713-725; MerkElbach, 306-323; Roschini, *Mariologia* 2.1,231-250; BittremiEux, *De mediatione universali B.M.Virginis quoad gratias* (Brugis 1926); Bover, *Maria Mediadora universal* 427-442.

144. Notiones. Mediatrix dicitur sensu proprio mulier, quae inter duas personas intercedit, ut eas coniungat, per hoc quod ea quae unius sunt, defert ad alteram. Mediatrix *fundamentaliter et in actu primo* est mulier quae habet dignitatem et excellentiam talem, qua constituitur media inter utrumque extremum, ab utroque proinde distincta et de utroque participans (mediatio ontologica). Mediatrix *forma-*

41 Cf. J.M.Bover, *Maria Mediadora universal* 393-405; Gregorio de Jesûs Crücificado, *Naturalesa de la maternidad espiritual:* EstMar 7 (1048) 121-144; Basilio de San Pablo, *Momcntos de la maternidad de Maria sobre la Iglesia:* EstMar 18 (1957) 321-350; J.Cascante, *Concxiôn entre la maternidad divina y la maternidad espiritual:* EstMar 20 (1959) 157-194; A.Luis, *Dos mementos culminantes de la maternidad espiritual: la Anunciaciôn y cl Calvario:* EstMar 20 (1959) 109-156; Enrique del Sdo. Corazôn, *Comparaciôn entre la maternidad espiritual de la V.Maria y la maternidad de la Iglesia:* EstMar 20 (1959) 207-262; E.Lamirande, *La maternité spirituelle de Marie et la maternité de ГEglise:* La maternité spirituelle (Ottawa) 2,87-133; C.Balic, *Naturalcsa de la maternidad espiritual de Maria:* Maternidad espiritual (México) 373-402; N.García Garcés, *Asociaciôn de Maria con Cristo y maternidad espiritual:* ib. 449-478. De actione Mariae Matris in vitam spiritualem fidelium, cf. Gregorio de Jésus Crücificado, *La acciôn de Maria en las aimas y la Mariologia moderna:* EstMar 11 (1951) 255-278, et plures articulos in EstMar 20 (1959) seu *Maria et Ecclesia* vol.6.

Uter et in actu secundo est mulier quae exercet actum coniungendi extrema, bona unius in aliud deferens (mediatio moralis).

Mediatio potest esse *principalis et participata:* illa fit virtute propria mediatoris; haec, virtute accepta a mediatore principali.

Dicimus B.Virgincm Mariam habere munus mediatricis apud Deum, mediatione participata et subordinata mediationi Christi. Haec porro mediatio Virginis non est simpliciter necessaria ad reconciliandos homines cum Deo, sed tantum ex voluntate Dei volentis Illam associare unico Mediatori principali, necessario ac sufficientissimo.

Interim nihil dicimus de actibus, quibus Maria illam mediationem exercuit aut exercet. Nam de his in sequentibus articulis erit dicendum. Mediatio vero ontologica B.Virginis in utraque Eius maternitate, divina et spiritualiter, videtur reponenda.

145. Adversarii. 1) *Protestantes,* urgentes verbum S.Pauli : *Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus lesus* (1 Tim 2,5).

2) Quod deinde vehementius renovarunt *lansenistae;* maxime Adamus Windenfeldt, nullam aliam admittens Mariae mediationem praeter Eius orationem pro nobis \

3) Quibusdam auctoribus catholicis titulus Mediatricis displicuit.

146. Doctrina Ecclesiae. Cum plura documenta in sequentibus articulis sint afferenda, generaliora tantum nunc allegamus.

Pius IX: "Totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum *Mediatrix* ac Conciliatrix"2.

Leo XIII : "Te rogamus, Conciliatrix salutis nostrae aeque potens et clemens"3. Ipsam Dominam nostram, *Mediatricem* nostram, Ipsam Reparatricem totius orbis, Ipsam donorum Dei esse Conciliatricem" 4.* "Adhibita Conciliatrice potenti et peraccepta Virgine Beatissima" ®. "Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum

' Cf. P.Hoffer, *La dévotion à Marte au déclin du Xl·'!! siècle, autour du Jansénisme et des "Avis salutaires de la B. V.Marie à ses dévots indiscrets"* (Paris 1938) 275; C.Dillenschneider, *La Mariologic dc saint Alphonse de Liguori* 1.41-54.

3 *Bulla "Ineffabilis?':* CL, 6,843; Marîn, 300.

3 *Encycl. "lucunda semper9':* AAS 27,182; Marîn, 417.

4 *Encycl, "Adiutricem populi":* ASS 28,130s; Marîn, 427.

8 *Encycl. "Divinum illud munius": ASS* 29,658; Marîn, 449.

genus summo Patri in gratiam restituerit... At vero, si nihil prohibet, ut docet Angelicus, aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter, cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae, cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem, atque Illa, operam vel unquam contulerit, vel aliquando sit collaturus... Ipsa est, de qua natus est lesus, vera scilicet Eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad Mediatorem *Mediatrix*" °.

S.Pius X : "Pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum *Mediatrix* et Conciliatrix" 7.

Benëdictus XV festum instituit B.Mariae Virginis omnium gratiarum Mediatricis.

Pius XI : "Cuius nos confisi apud Christum deprecatione, qui, unus cum sit Mediator Dei et hominum, suam Sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac *Mediatricem...*" 8. "Patrocinio Virginis Deiparae, omnium gratiarum *Mediatricis,* interposito..."8.

147. *In his textibus Maria dicitur:*

a) Mediatrix;

b) Mediatrix apud Filium suum ad Mediatorem ;

c) Mediatrix inter Deum et homines.

Et explicatur eius mediatio distincta a communi mediatione Sanctorum, quia fundatur in Eius maternitate, in speciali opera quam contulit reconciliationi hominum, in associatione cum Christo Mediatore quam ab Ipso accepit, in communione morali passionum ac dolorum.

Valor dogmaticus. B.Virginem Mariam esse Mediatricem aliquo vero sensu, idque ex titulo omnino speciali prae aliis Sanctis, est *de fide ex magisterio ordinario.* Recte usurpari titulum Mediatricis, est *certum ex multiplici usu Romanorum Pontificum et Liturgiae;* nec de hoc licet dubitari.

148. Probatur ex traditione. 1) SS.Patres, scriptores

e *Encycl. "Fidentem piumque":* ASS 29,206; Marîn, 444.
7 *Encycl. "Ad diem illum":* ASS 36,454; Marîn, 488. Cf. I.Quadrio, S.D.B., *La mcdiasione sociale di Maria SS. nel magistero de S.Pio X:* AnGreg 68, 361-381.
8 *Encycl. "Misercntissimus Redemptor":* AAS 20 (1928) 178; Marîn, 603.
• *Encycl. "Caritate Christi compulsi?*: AAS 24 (1932) 192.

ecclesiastici et theologi antiquiores utuntur *titulo Mediatricis.* Et quidem vocant Mariani:

a) Mediatricem, mediatricem nostram, mediatricem hominum, totius mundi, generis humani, mediatricem gratiae, salutis. Sic S.Ephraem, S.Epiphanius, Antipater Bostrensts, S.Andreas Cretensis, S.Tharasius, Isidorus Thessalonicensis, S.Anselmus, Eadmerus, S.Bernardus, Adamus Scotus, Gulielmus Parisiensis, S.Albertus M., S.Thomas, Gerson, Driedo, Salmeron, Suarez, Contenson, S.Alphonsus M.de Ligorio.

b) Mediatricem inter Deum et homines, Dei et hominum. Sic S.Ephraem, Basilius Seleuciensis, Gui.iei.mus Parisiensis, S.Albertus, S.Laurentius Justinianus.

c) Mediatricem apud Mediatorem, apud Filium, inter homines et Christum, inter reum et indicem, inter Christum et Ecclesiam. Sic S.Io.Damascenus, S.Anselmus, S.Bernardus, Petrus Blesensis, S.Bonaventura, S.Albertus[10].

2) *Alios quoque titulos* usurpant SS.Patres, qui eandem realitatem signi ficarnt. Sic v.gr. conciliatrix, altrix reparationis, instauratrix collapsae misericordiae, recuperatrix orbis perditi, reparatrix, salvatrix nostra etc.[11].

3) Eandem doctrinam exprimunt *sub metaphoris* aquaeducti, colli, viae, scalae, pontis, navis, portae[12][13]

4) Saepe apparet et titulus Mediatricis et ipsa doctrina *in hymnis* latinis Medii Aevi[1S].

149. Ratio theologica, *a)* Maria habet *mediationem ontologicam.* Distat a Deo, quia simpliciter est persona humana; distat ab hominibus, quia ex maternitate divina fines divinitatis attingit. Aliunde vero participat de Deo, quia ex hac divina maternitate pertinet ad familiam divinam ; participat de hominibus, quia ex maternitate spirituali pertinet ad novam familiam humanam supernaturalem, cuius caput est Christus.

b) Maria exercet *mediationem moralem.* Probabimus expressius in sequentibus articulis. Nunc sufficiat dicere Ipsam detulisse hominibus Christum, Eiusque intercessionem, propter dignitatem et gratiam singularem, esse omnino specialem.

30 Cf. J.M.Bover, *Maria Mediatrix:* EphThLov 6 (1929) 439-462. Cf. etiam saec.XIV P.Thomas, *De conceptione B.M.V.* 3 c.9; I.Vitalis, *Defcnsorium B.V.M.* 4 c.4.

13 Cf. Bittremieux, *De Mediatione universali B.M.Virginis quoad gratias* 128.

32 Cf. J.M.Bover, *De universali B.M. Virginis mediatione mctaphorica testimonia:* Marian 3 (1941) 201-237.

31 Cf. Serapio de Iragui, *La Mediacidn de la Virgen en la himnografia latina de la Edad Media* (Buenos Aires 1939) 182-251; *La Mcdiaciôn de la Virgen en la liturgia:* Alma Socia Christi 2,223-226.

150. Obiectiones. 1. luxta S.Paulum *unus* [est] *Mediator Dei et hominum, homo Christus lesus* (1 Tim 2,5). Ergo excluditur mediatio Mariae.

Resp. _Z.° Ergo excluditur mediatio Sanctorum (cf. D 984). *2.° Dist. antec.* Onus est Mediator principalis et independens, *conc. antec.;* secundarius et subordinate, *nego antec.*

2. Sed textus Apostoli excludit simpliciter alium mediatorem. Nam eodem modo dicit *unum Mediatorem* sicut dicit *unum Deum.* Atqui sic excluditur simpliciter alius Deus. Ergo etiam excluditur simpliciter alius Mediator.

Nego paritatem. Quia "Deus" est nomen naturae, "Mediator" est nomen officii. Nihil autem mirum, quod natura divina nequeat ita participari ut sit alius Deus, quod in re ipsa repugnat; possit vero participari officium Mediatoris subordinate et secundario modo.

3. Mediatio Mariae aut est eiusdem ordinis ac mediatio Christi aut eiusdem ordinis ac mediatio Sanctorum. Si primum, non datur "unus Mediator" ; si secundum, nihil speciale dicimus dc Maria. Ergo specialis Eius mediatio affirmanda non est.

Do tertium. Mediatio Mariae est specialis mediatio ordinis intermedii. Est enim simpliciter diversi ordinis ac mediatio Christi, utpote ab hac participata eique subordinata. Sed est etiam simpliciter diversi ordinis ac mediatio Sanctorum, utpote quae procedit a persona habente dignitatem altioris ordinis, et exercetur causalitate et amplitudine omnino diversa, ut videbimus.

151. Scholion 1. *Duplex aspectus mediationis marianae.* Vidimus tum in doctrina SS.Pontificum, tum in documentis traditionis, B.Virginem vocari eodem modo Mediatricem ad Mediatorem et Mediatricem apud Deum. Ratio esse potest, B.Virginem mediam esse tum inter Filium suum et homines, tum inter homines et Deum. Sunt tamen diversi aspectus unius eiusdemque mediationis. Primus loquendi modus significat aspectum mediationis Mariae erga Christum, Matris sci. erga Filium. Secundus loquendi modus significat aspectum mediationis Mariae erga Deum, sociae sci. Redemptoris erga Deum offensum. Primus aspectus videtur magis exerceri in intercessione et distributione gratiarum ; secundus potius in corredemptione ".

152. Scholion 2. *B.Maria V., Mediatrix angelorum.* Patet quaestionem hanc diverso modo solvendam esse a theologis, iuxta diversam sententiam de fine primario Incarnationis. Sed etiam in sententia thomistica dicendum est B.Virginem esse Mediatricem angelorum, quatenus aliquid eis speciale oblinet ex incarnatione ".

ARTICULUS III

De corredemptione

153. Locuti sumus hucusque de maternitate spirituali et de mediatione universali in genere. Nunc intendimus agere de corredemptione et distributione gratiarum, quae sunt duo

14 Cf. Bittremieux, JZ.' *Mediatione universali B.M.Virginis quoad gratias* 229&

" Bittremieux, *l.c.,* 230-234.

aspectus particulares tum maternitatis spiritualis, tum mediationis. Mediatonis quidem, nam, ut de Christo scripsit S.Thomas (3 q.26 a.2), ideo Christus verissime dicitur Mediator, quia homines coniunxit cum Deo "pro hominibus satisfaciendo et interpellando"; similiter ergo, proportione semper servata, dicemus de B.Virgine. Maternitatis autem spiritualis, quia proprium est Mariae ut hoc utrumque faciat "maternaliter", ad vitam sci. divinam homines generando, sive in stadio redemptionis efficiendae sive in stadio redemptionis applicandae. In hoc ergo articulo agemus de prima actuatione mediationis et maternitatis spiritualis, quae est corredemptio.

De hac quaestione *tria problemata* agitanda veniunt:

Primum: utrum de facto B.Virgo associata fuerit Redemptori in opere Redemptionis peragendo.

Secundum: ubinam in vita B.Virginis inveniatur historica realizatio huius cooperationis.

Tertium: quomodo in concreto haec cooperatio theologice concipiatur atque explicetur.

Haec totidem thesibus proponemus.

Thesis 9. B.Maria Virgo associata est Christo Redemptori in opere Redemptionis peragendo.

Alastruey, 725-735; Merkelbach, 323-344; Roschini, *Mariologia* 2,1,251-351; Bittremieux, *De mediatione universali B.M. Virginis quoad gratias* 7-112; C.Bover, S.I., *Réflexions sur la Corédemption de Marie:* Alma Socia Christi, 2,1-12.

154. Notiones. Redemptionis opus: scilicet complexus actionum, quibus genus humanum a servitute daemonis liberatum est. Redemptio adaequate sumpta duplex stadium complectitur:

Primum, in quo ponuntur a Redemptore in sua vita terrestri actus redemptivi, quibus debetur condonatio peccatorum ac restitutio vitae divinae pro toto genere humano; inter hos actus eminet cruentum sacrificium propriae vitae in Cruce. Haec solet vocari *redemptio obiectiva.*

Secundum, in quo merita passionis ac mortis Redemptoris (seu redemptio obiectiva) applicantur singulis hominibus in decursu saeculorum. Haec solet vocari *redemptio subiectiva*[1].

[1] Auctoribus quibusdam, qui corredemptionem defendunt, terminologia haec (redomptio obiectiva et subiectiva) valde displicuit. Putamus tamen in his insistendum non esse, cum bene intelligalur quid per hanc terminologiam dicere velint auctores contrarii. Impugnatus quoque est conceptus redemptionis obiectivae ideo quia totus effectus redemptionis est in hominibus redemptis. Hinc proposita est divisio *redemptionis in causa* et *redemptionis in effectu* (cf. S.Th., 3 q.4-9 a.1 ad 3). Sic G.P.Kreling, O.P., *De objectieve verlossing:* Theologische Opstellen (Mélanges Van Noort, Utrecht 1944) 118-130. Sed bene notat P.Druwé (La *médiation universelle de Marie:* Marii» [ed.Du

Loquimur nunc tantum de primo stadio, seu de redemptione obiectiva.

Associata est Christo Redemptori: opus redemptionis cum Ipso participavit. Associatio Mariae cum Redemptore duplex cogitari potest:

1.® *Mere maternalis:* qua scilicet Maria Redemptori praestitit ea quae officio ac muneri matris humanae propria sunt.

2.® *Ultramaternalis:* qua scilicet Maria coniungitur praeterea cum Redemptore in effectione ipsius operis redemptivi.

Loquimur de hac secunda associatione. Quae tamen intelligitur non tantum de quadam praesentia quasi privata in stadio historico redemptionis obiectivae, sed de officiali associatione a Deo intenta et decreta. Munus hoc officiale B.Virginis nunc probandum est.

155. Sententiae. 1.® *Nonnulli theologi recentiores* associationem Mariae cum Redemptore negarunt quae sit ultramaternalis in stadio redemptionis obiectivae.

2.® *Communius hodierni theologi* affirmant associationem illam, etsi valde inter se differant in huius facti ulteriore explicatione, ut videbimus [2].

156. Doctrina Ecclesiae[3]. 1) Pius IX: "Sicut

Manoir] 1,520s), per passionem et resurrectionem Christi humanitatem iam redemptam esse prout includitur in Christo; quod quidem necessarium erat, ut singuli fideles per incorporationem in Christum participarent redemptionem.

2 "Le nombre est en régression des théologiens qui... pensent ne pouvoir sauvegarder le principe de l'"Unus Mediator" qu'en situant le concours salvifique de la Vierge sur le plan de la rédemption subjective. La majorité des mariologucs d'aujourd'hui estime parfaitement possible une participation directe de la Nouvelle Eve à l'oeuvre salvatrice du Nouvel Adam, sans que soit sacrifiée pour autant l'intangible suprématie de cette dernière" (Cl.Dillenschneider, *Le mystère de la Corédemption mariale"* [Paris 19511 5); "Diese Texte [RR. Pontificum] zeigen, dass an der Tatsache einer Beteiligung Marias aim Erlosungswerk nicht gezweifelt werden kann. Sie gehört vielmehr zum Inhalt des christlichen Glaubensbewusstseins" (M.Schmaus, *Mariologie* [München 1955] 297); "Les théologiens se divisent, jusqu'à ce jour, en deux camps, aux effectifs il est vrai très inégaux: la plupart accordent que Marie a coopéré directement ou immédiatement à la rédemption objective par sa compassion; quelques uns, encore plus nombreux qu'on ne le laisse entendre parfois, s'y refusent toujours et se contentent de reconnaître au concours de Marie une valeur dans l'ordre de la rédemption subjective" (E.Lamirande, *Coopération de Marie et de l'Église à la rédemption:* Maria et Ecclesia 4 [Romae 1959] 16s). Cf. H.Lennerz, *De Beata Virgine* (Romae 1957) 231ss; A.Michel: AmCl 67 (1957) 261s, qui affirmat diversitatem saepe plus videri de modo loquendi quarm de ipsa doctrina.

3 Crisóstomo de Pamplona, O.F.M.Cap., *La corrcdcnción ntariana en cl magisterio de la Iglesia:* EstMar 2 (1943) 89-110; J.M.Bover, *Maria Mediadora universal* 447-468; J.BITTREMIEUX, *Adnotationes circa doctrinam B.M.Virginis Corrcdemptricis* tu *documentis RR.Pontificum:* EphThLov 16 (1939) 745-778; H.Seiler, *Corredemptrix. Theologische Studio sur Lehre der letsen P'àpste über die Mitterldserchaft Marions* (Romac 1939); J.B.Carol. *Romanorum Pontificum doctrina de B.V.Co-redemptrice:* Marian 9 (1947) 3-63; J.M.Díez-Alegría, S.I., *La mediación de Maria en la entrega del hombre a Dios:* Manr

Christus, Dei hominumque Mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic Sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo coniuncta, una cum illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissime triumphans, illius caput immaculato pede contrivit"[4].

2) Leo XIII: "Consors cum Eo extitit [Maria] laboriosae pro humano genere expiationis"[5]. "Quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra"[6]. "Revera, primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi possit"[7].

3) S.Pius X: "Ex hac Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit Illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque ideo universorum munerum dispensatrix, quae nobis lesus nece et sanguine comparavit... Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis, quae Christus de condigno promeruit" (D 1978a)[8].

4) Benedictus XV: "Ita cum Filio patiente et moriente passa est paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Cristo humanum genus redemisse" (D 1978a in nota).

157. 5) Pius XI: "Quae Doctorum Ecclesiae sententia... ea potissimum causa innititur, quod Virgo Perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit"[9]. "Maria Virgo, per arcanam cum Christo coniunctionem Eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item extitit pieque appellatur"[10]. "Si quidem augusta Virgo, sine primaeva labe con-

23 (1951) 281-326; J.A. de Aldama, *Posición actual del magisterio eclesiástico en el problema de la Corredención*. EstMar 19 (1958) 45-75.

4 *Bulla "Ineffabilis"*: CI 6,839; Marín, 285.

5 *Encycl. "Iucunda semper"*: ASS 27,178; Marín, 412. Cf. ASS 31,257.

6 *Encycl. "Adiutricem populi"*: ASS 28,130; Marín, 427.

7 *Encycl. "Supremi Apostolatus"*: ASS 16,114. Leo XIII, adhuc episcopus perusinus, usus est titulo *Corredemptrix*; cf. Carol, *l.c.*, 516.

8 Quomodo in hoc textu sermo revera sit de cooperatione Mariae immediata in redemptionem efficiendam, optime explicat E.Drüwé, *La Médiation universelle de Marie* 438-451.

9 *Ep.Ap. "Explorata res est"*: AAS 15 (1923) 104; Marín, 575.

10 *Encycl. "Miserentissimus Redemptor"*: AAS 20 (1928) 178; Marín, 608.

cepta, ideo Christi mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur" [11].

6) Pius XII: "Ipsa fuit, quae... arctissime semper cum Filio suo coniuncta, Eundem in Golgotha... pro omnibus Adae filiis... obtulit"[12]. "Maxime autem illud memorandum est, inde a saec.II, Mariam (Virginem a SS.Patribus veluti novam Hevam proponi novo Adac, etsi subiectam, arctissime coniunctam in certamine illo adversus inferorum hostem, quod, quemadmodum in protoevangelio praesignificatur, ad plenissimam deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quae semper in gentium Apostoli scriptis inter se copulantur... Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate, uno eodemque decreto praedestinationis arcano modo coniuncta... generosa Divini Redemptoris socia, qui plenum de peccato eiusque consectariis deportavit triumphum..."[13]. "Attamen Beatissima Virgo Maria non tantum ob divinam suam matemitatem Regina est dicenda, sed etiam quia ex Dei voluntate in aeternae salutis nostrae opere eximias habuit partes... Iam vero in hoc perficiendo redemptionis opere Beatissima Virgo Maria profecto fuit cum Christo intime consociata... Si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus secundum quandam recapitulationem peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam ut redimendi generis humani consors efficeretur... ; inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia Mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit" [14]. "Cum enim ex Dei voluntate, in humanae Redemptionis peragendo opere Beatissima Virgo Maria cum Christo fuerit indivulse coniuncta, adeo ut ex Iesu Christi caritate Eiusque cruciati-

11 *Ep. "Auspicatus profecto":* AAS 25 (1933) 80; Marîn, 633.
12 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 248; Marîn, 633.
13 *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 32 (1950) 768; Marîn, 713. De hoc textu, cf. Gregorio de Jesus Crucificado, *La Corredenciôn o asociaciôn de Maria con Cristo, recalcada en la "Munificentissimus":* EstMar 12 (1952) 163-167; J.B.Carol, *The Apostolic Constitution "Munificentissimus Deus" and Our Lady's Corredemption:* Marian 13 (1951) 237-256.
14 *Encycl. "Ad coeli Reginam":* AAS 46 (1954) 633-635; Marîn, 902.

bus cum amore doloribusque Ipsius Matris intime consociatis sit nostra salus profecta..."[15][16]

158. *Nota* circa hos textus:

a) Constanter affirmatur *consociatio* quaedam exsistens *inter Mariam et Redemptorem.*

b) Quap dicitur esse *in ipso opere Redemptionis peragendo:* "sacramenti redemptionis patrandi administra" (Leo XIII), "servandi hominum genus consors" (Leo XIII), "in humanae salutis opus" (Pius X), "humanum genus redemit" (Benedictus XV), "redemptionis opus participavit" (Pius XI), "redimendi humani generis consors" (Pius XI), "in certamine illo adversus inferorum hostem" (Pius XII), "in perficiendo Redemptionis opere" (Pius XII), "in Redemptionis peragendo opere" (Pius XII).

c) *Distinguitur a redemptione mere subiectiva,* quod patet in multis ex his locutionibus. Sed praeterea expresse fit mentio de duobus stadiis a Leone XIII, Pio X, Benedicto XV, Pio XI; immo ab uno in aliud concludunt.

d) *Distinguitur a puro munere Matris Redemptoris:* "adlecta Dei Mater et *hoc ipso* servandi hominum gemeris consors facta" (Leo XIII), "*ideo* Christi Mater delecta *ut* redimendi generis humani consors efficeretur" (Pius XI, citatus quoque a Pio XII). Maternitas divina et associatio Redemptori comparantur unioni hypostaticae et operi redemptivo Christi (Pius XII).

e) *Character officialis* huius associationis cum Redemptore urgetur maxime ubi sermo est de nova Heva (Pius XII).

Valor dogmaticus. Thesis est *doctrina catholica certa,* ab omnibus Summis Pontificibus universae Ecclesiae per integrum saeculum constanter proposita[16].

159. Probatur ex sacra Scriptura. Gen 3,15. Praenuntiatur ibi opus redemptionis a Christo peragendum. Atqui in eodem textu Christo associatur Maria ad unum idemque opus. Ergo Maria cum Christo opus redemptionis efficiet.

Maior patet. *Minor* probatur: Inimicitiae sunt inter serpentem et semen illius ex una parte, inter Mariam et Chris-

[15] *Encycl. "Haurietis Aquas":* AAS 48 (1956) 352. Ibidem dicitur etiam: "Quae enim Redemptoris nostri Genetrix fuit secundum carnem, Eiusque Socia in Hevae filiis revocandis ad divinae gratiae vitam..."

[16] Quamvis magisterium ordinarium Romani Pontificis non sit per se infallibile, si tamen constanter per longum tempus determinatam doctrinam toti Ecclesiae docendo proponit (sicut in nostro casu) ipsius infallibilitas admittenda omnino est; alias induceret Ecclesiam in errorem. Cf. J.DS Guibert, *De Christi Ecclesia* (Romae 1928) 261 n.314.

tum ex alia. Atqui sic habetur associatio Mariae cum Christo in eadem pugna et in eodem triumpho. Ergo

160. Probatur ex traditione[18], a) *In Patribus* iam ab initio apparet doctrina de associatione Mariae cum Christo in huius opere sub parallelo *Heva-Maria;* cuius formula generalis esse potest: "Mors per Hevam, vita per Mariam"[19]. Sic S.Iustinus (R 141), S.Irenaeus (R 224), Tertullianus (R 358), S.Augustinus (R 1578). Similia habent S.Cyrillus Hier., S.Epiphanius, S.Hieronymus, S.Petrus Chrysologus, S.Ioannes Damasoenus, etc.[20].

Doctrina haec, quae adeo antiquitus apparet in scriptis Patrum, dicenda est connecti cum revelatione. Originem enim habet in Gen 3,15 (S.Irenaeus, S.Iustinus, Bulla "Munificentissimus"), in Apoc 12 (S.Irenaeus), in doctrina S.Pauli de secundo Adamo (S.Irenaeus)[21][22]

b) *Aevo Medio* eundem parallelismum docuerunt S.Bernardus, Petrus Blesensis, S.Bonaventura, et maxime Ps.AlbERTUS Magnus, cuius haec sunt verba inter alia: "Illa omnes generavit ad mortem, ista in caelos...; illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis...; illa viro suo occasio perditionis, haec viro adiutorium redemptionis"

" Cf. J.B.Carol, 91-121; R.Râbanos, *La Corrcdcnciôn de Alaria en la Sagrada Escritura:* EstMar 2 (1943) 9-59; W.GoossEns, *Dc cooperatione imm'ediata Matris Redemptoris ad redemptionem obicctivam* 86-103.

18 Cf. J.Lisbon, *L'apostolicité de la doctrine de la médiation mariale:* Rccli-ThAncMéd 2 (1930) 129-143; J.M.BovEr, *La mcdiaciôn universal de la "Segunda Eva" en la tradiciôn patristica:* EstEcl 2 (1923) 321-350; F.P.SolÂ, *La corrcdcnciôn de Maria en la tradiciôn patristica:* EstMar 2 (1943) 61-88; F.DrUwî, *La médiation universelle dc Maria:* Maria 1,458-517; Carol, *De Corrcdcmptione* 128-150. Pro traditione orientali, cf. Gordillo, *Mariologia orientalis* 68-89.

w S.Hieronymus, *Epist.* 22,105: ML 22,408.

20 Cyrillus Hierosolymitanus, *Catachcs.* 12,15: MG 33,41; S.Epiphanius, *Hacrcscs* 78,18: MG 42,728s; S.Hieronymus, *Epist.* 22,105: ML 22,408; *Tract, in Ps. 96:* Anecdota Maredsolana 3,92; S.Petrus Chrysolocus, *Serin.* 140: ML 52,576; S.Ioannes Damascenus, *Hom. in Nativitatem B.M.V. 7:* MG 96, 672. Cf. J.M.BovEr, *La mcdiaciôn universal de la "Scgunda Eva" en la tradiciôn patristica:* EstEcl 2 (1923) 3321-350; Id., *La mcdiaciôn universal dc Alaria, scgûn San Ambrosio:* Greg 5 (1924) 25-45. PIures textus collegerat iam antea C.Passaglia, *De Immaculato Deiparae semper Virginis conceptu* 2,830-916.

21 Cf. E.Druwé, *l.c.,* 460-477.

22 S.Bernardus, *Hom. 2 super "Missus est"* 3: ML 183,62ss; Petrus Blesensis, *Semi.* 34: ML 107,665; S.Bonaventura, *De donis Spiritus Sancti* coll.6 η.16 (ed.Quaracchi 5,486); Ps.AlbErtus M., *Alariale* q.29 par.3. Cf. Plesser, O.F.M., *Die Lehrc des hf.Bonavcntura Uber die Mittlerschaft Marions:* FranzStud 23 (1936) 353-389; L.di Fonzo, *Doctrina S.Bonavcnturae dc universali Mediatione B.Virginis Mariae* (Romae 1938), de quo libro G.Roschini, *La dottrina di S.Bonaventura sulla mediazione universale di Alaria:* Marian 2 (1940) 59-80; J.M.BovEr, La *mcdiaciôn universal dc la Santisima Virgen en las obras del B.Albcrto Alagrio:* Greg 7 (1926) 511-548; M.M.Desmarais, O.P., *Saint Albert le Grand, Docteur de la médiation mariale* (Paris-Ottawa 1935); J.Bergmann, *Die Stcllung dcr seligsten Jungfrau im Werke der Erlosung nach dem hl.Kirchcnlchrcr Albertus Magnus* (Freiburg 1936).

Idem saepe recurrit in hymnis latinis uti, exempli gratia, hymnus "Ave Maris Stella" (s.VIII-IX).

c) Speciatim commemorandus est saec.X Ioannes Geometra[24], qui doctrinam associationis Mariae cum Redemptore in opere salutis, maxime in Passione, clare proposuit. Necnon Arnoedus Carnotensis saec.XII [25].

d) Eandem Virginis associationem urget saec.XV Ioannes Segovia ad probandam Illius immunitatem a peccato originali [26]. Quae tendentia ulterius evoluta fuit saec.XVI ab Ambrosio Catarino [27] et saec.XVII a nonnullis theologis hispanis (praesertim a F.Q.Salazar), qui inde concluserunt immunitatem etiam a debito peccati [28].

e) Praeter alios terminos, ut "coadiutrix ad mundi redemptionem" (Richardus a S.Laurentio), "adiutrix redemptionis" (Ps.Albertus M., S.Antoninus), saepius occurrunt *"Redemptrix"* et *"Corredemptrix"*. Et quidem inter citatos terminos "Redemptrix" praevalet saeculis XV, XVI et usque ad finem XVII ; circa 1670 usus vocis "Corredemptrix" fit alio termino frequentior; qui paulatim evadit fere exclusivus et a medio saec.XIX abundantissime apparet. "Corredemptrix" dicebatur Virgo iam circa saec.XV : "Ut compassa Redemptori — captivato transgressori — Tu Corredemptrix fieres". Similiter loquuntur Salmeron (1585); saec.XVII, Nigidus, Frangipane, P.Raphael, augustinus; Laurentius da Ponte, B. de los Rios, Miechow, Pinto Ramirez, Salazar, Vulpes, Celada, Guevara, Quiros, Penalosa, Valverde, Castronovo, Vega, Nieremberg, Urrutigoyti, Latius, Ortega, Marracci, B. de Riez, Neercassel, Dubois, Henncguier, Marianus a S.Iacobo, Grenier, Berlendus, Reichenberger, Vieira ; prima medietate saec.XVIII, A.Pérez, Sera, Medrano, Strozzi, Houdry, Van Ketwight, Calderon, Montaiban, Aguilar, Leon y Gômez, Siuri, Card.Orsini (Benedictus XIII), Del Moral, Lossada, Rippel, Echeverz, M.Gonzalez, Pepe [29].

161. Scholion. *Titidus "Corredemptrix"*. Nonnullis

[23] Cf. Serapio de Iragui, *La Mediaciôn de la Virgen en la hintnografia latina de la Edad Media* 101-130; *La Mediaciôn de la Virgen en la liturgia:* Alma Socia Christi 2,207-216.

[24] Cf. J.Galot, *La plus ancienne affirmation de la Corédemption Mariale: le témoignage de Jean le Géomètre:* RcchScRel 45 (1957) 187-208.

[25] *De laudibus B.Mariae V.:* ML 189,1726s.

[26] Cf. J.Martîn Palma, *Maria y la Igicsia segiin Juan de Segovia y Juan de Torquemada:* EstMarr 18 (1957) 208-230.

[27] Cf. Pedro de A.Martînez, *La Corredenciôn en Catarino:* EstMar 19 (1958) 181-193.

[28] Cf. B.Prada, *La Corredenciôn en los teôlogos jesuitas de! siglo XVII:* EstMar 19 (1958) 257-336; O.Casado, *Mariologia cl&sica espanola,* 1,369-385.

[29] Cf. R.Laurentin, *Le titre de Corédcmptrice* (Rome-Paris 1951), ubi auctorum textus colliguntur.

hodiernis theologis displicet titulus "Corredemptrix". Qua in re duo distinguenda sunt: theologica huius tituli legitimitas, et eius opportunitas.

a) *Quoad legitimitatem* haec nota:

1.® Titulus hic non est novus, sed multorum saeculorum usu comprobatus, ut modo diximus.

2.® Impugnatus fuit a lansenistis; contra quos illum defenderunt Neercassel, Dubois, Henneguier, Marianus a S.Iacobo, Grenier et postea S.Alphonsus M.n de Ligorio. Illum etiam defenderunt theologi Universitatis Parisiensis anno 1698 30.

3® Legitur in quibusdam documentis Curiae Romanae: "Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis *Corredemptricem..."31.* "Sunt quos amor pius erga Beatissimam inter virgines sic delectet, ut lesum numquam commemorare queant nisi glorioso concitante nomine Matris suae, *Corredemptricis* nostrae, Beatae Mariae..."32. Anno 1914 conceduntur indulgentiae orationi cuidam, in qua dicitur: "Benedice [ille qui orat] ii vostro santo nome, benedice le vostre sublimi prerogative di vera Madre di Dio, sempre vergine, concepita senza macchia di peccato, di *corredentrice* dei genere umano" 33.*

4.® Usurpatur non semel a Pio XI in suis allocutionibus circa annum iubilarem Redemptionis. Sic 30 Novembris 1933, 25 Martii 1934 et maxime 28 Aprilis 1935, in qua includitur oratio: "O Mater pietatis et misericordiae, quae dulcissimo Filio tuo, humani generis Redemptionem in ara crucis consummanti, compatiens et *Corredemptrix* adstitisti..." S4. Item per breve apostolicum diei 20 Iulii 1925 approbat atque indulgentiis ditat orationem, in qua dicitur Virgini: "Ricordati pure che sui Calvario divenisti la *Corredentrice,* cooperando per la crocifissione dei tuo cuore alia salvezza dei mondo insieme coi tuo Figliuolo crocifisso" 3S36

5.® A Pio XII non videtur usurpari nisi semel fortasse80.

30 Cf. R.Laurentin, *o.c.* Pro S.Alphonso, *Opera dommatica contra gli cretici. Comment.al Concilio Tridentino* scss.25 par.I (Neapoli 1871) 181. De titillo "Redemptrix" disputatum quoque est, occasione censurae Universitatis Parisiensis contra librum "Mistica Ciudad de Dios". Cf. Enrique del Sdo.Corazôn, *La Corredenciôn mariana a travâs de una controversia teolôgica del siglo XVII:* EstMar 19 (1958) 219-241.

31 *Deer. S.C.Rituum:* ASS 41 (1908) 409.

M *Deer. S.Officii:* AAS 4 (1913) 364.

33 *Deer. S.Officii:* AAS 5 (1914) 108.

31 Cf. Laurentin, *o.c.,* 26s; Marîn. 647.

» Marîn, 595.

36 Anno 1949 ad Directorem Gcneralam Congregationum Marianarum: Marîn, 783; textus tamen non est omnino securus.

Ipse praetulit formulam "Socia Redemptoris". Tamen mense Decembri 1949 approbavit novam editionem recognitam Enchiridii Indulgentiarum, in qua continentur duae orationes citatae, quae proinde a populo christiano recitari, etiam nunc, probantur[37].

6º. Circa annum 1948 approbata fuit a plus quam 300 episcopis oratio haec: "Omnipotens sempiterne Deus, qui una cum meritis et satisfactionibus Iesu Christi, Redemptoris nostri, et dependenter ab illis, etiam merita et satisfactiones Beatissimae Matris et *Corredemptricis* nostrae in liberationem perditi orbis a servitute peccati benignissime acceptare dignatus es : concede propitius, ut qui tuae per eos beneficia poscimus, tantae reparationis fructus abundamtius in posterum consequi valeamus" [38].

His ergo omnibus consideratis, de legitimitate termini "Corredemptrix" patet nullatenus dubitari posse.

b) Quoad *opportunitatem,* iudicium definitivum est penes S.Sedem. Attamen quod nonnumquam dicitur, melius esse titulum hunc vitare utpote qui facile male capi possit, minoris ponderis est ; plurcs enim sunt termini, non solum in theologia sed etiam apud populum christianum usitatissimi, qui ambigui esse possunt, nec ideo tamen supprimuntur.

Thesis 10. B.Maria Virgo opus redemptionis peragendae in consensu virginali et in compassione maternali praecipue participavit.

AlastruEy, 538-558; MerkElbach, 325-330; Roschini, *Mariologia* 2,1,351-356; Bover. *Deiparae Virginis consensus, corrcdem'ptionis ac mediationis fundamentum* (Matriti 1942); *Marla Mcdiadora universal* (Madrid 1946) 253-385; *Virginis consensus, fuitne vera corredemptio?:* Alma Socia Christi 2,164-172; H.Guindon, S.M.M., *Compassion corâdem'ptrice:* ib. 49-60.

162. Nexus. Postquam stabilivimus Mariam associatam fuisse Redemptori ad ipsum opus redemptionis peragendum, quaerimus iam in quonam facto historico suae vitae haec Maria associatio in actum corredemptivum prodierit. Et dicimus id praecipue factum esse in Incarnatione et sub cruce.

Notiones. Participavit: Associatio cum Redemptore in actum prodiit duobus his momentis historicis vitae Mariae.

Consensus virginaris: Assensus, quem Maria praestitit angelo annuntianti Incarnationem. Hunc vero consensum non consideramus hic in aspectu privato (quatenus per ipsum Maria consensit in maternitatem virginalem simpliciter), sed in

[37] *Enchiridion Indulgentiarum* (Typ.Vaticanis 1950) n.329 et 628.
[38] Cf.CAROL, *De Corrcdcmptione* 609.

aspectu soteriologico (quatenus per ipsum Maria consensit in maternitatem Redemptoris ut talis).

Compassio maternalis: Participatio dolorosa Mariae in passione et oblatione Redemptoris in Cruce.

Praecipue: Affirmamus haec duo momenta historica ut potiora, non ut unica.

a) DE CONSENSU

163. **Doctrina Ecclesiae.** 1) Leo XIII: "Filius Dei aeternus, cum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit, quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam..."[1]. "Cum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit, vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tunc consors cum Eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis"[2]. "Nempe Ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tunc scilicet cum pacifici sacramenti nuntium ab angelo in terras allatum admirabili assensu loco totius humanae naturae excepit... Inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra"[3].

2) Pius XII: "Quaeque consensit loco totius humanae naturae, ut quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam haberetur"[4].

Valor dogmaticus. Thesis, sumpta in sua generalitate et omissis ulterioribus determinationibus, *videtur hodie certa* ex morali consensu theologorum.

164. **Probatur ex sacra Scriptura.** Lc 1,38. Consensus veram et immediatam habet causalitatem in obiectum ipsius. Atqui obiectum consensus Mariae est matemitas Redemptoris, ut talis. Ergo Maria vere et immediate cooperatur ad maternitatem Redemptoris. Atqui sic vere et immediate cooperatur in ipsam redemptionem. Ergo.

Mai. Ubicumque serio petitur consensus alterius ad aliquod opus peragendum, principium actionis non intelligitur proxime et adaequate constitutum antequam obtineatur consensus. Atqui sic obiectum moraliter vere et immediate de-

1 *Encycl. "Octobri mense":* ASS 24,195; Marîn. 376.
2 *Encycl. "Ineunda semper":* ASS *27,178;* Marîn, 412.
3 *Encycl. "Fidentem piumque":* ASS 29,206s; Marîn, 445.
4 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; Marîn, 713.

pendet etiam a consentiente. Ergo consensus habet veram et immediatam causalitatem in obiectum ipsius.

Min. a) Obiectum propositum Mariae ab angelo est maternitas virginalis Messiae; qui est Filius Dei et Rex Israel; cuius munus Mariae, scienti Scripturas lumenque Spiritus Sancti habenti, nullum aliud esse potuit nisi opus redemptionis [6].

b) Obiectum consensus, prout a Maria hic exhibetur, est oblatio plena suiipsius in servitium Dei, ut illud divinum consilium impleatur.

c) Unde Maria dat suum consensum in maternitatem Redemptoris, omnibus officiis maternis admissis, quae tali Matri competunt.

Min. subs. Talis maternitas non significat nudum factum physicum maternitatis, sed etiam officia subsequentia, quae ex communione cum Redemptore procedunt.

165. Probatur ex traditione, *a)* SS.Patres attribuunt consensui Mariae veram *causalitatem* in ordine ad redemptionem. S.Ephraem: "Descendit angelus ex alto et locuta est cum eo Virgo, et coeptum est agi de reconciliatione... Heva scripsit chirographum decreti, et Virgo debitum solvit... Heva ceciderat, eam restituit Maria" [6]. Nicolaus Claravallensis: "Init Deus consilium... de redemptione hominum..., de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur, et per Ipsam et in Ipsa et de Ipsa et cum Ipsa totum hoc faciendum decernitur" [7].

b) Hanc causalitatem tribuunt speciatim *obedientiae et fidei* ipsius consensus: S.Irenaeus (R 224), Tertullianus (R 358), S.Ioannes Damascenus: "Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem Ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit" [8].

6 Obiectum consensus fuit etiam maternitas divina, quatenus et in verbis angeli et in cognitione Mariae divinitas filii continebatur. Hoc in ipso textu sufficienter fundatur. Cf. St.I/vonnET, *Le récit de VAnnonciation ct la maternité divine de la sainte Vierge:* AmCl 66 (1956) 33-48; ScuoCat 82 (1954) 411-446; R.Laurentin, *Structure et théologie de Luc I-II* (Paris 1957) 165-175; M.Peinador, *Conocvm'iento que de Jésus tuvo la Virgen:* EphMar 9 (1959) 113-116; H.M.Malô, «Seurur *et vis consensus Mariae nuntio angelico:* Maria et Ecclesia 2,89-99. Sententia contraria, hodie a nonnullis propugnata, iuxta quam B.Virgo divinitatem sui Filii non nisi procedente vita huius publicar et fortasse tantum die Pentecostes cognoverit, proposita olim fuit ab Erasmo, damnata anno 1526 ab Universitate Parisicnsi tamquam "crassam ignorantiam evangeliorum" arguens, et ab aliis iudicata "adversus communem doctorum et piorum omnium sensum atque consensum" (S.Petrus Canisius), "impia" (Salmerôn), "impia et haeretica sententia, contra universae Ecclesiae sensum et traditionem" (Suârez). Cf. J.A.de Aldama, *Una opiniôn mariolôgica reciente, censurada por teôlogos antiguos:* Divin 4 (1959) 123-140.

6 *Hymni et sermones* (ed.L,AMv) 5,975-978.

7 *Setm. 2 de Annuntiatione:* ML 144,558.

8 *Hom. 1 in Nativitatem B.V.M. 7:* MG 96,671.

c) Haec eadem recurrunt *tempore posteriore:* S.Bernardus: “In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur. In tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur... Ex ore pendet tuo consolatio miserorum, redemptio captivorum...” Richardus a S.Laurentio: “Ex corde B.Virginis processerant fides et consensus, per quae duo initiata est salus mundi... Sic igitur patet quantum haec mulier cooperata sit ad salutem mundi” [9] Ps.Augustinus: “O Beata Maria..., quae singulari tuo assensu mundo sucurristi perdito” [10].

d) *Theologi* ab initio urgent characterem repraesentativum consensus Virginis. Sic S.Antoninus, S.Thomas (3 q.30 a.1), Suarez, Sedlmayr, Toledo, etc.

e) Addi quoque possunt varii *textus liturgici*[11].

166. Ratio theologica. Per Incarnationem inchoabatur formaliter redemptio. Atqui ad Incarnationem prout talem cooperata est Maria moraliter per suum consensum vere et immediate. Ergo vere et immediate cooperata est ad redemptionem moraliter per consensum.

Mai.: Scilicet per Incarnationem non solum habemus Illum, qui postea faciet redemptionem, sed habemus ipsum Redemptorem inchoantem redemptionem.

Min.: Consensus serio expetitus habet veram causalitatem moralem immediatam in ea quae cognoscuntur et intenduntur a consentiente. Atqui Maria, a qua serio exquirebatur consensus, cognoscebat et volebat non solum Incarnationem physice inspectam sed etiam formaliter ut erat iam inchoata redemptio. Ergo Maria ad Incarnationem, ut talem, cooperata est per suum consensum moraliter, vere et immediate.

Min. haec: Ex cognitione Scripturarum et ex inspiratione Spiritus Sancti, prout apparet iam in cantico “Magnificat”.

167. Scholion. *Ad quid extendatur causalités consensus.* Potest quaeri utrum haec causalitas moralis consensus virginalis extenderetur ad totam redemptionem, an tantum ad eius initium. Sane ad totam redemptionem extendebatur, saltem implicite. Maria enim sese offert ut ancilla ad servitium divinum in illo opere mirabili faciendo, sine limitatione, prout Deus velit; hinc libere (ex fide et ex obedientia) admittebat per consensum dolores, qui Ipsi ex communione materna cum Redemptore obvenirent. Sed praeterea Redemptor, ut Ipsa

[9] S.Bernardus, *Hom. 4 super "Missus est" 8:* ML 183,83; Richardus a S.Laurentio, *De laudibus B.M.Virginis* 2,2.

[10] *Senn. 2 de Annuntiatione dominica* 3: ML 39,2106. Cf. J.M.Bover, *Singulari tuo assensu mundo succurristi perdito:* Marian 2 (1940) 329-351 (cf. Marian 3 L1941] 70-72).

[11] Cf. Serapio de Iragui, *La Mediaciôn de la Virgen en la liturgia:* Alma Socia Christi 2,195-207.

sine dubio noverat ex lectione Scripturarum multoque magis ex interno lumine supernatural!, multa debebat pati et per mortem suam consummare redemptionem. Hinc nihil mirum quod Ipsa, adiuvante gratia divina, admitteret etiam per suum consensum participationem suam in tormentis ac passione Filii Redemptoris. Consequenter valde probabiliter dici potest, causalitatcm moralem concursus virginalis ferri immediate in totam redemptionem. Denique talis consensus sic positus moraliter perseverabat in Corde Matris, fiebatque in dies magis explioitus, cum facta et verba Christi Ipsa conferebat in Corde suo. Ex quo renovato quotidie consensu arctior et perfectior fiebat communio affectuum inter Mariam Corrcdemptricem et Filium Redemptorem per totam vitam Christi. Sic scribere potuit Leo XIII: "Seque Dei ancillam, Eius dum fit mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tunc perpetua cum lesu Filio ad gaudia, ad lacrimas, communione vitae instituta" ".

b) DE COMPASSIONE

16S. Doctrina Ecclesiae. 1) Pius VII: "Id officii debent profecto christiani fideles B.Mariae Virgini, tanquam parenti dulcissimae filii, ut memoriam dolorum, quos acerbissimos Illa, stans praesertim iuxta crucem lesu, singulari et invicta fortitudine constantiaque pertulit ac pro eorum salute Aeterno Patri obtulit, assiduo studio et benevolentia colant" 13.*

2) Leo XIII: "Consors cum Eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis. Ex quo etiam in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum praesente Ipsa et spectante divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... Stabat iuxta crucem lesu Maria, Mater Eius; quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium Ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum Eo commoriens corde, doloris gladio transfixa" w.

3) S.Pius X: "Cum vero extremum Filii tempus advenit stabat iuxta crucem lesu Mater Eius, non immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur; et tantum etiam compassa, ut si fieri potuisset, omnia tormenta, quae Filius pertulit, Ipsa multo libentius sustineret. Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis promeruit Illa, ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque ideo universorum munerum dispensatrix, quae nobis lesus nece et sanguine comparavit"15.

" *Encycl. "Magnae Dei Matris":* ASS 25,145; Marîn, 395.
u *Epist. "Id officii':* Marîn, 232.
M *Encycl. "lucunda semper":* ASS 27,178; Marîn, 412.
" *Encycl. "Ad diem illum":* ASS 10 (1918) 182; Marîn, 488.

4) Benedictus XV: "Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit, placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse" 10.

5) Pius XI: "Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit..." 17. "O Mater pietatis et misericordiae, quae dulcissimo Filio tuo, humani generis redemptionem in ara crucis consummanti, compatiens et corredemptrix adstitisti... : conserva in nobis, quaesumus, atque adauge in dies pretiosos redemptionis et tuae compassionis fructus" 18.

6) Pius XII: "Ipsa..., arctissime semper cum Filio suo coniuncta, Eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Heva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit..." 19. "Cum enim ex Dei voluntate, in humanae Redemptionis peragendo opere Beatissima V.Maria cum Christo fuerit indivulse coniuncta, adeo ut ex Iesu Christi caritate Eiusque cruciatibus cum amore doloribusque Ipsius Matris intime consociatis sit nostra salus profecta..." 20.

Valor dogmaticus. Thesis, generali modo sumpta et praescindendo ab ulterioribus determinationibus, *videtur hodie certa* ex morali consensu theologorum.

169. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* in parallelismo Heva-Maria urgent etiam parallelismum arbor-crux. Iam vero talis parallelismus supponit actionem soteriologicam Mariae sub cruce Christi, correspondentem actioni Hevae sub arbore. Atqui haec non potuit esse nisi compassio. Ergo. En aliquos textus: S.Ambrosius: "Ex terra virgine Adam; Christus ex Virgine... Per mulierem stultitia; per Virginem sapientia. Mors per arborem; vita per crucem" 21. S.Ioannes Chrysostomus: "Virgo, lignum et mors nostrae cladis symbola erant... Iam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae causa sint. Pro Heva, Maria; pro ligno scientiae boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami, mors Domini" 22. Ioannes Euboeensis: "Lignum etenim et mulier origo fuerunt in pa-

16 *Litt. Apost. "Inter Sodalicia":* ASS 10 (1918) 182; Marín, 556.
17 *Litt. Apost. "Explorata res est": AAS* 15 (1923) 104; Marín, 575.
18 Oratio in fine anni iubilaris: Marín 647.
19 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; Marín, 713.
20 *Encycl. "Haurietis Aquas":* AAS 48 (1956) 352. Pro textibus RR.Pontificum, cf. D.J.Unger, *The Meaning of John 19,26s in Licht of Papal Documents:* Marian 21 (1959) 186-221.
21 *Expositio in Lucam* 4,7: ML 15,1698; CSEL 32,4,142.
22 *In Sanctum Pascha concio* 2: MG 52,768.

radiso tui exilii ; nunc autem lignum et mulier tibi sunt restitutio"

b) *In hymnis Medii Aevi* plura dicuntur de compassione Virginis, quorum textuum nonnulli expresse videntur referre causalitatem illius compassionis. Sic: "Laus Patri, necnon Filio—sancto simul Paraclito—pro poenis Matris et Nati—quibus sumus reparati" 24.

c) *Saec.XlI* eandam doctrinam docent Arnoldus Carnotensis 2528, Godeeridus Admotensis 2", Richardus a S.Laurentio aT.

d) Tempore *magnae Scholasticae* haec compassionis causalitas clarius effertur. Sic. Ps.Aebertus M.: "B.Virgo non est vicaria sed coadiutrix et socia, particeps regni, quae fuit particeps passionum pro genere humano, quando... sola sub cruce perstitit et vulnera quae Christus corpore, Ipsa corde suscepit" 23. S.Bonaventura: "Miro modo debet laudari et amari Maria, quod placuit Ei ut Unigenitum suum pro salute generis humani offerretur. Et tantum etiam compassa est, ut si fieri posset, omnia tormenta, quae Filius pertulit, Ipsa libentius sustineret"29. De mente S.Thomae disputatur3031

e) *Saec.XIV* et *XV* similem doctrinam proferunt *Speculum humanae salvationis Sl,* Alanus 32, Taulerus 33, S.Antoninus 34.*

f) *Saec.XVI,* inter alios nominandi sunt Salmerôn 85, Catarinus33, S.Robertus Bellarminus37.

g) *Saec.XVII* dici iam potest, doctrinam hanc sat com-

24 *Scrtn. in Conceptionem S.Deiparae* 21: MG 96,1495.

21 *Analecta Hymnica Medii Aevi* 52,57. Textus plures collegit Serapio de Iragui, *La Mediaciôn de la Virgen en la himnografia latina dc la Edad Media* 150-175; qui tamen in conclusionibus nimis extenuare videtur vim documentorum. Cf. Carol, *l.c.,* 177s.

x De septem verbis Domini in cruce: ML 189,1694.

28 *Hom. 7 in Assumptioncnt:* ML 174,985s.

27 *De laudibus B.Mariae Virginis* 1,15. Cf. Carol, 156-162; G.M.Colasanti. *La Corredcneione di Maria nel De laudibus di Ricardo di San Lorenzo:* Marian 19 (1957) 335-371.

28 *Mariale* q.42,5; cf. Carol, *l.c.,* 164ss.

20 *In 1* dist.48 a.2 q.2 dub.4; cf. Carol, *Lc.,* 162ss. Disputatum tamen est recenter dc genuina interpretatione mentis S.Bonaventurae. Cf. T.Szabô, O.F.M., *Doctrina S.Bonaventurac de mediatione B.V.Mariae quoad omnes gratias:* Alma Socia Christi 2,293-341.

M Cf. Carol, *Lc.,* 168s; A.Ciappi, O.P., *Dc cooperatione B.V.Mariae in mysteriis humanae salutis, iuxta doctrinam S.Thomae et Commentatorum ex ordine Praedicatorum:* Alma Socia Christi 2,272-292.

31 Cf. Carol, 173.

33 *Homiliae* (Parisiis 1514) fcl.199; A.Garzia, *La Mcdiasione universale* tn *Alano de Lilia:* EphMar 6 (1956) 299-321.

33 *Scnrio de Purificatione B.M.V.*

84 .Çumma p.4 tit.15 c.20 § 14.

* *Commentarii in evangclicam historiam* tr.41 (Coloniae 1604) vol.10 p.339.

88 *De Immaculata Conceptione opusculum* 1.3 persuasio 14.

37 *Sermo de Nativitate B.Virginis.* Cf. Straeter: Greg 25 (1944) 32.

muniter fuisse receptam, nonnullis repugnantibus. Quod a fortiori valet de saeculis sequentibus[38].

170. Ratio theologica. Maria associata fuit Christo ad opus redemptionis immediate peragendum. Atqui opus redemptionis maxime peragitur in passione et morte Christi. Ergo congruum est ut Ipsa in passione et morte Christi participaverit. Atqui maxime participavit per compassionem maternalem. Ergo compassio maternalis immediate influit in redemptionem.

171. *Nuta.* Vidimus cooperationem Mariae in redemptionem inchoandam et complendam. Sed redemptio per totam vitam Christi extendebatur. Romani Pontifices plura loquuntur de associatione Mariae cum Christo Redemptore durante tota vita Christi. Scilicet communio dolorum inter Matrem et Filium quae in Maria, ut vidimus, non erat tantum maternalis sed etiam sotcriologica, actuabatur in singulis mysteriis redemptionis; sicqtte officium Corredemptricis ad omnia illa mysteria extenditur; ideoque in thesi diximus illud dari "praecipue" in consensu et in compassione.*

172. Obiectiones. Λ) *Quoad consensum.*

1. Consensus Mariae ponitur quando redemptio nondum est. Ergo nequit influere in illam.

Dist. antec. Nondum est inchoata, *nego antec.;* nondum est perfecta, *subdist.:* in ipsa re, *conc.;* in intentione Mariae consentientis, *nego.*

2. Quod necessarium ad effectum non est, nequit dici causa effectus. Atqui consensus Mariae non est necessarius ad redemptionem. Ergo non concurrit ad ipsam.

Trans, mai.; quae vera simpliciter non est. *Dist. min.* Non est necessarius absolute, *conc. min.;* hypothetice, *nego min.*

3. Atqui neque hypothetice est necessarius. Si enim consensus Mariae esset hypothetice necessarius, sine illo Incarnatio et redemptio futurae non fuissent. Atqui nulla est ratio huius affirmationis. Ergo neque hypothetice fuit necessarius.

Conc. mai. et *nego min.* Sane in ordine nostro historico requisitus est a Maria consensus, nec incarnatio prius facta est quam Ipsa consensit.

4. Atqui consensus Mariae non est vere et proprie exquisitus. Patres enim laudant obedientiam Mariae. Atqui haec obedientia supponit Deum iussisse Ei ut mater fieret, non exspectasse Eius consensum. Ergo consensus Illius non est proprie exquisitus.

1.° *Retorqueo.* Laudatur a S.Paulo obedientia Christi in redemptione facienda. Ergo redemptio Ei imposita fuit, inexspectato[39]

« Cf. Carol, 321.381.480.

39 Cf. Lro XIII, *Encycl. "Magnae Dei Matrisl'. "lucunda semper", "Pidentem piumque"; Litt, A'post. "Parta humano"* (ASS 25,141; 27,178; 29,206s; 34,194s); S.Pivs X, *Encycl. "Ad diem illum"* (ASS 36,451-453); Pius XI, *Encycl. "Miserentissimus Redemptor"* (AAS 20,178). De mysterio praesentationis lesu in templo, cf. T.Gallus, *Dc sensu verborum Lc 2,35 corumque momento mariologico:* Bibi 29 (1948) 220-239; A.ni Groot, *Dic schmcrshafte Mutter und Gefdhrtin des gottlichen Erlosers in der IPeissagung Simeons* (Kaldenkirche-n 1956); J.Galot, *Marie dans l'Évangile* (Paris-Louvain 1958) 76-97. De mysterio Canae, cf. Galot. *o.c.,* 98-160.

consensu Ipsius. Ergo etiamsi Ipse non consensisset redemptio facta fuisset. 2." *Conc. niai. Dist. min.* Haec obedientia Supponit Deum aperuisse Mariae suum consilium ut Ipsa libere consentiret in illud, *conc. min.;* supponit Deum illud consilium imposuisse Mariae nolenti, *nego min.*

5. Consensus efficaciam non habet nisi in id quod cognoscitur et intenditur a consentiente. Atqui Maria non cognoscebat nisi nudam maternitatem. Ergo in illam solam, non in redemptionem influxit.

Dist. mai. Quod cognoscitur et intenditur saltem implicite, *conc. mai.;* solum explicite, *nego mai. Contradist. min.* Explicite, *trans, min.* (neque enim concedendum est) ; saltem implicite, *nego min.*

B) *Quoad compassionem.*

6. Mera compassio non habet causalitatem moralem relate ad actum. Ergo per compassionem Maria non est cooperata redemptioni peragendae.

Nego suppositum. Compassio Mariae non est mera compassio alicuius matris erga patientem filium ; sed est actuatio particularis positivae associationis Matris cum Filio, qui per suam passionem mundum redimere debebat.

Thesis 11. Cooperatio B.Mariae Virginis in Redemptionem non explicatur per solam acceptationem redemptionis nomine totius humanitatis peractam.

H.Koster, *Quid iuxta investigationes hucusque peractas tanquam minimum tribuendum sit B.NT.Virgini in cooperatione eius ad opus redemptionis:* Maria et Ecclesia 2,21-49, ubi praecipua bibliographia; J.A.DE Aldama, *De relatione B.M.Virginis ad redemptionem Christi, comparatione instituta inter Ipsam et fideles, seu omnes homines:* ib., 119-136.

173. Nexus. Stabilito facto cooperationis B.Mariae Virginis in redemptionem obiectivam per aliquos Ipsius actus, quaerimus iam de vera interpretatione soteriologica horum actuum.

Notiones. Acceptatio redemptionis. Scilicet valor soteriologicus actuum Mariae esset receptivus gratiae redemptionis, quae a solo Christo iam fuit peracta.

Nomine humanitatis. Scilicet Maria gerit repraesentationem totius humanitatis in acceptatione redemptionis pro omnibus.

174. Sententiae. In hodierna multiplicitate sententiarum duplex datur praecipua tendentia:

1.a *Ecclesiologica:* Redemptio obiectiva est bilateralis, complectens praeter actionem Redemptoris consensum redimendorum in satisfactionem vicariam et in statum gratiae obiectivum inde promeritum. Hic necessarius humanitatis consensus praestatur a B.Virgine, personam agente generis humani. Illum vero praestat non per meram passivam recep-

tionem, sed per activam acceptationem et communionem operi Redemptoris. In hac conceptione redemptio obiectiva fit a solo Christo, sed non censetur plane peracta nisi posita acceptatione Mariae, quae requiritur tanquam conditio. Haec tendentia dicitur "ecclesiologica" quia cooperationem Virginis assignat similem cooperationi Ecclesiae in opere redemptivo. Multis ac diversis modis defenditur a Kôster, SemmELRoth, DillenschneidEr nunc, Rahner, Rupprecht, Laurentin, Bur, aliis \

2.a *Christologica:* Redemptio obiectiva fit actibus meritoriis, satisfactoriis ac sacrificialibus Christi Redemptoris, quibus ex voluntate ipsius Christi adiunguntur actus Mariae, valore tamen essentialiter diverso: actus enim Christi habent valorem redemptivum absolutum, sufficientissimum et infinitum, actus vero Mariae tantum dependentem ab ipso Christo Eique essentialiter subordinatum, nec necessarium nisi ex voluntate Ipsius. Haec tendentia dicitur "christologica", quia cooperationem Virgini assignat ex parte Christi redimentis, ncxn Ecclesiae redimendae. Sic Lebon, Bittremieux, Seieer, Straeter, Balic, Nicolas, Gauthier, Ferlant», Roy, Masson, Parente, Roschini, Bertetto, Gallus, Merkeebach, Malô, Most, *theologi hispani vix non omnes2*.*

Valor theologicus. *Probabilior et textibus Summorum Pontificum conformior.*

175. Probatur.

1® Quamvis unumquodque documentorum Summorum Pontificum explicari subtiliter possit etiam in alia tendentia, concedendum omnino est ipsa obvio modo, maxime complexive et in sua historica evolutione considerata, tendentiae christologicae magis favere huiusque modum loquendi vix non unice adhibere.

2.° Cum RR.Pontifices loquuntur de Maria consentiente loco totius generis humani (Leo XIII, Pius XII), loquuntur utique de Incarnatione quae est soteriologica, sed huius consensus hypotheticam necessitatem ex exigentiis soteriologicis nullatenus concludunt. Illam praeterea repraesentationem humani generis ad actionem Mariae in Calvario non extendunt.

3.® Pius XII saepe designat cooperationem Mariae ad

1 Cf. Maria ct Ecclesia 2,44-49; Cl.DiliXnsciinEidEr, *Le mystère de la Corédemption mariale.*

2 Cf. Maria et Ecclesia 2,44-49 et eiusdem collectionis vol.4; neenon EstMar 18 (1957), 19 (1958) et 20 (1959); G.Barauna, *De natura Corredemptionis marianac in theologia hodierna (1921-1958)* (Roma© 1960); J.Lebon, *Sur la doctrine de la médiation mariale:* Ang®5 (1958) 3-35,

opus Redemptionis tanquam exercitium muneris^novae Hevae iuxta novum Adamum in Cruce: "Ipsa fuit, quae..., arctissime semper cum Filio suo coniuncta, Eum,dem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternigue amoris sui holocausto, nova veluti Heva, pro omnibus Adae filiis miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit" [3]. "Mariam Virginem a SS.Patribus veluti novam Hevam proponi novo Adae, etsi subiectam, arctissime coniunctam in certamine illo adversus inferorum hostem" [4]. "Si Maria in spirituali procuranda salute cum lesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito fuit, et quidem simili quodam modo quo Heva fuit cvm Adam mortis principio, consociata..."[5]. Haec sane nullatenus sapiunt actionem pure receptivam, sed positionem Mariae ex parte Redemptoris potius significant. Notandum vero est hanc doctrinam connecti a SS.Pontificibus cum expositionibus Patrum iam a saeculo II.

4." Idem dicendum est de aliis formulis a RR.Pontificibus adhibitis: Maria "obtulit" Filium suum in Golgotha (Leo XIII, Pius XII), "apud Crucem hostiam obtulit" (Pius XI), "Filium immolavit" (Benedictus XV); idque "una cum maternorum iurium maternique amoris holocausto" (Pius XII), "materna iura abdicavit" (Leo XIII). Maria fuit consors "laboriosae expiationis" (Leo XHI), habuit cum Christo "communionem dolorum" (Pius X), "cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua" (Benedictus XV); ideo "*merito* dici potest cum Christo humanum genus *redemisse*" (Benedictus XV); quae sunt "aptissima verba" (Pius XI) [6]. Hic loquendi modus longe abest a mera acceptatione redemptionis iam peractae.

5.° Ulterius notanda sunt verba Pu XII: "Cum enim ex Dei voluntate, in humanae Redemptionis peragendo opere Beatissima V.Maria cum Christo fuerit indivulse coniuncta, adeo ut ex lesu Christi caritate Eiusque cruciatibus cum amore doloribusque Ipsius Matris intime consociatis nostra sit salus profecta..."[7]. Pius XI thesaurum gratiarum appellaverat "pretiosos Redemptionis et tuae Compassionis fructus", in contextu in quo B.Virginem vocat Corredemptricem.

3 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; MarIn, 713.
4 *Encycl. "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 768; Marîn, 809.
5 *Encycl. "Ad coeli Reginam":* AAS 46 (1954) 634; Marîn, 902. Cf. J.A.dR Aldama, *Posiciôn actual dei magisterio cclcsiâstico en cl problema de la Corredenciôn:* EstMar 19 (1958) 55-57; W.G.Mosr, *De Corredcmptione et Regalitate in epistula encyclica "Ad coeli Reginam":* Marian 17 (1955) 354-368.
6 Textus citati sunt supra n. 156.163.168.
7 *Encycl. "Haurietis Aquas":* AAS 48 (1956) 352. Cf. J.A.de Aldama, *l.c., 70-72.*

In his textibus salus et redemptio tribuuntur simul amori ac passioni Christi et amori ac doloribus seu compassioni Mariae. Consociantur in peragenda redemptione obiectiva non solum personae, sed etiam actus Christi et Mariae.

176. 6.° Praeterea in traditione anteriore, saltem a saeculo XV (omisso loanne Geometra), tendentia christologica a multis theologis diversimode proposita est[89] cum tendentia ecclesiologica ante viginti annos fuerit ignota.

7." Deinde theoria haec supponit redemptionem obiectivam necessario acceptandam esse ab humano genere; quod sane ex mera similitudine cum redemptione subiectiva non probatur, sed positiva fontium aut magisterii argumenta exigit. Nec affirmatio, Redemptionem obiectivam esse "sacramentum" atque ideo recipiendum esse ut possit dici celebratum, ultra limites cuiusdam metaphorae vix progreditur.

8.° Tandem, si acceptatio B.Virginis ponitur tanquam conditio necessaria redemptionis obiectivae plene peractae, illa acceptatio concipienda sine dubio est tamquam actus supernaturalis ex gratia redemptionis factus. Iam vero haec gratia dari non potest nisi ipsa redemptio obiectiva plene et absolute iam peracta concipiatur. Ergo acceptatio Virginis nequit dici conditio necessaria ad plenam redemptionem obiectivam.

177. Obiection.es". 1. Maria fuit *redempta* a Christo. Ergo nequit esse corredcmptrix. *Prob. cons.* Ut Mariae fructus redemptionis applicarentur, necesse est quod redemptio iam fuerit completa. Atqui si completa erat redemptio, Ipsa non potuit ad illam cooperari. Ergo.

Ad hanc difficultatem solvendam fuerunt theologi, qui inclinarent in negationem antecedentis. Hoc tamen sustineri nequit, ut diximus supra, agentes de immaculata conceptione.

Fuerunt item alii (Godts, Schiith, Campana), qui tenerent possibilitatem alicuius influxus Mariae in propriam redemptionem. Quod vix recte intelligi posse videtur.

Quare respondendum est: *Conc. antec.* et *dist. cons.* Nequit esse corredcmptrix sui ipsius, *conc. cons.;* aliorum, *nego cons.* Et ad probationem *dist. mai.:* fuerit completa, sci. fuerit a Christo positum quidquid ad redemptionem Mariae requirebatur cx voluntate Dei, *conc. mai.;* fuerit positum ab Ipso quidquid ad redemptionem aliorum de facto ponendum erat ex eadem divina voluntate, *nego mai.*

8 Praeter plura citata, cf. C.Balic, *Die Corredentptrixfragc innelhalb der fransiskanischcn Théologie:* FranzStud 39 (1957) 218-287; J.Pijoân, *La mediaciôn universal y la Corredcnciôn de Maria en la tcologia franciscana espaiiola de los siglos XVII-XVIIl:* VerVid 14 (1956) 443-456: G.M.Roschini, *La Corrcdcntrice negli scritti di San Alfonso M.di Liguori:* Marian 18 (1956) 314-336; A.Luis, *La Corredcnciôn objetiva en San Alfonso M.de Ligorio:* EstMar 19 (1958) 337-348.

9 Cf. R.M.GagnEbET, O.P., *Difficultés sur la Corédcniption: principes de solution?-.* Alma* Socia Christi 2,13-20; T.Bartolomei, *Difficoltà contra la gracia capitale di Maria:* EphMar 8 (1958) 217-248,

Scilicet redemptio Christi non cadem est pro Maria et pro ceteris; eaque differentia non est tantum in diversa applicatione (quia redemptio Mariae est praeservativa, dum redemptio aliorum est liberativa), sed etiam in ipsa redemptione applicanda (quia redemptio Mariae est redemptio futurae Matris Redemptoris). Distingui ergo possunt plura signa rationis. In primo signo Maria redimitur, quia ex praevisione meritorum Christi praeservatur ab omni peccato. In secundo signo Maria sic praeservata et sanctifjcata assumitur in Matrem Redemptoris inque consortium cum Ipso ad redemptionem peragendam pro reliquis hominibus [10].

2. Sed tunc admittenda est *duplex redemptio.* Atqui huius duplicis redemptionis ne vestigium quidem habetur in fontibus.

Dist. mai. Duplex in sua historica realitate completa, *nego mai.;* duplex ordine et natura, *conc. mai.* Quod autem vestigium huius duplicis redemptionis non habeatur in fontibus, *transmitti* posset (neque enim hoc est simpliciter concedendum), sed *negatur suppositum.* Si enim hoc necessarium est ad doctrinam Magisterii et Traditionis explicandam, bene supponi potest a theologis tanquam theologica explicatio.

3. Redemptio est *actus cultus publici,* qui solum a sacerdote offerri potest. Atqui B.Virgo non est sacerdos. Ergo illum actum perficere non potuit.

1. *Transeat totum.* Non enim dicimus nunc B.Virginem ita concurrisse ad redemptionem, ut omnes formalitates huius attigerit. 2. *Dist. min.* Non est sacerdos, id est nullam actionem sacerdotalem perficit, *nego min.;* non est sacerdos, id est non habuit sacerdotium ministeriale, *conc. min.* Sed de his statim loquemur.

178. Scholion. *De diversis modis corredemptionis.* Vidimus B.Virginem Mariam cooperatam fuisse immediate suis actibus ad opus redemptionis peragendum, idque praecipue obtinuisse in consensu virginali et in compassione maternali. Quaerimus ulteriorem explicationem illorum actuum, quorum valorem soteriologicum probavimus. Et quia causalitas moralis (de qua unice quaestio esse potest) in consensu satis clare apparet, tota quaestio ponitur nunc de causalitate compassionis. Quam investigamus per analogiam ad causalitatem passionis Christi, explicatam a S.Thoma *(S.Th.* 3 q.48) Nota tamen nos non affirmare singulos illos modos corredemptionis Mariae quasi a priori, ideo quia inveniantur in opere redemptivo Christi. Ne quidem id facimus supposito facto iam probato corredemptionis. Neque enim a priori scire possumus limites corredemptionis, qui utique a sola libera voluntate Dei*

10 Cf. A.DenEffe, *Dc Mariae in ipso opere redemptionis cooperatione:* Greg 8 (1927) 14-22; J.M.BovEr, *Redempta et Corrcdcmptrix:* Marian 2 (1940) 39-58; *Maria Mediadora universal* 370-377; E.Druwî» *l.c.,* 536s; J.M.DÎEz-AlEgrîa› *La mcdiaciôn de Maria en la entrega del hombre a Dios:* Manr 23 (1951) 319-322; J.M.Alonso, *Redempta et Corredcmptrix. El problema y su soluciôn:* Marian 20 (1958) 10-88.

11 Cf. M.Cuervo, O.F., *La cooperaciôn de Maria en cl misterio de nuestra salud debe scr concebida analôgicamente a la acciôn de Jesucristo:* EstMar 2 (1943) 111-151.

designari possunt. Probamus ergo positive singulos hos cooperationis Mariae modos dari de facto; et quaerimus ulteriorem theologorum explicationem. Quodsi haec nondum clara sit aut perfecta, inde nihil deducitur contra facta positiva iam stabilita.

179. 1. *De corredemptione per modum meriti,* a) *Dicimus* compassionem Virginis habuisse causalitatem meritoriam, non solum in ordine individual! et personali ipsius Virginis, sed etiam in ordine sociali et obiectivo redemptionis peragendae pro omnibus hominibus. Sicut passio Christi meruit nobis dona gratiae et gloriae, et ita fecit nostram redemptionem, sic compassio Mariae simul cum passione Christi. Haec videtur esse hodie sententia communior inter theologos.

b) *Fundatur* in doctrina pontificia Leonis XIII et S.Pii X. LEO XIII scripsit: “Quoties enim praeconio angelico gratia plenam Mariam consalutamus, toties de Ipsa... ; toties in mentem venit tum dignitas Mariae excelsa, tum inita a Deo per benedictum fructum ventris gratia; toties reminiscimur alia singularia merita, quibus Illa cum Filio Iesu redemptionis humanae facta est particeps” V S.Pius X: “Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat coniunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis, quae Christus de condigno promeruit”’1S. De sensu huius ultimi textus multum disputatum est. Adversarii urgent tempus praesens verbi (promeret) in oppositione ad praeteritum (promeruit); unde concludunt in textu agi de gratiis iam adquisitis per meritum Christi, quas nunc impetrat B.Virgo. Hinc tenent verbum “promeret” intelligendum esse lato sensu pro “impetrare” seu “obtinere”. Sed inverso modo procedendum esse videtur: formula “de congruo promeret” in oppositione ad aliam “de condigno promeruit”, sine dubio intelligenda est sensu technico. Eo vel magis quod S.Pontifex alludit expresse ad theologos (sive allusio sit ad adagium integrum, sive ad terminologiam “de congruo”). Iam vero B.Virgo nunc mereri non potest hoc sensu. Unde tempus praesens pro praeterito imtelligendum est, tanquam praesens historicum 14*

12 *Liti. Apost. “Parta hum'ano":* ASS 34,194; Marîn, 471.
13 *Encycl. “Ad diem illum":* ASS 36,454; Marîn, 489.
14 Cf. BittrEmiEux, *De congruo promeruit nobis B.Virgo, quae Christus de condigno:* EphThLov 8 (1931) 422-436; J.M.Bover, *Maria Mediadora universal* 456-458; L.di Fonzo, *B.Virgo de congruo, ut aiunt, promeret nobis, quae Christus de condigno promeruit:* Marian 1 (1939) 418-459, tibi habetur praecipua bibliographia de hac re. Vide etiam J.A.de Aldama; EphMar 19 (1958) 68-70.

180. c) Compassio potest intelligi meritoria dupliciter. *Primo modo,* prout significat quandam quasi appropriationem passionis meritoriae Christi, quatenus merita ipsius Christi aliquo vero sensu Mariae tribui etiam possent. Si ita res concipitur, opera, quae habuerunt tanquam praemium nostra dona gratiae et gloriae, fuerunt tantum opera meritoria Christi ; at non solum prout a Christo sunt, sed simul etiam prout Mariae iure materno tribuuntur. Ius autem huius attributionis habetur in appropriatione, sci. in actu positivo quo Maria fecit sua efficaciter merita Christi. Efficacitas vero huius actus residet non in mera voluntate Mariae, sed in Eius maternitate, seu potius in Eius iuribus maternis erga vitam Filii. Haec iura Matris videntur doceri a Benedicto XV : "Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit..." [75]. Et a Pio XII: "Eundem in Golgotha una cum maternorum iurium maternique sui amoris holocausto... obtulit" [76]. Notandum est, in hoc modo rem intelligendi non attendi ad valorem meritorium actus, quo Maria sese appropriât merita Filii, sed tantum ad veritatem illius actus; quo posito, merita Christi sunt iuridice Christi et Mariae.

Secundo modo, compassio concipitur meritoria prout in seipsa est opus praemio dignum, quod a Deo accipitur in ordine obiectivo salutis universalis, propterea quod non est opus alicuius personae privatae, sed personae adscitae cum Christo in opus redemptionis peragendae. In hoc modo rem concipiendi opera, quae habuerunt tanquam praemium nostra dona gratiae et gloriae, fuerunt opera meritoria Christi et Mariae, passio Filii et compassio Matris. Haec utique subordinate ad illam et ex virtute illius. Putamus secundum modum teneri posse.

181. d) *Valor compassionis meritoriae* est saltem de congruo. Quaeritur utrum sit *de condigno.* Et quidem in primo modo concipiendi compassionem nulla videtur difficultas. Etiam in secundo condignitas affirmatur a nonnullis quoad rem, quidquid sit de modo loquendi. Sic plures theologi [77]. Aliqui proposuerunt meritum *de supercongruo* [78]. Condignitas

75 *Litt. Apost. "Inter Sodalicia":* AAS 10 (1908) 182; Marín, 556.
76 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 25 (1943) 247; Marín, 713.
77 Doctrina meriti mariani condigni, quae a pluribus theologis proposita erat, propugnata fuit tamquam communis mariologorum Hispanorum in Congr.-Internationali Romano anni 1950, defendente P.M.Llamera, O.P. Est tamen aliorum quoque theologorum. Cf. R.Gauthier, *La nature du merite corédempteur de Marie:* Maria et Ecclesia 4, 315-351, ubi datur bibliographia.
78 Cf. A.Ferland, *Le mérite corédempteur d'hypercongruité de la très sainte Vierge:* ib., 353-382; EtMar (1936) 247s.

recte defendi posse videtur. Supposita enim associatione Mariae cum Christo in opere redemptionis peragendo, admittenda est in Virgine quaedam *divina ordinatio gratiae* in bonum aliorum hominum (quod quidem in omni hypothesi admitti debet, si datur corredemptio per modum meriti). Cui ordinationi accedit etiam *quaedam aequalitas,* necessaria pro condignitate. Beata enim Virgo ex una parte habet dignitatem infinitam quodammodo, ex alia vero parte tantam habet gratiam quanta "sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo". Unde quaedam condignitas inter meritum Mariae et bona gratiae et gloriae pro omnibus hominibus probabilius asserenda videtur. Est tamen *condignitas imperfecta,* quae nequit dici ex rigore iustitiae, utpote quae supponat meritum Christi et in eo simpliciter fundetur. Haec ergo sententia in tantum defendi potest, in quantum admittit aliquam condignitatem inferiorem condignitati meritorum Christi ; quo sensu non videtur posse opponi adagium theologicum, a S.Pio X citatum, quidquid sit de terminologia.

182. *e)* Contra totam doctrinam de corredemptione per modum meriti *obicitur:*

Principium meriti non cadit sub merito. Atqui obiectum meritorum Christi est principium meritorum Mariae. Ergo obiectum meritorum Mariae nequit esse idem obiectum meritorum Christi.

Respondent alii concessa maiore, distinguendo minorem: obiectum meritorum Christi, in quantum haec referuntur ad Mariam personaliter sumptam, est principium meritorum Mariae, *conc. min.;* obiectum meritorum Christi, in quantum haec referuntur ad ceteros homines, est principium meritorum Mariae, *nego min.*

Respondet Lebon: Dist. min. Obiectum meritorum Christi est principium meritorum, quae habet Maria ut persona privata, *conc. min.;* ut persona publica associata a Deo operi redemptorio, *nego min.* Et *pariter dist. cons.* Obiectum meritorum Mariae, ut est persona privata, nequit esse idem obiectum meritorum Christi, *conc. cons.;* obiectum meritorum Mariae, ut est persona publica a Deo associata operi redemptorio, *nego cons.* In hac ultima solutione supponitur gratia Corredemptricis, ut talis, non esse a Christo sed a Deo, quamvis gratia Mariae, ut personae privatae, sit utique a Christo Eam sublimiori modo redimente 1B.

w Cf. A.Fernandez, *De mediatione B.Virginis secundum doctrinam D.Thomae·.* ViencTom 38 (1928) 145-170; C.Balic, *Die sekundiire Mittlerschaft der Gottcsmutter:* WissWeish 4 (1937) 1-22; M.Cuervo, *La gracia y el mérito de*

183. 2. *De corredemptione per modum satisfactionis.* a) *Dicimus* compassionem Virginis habuisse causalitatem satisfactoriam in ordine obiectivo redemptionis peragendae pro ceteris hominibus; pro se enim satisfacere non poterat, cum nullum peccatum habuerit. Sicut passio Christi satisfecit pro peccatis totius mundi, et ita fecit nostram redemptionem, sic compassio Mariae simul cum passione Christi. Ita hodie communius theologi.

b) *Pundamentum* huius doctrinae habetur in illis titulis traditionis, in quibus Maria vocatur "propitiatio nostra", "ministra propitiationis" (S.Bernardus), "propitiatorium", "refraenatrix irae Dei" (S.Anselmus), "purgatrix criminum" (Rupertus), "magnificum pro Heva pretium" (Damascenus); vel affirmatur "Virgo solvit [Hevae] debitum" (S.Ephraem), "pro culpa [Hevae] B.Virgo satisfecit" (S.Albertus M.), "Ipsa Patri pro matre satisfacit" (S.Bemardus), etc.[20]. Haec quoque est doctrina recentiorum SS.Pontificum. Leo XIII: "Consors cum Eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis"[21]. S.Pius X: "Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit Illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret"[22]. Benedictus XV: "Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit, placandaeque Dei iustitiae quantum ad se pertinebat Filium immolavit, ut dici merito queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse"[23]. Idem videtur significare formula Pii XII: "Generosa Redemptoris Socia"[24].

c) Etiam compassio satisfactoria dupliciter intelligi potest. *Primo modo,* prout significat quandam quasi appropriationem passionis satisfactoriae Christi, quatenus satisfactio Christi aliquo vero sensu Mariae etiam tribui posset. Si ita res concipitur, opera satisfactoria quae Deum placaverunt, fuerunt tantum satisfactiones Christi; at non solum prout a

Maria en su coopcración a la obra dc nucstra salud: CiencTom 57 (1938) 87-104.204-223.507-543; J.M.Bover, *Maria Mcdiadora universal 299-ZQ7* J.Lebon, *Comment je conçois, j'établis ct je défends la doctrine de la médiation mariale:* EphThLov 16 (1939) 655-744; *Sur la doctrine de la médiation mariale:* Ang 35 (1958) 3-35. G.M.Roschini, *Utrum meritum corrcdcmptivwm Deiparae appellari possit meritum "de condigno":* Marian 3 (1941) 238-247; M.Cuervo, *Sobre cl mérita corredcntivo de Maria:* EstMar 1 (1942) 325-352; M.Llamera. *RI mérita maternai corredentivo de Maria:* EstMar 11 (1951) 81-140; J.Fr.Bonnefoy, *Le mérite social de Marie et sa prédestination:* Alma Socia Christi 2,21-48; M.Cuervo, *La Virgen Santisima Mcdiadora de gracia y cl Rosario:* ib., 256-268.

20 Cf. C.Friethoff, *De alma Socia Christi Mediatoris* 37-45.

21 *Encycl. "lucunda semper":* ASS 27,178; Marîn, 412.

22 *Encycl. "Ad dicm ilium":* ASS 36,453s; Marin, 488.

23 *Lilt. Apost, "Inter Sodalicia":* AAS 10 (1918) 82; Marîn, 556.

21 *Encycl. "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 768; Marîn, 809.

Christo sunt, sed etiam prout Mariae iure tribuuntur, propter iura materna in vitam Filii.

Secundo modo concipitur compassio satisfactoria prout in seipsa est opus poenale, quod a Deo accipitur in ordine obiectivo salutis universalis, propterea quod non est opus alicuius personae privatae, sed personae adscitae cum Christo in opus redemptionis peragendae. In hoc modo rem concipiendi, satisfactiones, quae de facto Deum placaverunt, fuerunt satisfactiones Christi et Mariae; passio Filii et compassio Matris; haec utique subordinate ad illam, ex virtute ipsius. Defendimus secundum modum.

184. d) *Palor compassionis satisfactoriae* est saltem de congruo. Quaeritur utrum sit de condigno, etiam in secundo modo rem concipiendi. Hic tamen videtur esse maior difficultas quam in merito. Cum enim peccatum habeat malitiam infinitam, ad stabiliendam aequalitatem inter offensam et satisfactionem (quae ad condignitatem omnino requiritur) affirmanda esset infinitas satisfactionis; iam vero, cum valor satisfactionis dimetiatur ex persona satisfaciente, requireretur persona infinita, seu divina. Nihilominus non desunt theologi recentiores, qui, sicut antiqui, defendunt *condignitatem aliquam satisfactionis Mariae.* Sunt fere iidem ac nominati fuerunt antea.

Quae sententia solidam probabilitatem habere videtur. *Primo* enim valor satisfactionis Mariae non est sicut valor satisfactionis aliorum hominum; quae differentia non est tantum quantitativa, sed etiam qualitativa; est enim satisfactio Matris Dei. Iam vero, cum dignitas maternitatis divinae sit secundum quid infinita, concludendum est valorem satisfactionis Eius esse etiam infinitum secundum quid. Sed, ut tenet probabilior et verior theologorum sententia, malitia peccati est etiam infinita non simpliciter, sed secundum quid. Possumus ergo invenire quandam adaequationem et aequalitatem inter malitiam offensae et valorem satisfactionis Mariae, cum et hic et illa sint infinita secundum quid.

Praeterea theologi antiqui sat multi, et quidem diversarum scholarum, admittebant possibilitatem alicuius satisfactionis condignae ex parte creaturae, quamvis condignitas haec nequeat esse perfecta aut ex rigore iustitiae. Hoc autem posito, et attenta singulari associatione Mariae cum Christo in opus redemptionis peragendae, concludendum videtur hanc condignitatem imperfectam esse in Ea, proindeque compassionem Virginis habere valorem satisfactorium aliquo modo

condignum. Unde condignitas ad hoc ut sit vera, supponit tantum aequalitatem inter offensam et satisfactionem ; aequalitatem vero inter personam satisfacientem et personam offensam mon videtur exigere quaelibet condignitas, sed condignitas picina et perfecta, ex rigore iustitiae. A qua sine dubio totum suum valorem illa prima mutuetur necesse est[25].

185. 3. *De corredemptione per modum sacrificii, a)* Haec quaestio difficilior est. Initium sumimus a *doctrina Romanarum Pontificum.* Leo XIII : "Praesente Ipsa et spectante divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... Stabat iuxta crucem lesu Maria, Mater Eius, quae tacta in nos caritate immensa, ut susciperet filios, Filium Ipsa suum ultro *obtulit* iustitiae divinae, cum Eo commoriens corde, doloris gladio transfixa"[26]. "Quid vero cum consideret sanguinem Christi causa nostra perfusum, ac membra in quibus Ille Patri vulnera accepta, nostrae pretium libertatis, ostendit, non aliud ea esse nisi carnem et sanguinem Virginis?"[27]. S.Pius X: "Ad haec, Deiparae Sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit, qua nimirum saluti hominum compararetur hostia, verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo stato tempore *sistendae ad aram...* Cum vero extremum Filii tempus advenit, stabat iuxta crucem lesu Mater Eius, non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur; et tantum etiam compassa, ut si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, Ipsa multo libentius susciperet"[28]. Benedictus XV : "Ita cum Filio patiente et monente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit, placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium *immolavit,* ut dici merito queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse"[29]. Pius XI : "Hisce denique votis inceptisque Nostris praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima ; quae, cum lesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem *hostiam obtulerit,* per arcanam cum Christo

x Cf. J.A.de Aldama, *Coopcraciôn de Maria a la redenciôn a nvodo de satisfacciôn por cl pccado:* EstMar 2 (1943) 179-193; J.M.Bover, *Maria Mediadora universal* 317-330; AlastruEy, 2,46-67; Pedro de A.Martînez, *La satisfacciôn condigna de Maria segûn la doctrina de Carlos del Moral:* ArchTcolG 17 (1954) 103-132.

38 *Encycl, "lucunda semper":* ASS 27,178; Marîn, 412.

27 *Encycl. "Fidentem piumque":* ASS 29,207; Marîn, 444.

28 *Encycl. "Ad dicm ilium":* ASS 36,453; Marîn, 488.

28 *Litt. Apost. "Inter Sodalicia":* AAS 10 (1918) 182; Marîn, 556.

coniunctionem Eiusdemque gratiam omnino singularem, reparatrix item extitit pieque appellatur"[30]. Pius XII: "Ipsa fuit, quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, Eundem in Golgotha una cum maternorum iurium maternique sui amoris holocausto, nova veluti Heva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapso foedatis, Aeterno Patri *obtulit*"[31].

b) In his textibus aliqua sine dubio docetur *cooperatio Mariae in sacrificium redemptivum Christi.* Quae cooperatio saltem in hoc consistit: Maria praeparavit victimam sacrificii, Christum edendo, alendo, custodiendo. Victimam ergo de se paravit, cum caro et sanguis, quae in cruce immolantur, sint caro et sanguis Mariae. Ipsum deinde sacrificium factum est, Ipsa praesente et gaudente in suis doloribus pro salute generis humani. Loquuntur praeterea Pontifices de officio sistendi ad aras victimam divinam, quod a Maria perfectum est. Quae verba, etsi aliquando dicuntur de praesentatione in templo, sed, ut videtur, non semper.

186. c) *Quaestio tamen est,* utrum maior quaedam cooperatio sit admittenda, cooperatio scilicet quae sit stricte sacerdotalis, ita ut Maria dici possit sacrificium ipsum crucis cum Christo perfecisse. Et hoc *videtur suaderi* ex aliquibus locutionibus. Dicitur enim Maria sua iura in victimam renuntiasse pro hominum salute. Dicitur praeterea "Filium suum ultro obtulisse divinae iustitiae", "apud crucem hostiam obtulisse"; immo "placandae Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolasse"; idque fecisse non ut privata persona erat, sed "nova veluti Heva". Tandem dolores Ipsa suos obtulit et materna iura simul cum Filio in holocaustum.

Ad horum textuum explicationem *dictum est* terminum "obtulit" non nisi lato sensu esse accipiendum. Quod sane, si terminus ille semel per transennam usurparetur, facile admitteretur. Sed terminus hic repetitur frequenter, in contextu omnino sacrificali, in relatione ad sacrificium crucis, ad Eius victimam, ad Eius efficaciam redemptivam. Quae omnia nullatenus per latum usum termini explicari posse videntur. Eo vel magis quod aliqua verba ex citatis scripta sint post notissimas theologorum disputationes de hac re, et certe non sunt verba restrictiva. Admittenda ergo videtur specialis quaedam cooperatio Mariae in sacrificium crucis, quae est cooperatio moralis immediata et in linea sacrificali. Nec mi-

30 *Encycl. "Miserentissimus Redemptor":* AAS 20 (1928) 178; Marín, 608.
31 *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 247; Marín, 713. De his textibus pontificiis, cf. J.A. de Aldama: EstMar 19 (1958) 64-68.

rum, cum Maria non sit solum Mater Christi, sed sit praeterea cum Ipso associata ad opus redemptionis peragendum; quod opus in sacrificio crucis consummatur.

187. *d)* Potestne dici haec cooperatio Mariae *stricte sacerdotalis,* ita ut sacrificium crucis oblatum sit simul a Christo et a Maria, unde haec etiam sacerdotium correspondens habuerit? Sacerdotium triplex distinguitur in Novo Testamento: primum est sacerdotium Christi, supremum et aeternum; secundum est sacerdotium ministeriale, quod habetur in Ecclesia per sacramentum ordinis; tertium est sacerdotium genericum et latum omnium Christianorum, de quo S.Petrus (1 Petr 2,9).

Cooperatio Virginis ad sacrificium crucis nequit reduci ad actuationem huius ultimi sacerdotii. Non solum quia hoc sacerdotium refertur ad sacrificium eucharisticum, Maria autem cooperata est in sacrificio crucis; sed quia Maria speciali quodam modo unita victimae, singulariter adscita fuit cum Christo in opus redemptionis peragendum. Nec reduci potest cooperatio Mariae in sacrificium crucis ad actuationem sacerdotii ministerialis, cum sine dubio hoc tale sacerdotium non habuerit, nec habere potuerit Maria. Consentaneum ergo videtur affirmare participationem aliquam Virginis in sacerdotio Christi, propter quam Ipsa dicatur habere sacerdotium infra Christum, sed supra ministeriale nostrum.

188. *e)* Alia omnino quaestio est, utrum B.Virgo *vocari debeat sacerdos.* Tituli enim quandoque usurpari nequeunt propter rationes extrinsecas veritati rei. Sane titulus ipse usurpatus est a Pio IX [82], et S.Pius X indulgentiis ditavit orationem quae ipsum continebat[33]. Sed die 8 aprilis 1916 reprobatae sunt a S.Officio imagines, quae repraesentabant B.Virginem vestibus sacerdotalibus indutam[34], et deinde damnata fuit devotio Virginis-Sacerdotis occasione alicuius articuli[35]. Patet in utroque casu voluisse Sanctum Officium vitare

[82] *Breve* ad O.Van den Berghe, quod invenitur initio secundae editionis operis *Marie et le Sacerdote* (1875). Ibi legitur: "quaeque a virgineo Christi conceptu ad atrocissimam Eius mortem adeo arcte se coniunxit divini Filii sui sacrificio, ut *Virgo Sacerdos* appellata fuerit ab Ecclesiae Patribus".

[33] AAS 40 (1907) 109s. Quae tamen indulgentiae iam amplius non exstant.

[34] AAS 8 (1916) 146. Decretum hoc, latum die 15 lanuarii 1913, non est promulgatum nisi die 8 Aprilis 1916.

[33] Cf. Palestra del Clero 6 (1927) 61. In illa epistola Card. Merry del Val, nomine S.Officii et· occasione articuli "La vera divozione alla Vergine Sacerdote", in eadem ephemeride eodem anno publicati, dicitur: "É stato segnalato a questa suprema Congregazione dei Sant'Offizio un articolo... AI qual proposito questa medesima Sacra Congregazione ha ordinato che la S.Eccellenza voglia rtchiamare sopra il menzionato articolo l'attenzione della Direzione di quel periodico, c avvertirla che la divozione di cui ivi si traita in conformité del Decreto del S.Offizio del 8 Aprile 1916 non é approvata e non si puô propagare".

in fidelibus parum instructis confusionem cum sacerdotio ministerial!30.

189. Scholion. *Maria et Ecclesia.* Plurima scripta sunt ultimis annis de hoc themate, cuius radices vel in ipsa antiquitate Christiana inveniuntur, quod tamen hodie momentum valde improportionatum in nonnullis obtinuisse videtur.

Maria est utique typus Ecclesiae: in maternitate virginali, in sanctitate immaculata, in maternitate spirituali, in assumptione corporea, in mediatione perenni. Est quoque membrum Ecclesiae: "collum" ab antiquo tempore praeferenter dicitur, quamvis etiam aliae Ei diversae membrorum similitudines assignatae. fuerint; quae metaphorae non nisi cum sobrietate adhibendae sunt. Aequivoca valde est formula "Maria est personificatio Ecclesiae", quae proinde magnis distinctionibus indiget.

Ex alia parte Maria est supra Ecclesiam, si de hac loquamur in oppositione ad Christum, eius fundatorem. Propter divinam maternitatem supra omnes creaturas ita sistitur, ut omnia quae ad Ipsam pertinent in ordine superiori collocentur. Eius quoque associatio cum Redemptore munus Corredemptricis ad sphaeram redemptionis obiectivae elevat; unde Ipsius mediatio atque spiritualis maternitas a mediatione et maternitate Ecclesiae longissime differunt87.

ARTICULUS IV

De dispensatione gratiarum

190. Vidimus mediationem Mariae Virginis et actuationem suae maternitatis spiritualis in stadio redemptionis efficiendae. Inde vere dicitur et est *corredemptrix.* Restat ut investigemus Eius mediationem atque maternitatis spiritualis actuationem in stadio redemptionis singulis applicandae. Hinc dicitur et est *gratiarum dispensatrix.38*

38 Cf. N.García Garcés, *Cooperaciôn de Maria a nuestra rcdenciôn, a modo de sacrificio:* EstMar 2 (1943) 195-247; J.M.Bover, *Maria Mcdiadora universal* 331-354.466-468.501-511; E. Sauras, */Fuê sacerdotal la gracia de Maria?:* EstMar 7 (1948) 387-424; j.Nox, *The blessed Virgin Mary and the Holy Sacrifice of the Mass:* Euntes Docete 1 (1948) 82-103; M.P.Pourrat, *Marie et le Sacerdote:* Maria 1,80-824; Basilio de San Pablo, C.P., *Los problèmes dei sacerdocio y del sacrificio de Maria:* EstMar 11 (1951) 141-220: J.M.Delgado Varela, O.de M., *Consagraciôn del sacerdote al Corasôn de Maria Santisima:* Alma Socia Christi 6,2,96-146; C.KOSER, *De sacerdocio B.M'.Virginis:* Maria et Ecclesia 2,169-206; E.Doronzo. *De sacerdotali ministerio B.V.Mariae:* ib. 147-167. Pro historia quaestionis, ci. maxime R.DaurEntin, *Marie, ΓÉglise ct le sacerdoce,* 2 vol. (Faris 1952-1953).

37 Cf. Enrique del Sdo.Cgrazôn, *Comparaciôn entre la m'aternidad espiritual de la Virgen Maria y la maternidad de la Iglesia:* EstMar 20 (1959) 207-262; M.Bélanger, *De Maria Ecclesioe Vicaria:* Maria et Ecclesia 2,101-117.

Thesis 12. B.Maria Virgo vere est omnium gratiarum dispensatrix.

AeastruEy, 625-657; MerkElbacii, 345-381; Rosesin i{ *Mariologia* 2,1,394-407; BîTTREmïEux, *De mediatione universali B,M.Virginis quoad gratias* 134-243; BovEr, *Maria Mcdiadora universal* 409-426.228-235.

191. Notiones. Dispensatrix gratiarum dicitur mulier, a qua causaliter pendet quod de facto dentur hominibus in concreto gratiae quae sunt in thesauro redemptionis. Patet causalitatem hanc, quaecumque tandem illa sit (ab hoc enim praescindimus in thesi), esse sine dubio subordinatam, etiam in hoc stadio, causalitati Christi. Fortasse autem in abstracto munus dispensatricis gratiarum separari poterit a munere corredemptricis, adeo ut possit illud stare sine hoc ultimo. Attamen de facto ex iam probatis constat B.Virginem esse corredemptricem. Hinc ergo habet novum titulum ad dispensationem gratiarum.

Patet affirmationem huius operationis Mariae in distributionem gratiarum non significare necessitatem intrinsecam rei, sed voluntatem divinam sic decernentem pro Virgine. Alia tamen quaestio esse potest, num corredemptio natura sua inferat munus dispensatricis gratiarum. De hoc, postea.

Dicimus Mariam habere *nunc* illius muneris exercitium, id est post suam assumptionem in caelum, praescindendo a quaestione utrum illud habuerit etiam degens in terris. Quaestionem vero tractamus in hoc capite, non in sequenti propter connexionem doctrinae.

192. Omnes gratiae. Significamus universalitatem quoad gratias concessas et quoad personas quibus conceduntur. Hanc tamen universalitatem affirmamus in thesi tantum generali modo, praescindendo a quaestionibus, quae de aliquibus gratiis in concreto suscitari possunt.

Vere, id est non solum quia Maria dedit nobis Christum ; hoc enim sensu recte dici potest dispensatrix gratiarum eo quod dedit mundo auctorem gratiae. Sed talis appellatio esset valde impropria. Affirmamus ergo munus dispensationis gratiarum proprie et formaliter sumptum, secundum causalitatem aliquam immediatam in ipsas gratias, sive directam sive indirectam.

193. Adversarii. *Protestantes, lansenistae,* inter quos speciatim Adamus Widenfeedt [1], Muratori, sub nomine

[1] In opere *Monita, salutaria B.Mariae Virginis ad cultores suos indiscretos,* anno 1673. Cf. C.DildEnsciinEider, *La Mariologie de saint Alphonse de Liguori* 1,41-54.

ficto Lamindi Pritanii[2], alii; qui omnes sub praetextu piarum exaggerationum intercessionem Virginis valde deprimunt.

194. Doctrina Ecclesiae[3]. 1) Leo XIII: “Magnam Dei parentem, Mariam Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra, et caelestium administra gratiarum in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat”[4]. “Deus... audiat tandem preces per Eam, quam Ipse caelestium gratiarum voluit esse administram”[5]. “Ex quo non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri: ut quo modo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per Matrem accedere nemo possit ad Filium”[6]. "Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane tanquam in fundamento in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo Ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque caelitibus sanctis omnibus potentia antecellens... Sed cumulato perpetuoque munere causam nostram exoratura est ad caelum immortale progressa... Vox supplex convertitur ad Mariam; non alia nimirum, nisi hac, de qua diximus, conciliationis... lege a S.Bernardino in hanc sententiam expressa: omnis gratia, quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum; nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur”[7]. “Nam inde divino consilio sic illa coepit advigilare Ecclesiae, sic nobis adesse et favere mater, ut quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra, permissa Ei paene immensa potestate... Ipsam donorum Dei esse conciliatricem”[8]. “Ab Ipsa enim tanquam uberrimo ductu, caelestium gratiarum haustus derivantur; Eius in manibus sunt thesauri miserationum Domini; vult Illam Deus bonorum omnium esse principium”[9]. “Sic potentissima Virgo Mater, quae olim cooperata est caritate ut

2 Cf. Dxiaenschneider, *o.c.,* 73s.
3 Cf. J.M.Bovkr, *Maria Mcdiadora universal* 478-489.
4 *Encycl, "Supremi Apostolatus":* ASS 16,113; Marîn, 327.
5 *Encycl. "Superiore anno":* ASS 17.49; Marîn, 343.
6 *Encycl. "Octobri mense":* ASS 24,195s; Marîn, 376.
7 *Encycl. "Ineunda semper":* ASS 27,178s; Marîn, 410.413s.
8 *Encycl. "Adiutricem populi":* ASS 28,130s; Marîn, 427.
9 *Encycl. "Diuturni temporis":* ASS 31,146s; Marîn, 457.

fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra" [10.11]

2) S.Pius X: "Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis promeruit Illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret, atque ideo universorum munerum dispensatrix, quae nobis lesus nece et sanguine comparavit... Sedet Ille ad dexteram maiestatis in excelsis; Maria vero astat regina a dextris Eius, tutissimum cunctorum periclitantium perfugium et fidissima auxiliatrix, ut nihil sit timendum nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente"[31]. Virginem "gratiarum omnium sequestram"[12]* "Per Ipsam enim, quae est speculum iustitiae et sedes sapientiae, omnia nos habere voluit omnipotens" M. Huius temporis est festum et Missa B.M.V.Mediatricis.

3) Benedictus XV: "Quod si hac plane de causa, quas e redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur" [14.15] "Cum sanctissima Virgo Maria tot tantisque meritis Dei Mater electa fuerit atque eodem tempore gratiarum pro hominibus sequestra divinitus constituta"[10]. "Benignissimam Dei Genitricis, gratiarum apud Dominum sequestris, potentiam"[16.17] Christus "quidquid gratiarum hominibus confert, Illa semper administra et arbitra conferat" [1T].

4) Pius XI: Christus, "unus cum sit Mediator Dei et hominum, suam Sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam, gratiaeque ministram ac mediatricem" [18]* "Novimus etiam omnia nobis a Deo Optimo Maximo per Deiparae manus impertiri"[10]. "Ipsa Virgo Mater, gratiarum omnium apud Deum sequestra"[20]. "Virginem Mariam..., carismatum omnium apud Deum sequestram" [2I]. "Erga gratiarum omnium apud Deum sequestram, Virginem..."[22]. "Ipsa enim Dei Parens, caelestium administra gratiarum..."[23].

5) Pius XII: "Tanta enim B.Virgo apud Deum pollet gratia, tanta apud Unigenam suum potentia fruitur, ut quis-

10 *Litt. Apost, "Parta humano":* ASS 34,195; Marîn, 472.
11 *Encycl. "Ad diem illum":* ASS 36,453s; Marîn, 488$.
12 *Litt. Apost. "Manilcnsium Archiepiscopus":* AAS 2 (1910) 901.
12 *Sermo ad PP.Pranciscalcs:* AAS 2 (1910) 909; Marîn, 531.
« *Litt. Apost. "Inter Sodalicia":* AAS 10 (1918) 182; Marîn, 556.
15 *Litt, Apost. "Cum Sanctissima Virgo Maria":* AAS 9 (1917) 324.
10 *Litt. Apost. "Locarni, intra fines":* AAS 11 (1919) 67.
17 *Encycl. "Fausto appetente dic":* AAS 13 (1921) 334; Marîn, 567.
28 *Encycl. "Miserentissimus Redemptor":* AAS 20 (1928) 178; Marîn, 608.
10 *Encycl. "Ingravescentibus malis":* AAS 29 (1937) 3S0; Marîn, 662.
20 *Litt. Apost. "Galliam Ecclesiae filiam":* AAS 14 (1922) 186.
21 *Litt. Apost, "Extat in civitate":* AAS 16 (1924) 152.
22 *Litt. Apost. "Cognitum sane":* AAS 18 (1926) 213.
23 *Epist. "Sollemne semper":* AAS 24 (1932) 376; Marîn, 636.

quis egens opis non ad Eam recurrat, nullo is alarum remigio, ut Aligherius concinit, volare conetur"[24] "Ab eo efflagitando contendat, ut uberrimi gratiarum rivuli ab excelso Capite in omnia mystici Corporis membra, haud intermisso ordine deriventur" [25].

195. *Nota* circa hoS textus: In illis dicitur: *a)* in genere nos habere gratias per Mariam, ab Ipsa in nos gratias derivari, in Eius manibus esse gratias; *b)* in specie Mariam conciliare nobis gratias apud Deum, esse gratiarum sequestram; *c)* Ipsam esse gratiarum administram, dispensatricem; *d)* gratias, de quibus sermo est, esse omnes gratias redemptionis, quidquid Christus confert hominibus, seu negative nihil nobis impertiri Christum nisi per Mariam [26].

Valor dogmaticus. Mediatioinem Mariae quoad gratias dispensandas esse omnino specialem ac mediationi Sanctorum longe antecellere, *est de fide ex magisterio ordinario.* Id referri ad omnes gratias generali modo, est *saltem doctrina catholica* [27].

196. Probatur ex traditione. SS.Patres et Ecclesiae scriptores:

a) Affirmant in manibus Mariae esse gratiae thesauros et dona, quae Deus concedit hominibus. Sic. v.gr. S.Petrus Damianus, Ps.Ildephonsus Toletanus, Hugo a S.Victore [28].

b) Eam dicunt esse thesaurariam gratiarum Dei, eleemosyinariam Trinitatis, dispensatricem divinarum gratiarum. Sic verbi gratia Richardus a S.Laurentio, Iacobus a Voragine, Raymundus Iordanus, S.Bernardinus [29].

24 *Epist. "Superiore anno":* AAS 32 (1940) 145; Marîn, 671.
25 *Encycl, "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 248. Cf. AAS 46 (1954) 851.
26 Quamvis Romani Pontifices in his loquamtur praecipue de B.Virgine iam in caelis degente, non desunt tamen textus, in quibus sermo est de gratiis a Christo concessis adhuc in terra per Mariam. Sic Leo XIII: "Nam, et dum privatam in terris vitam egit, Ipsam adseivit [Christus] utriusque prodigii administram, quae tunc primum patravit, alterum gratiae, quo ad Mariae salutationem exsultavit infans in utero Elisabeth; alterum naturae, quo aquam in vinum convertit ad Canae nuptias, et cum supremo vitae suae publicae tempore..." (*Encycl. "Augustissimae Virginis":* ASS 30,129). Sic Pius XII: "Ac praeterea Unigena Eius, Eius maternis precibus in Cana Galilaeae concedens, mirabile signum patravit, quo crediderunt in Eum discipuli Eius" (*Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35,247).
27 De definibilitate huius doctrinae, cf. Druwé: Maria 1,562ss.
28 S.Petrus Damianus, *Serm. 45 in Nativitate B.M.Virginis:* ML 144,740; Ps.Ildephonsus Toletanus. *De Corona Virginis* 15: ML 96,304; Hugo a S.Victore, *Miscellanea* 5,44: ML 177,772.
29 Richardus a S.Laurentio, *De laudibus B.M.Virginis* 2,1,24; Iacobus a Voragine, *Serm. 2 de B.Virgine* in Sabb.5 hcbd.40 (*Sermones Quadragesimales,* Venetiis 1602) p.171; Raymundus Iordanus, *Contemplationes de B.Virgine* p.9 contcmpl.14; S. Benardinus Senensis, *Sertrt. 52 de salutatione angelica.* Cf. G.M.Colasanti, *La Médiatrice di gracie nel De laudibus di Ricardo di S.Lorenzo:* EphMar 9 (1959) 229-282.

c) Eam vocant aquaeductum (S.Bernardus, Richardus a S.Laurentio, S.Albertus M., Raymundus Iordanus, S.Thomas a Villanova) vel collum (Radulphus Ardens, Hermanus Tornacensis, Amadeus Lausanensis, Philippus de Herveng, Richardus a S.Laurentio, S.Albertus M., S.Bernardinus); sub quibus metaphoris aliisque similibus eadem doctrina continetur[30].

d) Hymni latini Medii Aevi saepe vocant Mariam advocatam nostram apud Deum, cuius intercessio est efficacissima[31].

e) Haec omnia valent *de omnibus gratiis* in genere, sive formulis assertivis, sive exclusivis. Sic v.gr. S.Epraem, Ps.Modestus Hierosolymitanus, S.Germanus, Richardus a S.Laurentio, S.Bonaventura[32].

f) Duae dantur *formulae classicae* huius doctrinae. Apud S.Bernardinum Senensem: 'Omnis gratia, quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum: nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virginem in nos ordinatissime derivatur"[33]. S.Bernardus: "Sic est voluntas Eius, qui totum nos habere voluit per Mariam; haec, inquam, Eius est, sed pro nobis"[34].

197. Ratio theologica, *a)* Maria est vere mater spiritualis uniuscuiusque hominis. Atqui non esset, si tota oeconomia gratiae, prout est in unoquoque, non penderet ab Eius actione immediata. Ergo Ipsa est dispensatrix gratiarum.

Min.: maternitas spiritualis habetur in concreto per infusionem, custodiam, augmentum novae vitae supernaturalis in unoquoque homine, perque actiones quae ad hoc referuntur. Ergo si Maria est mater, debet in haec omnia influere actione sua.

Cf. J.M.Bover, *Dc universali B.M.Virginis mediatione metaphorica testimonia:* Marian 3 (1941) 201-237.

31 Cf. Serapio de Iraguî, *La mcdiaciôn dc la Virgcn en la himnografia latina de la Edad Media* 400-432; *La mcdiaciôn de la Virgen en la liturgia:* Alma Socia Christi 2,226-233.

" S.EphraEm, *Sermo de SS.Virginis laudibus* (ed. Assemani) 3,532; Ps.Modestus Hierosolymitanus, *Encomium in dormitionem SS.Dominae nostrae Deiparae semperque Virginis* 10: MG 86,3306; S.Germanus, *In S.Mariae Zonam:* MG 98,379; Richardus a S.Laurentio, *Dc laudibus B.M.Virginis* 2,3; S.Bonaventura, *Collationes in Evangelium' S.Ioannis* c.14 coll.53 n.4 (ed. Quaracchi 6,603). De recenti disputatione circa mentem S.Bonaventurae quoad universalitatem in distributione gratiarum, cf. T.Szabô, *Doctrina· S.Bonavcnturae de mediatione B.V.Mariae quoad omnes gratias:* Alma Socia Christi 2,293-341.

33 *Serm, 6 in Annuntiatione B.M.Virginis.*

* *Serm. in Nativitate B.M.Virginis 7:* ML 183,441. Cf. J.Riudor, S.I., *La mcdiaciôn de Maria en la distribuciôn de las gracias, scgûn los escritorcs eclesidsticos de la primera mitad del siglo XII:* EstMar 12 (1952) 301-318. Pro historia quaestionis vide etiam A.Rivera, *La mcdiaciôn de Maria en los apôcrifos asuncionistas:* EphMar 7 (1957) 329-336.

b) Maria est vere corredemptrix. Ergo est dispensatrix gratiarum.

Conseq.: Finis redemptionis non plene obtinetur in stadio solius redemptionis efficiendae, nisi sese extendat etiam ad stadium redemptionis applicandae. Atqui Maria, associatur Christo Redemptori ad plenum finem redemptionis. Ergo si est corredemptrix, debet etiam esse dispensatrix gratiarum.

198. Obiectiones praecipuae, quia desumuntur ex universalitate sive assertiva sive cxclusiva gratiarum, et ex modo causalitatis, in sequentibus scholiis praeiudicantur.

199. Scholion 1. *De universalitate gratiarum in dispensatione Mariae.* Diximus in thesi Mariam esse mediatriccm omnium gratiarum in genere. Consideranda iam est in specie haec universalitas gratiarum. Dicimus ergo primo *assertive* omnes ct singulas gratias, quae dantur hominibus, per quendam Virginis interventum non solum dari de facto, sed etiam dc iurc, quatenus Ipsa habet hoc sibi munus a Deo concreditum. Gratia intelligitur quodlibet supernaturale donum, sive habituale, sive actuale. Universalitatem hanc sonant verba Leonis XIII ("Quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra"), S.Pii X ("Universorum munerum dispensatrix, quae nobis lesus nece et sanguine comparavit"), Benedicti XV ("Quas c redemptionis thesauro gratias omne genus accepimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur"), supra citata.

Hoc idem exprimitur per formulam *exclusivam:* nullam nobis a Deo conferri gratiam, nisi per Mariam. Quod videntur significare quaedam verba supra citata Leonis XIII ("Nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri"), Pii XII ("Quisquis egens opis non ad Eam recurrat, nullo is alarum remigio... volare canetur"). Necessitas huius intercessionis Mariae est utique absoluta, seu sine exceptione; sed ut patet, oritur ex positivo ac libero decreto Dei.

Sed *distinguendum* videtur interventus directus B.Virginis in dispensationem gratiarum ab Eius interventu tantum indirecto. Directe dispensat Maria gratias actuales; indirecte vero gratiam sanctificantem, eiusque augmentum. Hic autem indirectus interventus non ita solum intelligcndus est quatenus B.Virgo nobis attulit Christum, a quo gratiam sanctificantem accipimus, sed etiam quatenus directe sua causalitate efficit ut sacramenta suscipiamus, ut ad ea recipienda convenientem dispositionem habeamus, ut auxilia supernaturalia ad merendum consequamur; idque totum ad hos fines expresse a sua voluntate materna ordinetur.

Nota tandem B. Virginem hoc munus exercere pro nobis, etiamsi explicite et pro singulis gratiis interventum Ipsius non imploremus. Ratio est, quia Illa hoc sibi a Deo munus concreditum habet ex constitutione ipsa obiectiva ordinis supernaturalis, qualem Deus illum esse voluit ".

» Cf. AlasTRVBY, 652-657.

200. Scholion 2. *De causalitate B.Virginis in dispensatione gratiarum.* Causalitas haec est saltern *moralis,* consistens in intercessione actuali. Hoc ad minimum tenendum est, et tenent de facto omnes theologi. Intercessio autem haec duplex admitti debet: alia expressa, alia interpretativa. Intercessio expressa, quatenus actualiter orat pro nobis apud Deum ; intercessio interpretativa, quatenus repraesentat Scipsam ante Deum tum ut Matrem Dei, tum ut Corredemptricem ".

Quaeritur inter theologos, utrum praeterea admittenda sit quaedam causalitas *physica* B. Mariae Virginis in distributione gratiarum. Cuius quaestionis sensus alius esse non potest nisi hic: utrum B.Virgo concurrat ad productionem gratiarum per modum physici instrumenti. Idque affirmant nonnulli theologi rccentiores, ut Hugon, Lepicier, Fernandez, Clemens, Lavaud, Bernard, Plessis, Sauras, Rosellini, Parente, Guindon, San Martin, Garcia Miralles, alii. Hanc tamen causalitatem, quam suo tempore reicerat Suarez ", nolunt nunc admittere plures alii theologi hodierni, ut Terrien, Bainvel. Van der Meersch, Bittremieux, De la Taille, Merkelbach, Friethoff, Lennerz, Cuervo, Alastruey, Lercher. Haec secunda sententia nobis verior videtur.

Pline "intercessio" et "distributio gratiarum" intelligi debent ut diversae formulae unius eiusdemque realitatis. In tantum scilicet dispensat seu distribuit gratias, in quantum efficaciter intercedit veraque causalitate morali influit in exsistentiam gratiarum ®.

Notanda tamen sunt reccntissima verba Pii XII : "Praeterea B.Virgo non solummodo supremum post Christum excellentiae ac perfectionis gradum obtinuit, verum etiam aliquam .illius efficacitatis participationem, qua Eius Filius ac Redemptor noster in mentes et in voluntates hominum regnare iure meritoque dicitur. Si enim Verbum per Humanitatem assumptam miracula patrat, gratiam infundit, si sacramentis, si Sanctis suis tanquam instrumentis utitur ad animarum salutem, cur Matris suae Sanctissimae munere et opere non utatur ad Redemptionis fructus nobis impertiendos" ? ". Haec verba tribuunt B. Virgini causalitatem instrumentalem, sicut Humanitati Christi, sicut sacramentis. Sed affirmant tantum factum huius causalitatis, non modum instrumentalitatis.

M Itaec dicuntur per analogiam ad doctrinam S.Thomae de intercessione Christi (3 q.54 a.4 et q.57 a.6) et de intercessione Sanctorum *(Suppi,* q.77 a.3).

" *De Mysteriis vitae Christi* d.23 s.1 n.2.

38 Cf. AlastruEy, 658-668; Merkelbach, 367-371; Bittremieux, *De mediationi universali B.M.Virginis quoad gratias* 261-301; E-Sauras, *Causalidad dc la cooperaciôn de Maria en la abra redentora:* EstMar 2 (1943) 319-358; IldE-EONSO de la Ismaculada, *Elcm'cntos fisico-marianos en la gracia y la mistica:* EstMar 7 (1948) 197-240; G.M.Rosctnst, *De natura influxus B.Mariae V. in applicatione redemptionis:* Maria et Ecclesia 2,223-295; P.Parents, *De cooperatione B.V.Mariae in SS.Eucharistia, sacramento Ecclesiae unitatis:* ib., 207-222; H.M.Guindos, *Coopération dc Marie et dc l'Êglisc dans l'application des fruits de la rédemption:* ib., 4,421-443; E.San MartIn, *Influjo dc Maria en la producciôn de la gracia actual:* EstMar 20 (1959) 287-334; M.GarcIa Mirali.es, *Influjo de Maria en la producciôn de la gracia sacramental:* îb., 235-349.

" *Encycl. "etd caeli Reginam":* AAS 46 (1954) 636; MarIs, 902 p.804.

CAPUT V

De glorificatione Matris Redemptoris

201. Restat nunc consideranda vita caelestis Mariae Eiusque glorificatio. Quae sane non nisi ut correspondet Matri Redemptoris esse potuit. Attamen, quia haec suprema glorificatio id habet omnino speciale, ut sit iam nunc non solum animae, sed etiam corporis, ab hac nobis quaestione ordiendum est. Quae enim de glorificatione animae dicenda essent, inde iam satis constant, quod vidimus immensum et paene infinitum gratiae thesaurum, cui tanquam fructus semini infinita paene glorificatio caelestis correspondere debet [1]. Specialia vero Mariae munera specialem Eius positionem in caelo efficiunt. Quae ex una parte Ipsius singulari intercessione, ex alia autem supremo Reginae munere constituitur. Sed quia de intercessione et consequente gratiarum dispensatione egimus in capite praecedente, agendum nobis est nunc de Ipsius regalitate. Tandem, investigatis omnibus quae pertinent ad personam, dignitatem, munera B.Virginis, examinandae restant relationes nostrae erga Eam, quae per cultum exhibentur. Sic ergo agemus:

Art. 1. De corporea in caelum assumptione Matris Redemptoris.

Art. 2. De Matre Redemptoris, omnium Regina.

Art. 3. De cultu exhibendo Matri Redemptoris.

ARTICULUS I

De corporea in caelum Assumptione

202. Glorificatio corporea Matris Redemptoris de facto et in concreto duo elementa includit. Primum est Eius mors; secundum est Eius posterior vita caelestis in corpore per animam rursus informato; et quidem ita ut inter utrumque momentum corruptio corporis penitus fuerit evitata. Secundum illud elementum tanquam dogma fidei definitum est. Primum autem hoc secundum ita modificat, ut agatur de glorificatione corporis per veram resurrectionem. Ideo utrumque elementum putamus pertinere ad realem et concretam glorificatio-

1 Cf. Gregorio de Jesus Crucificado, *Visione beatifica e Assunsione:* Alma Socia Christi 10,24-34.

nem Matris Redemptoris, etsi non eandem possideant certitudinem. De utroque ergo separatim nobis agendum est.

Thesis 13. B.Maria Virgo vere mortua est; Eius autem mors non est factum mere historicum, sed cum doctrina fidei multipliciter connexum.

Roschini, *Mariologia 2,2,224-236;* Alastruey, 395-412; M.Juoii, *La mort et l'Assomption de la Sainte Vierge* (Città del Vaticano 1944); de quo libro, cf. J.A. DE Aldama, *La mucrte de la Santisima Virgen, segûn una obra reciente:* EstEcl 21 (1947) 291-321; F.dE Ѓ SolX, *Acotacioncs a un libro:* EstEcl 21 (1941) 337-355.

203. Notiones. Mortua est: passa est separationem corporis ab anima. Affirmamus nudum factum mortis, praescindendo a tempore quo duravit illa separatio, a modo quo peracta fuit, a ceteris eiusdem adiunctis.

Factum non mere historicum: quod diiudicari debet non tantum ab historico, sed etiam a theologo, propterea quod cadit etiam sub obiecto formali theologiae.

204. Adversarii[2]. 1. S.Epiphanius videtur dubitasse de morte Mariae. Timotheus Hierosolymitanus fortasse tenuit Eius immortalitatem de facto; illius tamen loquendi modus nullo modo est clarus [3]4

2. Saec.XVII *ignotus quidam theologus italus,* a Beveri-‹ni sub nomine Athanasii impugnatus

3. Saec.XVIII *anonymus quidam theologus iesuita hispanus,* qui tractatum conscripsit de immortalitate Mariae, eam multis argumentis defendens[5]. Tractatus fortasse tribuendus est Card. Alvaro de Cienfuegos β.

4. Post definitionem Immaculatae Conceptionis, mortem Arirginis negarunt D.Arnaldi, Ios.Pennachi et Ios.A.Virdia '.

5. Postquam M.Jugie mortem Virginis non quidem negavit, eius tamen persuasionem multum debilitare conatus est, omnia colligens quae in contrarium afferri possint, si-

2 Cf. C.Balic. *La controversia accrca de la muerte de Maria Santisima desde la Edad Media hasta nuestros dias:* EstMar 9 (1950) 101-123; F.Maggioni, *La morte dc la Madonna in scritH recenti:* ScuoCatt 81 (1953) 33-50.

8 S.Epiphanius, *Panarion,* haer.78,11: MG 42,716; Timotheus Hierosolymitanus, *Oratio in prophttam Simconcm et in textum Evangclii: "Nunc dim'ittis servum tuum" et in B. Virginem':* MG 86,246s. Cf. O.Fali.ER, *Dc priorum saeculorum silentio circa assumptionem B.Mariae Virginis* (Romae 1946) 27-32. Sed circa aetatem huius Timothei, cf. B.CapklIE. *Les homélies liturgioues du prétendu Timothée de Jérusalem:* EphLit 63 (1949) 5-26, et Jugie, *L'Immaculée Conception dans l'Ecriture Sainte et dans la tradition orientale* 74 nota 3.

4 B.BEvErini, O.M.D., *De corporali m'orte Deiparae* (ed. Balic, Romae 1950).

6 *Tractatus de immortalitate B.Virginis Mariae* (ed. Balic ex unico codice salmamtino 1611). Hic tractatus compositus est. tanquam pars alicuius *Vitae B.Virginis,* post annum 1707: cf. ibid., XXXIIs.

« Cf. ArchTG 13 (1950) 326s; 14 (1951) 285.

T Dc his auctoribus corumque operibus, cf. M.TuoiE, *La mort et l'Assomption de la sainte Vierge* 515s; EstEcl 21 (1947) 314-317.

mulque asserens rem videri mere historicam, non theologicam, rationesque sufficientes non adesse, quae in alterutram partem inclinent[8], eius influxum nonnulli subierunt, inter quos eminent Roschini et Gallus[9].

Nullatenus adversarii dicendi sunt illi plures theologi, qui admittentes B.Virginem de facto mortuam fuisse, tenuerunt et tenent Ipsius immortalitatem de iure.

205. Doctrina Ecclesiae. 1. Pius XI: "Orando assidue debet fieri Maria nostra quotidiana Mediatrix, nostra vera advocata; ita ut possimus sperare ab Illa, Assumpta in gloria caelesti, quod in hora nostrae mortis, quae est similis suae (cum Ipsa similiter ac nos vitam finierit, quia in Ipsa non fuit gratia creationis, sed gratia redemptionis, quae veram et propriam immortalitatem non conferebat), possit esse nostra advocata ante divinam bonitatem et misericordiam" [10].

2. Pius XII in definitione dogmatica Assumptionis a quaestione de morte B.Virginis omnino praescindere studuit. Ideo elegit formulam *"expleto terrestris vitae eursu"*, quae eodem modo vera est si terminus vitae terrestris Illius fuit mors, ac si fuit definitiva donatio gloriosae immortalitatis sine morte[11]. Attamen in Bulla definitoria saepius sermo est de morte B.Virginis. Quandoque quidem in ore testimoniorum, quae a Summo Pontifice allegantur. Et sane notandum est, eundem Pontificem, qui in Bulla accuratissime vitavit quamlibet mentionem apocryphorum, nullam habuisse curam vitandi testimonia, quae mortem Mariae positive affirmant. Quandoque vero sermo fit de morte Virginis in Bulla ex ore ipsius Pontificis, saltem indirecte: "Siquidem christifideles, suorum Pastorum institutione ac ductu, a Sacris Litteris didicere... Parique modo haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suum, ex hac vita decessisse" [12]. His in verbis, etsi Romanus Pon-

s L.c., 503-582.

• G.M.Roschini, *Mariologia* 2,2,234ss; *La Madonna sccondo la fede c la tcologia* (Roma 1953) 3,209-210 et saepe alias; T.Gallus, *La Verginc tnmortale* (Roma 1949); *La MadoMia Assunta* (Roma 1951); *Ad argumentum Immaculatae Conceptionis ex Gcn 3,15:* Dir-Thom 58 (1955) 118-123 et saepe alias. Cf. M.Quüra. *Un libro sobre la 'inmortalidad de Maria:* EstEcl 26 (1952) 365-378.

10 *Alloc, cum' legeretur decretum dc tuto pro canonicatione Beatae Thovrct:* L'Osservatore Romano 16-17 aug. 1933. En textus originalis italicus: "Con Passi, duità della· prcghiera si debe fare di Maria la quotidiana médiatrice, la nostra vera avvocata, sicche possiamo sperare da Ella, Assunta nella gloria del Cido, nell'ora del nostro traspasso, che fu pure il suo—poiche Ella pure fecc questo passo, essendo in Lei non la grazia di creazione, ma la grazia di redenzione, la quale non conferiva immortality vera e propria—, possa Ella essere nostra avvocata presso la divina bontà e misericordia".

11 Cf. EstEcl 25 (1951) 377-380.

13 *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 759; Marîn, 801.

tifex propriam suam mentem directe non prodat, testatur tamen auctoritative, persuasionem populi christiani, sub ductu suorum Pastorum; quae quidem testificatio quanti ponderis sit, neminem fugit[13].

Valor dogmaticus. Quod B.Maria Virgo vere mortua sit, etsi nullo modo fuerit definitum[14], est *sententia communis theologorum* per plura saecula, estque unica sententia quae dici potest *conformis traditioni et magisterio ordinario Ecclesiae* [15]. Quod vero agatur de facto non pure historico, sed etiam theologico, est *certum*[16].

206. Probatur 1.a pars.

1. Ex traditione [17]. 1. *Ex testimoniis:*

a) *Iam a saec.III* dantur testimonia de morte B.Virginis, sive in Oriente (Origenes, S.Ephraem, S.Gregorius Nyssenus, Severianus Gabalensis), sive in Occidente (S.Augustinus explicite, S.Paulinus Nolensis et S.Ambrosius implicite). Unus invenitur polemice dubitasse S.Epiphanius; textus vero Timothaei dubius est[18].

b) Libri omnes *apocryphi* de transitu Virginis, sine exceptione, in hoc facto coincidunt, cum in tam multis aliis discrepent. Hoc autem factum probat traditionem historicam praecedentem. Nec dici potest mortem fuisse pro ipsorum phantasia solutionem magis obviam; cum alia magis certe phantastica inveniri potuisset facile, verbi gratia in translatione Eliae et similibus[19].

c) A saec.VI extant *in Oriente* homiliae expressae de

[13] Cf. J.A.de Aldama, *Los primeros comentarios de la Bula "Munificentissimus Deus":* EstEcl 25 (1951) 377-387; F.de P. Solà, *La muerte de la Santisima Virgen en la Constitución Apostólica "Munificentissimus Deus":* EstMar 11 (1952) 125-155; F.Maggioni, *La "Munificentissimus Deus" e i problemi teologici connesi:* Problemi et orientamenti (Milano 1957) 2.485-488.

[14] Cf. EstEcl 25 (1951) 377-380.

[15] Cf. EstMar 12 (1952) 6.

[16] Cf. E.Sauras, *El misterio de la Asunción y la fuerza teológica que ha alcanzado:* CiencTom 74 (1948, I) 37-97.

[17] Testimonia collecta inveniuntur a C.Balic, *Testimonia de assumptione B.Virginis Mariae ex omnibus saeculis* (Romae 1948), et a J.M.Bover, *La Asunción de Maria* (Madrid 1951) 301-423. Cf. etiam opera iam citata M.Jugie, et O.Faller; G.Gagov *La tradisione dei primi cinque secoli sulla morte c sulla tomba délia B.V.Maria:* MiscFranc 47 (1947) 132-151; A.Rivera, *La muerte de Maria en la tradición hasta la Edad Media:* EstMar 9 (1950) 71-100; M.Gordillo, *La muerte de Maria, Madre de Dios, en la tradición de la Iglesia de Jerusalen:* EstMar 9 (1.950) 43-62.

[18] De quibusdam horum textuum, ut Origenis et S.Ephraem, dubitatur. De S.Ambrosio, cf. Huhn, *Das Geheimnis der Jungfrau-Mutter* 259-269. Pro S.Augustino, in contrarium, T.Gallus, *Ad testimonium "explicitant" S.Augustini de morte B.Virginis:* DivThom 56 (1953) 265-269. De S.Epiphanio, cf. D.Fernández, *De morte et assumptione Mariae iuxta S.Epiphaniam:* EphMar 8 (1958) 385-408; G.Jouassard, *Deux chefs de file en théologie mariale dans la seconde moitié du IV* siècle: saint Epiphane et saint Ambroise:* Greg 42 (1961) 12-14.

[19] Testimonium tamen apocryphorum magna ex parte pendet a quaestione nondum clara de antiquitate et origine eorum.

dormitione Deiparae. Sic Jacobus Sarugensis (saec.VI); Ps.Modestus Hierosolymitanus (saec.VII); S.Germanus[20], S.Andreas Cretensis, S.Ioannes Damascenus (saec.VIII); Theodorus Studita, Theognostus, Joseph Hymnographus (saec.IX); Leo X (saec.X); Joannes Mauripodes (saec.XI); Joannes Phurnensis (saec.XII); Gregorius Palamas, Nicephorus Chumnus, Nicolaus Cabasilas, Isidorus Thessalonicensis (saec.XIV); M.Palaelogus, Georgius Scholarios (saec.XV), etc.

d) A saec.VIII servantur *in Occidente* homiliae et tractatus de assumptione, in quibus docetur mors Mariae. Sic Paulus Winfridus, Paschasius Radbertus (Ps.Hieronymus), alii (saec.VIII); Atto Vercellensjs (saec.X); S.Petrus Damianus, S.Fulbertus Carnotensis, Ps.Augustinus (saec.XI); Guerricus Abbas, Ioannes BelBTTUs, Petrus Abaelardus, Richardus a S.Victore, Gualterus a S.Victore, Amedaeus lyAUSANENSis (saec.XII); S.Martinus Legionensis, Sicardus Cremonensis (saec.XIII), etc.

e) A saec.XIII usque ad saec.XIX *omnes theologi* tenuerunt resurrectionem anticipatam Virginis, sicque intellexerunt Eius Assumptionem. Tantum sciuntur contrarii toto hoc temporis spatio ignotus "Athanasius" italus et anonymus salmantinus.

f) A saec.XIX *paucissimi theologi contrarii* pondus traditionis nullatenus labefactare possunt.

207. 2) *Ex liturgia. a)* Festum, quod in Oriente certo a saec.VI, probabilius a saec.V, dicebatur festum "dormitionis" seu "migrationis", sic etiam vocabatur Romae saltem a saec.VII; ubi deinde appellabatur festum "assumptionis", semper tamen supposita morte[21].

b) In liturgia *orientali* legitur: "Mors tua, o Immaculata, facta est fons in vitam aeternam et meliorem"[22].

c) In liturgia *occidentali* duae maxime inveniuntur orationes liturgicae, in quibus clare affirmatur mors Virginis.

Prima est: "Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem,

30 Cf. Melchior λ S.Maria, *Doctrina S.Germani Const, de morte et Assumptione B.Mariae V.:* Marian 15 (1953) 295-313.

21 Cf. V.Goxzâlëz, *La dormiciôn de Maria en las antiguas liturgias:* EstMar 9 (1950) 63-69. De obiccto festi dicitur in Bulla "Munificentissimus Deus": "Sancti Patres magnique Doctores [festi] sensum atque rem altioribus rationibus proposuere, id praesertim in clariore collocantes luce, quod liturgici libri saepenumero presse breviterque attigerant: hoc nempe festo *non solummodo* B.V.Mariae nullam habitam esse *exanimis corporis* corruptionem commemorari, sed eius etiam ex morte deportatum triumphum...° (AAS 42 [1950] 760).

22 Matut. diei 15 aug., can.l. Cf. A.G.WMlykyj, O.S.B.M., *UAssunsione dclla B.V.Maria Deipara nella liturgia bisantina:* Alma Socia Christi 5,2,46-48.

nec tamen mortis nexibus deprimi potuit...” Haec oratio, paulisper quandoque mutata, habetur iam in Sacramentario Gregoriano, quod Hadrianus I misit Carolo Magno, et permansit in liturgia romana per plura saecula ; nunc adhuc habetur in ritu lugdunensi, mediolanensi et in missali FF.Praedicatorum.

Secunda est: “Subveniat, Domine, plebi tuae Dei Genitricis oratio, quam etsi pro condicione cannis migrasse cognoscimus, in caelesti gloria apud Te pro nobis orare sentiamus”. Haec oratio, quae in eodem Sacramentario iam legebatur, permansit in liturgia romana usque ad annum 1950 [23].

208. 2. Ex ratione theologica. 1) Maria, etsi peccatum originale non contraxit, habuit tamen debitum ipsius. Ergo natura, quam accepit, fuit natura lapsa in Adamo, salvis privilegiis quae explicite probentur. Atqui natura lapsa in Adamo erat mortalis, nec privilegium immortalitatis probatur. Ergo Maria mortua est.

2) Gratia, quam Maria ab initio habuit, fuit gratia redemptionis. Atqui gratia redemptionis secum fert necessitatem moriendi. Ergo Maria mortua est [24].

209. Probatur 2.“ pars. *Nequit* dici factum mere historicum illud quod connexionem immediatam et intrinsecam habet cum aliqua veritate revelata. Atqui talis est mors B.M. Virginis. Ergo non est factum mere historicum.

Min.: Mors in praesenti ordine connexionem habet immediatam et intrinsecam cum peccato originali. Non enim datur in mundo nisi propter illud peccatum. Neque datur pro aliqua persona in particulari nisi propter peccatum contractum, aut propter debitum illius, aut propter ipsius reparationem [25].

23 Oratio "Veneranda” videtur tribuentia Sergio I (687-701), fontibus orientalibus utenti. Oratio "Subveniat” est antiquior. Cf. B.CapelIE. *L'Oraison “Veneranda” à la Messe de ΓAssomption...:* EphThLov 26 (1950) 354-364. De clara affirmatione mortis in hac oratione, ci. B.CapKlIE, *Mort et Assomption de la Vierge dans l'oraison “Veneranda"* (EphLit 66 [1952] 241-251), qui respondet obiectionibus motis a J.R.GeisKlmann, *Die betende Kirchc un\l das Dogma von der Iciblichcn Aufnahmc Mariens in den Himmel:* GLeb 24 (1951) 356-380. Pro traditione liturgica mozarabica, cf. J.Madqz, *La muerte de Maria en la tradiciôn patristica espaüola:* EstEcl 25 (1951) 361-374.

31 Cf. Basilio de San Pablo, C.P., Sï *la gracia de Maria excluye o rcchasa su muerte:* EstMar 5 (1946) 305-345; *La Inmaculada y la m'ucrte de Maria:* EstMar 15 (1955) 303-326; Bernardo de la Inmaculada, C.P., *La muerte de Maria, exigenda de su gracia santificantc:* EstMar 9 (1950) 125-173; Ch.Boyer. S.I., *Raison de la mort de la T.S.Vierge:* StudMar 6 (1950) 125-150; M.Cuervo, O.P., *DI dogma de la Inmaculada y la muerte de Maria:* EstMar 9 (1950) 213-225; E.Sauras, O.P., *La Asuncion de la Santisima Virgen* (Valencia 1950).

25 Cf. B.Apf.rribay, O.F.M., *La muerte de la Santisima Virgen, iproblema metamente histôrico, o tambiên teolôgico?:* EstMar 9 (1950) 18-42.

210. Obiectiones. 1. Tota doctrina de morte Virginis pendet historice *ab apocryphis.* Ergo despicienda est.

1.° *Nego antec.,* nam sunt testimonia priora, omnino independentia ab illis. 2.' *Innuo e contra,* absoluta unanimitas apocryphorum non videtur explicari apte posse historice sine praecedente antiquiore traditione.

2. Saec.V-VI exstabat *traditio Hierosolymitana de immortalitate* B. Virginis; cuius traditionis testes sunt Timotheus, Hesychius, Chrysippus, Acta loannis, Anonymus Placentinus.

Nego talem cxtitisse traditionem.

Textus Timothei valde obscurus est et probabilius truncatus. Est praeterea, ut videtur, posterioris omnino aetatis. Hesychius vocat Alariam "arbustulum incorruptionis" et "paradisum immortalitatis", quia virginaliter edidit Eum qui est vera immortalitas, ut ex contextu patet. Chrysippus frustra adducitur in contrarium eo quod Mariam dicat "virgam lesse semper virentem". Acta Loannis in recensione Ps.Procori dicunt Mariam transiisse "a vita ad vitam"; sed non negant hunc transitum fuisse per mortem. Idem dicendum est de Anonymo Placentino, cum loquitur de domo S.Mariae, "de qua Eam dicunt ad caelos fuisse sublatam".

211. 3. In *liturgia romana* facta est quaedam regressio a saec.IX ad saec.XX quoad affirmationem mortis B.Virginis. Suppressa enim fuit collecta "Veneranda"; et hinc formulae, quae remanserunt "pro condicione carnis migrasse cognoscimus" et "de praesenti saeculo transtulisti" possunt iam intelligi alio sensu.

Nego extitisse talem regressionem. Collecta "Veneranda" non fuit suppressa ex ratione aliqua doctrinali; unde formulae citatae retinent eundem sensum obvium quem semper habuerunt. Ceterum verba illa "etsi pro condicione carnis migrasse cognoscimus" alium sensum habere nequeunt. Bene enim intelligitur Ecclesiam velle ut Dei Genitrix in caelesti gloria apud Deum pro nobis oret, *quamvis,* ut natura sua mortalis, aliquando mortua fuerit; sed non capitur Ecclesiam id ipsum velle, *quamvis* propter specialem condicionem sui corporis translata fuerit in caelum. In hoc secundo casu diceretur "quia", "eo quod", nullo modo "etsi". Quodsi nunc suppressa est secreta "Subveniat", hoc tantum significat in definitione dogmatica *praecisionem* factam fuisse a morte.

212. 4. Antithesis Hcva-Maria secum fert ut Maria sit sicut Heva innocens. Atqui Heva innocens fuit immortalis. Ergo etiam Maria

Resp. l.° Inde fortasse sequeretur pro Maria immortalitas de iure non de facto.

Resp. 2° *Nego mai.* Parallclismus antitheticus inter Hevam et Mariam est tantum in associatione Mariae ad Christum pro reparatione, sicuti Hevae ad Adamum pro ruina.

5. Sed ita figura (Heva) praestantior fuit figurato (Maria). Illa enim habuit immortalitatem, qua haec caruit.

Nego assert. Praestantior est in hoc ordine victoria de morte per ipsam mortem et resurrectionem (sicut in Christo), quam pura immortalitas. Ceterum *nego suppositum,* sc. figuram et figuratum debere convenire in omnibus.

6. Tota ratio moriendi in hoc ordine est peccatum originale.

30 Cf. Gallus, *La Madonna Assunto* 80-84.

Atqui Maria non habuit peccatum originale. Ergo non habuit rationem moriendi. Ergo mortua non est.

Dist. mai. Tota ratio moriendi, id est tota ratio cur mors introducta sit in mundum est peccatum originale, *conc. mai.;* tota ratio moriendi, id est tota ratio cur aliqua determinata persona mortua sit, est peccatum originale, *subdist.:* peccatum originale vel in re, vel in debito, vel in reparatione, *conc. mai.;* praecise in re contractum, *nego mat. Contradist. min.* Non contraxit in re, *conc. min.;* non habuit debitum ipsius, neque cooperavit in eius reparationem, *nego min.*

7. Si Maria est Corredemptrix, Eius cooperatio cum Christo in redemptionem obiectivam terminum habuit in morte Christi. Atqui Eius mors fuit ultra illum terminum. Ergo saltem ex corredemptione non debuit mori.

Dist. mai. Eius cooperatio, sive ut re praestita, sive ut ex intentione oblata et a Christo praevisa, habuit terminum in morte Christi, *conc. mai.;* tantum ut re praestita, *nego mai. Contradist. min.* Eius mors, ut re praestita, fuit ultra illum terminum, *conc. min.;* ut ex intentione oblata et a Christo praevisa, *nego min.*

8. Christus, novus Adam, habuit ius ad immortalitatem, cui renuntiavit ex voluntate Patris. Ergo a pari Maria, nova Heva, habuit idem ius, cui renuntiare non debuit quia nullum erat pro Ipsa praeceptum moriendi.

Nego paritatem. Christus habuit ius ad immortalitatem quia Eius persona erat divina et Eius humanitas substantialiter sancta. Maria vero simile ius non habuit, quia Eius persona ct natura erant ex genere Adami naturaliter, qui donum immortalitatis sibi et posteris amiserat per peccatum.

213. 9. B.Maria Virgo *non potuit mori* ob aegritudinem (propter perfectissimam corporis complexionem), aut ob senectutem (quia et ipsa morbus quidam est), aut ob amoris excessum (quia talis amor fuisset inordinatus), aut ob dolorem (quia passiones in Ea semper fuerunt subiectac rationi), aut ob visionem beatificam permanentem (quia non constat hanc necessario supponere mortem) ; ex alia parte non subiit martyrium. Ergo simpliciter mortua non est.*

Resp. 1° Etsi fugeret nos modus quo Maria mortua est, asserendum tamen esset factum ex rationibus allatis in thesi.

Resp. 2.° Quidquid sit de possibilitate aliarum explicationum, supposita naturali mortalitate Mariae (quam omnino probabiliorem putamus), dicendum est cum Suarez Ipsam obiisse vi amoris et ardentissimi desiderii et intensissimae contemplationis. Nec talis amor potest dici ullo pacto nisi ordinatissimus. Hunc modum mortis ex ardentissimo amore, docent, inter alios, S.Andreas Cretensis, S.Germanus, Isidorus Thessalonicensis, Rupertus, S.Albertus M., S.Thomas a Villanova, Bossuet, S.Franciscus Salesius, S.Alphonsus de Ligorio ”,

Ceterum *duae quaestiones* sedulo distinguendae sunt in hac ma-

27 Cf. M.QuEra, *jEI privilégia de la Inmaculada Conception exige su inmortalidadi:* EstEcl 28 (1954) 581-602; *Una palabra màs sobre el derecho de Maria a la inmortalidad:* ib., 29 (1955) 385-394.

28 Cf. Jugie, 570-577; Roschini, *Mariologia* 2,2,235s.

29 SuârEz, *De mysteriis vitae Christi* d.21 s.l n.4; Gregorio de Jesûs Crücificado, *La muerte de amor de Maria:* EstMar 9 (1950) 239-268; I/.ColomEr, *La muerte de Maria a la lus dei atrior:* EstMar 9 (1950) 269-287.

teria. *Prima est,* quaenam sit radix, seu causa ultima mortis Mariae; *secunda est,* quaenam fuerit eius causa proxima.

Circa primam quaestionem, quidam auctores tenent B.Virginem fuisse ex privilegio immortalem, morti autem subiacuissc ex motu liberi arbitrii, quo privilegio immortalitatis renuntiavit ; unde radix mortis reponenda est in actu libero voluntatis Mariae. Sic Lepicicr, Janssens, Alastruey, Bover; in quam sententiam inclinat etiam Rosellini, eamque tenere debent quotquot, defendentes Mariam fuisse in statu iustitiae originalis, Ipsius mortem admittunt. Alii vero theologi tenent B.Virginem fuisse simpliciter mortalem, non quidem in poenam peccati originalis ex Adamo contracti (cf. D 1073), sed ideo quia status originalis innocentiae deperditus est in Adamo pro tota natura, ideoque pro omnibus descendentibus ab ipso, nec speciale Mariae privilegium probatur; unde radix mortis reponenda est in ipsa naturali mortalitate Mariae. Sic Suarez, Terrien, Htigon, Gorrino, Bittremieux, Merkelbach, Garrigou-Lagrange, Lercher, Basilius a S.Paulo, Sauras, alii. Quae secunda sententia omnino verior videtur M1.

Circa secundam quaestionem, fuerunt in antiquitate Christiana pauci quidam qui tenuerunt B.Virginem subiisse martyrium, ob falsam intelligentiam Lc 2,35". Theologi generatim non admittunt in Maria morbum, aegritudinem, senectutem, per analogiam ad ea quae de Christo dicuntur ". Mortuam esse Mariam cx vi doloris, tenuit S.Petrus Damianus33. Communior theologorum sententia tenet mortem ex intensitate amoris et contemplationis ",

De tempore mortis Mariae nihil fere certi dici potestæ.

Thesis 14. B.Virgo Maria corpore et anima ad caelestem gloriam assumpta est.

Roscnini, *Mariologia* 2,2,279-340 cum bibliographia, quae etiam colligitur a Bover, *La Asuncion de Marla* (Madrid 1951) 425-440; Alastruey, 486-506; MerkElbach, 272-289; L.Krupa, O.F.M., *Theologia assumptionistica et quaestio de morte B.17.Mariae:* Alma Socia Christi 10,35-77; F.S.MuElIER, *Origo divino-apostolica doctrinae evectionis Beatissimae Virginis ad gloriam caelestem quoad corpus* (Oeniponte 1930).

214. Notiones. Assumpta dicitur ab *Assumptione* 1.

1. *Assumptio* significat: a) *Vi vocis,* translationem in caelum mon virtute propria (sicut Ascensio), sed aliena. Quia

80 Cf. Laureano M. de S.Bartolomé, *La Inmaculada y la causa de la muerte dc Maria:* VerVid 12 (1954) 173-201.

31 Cf. Timotheum Hierosolymitanum. *Orat, in prophetam Simconcm:* MG 86,246s; S.Epiphanium, *Panarion* haer.78,11 et 23: MG 42,716.736; S.Paulinum Nolensem, *Epist. ad S.Augustinum:* ML 61,416; S.Augustinum, *Epist. ad S.Paulinum:* ML 33,644; S.Ambrosium, *Expositio in Lucam* 2,61: ML 15,1656; S.Isidorum, *De ortu ct obitu Patrum 67,112'* ML 83,148s (cf. 83,1285s); TusarEdum, *Epist. ad Ascaricum* 11: ML 99,1239s.

32 Cf. S.Th., 3 q.14 a.4.

33 Dc celebrandis vigiliis 1: ML 145,801.

54 Cf. Alastruey, 412-418; MerkElbach, 271; Garrigou-Lacrance, *La Madré dc! Salvador* 133.

35 Cf. U.HohzmEister, *De anno mortis Deiparae:* Marian 4 (1942) 167-182; B.OcErîn-JAurEGUI, *Aivo de la muerte de Maria Santlsima:* VerVid 6 (1948) 115-141.

1 Notiones hae desumuntur ex *Bulla "Munificentissimus Deus"* passim: AAS 42 (1950) 753-771 ; Marîn, 795-813.

animam Mariae a momento mortis in caelo fuisse patet, quaestio ponitur de corpore ab anima informato.

b) *Negative,* immunitatem a corporis corruptione, seu ab eius resolutione in tabem et cinerem.

c) *Positive,* glorificationem caelestem corporis, qualem describit Apostolus: "Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem" (1 Cor 15,33).

2. *Assumptio considerari potest:* a) *Concrete:* prout historice et de facto evenit. Ita sumpta includit mortem (terminum a quo), glorificationem caelestem (terminum ad quem), resurrectionem (viam inter utrumque).

b) *Farmaliter:* prout designat elementum essentiale. Ita sumpta non dicit nisi glorificationem caelestem corporis, praescindendo ab aliis elementis, quae tamen non negat. Formaliter ergo et essentialiter Assumptio habetur, affirmata hac caelesti glorificatione, sive incorruptio et immortalitas obvenerint Mariae sine morte praevia, sive obvenerint post mortem per resurrectionem (cf. 2 Cor 5,2ss). Haec Assumptio formaliter sumpta constituit plenum de morte triumphum, iuxta Apostolum : "Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria..." (1 Cor 15,54s). Haec ergo victoria plena de morte non exigit *ex suo conceptu* resurrectionem, etsi *de facto* resurrectio sit essentialis pars huius victoriae in Christo, eritque similiter pro christianis ex lege generali ; immo etiam in Beata Virgine, ut nobis tenendum videtur.

3. Assumptio corporalis est *privilegium.* Est enim exemptio a lege generali, qua hominum corpora, etiam iustorum, post mortem resolvuntur et nonnisi in novissimo die resurgent. Hoc sensu Assumptio est anticipatio plenae victoriae de morte, quamlibet corruptionem corporis negans.

215. Adversarii. Medio Aevo plures auctores tenuerunt ignorantiam nostram de Assumptione corporali B.Mariae V., maxime sub influxu epistolae Paschasii Radberti ad Paulam et Eustochium, quae ab omnibus tanquam opus S.Hieronymi recepta fuit.

216. Doctrina Ecclesiae [2]. Pius XII : "Pronuntiamus, declaramus et definimus divinitus revelatum dogma esse: Immaculatam Deiparam semper Virginem Mariam, expleto terrestris vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem glo-

2 De testimoniis Pontificum definitione prioribus, cf. G.GeenXn, *L'Assomption et les Souverains Pontifes:* Ang 27 (1950) 327-355.

riam assumptam" s. In hoc textu definitur in recto Assumptio corporea B.Mariae Virginis *formaliter* sumpta. Definitur pariter hanc Assumptionem locum habuisse post finitum cursum vitae terrestris. Quae formula significat *negative,* non expectandum esse ad finem temporum, sicuti in nobis, neque unquam locum fuisse in corpore Mariae corruptioni aut resolutioni ; *positive* autem significat cito fuisse peractam illam Assumptionem, etsi non necessario statim. De tempore enim nihil dicitur. Ceterum formula illa est praecisiva, nihil dicens aut supponens de *modo* quo terrestris vitae cursus finitus sit; sive fuerit per mortem, sive fuerit per superadditam glorificationem. Tandem formula definitionis intelligenda est specificative, non reduplicative: sci. dicitur Assumpta Maria, *quae est* Immaculata, Deipara et semper Virgo; non *qua* Immaculata, Deipara et semper Virgo[4][5].

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica sollemniter definita* B.

217. Probatur ex magisterio ordinario Ecclesiae [6]. Proxime ante definitionem dogmaticam dabatur in magisterio ordinario Ecclesiae consensus universalis circa veritatem et revelationem Assumptionis formaliter sumptae. Atqui talis consensus per semetipsum est certum ac firmum argumentum quod Assumptio formaliter sumpta sit veritas pertinens ad depositum divinae revelationis. Ergo revelatum est a Deo Mariam fuisse in caelum assumptam.

Mai.: Episcopi per orbem dispersi, unamimi fere voce, id testati sunt Romano Pontifici, ab eis ex officio sententiam expostulantir.

Minor patet ; maxime cum agatur de veritate, quae sciri nequit nisi per revelationem, sicuti est glorificatio caelestis corporis Mariae, seu Eius Assumptio formaliter sumpta.

218. Probatur ex traditione[8]. 1. *Ex testimoniis expressis.*

3 *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950); Marîn, 813.

4 Cf. J.A.de Aldama, *Los primeras comentarios de la Bula:* EstEcl 25 (1951) 377-380; F.Macgioni, *o.c.,* 477-544, ubi datur recens biblio^raphia.

e Non defuerunt auctores, qui putarent, Assumptionem definiri tanquam virtualitcr revelatam. Hoc sane mirum fuisset a priori, tum quia non erat ille opportunus locus decidendi controversiam exsistentem inter theologos, tum quia in ipsa commissione theologorum, qui Bullam exararunt, erant theologi pro utraque sententia. Sed et a posteriori potest idem probari ex consideratione Bullae. Ideo putamus etiam nunc, consequenter ad ea quae alibi defendimus, Assumptionem corpoream B.Mariae V. contineri in revelatione formaliter. non tantum virtualiter. Cf. EstEçl 25 (1951) 398-401,393s; P.Parente, *La giustificasione teologica della definisione dommatica dcll'Assunsione:* Studia Mariana 8 (1954) 18-21.

e Cf. *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 756s; Marîn, 799-802.

7 Cf. *Encycl. "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 756: Marîn, 799. Cf. ib. 790-792.

8 Textus colliguntur a C.Baltc, *Testimonia de Assumptione B.V.Mariae ex*

a) *A saec.XVI* usque ad nostra tempora fides in Assumptionem corporalem Deiparae fuit certa et imperturbata. Quaerebatur solum de rationibus ad illam comprobandam, de valore theologico huius veritatis et de eius definibilitate.

b) *Saec.X-XII* in Oriente nulla fuit de ea disceptatio[9]; in Occidente vero influxus epistolae pseudohieronymianae, etsi magnas attulit vacillationes propter auctoritatem quae S.Hieronymo concedebatur, non tamen talis fuit qui praecedentes affirmationes supprimeret, sed e contrario hae prae dubitationibus praevaluerunt[10].

c) *A saec.VI* habentur clara et explicita testimonia de Assumptione, sive in Oriente (Theoteknos, Theodosius Alexandrinus, Ps.Modestus Hierosolymitanus, Ps.Athanasius, Hippolytus Thebanus, S.Andreas Cretensis, S.Germanus, S.Damascenus, Theodorus Studita, Theophanes Nicaenus, et alii) sive in Occidente (S.Gregorius Turonensis, Notkerus, Hincmarus)[11].

d) *Libri apocryphi saec.V VI* sunt testimonia cuiusdam sensus christiani a consideratione vulgaris communisque sortis pro corpore virginali Deiparae in sepulcro penitus abhorrentis.

2. *Ex liturgia.* a) *Festum* Assumptionis celebratur a saec.V, ut videtur, in Syria; a saec.VI in Hierosolymis et fortasse Alexandriae, a saec.XII ex. Romae et in Galliis; a saec.IX in Hispania[12].

Omnibus saeculis, et a J.M.Bover, *La Asunción de Maria* 301-423. Cf. etiam opera citata M.Jugie et O.Faller. Praeterea F.de P.Sola, *La Asunción de Maria en la tradición patrística:* EstMar 6 (1947) 110-135; N.García Garcés, *La Asunción en la himnografia medieval:* EstMar 6 (1947) 403-412; B.Altaner, *Zur Frage der Definibilität der Assumptio B.M.V.:* ThRev 44 (1948) 129-140; J.M.Bover, *La Asunción de Maria* p.1 1.2; C.Piana, *Assumptio B.M.Virginis apud scriptores saec.XIII* (Romae 1942); E.M.Puech, *Assumptionis B.V.Mariae ad mentem Scoti demonstratio:* Ang 23 (1948) 133-137; L.Carli. *La morte e l'Assunzione di Maria SS. nelle Omelie greche dei secoli VII, VIII* (Romae 1941); M.Gordillo, *La Asunción de Maria en la Iglesia española (siglos VII-XI)* (Madrid 1922). De Bulla definitionis cf. P.Franquesa, C.M.F., *El argumento de Tradición segun la Bula "Munificentissimus Deus":* EstMar 12 (1952) 67-123.

[9] Theoriam duplicis Assumptionis, quam suscitavit Jugie, non fundari in verbis theologorum byzantinorum, egregie demonstravit, M.Gordillo, *L'Assunsione corporale della SS.Vergine Madre di Dio nei teologi bizantini (saec.X-XV):* Marian 9 (1947) 64-89.

[10] Cf. S.Alameda, *La desorientación asuncionista de los siglos VIII-XIII y sus causas:* EstMar 6 (1947) 203-221; A.Landgraf, *Scholastikertexte aus der Frühscholastik zur Himmelfahrt Mariens:* ZkathTh 69 (1947) 345-353; G.Marocco, *Nuovi documenti sull'Assunzione nel Medio Evo Latino:* Marian 12 (1950) 399-459; D.Chenu, *La croyance à l'Assomption corporelle en Occident de 1150 à 1250 environ:* EtMar 8 (1950) 13-32; H.Barré, *Dossier complémentaire:* ib., 33-70; *La croyance à l'Assomption corporelle en Occident de 750 à 1150 environ:* EtMar 7 (1949) 63-123.

[11] Cf. G.Jouassard, *L'Assomption corporelle de la Sainte Vierge et la patristique:* EtMar 6 (1948) 99-117; A.Wenger, *L'Assomption de la T.S.Vierge dans la tradition byzantin du VIe au Xe siècle* (Paris 1955); *Un nouveau témoin de l'Assomption: une homélie attribuée à saint Germain de Constantinople:* RevEtByz (1958) 43-58.

[12] Cf. B.Capelle, *L'Assunzione e la Liturgia:* Marian 15 (1953) 241-276;

b) *Obie-ctum festi* erat, non solum negatio, cuiuscumque corruptionis in corpore mortuo B.Mariae Virginis, sed Eius etiam ex morte deportatus triumphus, Eiusque caelestis glorificatio [12][13].

c) *Exempla,* inter alia, afferri haec possunt: "Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum" [14]. "Tibi Rex rerum omnium Deus ea, quae supra naturam sunt, tribuit; sicut enim in partu Te virginem custodivit, sic et in sepulcro corpus tuum incorruptum servavit, et per divinam translationem conglorificavit" [15].

d) Sed quia "Liturgia catholicam non gignit fidem, sed eam potius consequitur, ex eaque, ut ex arbore fructus, sacri cultus proferuntur", nequit dici originem fidei assumptionisticae in festo inveniri, sed illa hoc praecessisse [16].

219. Probatur ex sacra Scriptura [17]. Gen 3,14s. In Protoevangelio annuntiatur plenissima victoria Redemptoris et Matris Eius. Atqui haec victoria non erat solum de peccato, sed etiam de morte. Ergo Maria debuit plenissime vincere mortem. Atqui rursus haec plenissima de morte victoria non habetur nisi per incorruptionem et immortalitatem gloriosam, quae est Assumptio formaliter sumpta. Ergo Maria assumpta est.

Mai.: Supposito sensu mariologico Protoevangelii (cf. n.28), ibi agitur de certamine inter Christum et Mariam ex una parte, et diabolum ex alia. Atqui affirmatur plenissima victoria contra diabolum. Ergo annuntiatur plenissima victoria Christi et Mariae in redemptione.

Min.: Peccatum et mors coniuncta sunt, non solum in

A.RaEs, *Aux origines de la fête de l'Assomption en Orient:* OrChP 12 (1946) 269-274; P.Gassô, G.Brassô, E-M.Llopart, O.Porcel, *La Asunciôn en la liturgia:* EstMar 6 (1947) 137-202. Quoad universalitatem festi, cf. Alma Socia Christi 10,78-431.

13 Cf. *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 760; A.G.WEïvkyj, *L'Assunsione della B.V.Maria Deipara nella liturgia bisantina:* Alma Socia Christi 5,2,36-53.

14 *Sacramentarum Gelasianum* (ed.WiLSON) 97.

15 Liturgia Orientalis in *Menaeis totius anni.*

16 *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950) 760; Marîn, 803.

17 Cf. L.G.da Fonseca, *L'Assunsionc di Maria nclla Sacra Serittura:* Bibi 28 (1947) 321-362: M.Peinador, *La Asunciôn de la Santisima Virgen en la Sagrada Escrituta:* EstMar 6 (1947) 51-98; J.M.Bover, *La Asunciôn de Maria* 1.1: M.JuGiE, *L'Assomption de la Sainte Vierge et l'Écriture Sainte:* AnTh (1942) 1-46 et *La mort ct VAssomption de la Sainte Vierge* p.l." cap.l; A.Bea. *La sacra Scrittura "ultimo fondamento*' del domina deU'Assunsionc:* CivCatt 101 (1950) 547-561; M.Peinador, *De argumento scripturistico in Bulla dogmatica:* EphMar 1 (1950) 27-44; R.RÂbanos, *La argumentaciôn escrituristica en la Bula:* EstMar 12 (1952) 43-66; J.A.de Aldama, *Los primeras comentarios de la Bula:* EstEcl 25 (1951) 390-395.

origine (Rom 5,12ss), sed etiam in victoria qua destruentur per redemptionem (1 Cor 15,21-26).

Min. subs.: Ita expresse docetur a S.Paulo 1 Cor 15,54-57.

220. Confirmatur ex eadem sacra Scriptura[18]. *a)* Sacrae Litterae "almam Dei Matrem nobis velati ante oculos proponunt divino Filio suo coniunctissimam, Eiusque semper participantem sortem. Quamobrem quasi impossibile videtur eam cernere, quae Christum concepit, peperit, suo lacte aluit, Euinque inter ulnas habuit pectorique obstrinxit suo, ab eodem post terrestrem hanc vitam, etsi non anima, corpore tamen separatam".

b) "Cum Redemptor noster Mariae Filius sit, haud poterat profecto, utpote divinae legis observator perfectissimus, praeter Aeternum Patrem, Matrem quoque suam dilectissimam non honorare. Atqui, cum Eam posset tam magno honore exornare, ut Eam a sepulcri corruptione servaret incolumem, id reapse fecisse credendum est".

221. Ratio theologica[19]. 1. *Ex Immaculata Conceptione.* B.Maria «Virgo per suam immaculatam conceptionem plenam obtinuit victoriam de peccato. Atqui haec victoria de peccato non fuisset plena, si non fuisset etiam plena victoria de morte. Ergo Maria plenam de morte victoriam reportavit. Atqui rursus plena victoria de morte supponit glorificationem caelestem corporis. Ergo Maria corpore in caelum assumpta est.

Min.: Si fuit plena victoria de peccato debuit pertingere etiam ad eius consectaria. Atqui primum peccati consectarium est mors. Ergo nisi fuisset plena victoria de morte, non fuisset plena victoria de peccato.

Hoc argumento utitur Bulla *Munificentissimus Deus:* "Arctissime haec duo privilegia [Immaculatae Conceptionis et Assumptionis] inter se connectuntur. Christus quidem peccatum et mortem propria sua morte superavit; et qui per-

18 *Bulla "Munificentissimus Deus":* AAS 42 (1950). De valore huius argumentationis. cf. EstEcl 25 (1951) 31Is.

19 Cf. C.ErIETHOFF, *De doctrina Assumptionis corporalis rationibus theologicis illustrata:* Ang 15 (1938) 3-16; J.M.BovEr, *La Asunción de María* p.l 1.3; E-Esteve. *La Asunción corporal y los principias de la Mariologia:* EstMar 6 (1947) 223-234; Crisóstomo de Pamplona, *La Asunción basada en los grandes privilégias marianos:* ibid., 263-279; A.Luis, *Valoración comparativa de los argumentas con que suele probarse la Avtunción:* ibid., 281-303; B.CapEi.ï.E. *Théologie de l'Assomption d'après la bulle "Munificentissimus Deus":* NouvRevTh 72 (1950) 1009-1027; B.García, *La rasón leológica en la Constitution "Munificentissimus Deus":* EphMar 1 (1951) 45-88; G.Quadrïo, *La ragioni teologiche addotte dalla Costitutione "Munificentissimus Deus" alla luce della Traditione fino al Concilio Vaticana:* ScuoCatt 79 (1951) 1851; B.García, *Teologia de la Asunción. La armonia de las prerrogativas marianas como argumento de la Asunción:* EstMar 12 (1952) 319-358; Th.PhilippE, *Le Mystère de l'Assomption:* EtMar 8 (1950) 183-207.

baptismum superno modo generatus est, per eundem Christum peccatum et mortem vicit. Attamen plenum de morte victoriae effectum Deus generali lege iustis conferre non vult, nisi cum finis temporum advenerit. Itaque iustorum etiam corpora post mortem resolvuntur, ac novissimo tandem die cum sua cuiusque gloriosa anima coniungentur. Verumtamen ex generali eiusmodi lege B.V.Mariam Deus exemptam voluit. *Quae quidem, singulari prorsus privilegio immactdata conceptione sua peccatum devicit, atque adeo legi illi permanendi in sepulcri corruptione obnoxia non fuit, neque corporis sui redemptionem usque in finem temporum exspectare debuit*"

In hac argumentatione putamus terminum medium non esse privilegium Immaculatae Conceptionis, sed plenissimam victoriam de peccato, quae constat nobis ex privilegio Immaculatae Conceptionis [21].

222. 2. *Ex divina Maternitate*[22]. *a)* B.Maria Virgo ex divina Maternitate fuit Christo semper coniunctissima in vita terrestri. Ergo similiter Ei coniungi debuit in vita caelesti. Atqui haec coniunctio non esset perfecta si tantum esset quoad animam. Ergo etiam quoad corpus debuit cum Christo coniungi in caelo.

b) Christus, utpote Mariae filius, debuit Matrem suam quantum potuit honorare (est enim divinae legis observator perfectissimus). Atqui potuit Eam honorare per glorificationem caelestem corporis. Ergo dedit Ipsi hanc glorificationem.

223. 3. *Ex corredemptione* [23]. Maria associata fuit plenissime Christo Redemptori in redemptione peragenda. Atqui redemptio secum fert victoriam plenam non solum de peccato, sed etiam de morte. Ergo Maria debuit plenissime vincere

» AAS 42 (1950) 754; Marín, 797.

21 Cf. EstEcl 25 (1951) 401-106. In eundem sensum E-Cid, *Del dogma de la Inmaculada al de la Asunción:* DivThom (II) 57 (1954) 422-441. Pro copiosa bibliographia de hac quaestione, cf. O.Casado. C.M.F., *Boletin Asuncionista:* EphMar 1 (1951) 147.163.168s. Adde Crisóstomo de Pamplona, *De la Inmaculada a la Asunción:* EstFr 55 (1954) 99-170; M.A.Rossi, O. de M., *Assumptio B.17.Mariae corpore et anima in caelum, quae implicite continetur in privilegio Immaculatae suae Conceptionis:* Alma Socia Christi 7,291-305; Aeg.Caggiano, O.F.M., *De consonantia dogmatis Immaculatae Conceptionis cum aliis catholicis veritatibus:* Ant 29 (1954) 431-435; H.Barré, *Immaculée Conception et Assomption' au XII· siècle:* Virgo Immaculata 5,151-180; Th.Philippe, *Immaculée Conception et Assomption:* EtMar 7 (1949) 141-147.

22 Cf. L.Colomer, *La maternidad divina y la perfecta asociación de Maria a Jcsucristo, fundam'entos de la Asunción:* EstMar 6 (1947) 235-261; H.Bouessé, *De la maternité de Marie a sa glorieuse Assomption:* NouvRevTh 70 (1948) 823-834; G.Frénaud, *Preuve théologique de VAssomption corporelle de Marie, fondée sur le dogme de la Maternité divine:* EtMar 6 (1948) 119-147.

33 Cf. L.Colomer, *l.c.;* Gregorio de Jesus Crucificado, *La corredención o asociación de Maria coni Cristo, recalcada en la "Munificentissimus":* EstMar 12 (1952) 158-163; M.J.Nicolas, *Assomption et Corédemption:* EtMar 7 (1949) 161-173.

mortem. Atqui haec victoria non fuisset perfecta, si Maria corruptioni sepulcri obnoxia fuisset atque glorificationem corporalem usque ad finem temporum exspectare deberet. Ergo Maria assumpta est corpore in caeluin.

Min. subs.: Talis enim victoria de morte communis est omnibus redemptis, sed non est propria Corredemptricis, sicut etiam propria non fuit Redemptoris.

ARTICULUS II

De Matre Redemptoris, omnium Regina

224. Quamvis Maria sit Regina ex sua ipsa missione essentiali, apte tamen consideratur hic Eius regalitas, quasi splendorem regni definitive acquisierit post suam assumptionem.

Thesis 15. B.V.Maria vere est Regina.

Roschini, *Mariologia 2,1,221-233; Royauté de Marie;* Maria (Du Manoir) 1,601-618; Alasïruey, 801-821; MerkElbacii, 382-391; M.J.Nicolas, *La Vierge-Reine:* RevThom 45 (1939) 1-29.207-231; A.Luis, *La réalésa de Maria* (Madrid 1942); *La réalésa de Maria en l?s ultimos veinte anos;* EstMar 11 (1951) 221-251; H.du Manoir, *La royauté de Marie. Etat de la question d'après Γencyclique "Ad caeli Reginam";* Maria ct Ecclesia 5,121-172.

225. Notiones. Regina dicitur *metaphorice* mulier, quae habet quandam praeeminendam in aliquo ordine rerum. *Proprie* autem dicitur mulier, quae sive per seipsam, sive ratione sui sponsi aut filii supremam dignitatem ac potestatem in societate perfecta participat.

Titulus “Dominae” affinis est titulo “Reginae”, eamdemque realitatem designat.

Patet in ordine supernaturali lesum Christum esse unicum universorum Regem plene, proprie et absolute. Maria vero dicitur regina temperate et analogice[3]. Hoc tamen defendentes, asserimus in thesi factum tantum, praescindentes interim ab ulteriore inquisitione de natura huius marianae regalitatis.

226. Doctrina Ecclesiae. Maria in antiquioribus Conciliis (v.gr. Constantinopolitano III, Nicaeno II) et a SS.Pontificibus communiter (Martino I, S.Agathone, Innocentio III, Bonifatio IX, Sixto IV, etc.) dicitur primum quidem Domina, deinde etiam Regina, Regina caelorum (Sixto IV, Sixto V, Urbano VIII, Clemente XIII, Pio IX, Leone XIII),

3 Cf. Pius XII, *Encycl. "Ad caeli Reginam";* AAS 46 (1954) 635; Marîn, 902 p.803.

Regina caeli (Paulo V, Innocentio XI, Innocentio XII, Clemente XI, Pio VI, S.Pio X), caeli et terrae Regina (Benedicto XIV, S.Pio X), Regina mundi (Leone XII, Pio XII), Regina angelorum et Sanctorum (Pio XII), et plura his similia [2].

Pius XII anno 1942 scripsit: "Ut norunt siquidem omnes, quemadmodum Christus lesus universorum Rex est et Dominus dominantium, cuius in manibus sunt positae singulorum civium populorumque sortes, ita alma Eius Genetrix Maria Regina mundi a christifidelibus omnibus honoratur, ac tantam apud Deum obtinuit deprecatricem potentiam... Sicut omnia aeterno Dei nutui obediunt atque obtemperant, ita quodammodo asseverari potest Deiparae Virginis precibus Unigenae sui benignitatem semper respondere annuentem; time praesertim, cum eadem Beata Virgo fruitur sempiterna in caelis beatitate, ac triumphali redimita corona Angelorum est hominumque consalutata Regina" [3].

Idem Pius XII anno 1946 in nuntio radiophonico ad Lusitaniam, veritatem marianae regalitatis eiusque titulos proclamavit [4].

Tandem anno 1954 festum universale Mariae Reginae instituit, Eiusque regalitatis factum, titulos, naturam explanavit [5].

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica ex magisterio ordinario.*

227. Probatur ex sacra Scriptura[6]. Lc 1,30-35. Maria ibi apparet Mater divini Regis, qui quidem concipitur et nascitur vere Rex, non postea tantum assumitur in regnum.

228. Probatur ex traditione[7]. a) *Ex SS.Patribus.*

2 Cf. P.I/UIS, C.M.F., *La. réalésa de Maria en los documentas cclesidsticos:* EphMar 5 (1955) 317-331.

3 *Epist. "Dwn saeculum9':* AAS 34 (1942) 126; MarIn, 699.

4 *Nuntius radiophonicus ad Lusitaniam:* AAS 38 (1946) 264-267; MarIn, 734-738.

5 *Encycl. "Ad caeli Reginam":* AAS 46 (1954) 625-640; Marîn, 899-904. De qua encyclica cf. M.Peinador, *Propcdéutica a la enciclica "Ad cacli Re·ginYim":* EphMar 5 (1955) 291-316; J.Galot, S.I., *Reine de VUnivers:* NouvRevTh 77 (1955) 491-505; J.A.DE Aldama, *Enscnansas mariològicas del ana mariano:* Salm 1 (1954) 734-736; B.ApKrribay, *La enciclica "Ad Caeli Reginam" y la réalésa de Maria:* VerVid 18 (1955) 137-149,325-347.

6 Cf. J.C.Fenton, *Our Lady's Queenship and the New Testament Teach, ings:* Alma Socia Christi 46 (1954) 625-640; H.CazElies, *La Mère du Roi-Messie dans l'Ancien Testament:* Maria ct Ecclesia 5,39-56.

7 Textus collegit Barrî, Lki *royauté de Marie pendant les neuf premiers siècles:* RechScRel 29 (1939) 129-162.303-334; *La royauté de Marie au XII· siècle en Occideret:* Maria et Ecclcsia 5,93-120; A.Luis, *La réalésa de Maria 32-77.* Cf. etiam T.B.Falls, *The Queenship of Mary in the Church Fathers:* Alma Socia Christi 3,87-92; A.C.Rush, C.SS.R., *The Quecnship of Mary in early Assumption. Literature:* ib., 111-121; A.Rivera. C.M.F., *La tradiciôn en la enciclica "Ad caeli Reginam":* EphMar 5 (1955) 335-352; M.Gordillo *La réalésa de Maria en los PP.Orientales:* EstMar 17 (1956) 49-58; F.P.Solâ, *La réalésa de Maria en los PP.Occidentalcs:* ib., 59-75.

Primi scriptores ecclesiastici vocant saepe Mariam "matrem Regis", "matrem Domini", alludentes ad Lc 1,30-35 et 1,43. Sic, inter alios S. Gregorius Nazianzenus, S. Ephraem, Prudentius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Sedulius, Basilius Seleuciensis. Hinc facile vocarunt Eam Dominam (Ps. Origenes, S. Hieronymus, S. Chrysologus, Epiphanius Const., Ps. Modestus), Reginam (S. Andreas Cretensis, S. Germanus, S. Damascenus). Qui tituli saec.VI-VII valde iam usurpantur. Sic S. Ildephonsus Toletanus: "O Domina mea, dominatrix mea, dominans mihi, Mater Domini rnei..., Domina inter ancillas, Regina inter sorores".

b) *Medio Aevo* haec doctrina, omnino communis, apparet saepissime. Praecipue in hac re sunt recensendi Alcuinus, Hincmarus, Josephus Hymnographus, Ioannes Geometra, Ioannes Eucaitensis, S. Petrus Damianus, S. Anselmus, S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Albertus M., Gerson.

Similia plura recurrunt *in hymnis latinis* huius temporis[8].

c) *Aevo moderno* nominandus omnino est S. Petrus Canisius, qui etiam obiectionibus contrariis Protestantium respondet. Suarez non semel loquitur de regalitate Mariae, tamquam de re omnino clara ex qua ad alia probanda arguit. Similiter Salazar et plures alii. Hanc doctrinam directe et expresse investigarunt, post indicationes Suarezii, Bartholomaeus de los Rios et Chrystophorus Vega. Quibus adiungendus est S. Alphonsus M. de Ligorio[9].

d) Consonat *Liturgia*[10], tum Orientalis tum Occidentalis, ut v.gr. in antiphonis *Regina caeli, Ave Regina caelorum* atque in precatione *Salve Regina.* Recentissimo tempore in novo festo liturgico Mariae Reginae.

e) His adde *Litanias lauretanas* atque quintum glorio-

[8] Cf. Serapio de Iragui, *La Mediaciôn de la Virgen en la himnografia latina de la Edad Media* 297-399.

[9] S. Petrus Canisius, *De Maria Virgin'c incomparabili* 5,13; Suarez, *De Mysteriis vitae Christi* d.3 s.5; d.22 s.2 n.4; Salazar, *Expositio in Proverbia Salomonis* 8,15; Vega, *Theologia Mariana* pal.27 cert.I-III. Cf. A. Munster, *La Souveraineté de la Vierge d'après les écrits mariologiqiics de Barthélemy de los Rios, O.E.S.A.* (Gand 1946); F. J. Connell, C.SS.R., *St. Alphonsus and the Queenship of Mary:* Alma Socia Christi 3,122-126; Ismael de Santa Teresita, *La réalésa de Maria cn los autores carmclitas de los siglos XVI-XVII:* EstMar 17 (1956) 151-205; Julien-Eymers d'Angers, *La royauté de Marie d'après les écrivains franciscains du XVIII9 siècle:* Maria et Ecclesia 5,121-172.

[10] Cf. J. C. Fenton, *l.c.f* 69-79; R. V. Callen, *Selected signs of Mary's universal Queenship in medieval liturgy:* Marian 16 (1954) 441-464; G. Frénaud, *La royauté de Marie dans la liturgie:* Maria et Ecclesia 5,57-92; B. M. Girbau, *La réalésa de Maria en' las liturgias bisantina y siro-antioquena:* EstMar 17 (1956) 76-94; A. Rivera, *De liturgia festi B.M.V.Reginae:* ib., 193-196; J. Martînez de la Hidalga, *La réalésa de Maria en la liturgia hispano-visigoda:* ScriptVict (1956) 45-61.

sum mysterium marialis Rosarii, “quod potest caelestis Reginae mystica appellari corona”.

f) Testis tandem est eiusdem fidei frequentissimus mos Deiparae Virginis imagines *coronandi,* manu aut delegatione expressa SS.Pontificum

229. Ratio theologica, a) *Ex divina maternitate.* Maria vere est mater Filii Dei ; sed Filius Dei est Rex ; ergo Maria est Mater Regis, seu Regina.

De hoc argumento scripsit Pius XII : Quia Mariae annunciator Filius in aeternum regnaturus et Ipsa dicitur Mater Domini, “facile eruitur Ipsam quoque esse Reginam, quippe quae Filium genuerit, qui eodem momento quo conceptus est, propter hypostaticam humanae naturae cum Verbo unionem, Rex etiam ut homo erat et rerum omnium Dominus” [12].

b) *Ex consortio cum Christo Rege.* Christus est Rex, non solum quia est Filius Dei, sed etiam quia est Redemptor ; atqui Maria huic Redemptori munere associatur ut Corredemptrix; ergo est etiam Regina.

De hoc argumento scripsit Pius XII: “Si Maria in spirituali procuranda hominum salute cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quamdam recapitulationem peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi Matrem delectam ut redimendi generis humani consors efficeretur... : inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia Mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit” [13].

Ex his duobus argumentis constant etiam *veri tituli* regalitatis marianae, qui, pressius loquendo, in hoc coincidunt, quod Maria Regina dicitur et est propter suam specialem

[11] De his omnibus cf. *Encycl. “Ad caeli Reginam”:* AAS 46 (1.954) 267-633.

[12] Ib. 633; Marín, 902; E.Lamirande, *The universal Queenship of Mary and her Maternity:* Marian 16 (1954) 481-507.

[13] Ib. 634s: Marín, 902 p.802s. Cf. R.Bradjcic, *Rationes naturam reginae potestatis B.κ.Mariae illustrantes:* Marian 20 (1958) 190-208.

coniunctionem cum Christo Rege, quae coniunctio et maternalis est et in opere redemptionis peragendo 1[*]

230. Ulterior theologica explicatio. Posito facto marianae regalitatis eiusque fundamentis seu titulis enumeratis, quaerendum est de eiusdem regalitatis intima natura. Qua in re non una fuit theologorum sententia.

Alii enim conceptum regalitatis marianae ex conceptu *regis* explicare voluerunt. Cum vero rex proprie dicatur ex triplici potestate, legislativa, iudiciali et exsecutiva, "qua, si caruerit, principatus vix intelligitur", eandem triplicem potestatem BA^irgini tribuere conati sunt. Sic De Gruyter, Mura, Moore 15.

Alii autem conceptum regalitatis marianae ex conceptu *humanae reginae* explicarunt. Regina dicitur ex intima coniunctione cum rege, a quo dignitatem regiam mutuatur. Eius vero influxus regius in eo est, quod in cor et animum regis, precibus suis atque suae personae amabilitate influat in bonum subditorum. Hi auctores maxime invocant verba P.Suârez: "Quasi explicans vel limitans Ps.Athanasius hoc dominium, dicit esse secundum sexum femineum, ac si diceret esse tale, quale esse solet in uxore vel matre propter conjunctionem ad regem"16. Hinc Maria vere dicitur Regina quia Mater divini Regis, Eique in opus redemptionis intime sociata, influxum maternum suis precibus coram Filio in favorem hominum exercet. Ideo Eius potestas regia est potestas deprecativa et intercessionis in distributione gratiarum. Sic Barré, Dillenschneider, Nicolas, Roschini, Luis, Santonicola, alii

Sunt tandem *alii theologi,* qui analogiam ex conceptu regis et ex conceptu reginae eodem modo reicientes, novam ingrediuntur viam et regalitatem Mariae ex excellentia, influxu, privilegiis matris in familia explicare intendunt. Mariae scilicet regia potestas est tota maternalis, eamque exercet iure materno. Patet hoc exercitium ad meram interecessionem coarctari non posse, sed ad veram actionem in filios extendi,

M Excludendus est titulus naturalis hereditatis, a quibusdam theologis commemoratus. Cf. SalmanTicenses, *Dc Incarnatione* tr.21 p.4 disp.32 dub.l.

10 De Gruyter, *De B.Maria Regina* (Buscoduci 1934) 144ss; Mura, *Le Corps Mystique du Christ* (Paris 1934) 2,157s; K.B.Moore, O.C.D., *The fact and the nature of the Queenship of Mary:* Alma Socia Christi 3.64-67.

,e *Dc Mysteriis vitae Christi* d.22 s.2 n.4.

17 Barré, *Marie, Reine du monde:* EtMar (1937) 21-75; M.J.Nicolas, *La Vierge Reine:* RevThom 45 (1939) 207-231; Roschini, *La royauté de Marie:* Maria (Du Manoir) 1,607-618; A.Luis, *La réalésa de Maria en los ultimos veinte aiios:* EstMar 11 (L951) 221-251; A.M.Santonicola, *La regalità di Maria* (Milano 1942): Alma Socia Christi 3,127-156.

supcrnaturalem ipsis perfectionem conferendo. Sic Garcia Garces 18.

231. Ut aliquid in hac quaestione breviter definiamus, dicendum videtur:

1.° Regalitas Mariae non est explicanda ex analogia cum conceptu regis humani. Id, inter alia, suadet ratio seu tituli, quibus mariana regalitas consistit. Hinc, ex hoc capite, non est quaerenda triplex regia potestas, quae regis propria est.

2.° Regalitas Mariae ex conceptu matris explicanda non est. Matris enim et reginae formalitates duae et diversae sunt; quarum conceptus accurate separari debent, etsi in una eademque persona realiter verificentur, regnumque Christi cum familia quadam Dei reapse coïncidât.

3.° Regalitas Mariae aptius explicatur ex conceptu reginae apud homines. Id constat ex ipsius fundamento, quod in intima coniunctione cum Rege ponendum est. Hinc, ex hoc capite, explicari debet ex efficacissima deprecativa potentia in favorem hominum.

4.° Regalitas Mariae excedit conceptum humanae reginae, etsi cum eo analogice conveniat. Id obtinet ex modo singulari suae coniunctionis cum Rege. Et quidem:

a) Ex coniunctione maternali cum Christo Rege consequitur in Ipsa regalis quidam splendor et celsitudo, creaturarum omnium excellentiam exsuperans. Unde super omnes post Filium obtinet principatum. Haec valent de tota creatione et ideo iure dicitur Maria Regina mundi.

b) Ex eadem coniunctione maternali cum Christo Rege consequitur in Ipsa speciali modo excellentia supra omnes creaturas intellectuales in ordine supernaturali. Cum enim divina maternitas plenitudinem gratiae Ipsi concedat, supremum post Christum perfectionis gradum, atque ideo verum, etsi subordinatum, in regno Christi principatum obtinet.

c) Ex coniunctione cum Christo Rege in opus redemptionis peragendum, consequitur in Ipsa regalis facultas dispensandi thesauros regni, qui sui vere sunt, non tantum quia sunt Sponsi sui Regis, sed etiam quia eos acquisivit, simul cum Ipso, propriis suis meritis suaque compassione.

d) Ex natura vero horum bonorum, quae intima est et ad intellectus et voluntates pertingens, influxus Eius efficacia in animas ipsas subditorum exercetur sive hic influxus moralis tantum sit atque in linea intercessionis, sive etiam

18 N.García Garcés, *De regali Corde B.V.Mariae:* EphMar 4 (1955) 169-190.

in linea physicae causalitatis, iuxta diversas theologorum sententias.

Dicitur ergo Maria Regina per analogiam cum reginis huius mundi, sed excellentiori modo. Sicut enim Christus et reges humani reges analogice dicuntur, ita tamen ut Christus sit principale analogatum quia plenius possidet triplicem regiam potestatem idque ex titulo omnino veriori et profundiori, sic Maria et reginae humanae reginae analogice dicuntur, ita tamen ut principale analogatum sit Maria, utpote conjunctionem cum Rege arctiori modo obtinens atque hinc et altiorem splendorem ac potestatem possidens et influxum in subditos verius intimiusque exercens [10].

ARTICULUS III

De cultu exhibendo Matri Redemptoris

232. Investigavimus hucusque qualem Deus fecerit Mariam, Matrem scilicet virginalem Redemptoris, ideoque Matrem etiam nostram, prout Eidem associatam in opere ipso redemptionis. Restat ut consideremus officia nostra erga Ipsam. Haec officia erunt sine dubio officia filialis pietatis erga Matrem caelestem, fiduciae et orationis erga dispensatricem gratiarum omnium, gratitudinis et devotionis erga Matrem Redemptoris et nostram Corredemptricem[1]. Sed haec omnia supponunt fundamentalem relationem nostram erga Ipsam, scilicet cultum, quem Ei praestare debemus. De quo nunc agendum est.

Thesis 16. Beatissimae Virgini Mariae debetur cultus absolutus hyperduliae.

S.Th., 3 q.25 a.S; Suârez, *De Mysteriis vitae Christi* d.22; Alastruey, 833-846; Roschini, *Mariologia* 2,3,13-20; Merkelbach, 392-413; E.Dublanchy, *Mariez* DTC 9,2439-2453.

233. Notiones. Cultus, seu adoratio, est actus quo quis alteri se submittit in signum excellentiae et superioritatis eius.

Cultus dicitur absolutus, si terminatur ad ipsam personam propter excellentiam ipsius; *relativus,* si terminatur ad aliud obiectum propter connexionem cum excellentia personae.

10 Cf. J.A.de Aldama, *Considcraciones sobre la réalésa de Nuestra Sciiora:* EstEcl 30 (1956) 459-468. Vide etiam G.M.Roschini, *Nature de la royauté de Notre-Dame:* NouvRevMar (1956) 130-145; G.van RooijEn, *A cssencia da réalésa dc Maria:* RcvEclBras 16 (1956) 130-145; et tractationes G.Jouassard, M.J.Nicolas, R.Gagnebet, H.Holstein in vol.5 collectionis *Maria et Ecclesia.*

1 Cf. Roschini, *Mariologia* 2,3,21-41; AlastrüEy, 871-888.

Cultus ratione excellentiae potest esse : a) *latriae,* ob excellentiam divinam ; b) *duliae,* ob excellentiam supernaturalem creatam; c) hyperduliai·;, ob excellentiam utique creatam, sed omnino singularem.

B.Virginem non esse colendam cultu absoluto latriae, patet. Per se posset Ei tribui cultus latriae relativus, ob Eius unionem physicam cum Deo, quae omnino maior fuit quam quae in cruce invenitur. Plie tamen cultus in concreto utpote a personali dignitate praescindens, abusibus pluribus ortum facile dare posset estque proinde improbandus 2.

Cultus hyperduliae fundatur in excellentia singulari, quam habet B.Virgo Maria, eo quod sit mater Dei ; quae dignitas, quamvis creata, est secundum quid infinita, Eamque facit pertinere ad ordinem hypostaticum. Hinc patet hyperduliam differre specie a dulia, qua veneramur Sanctos. Alia quaestio est, utrum cultus praestitus B.Mariae Virgini ob Eius plenitudinem gratiae et singularia dona, qui certe hyperdulia etiam dici potest, specie differat a dulia; quod melius negatur3.

234. Adversarii. 1) Cultum absolutum latriae tribuerunt Virgini mulieres quaedam saec.V in Arabia, quae eo quod Virgini tanquam deae collyrides, seu panes, offerebant in sacrificium, *collyridianae* dicuntur4.

2) *Protestantes* cultum Virginis habuerunt ut idololatricum s.

3) Haec eadem postea multipliciter repetita fuerunt a *lansenistis* maxime in opere *Monita salutaria* ° ; necnon a modernis rationalisas, affirmantibus cultum Mariae ortum habuisse in Ecclesia ex infiltrationibus paganis saec.IV propter ingentem multitudinem conversorum ex paganismo

235. Doctrina Ecclesiae. 1) *Concilium Tridentinum* sess.26 decr. de invocatione et veneratione Sanctorum (D 984 986).

2) Alexander VIII damnavit propositionem : "Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est" (D 1316) ; quae desumpta est ex *Monitis Salutaribus:* "Laus, quae mihi defertur ut mihi, vana est; laus, quae mihi defertur ut matri, et ancillae Domini, sancta est" 8.

3 Cf. Suarez, *De Mysteriis vitae Christi d.2 s.2* n.2.
8 Cf. Merkelbach, n.220.
4 Cf. S.Epiphanium, *Panarion* haer.79,1: M.G 42,740s.
6 Cf. Canisium, *De Maria Virgine incomparabili* 5,11-17; C.CrïvElli, *Notre Dame et les Protestants:* Maria 1,675-693.
« DillenschneidER, *La Mariologie de S.Alphonse dc Liguori* 1,41-67.
7 Cf. Düblanchy, *Marie:* DTC 9,2445, ubi citatur praecipua bibliographia.
8 WindENFEld, *Monita salutaria...* monito 6; cf. Bourassé, *Sumnfa Aurea* 5,156s.

3) Pius VI contra Synodum Pistoriensem (D 1571).

4) Leo XIII multipliciter auxit cultum B.Virginis, maxime suis Encyclicis de Sanctissimo Rosario. Eius tempore S.Rituum Congregatio scribebat: "Eminentiori venerationi supra ceteros Sanctos colit Ecclesia Reginam et Dominam Angelorum, cui, in quantum Ipsa est mater Dei, debetur non qualiscumque dulia, sed hyperdulia" [9]. Similiter in encyclica "Augustissimae Virginis", in qua praeterea, distinguens inter cultum Deo tribuendum et cultum dandum Sanctis, addit: "Implorandae vero Virginis ritus aliquid habeat cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus Ipsam compellet, quibus exoratur Deus: peccatorum miserere" [10].

5) *Codex Iuris Canonici* cn.1255 praescribit: "Beatae Mariae Virgini [debetur] cultus hyperduliae".

6) Pius XI scripsit: "Cur igitur novatores atque acatholici non pauci tam acerrime nostram reprobant in Deiparam Virginem pietatem, veluti nos cultum subducamus uni Deo debitum? An nesciunt iidem, neve attente considerant, nihil posse Iesu Christo gratius obvenire, qui in Matrem suam magno profecto flagrat amore, quam si Eam pro merito veneremur, impense redamemus, Eiusque sanctissima imitantes exempla validum patrocinium Eius conciliare studeamus?" [11].

236. Valor dogmaticus, *a)* Mariae non esse tribuendum cultum latriae, est *de fide divina et catholica,* ex magisterio ordinario, si agatur de cultu absoluto; si vero agatur de culto relativo, est *sententia communis et certa, b)* Mariae esse tribuendum cultum hyperduliae in genere, est *doctrina catholica;* cultum hunc esse specie differentem a communi cultu duliae, est *sententia communior et probabilior.*

237. Probatur ex traditione a) *A temporibus apostolicis* usque ad saec.IV in. dantur testimonia implicita non pauca pro cultu invocationis erga B.Virginem. A saec. enim II ex. nota est veneratio Sanctorum; cum autem eo tempore privilegia supernaturalia Mariae (maternitas divina, virginitas, mediatio) satis sint in omnium confessione, patet Ecclesiam non fuisse alienam a veneratione Virginis. Quin immo a saec.II habentur plures imagines Mariae in catacumbis, sicut in caemeterio Priscillae (saec.II-III) et in caemeterio SS.Petri et Marcelliani (saec.III-IV). Tandem, cum

[9] Cf. ASS 16,526.
[10] ASS 30,133; Marín, 453. Pius XI anno 1935 sic ad Virginem oravit: "Immaculata Regina Pacis, miserere nobis". Cf. Marín, 647.
[11] *Encycl. "Lux veritatis":* AAS 23 (1931) 513; Marín, 633.
[12] Cf. Dublanchy, *Marie:* DTC 9,2439-2452.

ante medium saec.IV cultus Mariae appareat communiter in Ecclesia, nec historia assignare possit aut tempus aut locum, quibus inceptus fuerit, concludendum est illum esse antiquissimum et cum originibus christianismi connecti.

Notandum adhuc est dari etiam hoc tempore (saec.III-IV) documentum aliquod explicitum, scilicet anthiphona mariana "Sub tuum praesidium".

238. b) *Saec.iy* S.Epiphanius damnat eas mulieres, quae Mariae tribuebant cultum latriae: sed affirmat Eam esse venerandam 1S. S.Ambrosius, proponens Mariam ut exemplar virginum, eas hortatur ut a BjVirgine impetrent gratias necessarias 14. In *Actis S.Mariae Aegyptiacae* apparet recursus huius mulieris paenitentis ad Mariam. Templa eriguntur iam hoc tempore in honorem B.Mariae Virginis. Festa tandem mariana habentur a saec. saltem IV 15.

239. c) *A saec.V* cultus Mariae, sive liturgicus sive privatus, notissimus est. Patres et scriptores ecclesiastici loquuntur de singulari et supereminente cultu Dei Genitricis. Sic Ps.Modestus Hierosolymitanus, S.Ildephonsus Toletanus, S.Ioannes Damascenus 10.

d) *Aevo Medio* apparet expresse doctrina de hyperdulia in S.Thoma, S.Bonaventura, Scoto et aliis communiter.

e) *Aevo Moderno* S.Petrus Canisius eximie defendit cultum Mariae Virginis contra insectationes protestantium. Similia habet S.Laurentius a Brundusio. Deinde contra IanSenistas maxime S.Alphonsus M.de Eigorio.

240. Ratio theologica. Cultus absolutus specificatur ex excellentia personae cui tribuitur. Atqui excellentia B.Virginis est omnino singularis. Ergo Ei debetur cultus singularis. Atqui rursus ille cultus nequit esse latriae. Ergo recte dicitur hyperduliae.

Mai.: Obiectum formale cultus est excellentia personae cui tribuitur. Ergo ab hac specificatur.

Min.: B.Virgo est mater Dei. Atqui haec excellentia est omnino singularis, infinita secundum quid et ordinem hypostaticum attingens 1T.

« *Panarioli* liaer.79: MG 42,751.753; cf. etiam MG 35, 1181; 46,909-912.
M *Dc institutione virginis* 13,83: ML 16,325.
18 Cf. Laurentin, *Court Traité* 48s.56.147s.
M Ps. Modestus Hier., *Encomium in B.V.:* MG 86,3303; S.Ildephonsus TolET., *De perpetua virginitate S.Mariae:* ML 96,105; S.Ioannes Damascenus, *Dc fide orthodoxa* 4,15: MG 94,1168.
n Cf. P.StraETEr, *Sinndeutung der Maricnverchrung:* Katholische Marien-Kunde 3,345-384; M.Gordillo, *Fondamcnto teologico dei culto dclla Fcrgine Madre di Dio presso gli Orientali:* Alma Socia Christi 5,2,1-16. Plura circa cultum marianum in eodem fasciculo et in vol.9 eiusdem collectionis.

241. Scholion 1. *De origine Christiano cultus mariant.* Rationalistae plures tenent cultum B.Virginis originem habuisse in cultu pagano deae-matris, qualis erat Isis, Artcnias aut Istar. Hoc patet admitti nullatenus posse theologice ex iam probatis. Sed neque historice. Vidimus enim cultum Virginis in doctrina revelata de Eiusdem excellentia fundari. Neque ut dea Ipsa colitur, sed ut creatura, quamvis nobilissima. Et ubi primum pagana infiltratio occurrit, Ecclesia illam ut haeresim damnat[18].

242. Scholion 2. *De speciali cultu Immaculati Cordis Mariae.* Cultus erga Immaculatum Cor Mariae multipliciter propagatur nunc in Ecclesia. Specialissima commendatio ipsius habetur a Pio XII: "Quo vero ex cultu erga augustissimum Cor lesu in christianam familiam, immo et in omne genus hominum copiosiora emolumenta fluant, curent christifideles ut eidem cultus etiam erga Immaculatum Dei Genitricis Cor arcte copuletur". Rationem autem desumit ex munere Corredemptricis. Cultum denique describit tamquam "pietatis, amoris, grati expiantisque animi studia" ie. De eius legitimitate et sensu pauca theologice explicanda sunt[20].

a) *Cor* Mariae designat in hac devotione integrum subtectum vitae interioris Virginis, cum duplici activitate appetitiva et intellectiva. Continet ergo Cor corporeum, connexionem intimam habens cum vita psychologica, maxime appetitiva, ideoque hanc vitam, praecipue amorem, naturaliter designans[21]. Sic in decreto S.Rituum Congregationis: "Hoc porro cultu Ecclesia Cordi Immaculato B.Mariae Virginis debitum honorem tribuit, cum sub huius Cordis symbolo Dei Genitricis eximiam singularemque animae sanctitatem, praesertim vero ardentissimum erga Deum ac lesum Filium suum amorem, maternamque erga homines divino sanguine redemptos pietatem devotissime veneratur"[22].

243. *b)* Excellentia omnino singularis vitae affectivae

[18] Cf. Merkeuiach, n.222.

[10] *Encycl. "Haurietis Aquas* AAS 48 (1956) 352. Cf. J.A.de Aldama, *La cnciclica "Haurietis Aquas* Salm. 4 (1957) 158s; F.Lakxer, *Daf Rundschrciben Pius XII "Haurietis Aquas' und der Kult des unbcflecktcn Herzens Marias:* Cor lesu 1,723-780.

[20] Cf. Alastruih', 846-853; Roschini, *Mariologia* 2,3,43-45; J.Arragain, C.I.M., *Introduction à la théologie du Coeur de Mane:* Alma Socia Christi 6,2,1-29.

[21] Cf. GrEcorio de Jesus Crucificado, *Objcto material y formal del culto al Corazôn Inmaculado de Maria:* EstMar 4 (1945) 265-299; M.I.lamEra, *El corazôn fisico de la Virgen jes tanibiénl objeto-sujeto del culto cordimariano T:* EstMar 4 (1945) 407-410; F.Parente, *Oggcto c legittimità del culto del Cuore Inwnacolato di Maria (Jl Cuore Immacolato de Maria,* Corso di conferenzc, Roma 1946) 9-30; J.Cai.veras, *Objcto del culto al Corazôn de Maria. Rcajustando la terminologia:* EstMar 7 (1948) 371-386; N.García Garcés, *De Immaculato Cordc B.M.V., seu quid veniat nomine "cordis" et quodnam sit obiectum proprium cius salutiferae devotionis:* EphMar 2 (1953) 3-24, vel Alma Socia Christi 6,2,30-53.

[22] Cf. AAS 37 (1945) 50.

in Maria Dei Genitrice hominumque Corredemptrice, singularem etiam cultum meretur. Haec excellentia participatur ab Eius Corde corporeo, propter naturalem redundantiam affectuum et propter excellentiam ipsius personae Virginis. Quae quidem sunt theologica *fundamenta* huius cultus specialis.

244. *c)* Omissis allusionibus *biblicis,* in quibus primum fundamentum huius devotionis continetur in aetate *patristica* quaedam referunt de Corde Mariae Origenes, S.Gregorius Thaumaturgus, S.Ephraem, S.Ambrosius, S.Augustinus, Prudentius, S.Petrus Chrysologus, S.Amphylochius, S.Germanus, S.lldephonsus. *Medio Aevo* plura tradunt Paulus Warnefridus, Ps.Anselmus Lucensis, Guitbertus Abbas, S.Anselmus, Bruno Astensis, Rupertus Tuitiensis, Honorius Augustodunensis, Eadmerus, Godefridus, Hugo Victorious, S.Bernardus, S.Albertus, Richardus a S.Laurentio, S.Bonaventura, lacobus a Voragine, Gerson, S.Bemardinus Senensis [24], S.Antoninus Florentinus, alii. Hoc etiam tempore devotio erga I.Cor Mariae apparet saepe in hymnis[20]. *Aevo moderno* initio recensendi sunt maxime S.Thomas a Villanova, B.Ioannes de Avila[2β], Salmeron, S.Petrus Canisius, S.Franciscus Salesius[27][28]

Sed verus cultus publicus Immaculati Cordis instauratur a S.Ioanne Eudes. Eius opera plures Episcopi in Gallia approbarunt hunc cultum, qui ab illo tempore plurimum propagatus est. Post illum nominantur PP.Pinamonti et Gallifet; sed maxime S.Antonius M.“ Claret[23].

Festum liturgicum, post varia discrimina rerum (1648-1855), ubi primum approbationem pro illud petentibus obtinuit a Pio IX anno 1855, paulatim extensum fuit, donec a Pio XII institutum est pro tota Ecclesia anno 1944[20].

25 Cf. G.Puerto, *Fundamcntos dogmôticos de la dcvociôn al Corazôn de Maria:* EstMar 3 (1944) 223-266; M.Peinador, *El Corazôn de Maria cn los Evangclios:* EstMar 4 (1945) 11-58.

21 Cf. D.Scaramuzzi, *Il dottore del Cuore Immaculato di Maria: San Bernardino da Siena (Il Cuore Immacolato di Maria)* 169-195.

23 Cf. N.Garcîa Garcés, *La dcvociôn al Corazôn de Maria cn la pocsia religiosa de la Edad Media:* EstMar 4 (1945) 173-264.

20 Cf. J.Cai.veras, *La dcvociôn al Corazôn de Maria cn cl “Libro de la V.Maria” del B.Avila:* Manr 17 (1945) 296-346: 18 (1946) 3-20.221-256; N.Garcîa Garcés, *El B.Avila, Apôstol del Corazôn de Maria:* Maestro Avila 1 (1946-47) 13-29.123-146.

27 Cf. J.M.Bover, *Origen* y *desenvolvimicnto de la dcvociôn. al Corazôn de Maria cn los Santos Padres y escritorcs cclesiôsticos:* EstMar 4 (1945) 59-172; F.dE P.Solâ, *La dcvociôn al Corazôn Inmaculado de Maria en Espaiia:* EstMar 4 (1945) 411-461.

28 Cf. G.Postius, *Il culto del Cuore Immacolato di Maria attraverso* i *secoli (Il Cuore Immacolato di Maria)* 31-54.

20 Cf. E.Pujoi.rXs, *La festa liturgica del Cuore Immacolato di Maria (Il Cuore Immacolato di Maria)* 107-141.

245. *d)* In cultu Immaculati Cordis Mariae eminet *consecratio.* Postquam iam a saec.XAH sive in Hispania (opera praecipue P.Bartholomaei de los Rios et antea P.Ioannis de los Angeles)[30], sive in Gallia (ope scholae P>erullianae) ideae alicuius consecrationis B.Virgini primum suum fructum dederunt[31], ab initio saec.XX saepe et constanter promotum est desiderium consecrationis totius mundi Immaculato Cordi Mariae. Huic augendo desiderio plurimum contulerunt apparitiones B.Virginis in Fatima. Quibus desideriis benigne annuens Pius XII, mundum sacravit Immaculato Mariae Cordi die 31 octobris 1942, et rursus in Basilica Vaticana die 8 decembris 1944 [32].

Consecratio est actus, quo nos nostraque omnia libere Deo submittimus, Eius in nos dominium recognoscentes. In tantum ergo possibilis est consecratio B.Virgini, Eiusque Cordi, in quantum Ipsa dominium habet; hoc autem habet profecto tanquam totius mundi Regina. Terminus proprius consecrationis est ipsa persona Virginis. Expresse vero nominatur Eius Cor immaculatum, quia includit Eius amorem, qui nos ad redamationem inducit[33].

e) Simul cum consecratione ad cultum Immaculati Cordis pertinet *reparatio*[34], cuius, ut vidimus, meminit Pius XII in encyclica "Haurietis Aquas": "grati expiantisque animi studia".

246. Scholion 3. *Devotio erga B.Pirginem Mariam, pignus praedestinationis.* Devotionem erga B. Virginem esse signum praedestinationis, est veritas quae passim habetur in populo Christiano, quaeque ab ipso magisterio Ecclesiae docetur. Sic Benedictus XV: "Quare Ecclesia ipsa pluribus liturgicis precibus a B.Maria Virgine efflagitat, ut hominibus instante morte conflictantibus misericors ad-

00 Cf. J.B.Gomis, *Esclavitud Mariana. Fr.Juan de los Angeles y su Cofradia de Esclaves y Esclavas:* VerVid 4 (1946) 25.9-286.

31 Cf. A.Luis, *Precedentes histôrioos de la consagraciôn al Corasôn de Maria:* EstMar 4 (1945) 463-519.

32 Cf. AAS 34 (1942) 345s. Dc hac consecratione loquitur Pius X)П in *Encycl. "Haurietis Aquas",* l.c.

33 Cf. J. BittremiEux, *Consecratio mundi Immaculato Cordi B.Mariae Virginis:* EphThLov 20 (1943) 99-103; J.Lebon, *Los fondements dogmatiques de la consécration au Coeur Immaculé de Marie* (Liège 1946); Roschini, *La conscсrasione al Cuore Immacolato di Maria {Il Cuore Immacolato di Maria)* 55-78 et in *Marioloaia* 2,3,224-228; C.Feckes, *Die Wcihe der Kirche und der JVelt an Maria:* Katholische *Marienkunde* (Straeïer) 3,323-344; G.Geenen, O.P., *Les antécédentes doctrinaux et historiques dc la consécration du monde au coeur immaculé de Marie:* Maria 1,825-873; E.PujolrXs, C.M.F., *Fondamenti dommatici délia conscсrasione al Cuore Immacolato di Maria:* Alma Socia Christi 6,2,82-95; J.M.Canal, *La consagraciôn a la Virgen y a su Corasôn Inmaculado:* Virgo Immaculata 12,221-348; J.A.de Aldama, *La fôrmula de consagraciôn a Nuestra Seiîora de la cofradia esclavista de Alcald:* Salm 8 (1.959) 477-481.

31 Cf. A.Rivera, C.M.F., *La reparaciôn en la dcvociôn al Inmaculado Corasôn de Maria:* Alma Socia Christi 6,2,157-170; et plura quae colliguntur in vol.8 fasc.2 collectionis *Virgo Immaculata.*

sit; constantissima vcro apud christifidcles opinio est, diuturno probata experimento, quotquot eadem Virgine utantur Patrona, eos haud esse in aeternum perituros" x. Pius XII: "Cultus Deiparae Virginis, qui ex Sanctorum virorum sententia index est praedestinationis..."

Fundatur haec doctrina in dictis scriptorum antiquorum, ut S.Germani et S.Anselmi ", theologorum ut Novati, Doctorum Ecclesiae ut Bellarmini et S.Alphonsi M.de Ligorio, atque aliorum pluriumæ.

Sane non agitur de signo quodam infallibili, quod esse nequit praeter divinam revelationem. Multo autem minus agitur de signo quasi magico, opera bona et media salutis obligatoria excludente aut négligente. Sed ex unione intima Mariam inter et Christum, Beatissima Virgo non potest non ducere efficaciter animas ad Eum. Ex alia vero parte Mediatrix et Dispensatrix gratiarum non negabit summam praedestinationis gratiam suis devotis. Cum praesertim Ipsa iura quaedam singularia habeat in gratias quae filiis suis conceduntur.*

247. Scholion 4. *De cultu S.Ioseph.* Vidimus supra S.Ioseph esse vere sponsum Mariae, quamvis virginalem (n.77s), esse quoque vere patrem lesu, quamvis virgineum (n.114). Potest etiam quaeri utrum S.Ioseph pertineat ad ordinem hypostaticum. Connexio quaedam specialis inter eum et realizationem unionis hypostaticae vix negari potest. Suârez insinuavit quaedam esse ministeria, quae ordinem unionis hypostaticae attingunt, inque eo ordine esse S.Ioseph, quamvis in infimo eius gradu[40]. Hoc idem plures tenuerunt theologi post Suârez. Quorum nonnulli tenent S.Ioseph pertinere ad illum ordinem intrinsece. Sed melius et communius dicitur pertinere tantum extrinsece, moraliter et mediate[41].

Hinc sane exsurgit specialissima S.Ioseph dignitas, cui correspondent necesse est specialis quoque cultus. Talis cultus, qui ab aliquibus theologis antea dictus est cultus summae duliae, dici bene potest cum recentioribus cultus *protoduliae.* Qui est specialis quidam cultus et singularis, intra limites tamen duliae.

Et sane dignitas S.Ioseph et omnino singularis est, et si infinitatem dignitatis Matris Dei nullo modo attingit, ad eam tamen propius accedit quam dignitas omnium aliorum Sanctorum, utpote cum ordine hypostatico, licet extrinsece, arctis-

35 *Litt. Apost. "Inter sodalicia":* AAS 10 (1918) 182; Marîn, 556
99 *Encycl. "Mediator Dei":* AAS 39 (1947) 584.
* MG 98,300.309.320.341.349.356; ML 158,956.
M Novati, *De cminvnlia Deiparae* 2.404; Bellarminus, *Opera oratoria postuma* (ed. Tromp) 6,695; S.Alpiionsus, *Lc gloric di Marie* c.l.
80 Cf. J.Beumer, *Maricnverchrung, Zeichcn und Mittcl der Auscnvahlung:* Katholische Marienkunde (StraETEr) 3,210-225.
40 *Dc Mysteriis vitae Christi* d.8 s.l n.10.
41 Cf. B.Llamera, *jPertcnecc S.José al orden hipostâticof:* CiencTorn 71 (1946,11) 250-281.

sime coniuncta. Iam vero hoc postulat cultum et venerationem, quae superet ordinariam venerationem aliorum Sanctorum [42].

APPENDIX

De cultu et veneratione Sanctorum

Thesis 17. Sancti in caelo degentes cultu duliae colendi sunt.

S.Th., *Suppl, q.72* a.2; Pesch, 4,628-647; Muncunill, *De Verbi Divini incarnatione* 1224-1228.1236-1247.

248. Notiones. Quid sit cultus et dulia, superius iam diximus (cf. n.233).

In caelo degentes. Quia etiamsi possint quoque per se coli sancti qui sunt in terra, dummodo sufficienter constet de eorum sanctitate, quia tamen de eorum perseverantia certi esse ordinarie non possumus, colendi non sunt nisi post mortem. Tunc autem habemus plenam certitudinem de eorum sanctitate, cum ab Ecclesia infallibiliter canonizantur.

Adversarii. *Protestantes,* calumniantes catholicos quasi Sanctos pro diis haberent.

249. Doctrina Ecclesiae, a) *Conc. Romanum anni 993* (D 342) : honoramus servos, ut honor redundet in Dominum.

b) *Conc. Tridentinum* s.22 c.3 (D 941) et cn.5 (D 952): in honorem Sanctorum offeruntur Missae, ut eorum intercessionem obtineamus apud Deum.

c) *Conc. Tridentinum* s.25 (D 984) definit liceitatem cultus Sanctorum ; quod deinde in professionem fidei tridentinam transivit (D 998).

d) Hoc totum valere etiam pro viris perfectis, docuit Innocentius XI contra Molinos (D 1255).

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

250. Probatur ex traditione, *a)* SS.Patres saepe loquuntur de cultu Sanctorum. Sic v.gr. dicunt nos venerari Sanctos propter eorum sanctitatem (R 81), vel quia sunt amici Dei et ut orent pro nobis (R 2378) ; docent mortem Sanctorum, maxime martyrum, commemorari a christianis (R 572) ;

[42] Cf. F.Hormaeche, *Derecho de San José a la protodulia:* EstEcl 6 (1927) 4-37; Isaïe de Castel SanpiETRO, *Du droit de saint Joseph au culte de protodulie:* EtFranc 47 (1935) 129-142.257-270; B.Llamera. *Introducción a la teología de San José'.* CiencTom 66 (1944,1) 255-275.

eis tamen dari cultum omnino diversum ac cultum qui debetur Christo (R 1109); ideo eis non constitui altaria, quia nostra veneratio eorum non ea est ut eisdem etiam sacrificia offeramus (R 1603).

b) Cultus martyrum constat in quotidiana praxi Ecclesiae, vel a primis temporibus, etiam in catacumbis.

c) Adsunt plures sermones SS.Patrum de Sanctis ad populum in anniversaria eorum celebratione.

d) Constat tandem veneratio traditionalis imaginum et reliquiarum Sanctorum.

251. Probatur ex ratione theologica, *a)* Personae excellentiam supernaturalem habenti debetur cultus religiosus, eius excellentiam agnoscens. Atqui Sancti habent talem excellentiam. Ergo eisdem debetur cultus.

b) Hic cultus specificatur ex excellentia ipsa Sanctorum, quibus tribuitur. Atqui haec excellentia non est divina aut intrinsece coniuncta cum ordine hypostatico, sicut in B.Virgine. Ergo Sanctorum cultus non est cultus latriae aut hyperduliae, sed simpliciter cultus duliae.

252. Obiectio. Aliqui Patres videntur improbare invocationem Sanctorum. Sic v.gr. S.Ambrosius dicit: "ad Deum suffragatore opus non est, sed mente devota"

Nego assertum. De loco citato S.Ambrosii dicendum est, S.Ambrosium ibi affirmare tantum, Deum non egere suffragatore ut cognoscat necessitates nostras; sed non negat nos debere uti his suffragatoribus et intercessoribus coram Deo'.

253. Scholion. *De veneratione reliquiarum et imaginum.* Reliquiae stricte dicuntur ea quae supersunt ex corporibus Sanctorum defunctorum ; latius ea etiam quibus ipsi dum viverent usi sunt, aut quae ipsorum corpora, vel mortua, tetigerunt. Cultus, qui tribuitur reliquiis, est cultus relativus, utpote qui ad eas terminetur propter connexionem quam habent cum persona ipsorum Sanctorum. Cultus reliquiarum sollemnis est in tota traditione ecclesiastica, ut vel ipsa Acta Martyrum abunde testantur. Ipsum saepe sancivit magisterium Ecclesiae. Sic Conc. Nicaenum II (D 304) damnans eos qui reliquias martyris proiiciunt; Conc. Romanum anni 993 (D 342) approbans carum cultum; Conc. Constantiense (D 679) contra wicleffitas et hussitas; et maxime Conc. Tridentinum in sessione 25 (D 895) contra protestantes, et in professione fidei (D 998).

Imaginum cultus est etiam relativus. Defensio huius cultus contra iconoclastas facta est praecipue a Conc. Nicaeno II (D 302 304). Eandem doctrinam tradiderunt Conc. Constantinopolitanum IV *(D* 337) et Conc. Tridentinum in sessione 25 (D 986 998)[*]

1 *Commentarius in epist. ad Romanos* 4,22: ML 17,58.

2 Plura de verbis SS.Patrum apud Bellarminum, *De Ecclesia triumphante* 1.1 c.19.

2 De hac quaestione cf. Pesch, 4,648-671; C.EmSRBaV, *Iconoclasmc:* DTC 7,575-595; V.GrumEl., *Images (culte des)*·. DTC 7,766-844.

TRACTATUS III

De gratia

Auctobe

P.Severino Gonzalez, S.I. (t).

IIANC EDITIONEM PARAVIT

P.Iosephus F. S/^GÜÉS, S.I.

INTRODUCTIO

Nexus tractatus. Gratia illa, qua Deus protoparentes ornaverat in paradiso, quamque ipsi peccato amiserunt, per Christum Dominum generi humano restituitur. Igitur, nos, hac gratia praediti, iuvamur et ad recte agendum et ad fructuose appetendam salutem aeternam; quae quidem, hac ratione, iam nunc in terris inchoatur, consummabitur autem post mortem visione intuitiva. Ideo, post tractatum de Christo Redemptore, venit dicendum de ipsius gratia, per quam meritum passionis eius hominibus communicatur\

Conceptus gratiae. Nomen gratiae, in re theologica, a *gratis* dictum esse videtur. Ita S.Paulus ad Rom 11,6: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia,* Et S.Augustinus, *In Io* 3,9: “Quid est gratia? Gratis data”... (R 1807 1851 1473).

Iam vero, praetermissis aliis acceptionibus, de quibus utiliter conferes 1.2 q.l 10 a.l, gratia definitur:

a) Latiori sensu: *Donum ex benevolentia collatum.* Ubi, sub nomine *doni* (elementum materiale), intelligitur quodlibet beneficium divinum, naturale vel supernaturale, v.gr. creatio, libertas, etc. Quod quidem ex *gratuita benevolentia* (elementum formale) confertur, non autem ex necessitate, iustitia, etc.

b) Pressiori sensu: *Donum supernaturale, a Deo creaturae rationali gratis concessum, in ordine ad vitam aeternam.* Explico singula:

Donum, hoc est, beneficium. In hoc convenit cum donis ordinis naturalis, quae veniunt sub nomine gratiae, latiori sensu acceptae. In sequentibus vero apponitur differentia.

Supernaturale, id est, prorsus indebitum, ita ut non debeatur nec constitutive, nec consecutive, nec exigitive; superadditur ergo naturae, superans eius essentiam, vires et exigentias. Hinc quod sit donum gratuitum.

A Deo. Cum enim gratia sit aliquid Dei, Ipse solus potest evadere auctor illius.

Creaturae rationali, Unicum subiectum capax recipiendi gratiam est creatura rationalis, hoc est, angelus et homo. Irra-

l *Concilium Tridentinuvi* s.6 c.3 (D 795).

tionalia enim nequeunt accipere gratiam, cum haec sit participatio quaedam vitae intellectualis Dei.

Gratis, tum ex parte Dei, quia ad id non tenetur, etiam posita creatione; tum ex parte hominis, quia ipsi non debetur nec physice, nec moraliter, ex solis operibus naturalibus.

In ordine ad vitam aeternam. Hic est enim finis ultimus gratiae, vita aeterna seu visio intuitiva Dei. Gratia est via ad hanc, et quaedam quasi inchoatio ipsius gloriae [2].

Divisiones gratiae. Quamvis de notioribus gratiae divisionibus infra erit loquendum, tamen opus est ut nonnullas iam ab initio praemittamus.

a) *Gratia Dei et gratia Christi.* Utraque gratia, entitative spectata, est una eademque gratia. Sed dicitur *gratia Dei* illa quae fuit data angelis et primis parentibus ante lapsum, independenter a meritis Christi, ex sola Dei benignitate; appellatur autem *gratia Christi* ea quae datur post peccatum originale, propter merita Christi.

b) *Gratia increata et creata.* Dicitur *gratia increata:* tota Trinitas sese communicans beatis in Patria et iustis in terris; *creata* vero intelligitur quodlibet donum gratuitum Dei, ab eoque distinctum.

c) Gratia creata, alia est *externa,* id est, quae extra animam datur, v.gr. Ecclesia, sacramenta, etc. ; alia *interna* seu donum animae intrinsecum.

d) *Gratia gratum -faciens et gratis data.* Primam intelligimus, quae per se ordinatur in spiritualem utilitatem recipientis, v.gr., gratia sanctificans; alteram vero quae per se datur in aliorum utilitatem, qualia sunt charismata (1.2 q.111 a.1).

e) Rursus, gratia gratum faciens dividitur in gratiam *actualem* et *habitualem.* Gratia actualis est illa quae datur per modum auxilii transeuntis ad salutariter operandum. Habitualis vero quae confertur per modum habitus sive qualitatis permanentis.

f) Nunc vero, pro diversis muneribus quae gerit, gratia actualis, alia est *elevans* (si confertur ad eliciendum actum supernaturalem) ; alia *sanans* (si medetur tantum ignorantiae vel concupiscentiae) ; alia *excitans,* alia *adiuvans;* alia *sufficiens,* alia *efficax.*

Conceptus historicus doctrinae de gratia. Huiusmodi conspectum exhibent historici dogmatum. Ex catholicis,

[2] De notione gratiae in Scriptura cf. J.HaspKCker et F.MvssnBk, *Gnadc:* LThK 4 (1960) 977-980 et 980-984.

Schwane, 'fixeront, De Groot...; ex acatholicis vero, Harnack, Loofs, Seeberg, etc. Auctoribus catholicis addi potest I.VAN der Meersch, *Grâce:* DTC 6 (1920) 1554-1687. Forma autem brevissima id praebet Lange, *De gratia* 7-18. Etiam H.Rondet, S.I., *Gratia Christi: Essai d'histoire du dogme et de théologie dogmatique* (Paris 1948) ; J.Auer, *Gnade:* LThK 4 (60) 984-991. Praecipua documenta Ecclesiae de gratia colligit F.de Lanversin, S.I., *La doctrine de la grâce dans les documents de l'Eglise:* Carthage 418 - S.Célestin - Orange 529 - Trente (Beyrouth 1956).

Divisio tractatus. S.Thomas doctrinam de gratia tribus capitibus complectitur: 1) *De gratia Dei,* hoc est, de necessitate, essentia et divisionibus gratiae (1.2 q.109-11). 2) *De eius causis,* tum ex parte Dei tanquam causae efficientis, tum ex parte hominis sese disponentis ad gratiam (q.112). 3) *De ipsius effectibus,* seu de iustificatione et merito (q,113s).

Nos autem, ut melius adhaereamus evolutioni historicae ipsius doctrinae de gratia, primum dicemus *de exsistentia gratiae in genere,* deinde *in specie de natura gratiae tum habitualis tum actualis,* ac tandem *de fructibus gratiae, seu de merito.* In singulis autem thesibus assignamus singulos articulos Doctoris Angelici, quos interpretari contendimus [8].

[8] De conceptu tractatus de gratia cf. G.Philips. *De ratione instituendi tractatum de gratia nostrae sanctificationis:* EphemThL 29 (1953) 354-373; K.Rahner, S.L, *Gnade:* LThK 4 (1960) 1010-1014.

SIGLA ET BREVIATIONES

Supplementum ad tractatum "De gratia"

AmEcclRcv	The American EcclesiasticalReview.
AnTh	L'Année Théologique.
Aug	Augustiniana.
AugMag	Augustinus Magister (Congrès International Augustinien, Paris 21-24 Septembre 1954).
Bijdr	Bijdragen.
Burg	Burgense.
Cath	Catholica.
CiuD	La Ciudad de Dios.
CIRev	The Clergy Review.
CollMcchl	Collectanea Mechlinensia.
EunDoc	Euntes Docete.
EvL	H. Brunottf. - O. Weber, Evangelisches Lexikon.
FoiV	Foi et Vie.
ThGeschGeg................	J. Auber - H. Volk, Théologie in der Geschichte und Gegenwart.
GiorMet	Giornale di Metafisica.
1st	Istina.
Heythjourn	The Heythrop Journal.
Interp	Interpretation.
LThK	J. Hofer – K. Rahner, Lexikon fur Théologie und Kirche.
KerDog	Kerygma und Dogma.
Lum	Lumen (Vitoria).
PalCl	Palestra del Clero.
ProblOr	Pontificia Facoltà Teoi.ocica di Milano, Problemi ed Orientamenti di Teologia Dommatica.
RechAug	Recherches Augustiniennes.
RechBibl	Recherches Bibliques.
RevisBibl	Revista Biblica.
RevDiocNam	Revue Diocésaine de Namur.
RevÊtAug	Revue des Études Augustiniennes.
RevThPh	Revue de Théologie et de Philosophie.
SemEspT	Semana Espanola de Teologia.
ThZsch	Thcologische Zeitschrift.
Thom	The Thomist.
WissWeish	Wissenschaft und Weisheit.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Omissis his operibus generalioribus, de quibus in tomo I dictum est, praecipua pro hoc tractatu signamus:

Beraza, B., S.I., *De gratia Christi'* (Bilbao 1929).

Billot, L., S.I., *De gratia Christi'* (Roma 1954).

Boyer, C., S.I., *De gratia divina* (Roma 1957).

Bozzola, C., S.I.-Greppi, C., S.I., *De Verbo Incarnato et de Gratia et de Virtutibus* (Neapoli 1948).

Brinktrine, J., *Die Lehre von der Gnade* (Paderborn 1957).

Daffara, M., O.P., *De gratia Christi* (Roma 1950).

Dieckamp, F.-Jussen, *Katholische Dogmatik, t.2* (Munster i. W. 1959).

Escudero, J., S.I., *Tractatus de gratia...* (Comillas 1944).

Garrigou-Lagrange, R., O.P., *De gralia* (Torino-Roma 1946).

Huarte, G., S.I., *Tractatus de gratia Christi* (Romae 1923).

Lange, H., S.I., *De gratia* (Friburgi Br. 1929); Id., *Im Reich der Gnade* (Regensburg 1934).

Lennerz, H., S.I., *De gratia Redemptoris* (Roma 1949).

Lumbreras, P., O.P., *De gratia* (Roma 1947).

Muncunill, J., S.I., *Tractatus de gratia Christi* (Barcinone 1927).

Neveut, E., C.M., *Les multiples grâces de Dieu* (Paris 1940).

Pohle, J.-Gummersbach, J., S.I., *Lehrbuch der Dogmatik, 2* (Paderborn 1956).

Solá, G., Pbter., *Tractatus de gratia Christi* (Barcelona 1958).

Van Der Meersch, J., *Grâce:* DTC 6 (1920) 1554-1687; Id., *Tractatus de divina gratia* (Brugis 1924).

Consulentur etiam valde fructuose alii auctores paulo antiquiores: J. Hermann, C.SS.R.; L. Janssens, O.S.B.; B. Jungmann; G. Lahousse, S.I.; G. Mazzella, S.I.; P. Murray; G. Van Noort; D. Palmieri, S.I.; N. del Prado, O.P.; S. Schiffini, S.I.; R. Tabarelli; P. Villada, S.I...

CAPUT I

De exsistentia gratiae

P.Lombardus, *Sent.* 2,28-29; S.Th., 1.2 q.109; S.BonavEntura, *In 2 Sent.* d.28; Scotus, *In 2 Sent.* <1.28; Aecidius Romanus, *In libros Sententiarum* 2,28; Suarez, *De gratia* 1.1s; 1.10; SalmanticKkses, *Cursus theologicus* tr.14 d.1;3; J.L.Berti, *De theologicis disciplinis* 1.18 c.1-8; 1.14s; Beraza, *De gratia Christi* 172-448; II.Lance, *De gratia* 20-310.659-696; H.mn. Val. *Sacra theologia dogmatica* t.2 n.l4s; ZurizarrEta, *Theologia dogmatico-scholastica* t.3 q.3; Escudero, *De gratia* 11-119.

1. Gratiam exsistere facile constabit si eiusdem necessitatem, gratuitatem, supernaturalitatem et universalitatem demonstraverimus. Quae quidem omnia, simul ac probant exsistentiam gratiae, iam quodammodo adumbrant modum vel proprietates quasdam gratiae in genere spectatae. Ideo, nobis dicendum est, totidem articulis, de *necessitate, gratuitate, supernaturalitate, universalitate* gratiae.

ARTICULUS I

De necessitate gratiae

2. Cum actus humani concipiantur duplicis generis, alii supernaturales, alii naturales sive ethice honesti, quaeritur num gratia sit necessaria ad utrumque genus actuum. Respondendum est affirmatae, quamvis diverso gradu et mensura. Et quidem prius disputabimus de *actibus salutaribus,* de his enim antiquiores exstitere controversiae; deinde dicemus de *naturaliter honestis,* de quibus posteriori tempore lites exortae sunt.

Iam vero, inquirentes necessitatem gratiae ad actus salutares, asserimus hanc necessitatem et *de omni in genere actu salutari,* et in specie *de quibusdam actibus qui constituunt initium fidei.* Postea vero, venientes ad necessitatem gratiae quoad actus naturaliter honestos, duo erunt perpendenda: 1) *Quid natura lapsa possit absque gratia,* scilicet, perficere aliquos actus ethice honestos, ita ut non omnia opera peccatorum et infidelium sint peccata. 2) *Quid vero non possit sine gratia,* nimirum, diu observare totam legem seu vitare omnia peccata gravia, diu vitare omnia peccata venialia, diu perseverare in iustitia accepta.

Attamen diversa ratione requiritur gratia ad actus salutares et ad actus naturaliter honestos. Ad priores eliciendos dicenda est necessaria, quia laboramus physica impotentia; ad posteriores vero, quia, etsi habeamus potentiam physicam, immo et moralem quoad aliquos actus, caremus tamen potentia morali quoad omnes.

I. De necessitate gratiae elevantis.

Thesis 1. Ad omnes actus salutares requiritur gratia interna.

S.Th., 1.2 q.109 a.5s; Lbkchbr-Laknbr, 244-255; Bbraza, 176-193; Lancb, 33-55.

3. Notiones. Actus salutaris intclligitur actus, sive mere internus sive coniunctus cum opere externo, qui "ad salutem pertinet vitae aeternae" (D 180). Est igitur actus liber hominis, qui, non tantum negative, sed etiam positive ducat ad animae salutem. Conducentia haec positiva (quae proinde maior est quam mera remotio impedimentorum) habetur diversimode in duplici genere actuum. Alii enim sunt, qui ita immediate conducunt ad vitam aeternam, ut illam vere mereantur; alii autem sunt, quorum conducentia magis mediata est, et consistit in dispositione ad iustificationem, in qua vita aeterna continetur inchoative. Illi primi actus fiunt a iustis, ideoque supponunt iam gratiam sanctificantem. Hi ultimi fiunt a peccatore, ideoque ponuntur ab eo qui gratia sanctificanti caret. Nos in thesi consideramus maxime hoc ultimum genus actuum, qui *pure et simpliciter salutares* dicuntur, cum actus illi meritorii iustorum a fortiori gratiam et exigant et supponant.

Requiritur, seu gratia est simpliciter necessaria, ita ut sine ipsa nequeat exerceri actus salutaris. Haec autem necessitas dicenda est a) *physica,* quatenus sine gratia, homo solis viribus physicis nequit ponere hos actus; *b)* et *absoluta,* non hypothetica tantum vel relativa, quia in hoc ordine salutis de facto nullus actus salutaris elici potest absque gratia sub nulla hypothesi, v.c. ignorantiae, impotentiae, etc.

Gratia interna, id est, donum illud, de quo supra, a Deo indebite immissum animae nostrae eiusque potentiis superioribus, et quidem (quod hic non determinatur) sive sit gratia actualis sive habitualis. Non ergo sufficit gratia externa, qualis est lectio, praedicatio vel motio potentiarum inferiorum;

sed exigitur influxus immediatus Dei in animam. Natura vero eius influxus latius explicabitur postea.

Itaque asserimus requiri physice et absolute gratiam internam ad exercendum quemlibet actum salutarem. Seu negative: homo, solis naturae viribus, nequit physice elicere ullum actum salutarem, sine ulla exceptione.

4. Adversarii. 1) Pelagius, eiusque discipuli Caelestius et Iulianus Aeclanensis, initio saeculi V, tenebant sufficere vires naturales ad assequendam vitam aeternam. Distinguentes inter possibilitatem, voluntatem et actum ipsum, *possibilitatem* ponebant in natura, quae a Deo homini donata est, eoque sensu dicebatur ab ipsis "gratia"; *voluntatem* tribuebant libero arbitrio, quod, semel a Deo datum ut potentia, a solo homine actuabatur; *actum* conferebant homini, quatenus nihil aliud erat nisi naturalis libertatis exercitium. Compulsi autem argumentis catholicorum, agnoverunt gratias externas tanquam utile adiutorium, sed semper negarunt necessitatem gratiae internae voluntatis; videntur aliquando concessisse gratiam internam intellectus [1]

2) *Rationalistae* [2] quatenus docent hominem posse devenire naturaliter ad possessionem omnis veri et boni (D 1808).

5. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus* in pluribus capitibus et in sua clausula (D 135-138 141) docet necessitatem gratiae. *Arausicanum II* cn.7, et *Tridentinum,* cn.1-3 s.6 exhibent gratiam internam tanquam simpliciter necessariam ad actus salutares (D 180 811-813. Cf. 797s 809). *Vaticanum* paraverat hanc definitionem: "Si quis dixerit naturae rationalis facultatem sine divina per Iesum Christum gratia sufficere ad aliquod opus bonum, quod ad iustitiam et vitam aeternam disponat, a.s."[3].

6. Volor dogmaticus. 1) Gratiam internam requiri ad eliciendos actus salutares, est veritas *de fide divina et catholica definita.* 2) Insuper, requiri physice et absolute, est saltem *certa interpretatio dogmatis.*

7. Probatur ex Sacra Scriptura. 1) *In genere, de*

1 Cf. G.ds Plinval, *Pélage. Ses écrits, sa vic et sa réforme* (Lausana 1943); Id., *Essai sur le style et la langue dc Pélage suivi du traité inédit "De induratione cordis Pharaonis"* (Fribourg 1947); Hbdds-Amann, *Pélagianisme:* DTC 12,675-715.

2 *Circa rationalismum theologicum,* cf. L.Baur: LTK 8,645-7; C.Constantin: DTC 131,1688-1788. De naturalisme cf. J.LonckK, *Naturalismes modernus et gratia:* CollatBrug 48 (1952) 182-186; A.Jaou, *Saint Paul et le stoïcisme:* RevScRcl 32 11958) 245-247.

3 CL 7,560.

quolibet actu salutari, ex Io 15,1 4: *Sine Me nihil potestis facere:*

a) Contextus: Caput XV duas habet partes: in prima (1-17) continetur allegoria vitis verae; in secunda (15,18-16,4) praenuntiantur futurae persecutiones. Textus noster pertinet ad primam partem, cuius idea fundamentalis est unio necessaria Christianorum cum Christo (1-11) et inter se (12-17). In ea distinguuntur tres strophae (1-4, 5-8, 9-11), quarum duae primae proponunt allegorice illam unionem, tertia autem proprie et sine allegoria. Versus noster invenitur in ipsa allegoria. Haec in sua prima stropha urget necessitatem ferendi fructum; sicut ferre fructum est proprium vitis, sic ferre fructus spirituales est proprium Ecclesiae et omnium eius membrorum. In secunda stropha urgetur necessitas unionis ad fructum ferendum: sicut palmes nequit ferre fructum nisi in unione cum vite, sic nullus Christianus nisi in unione cum Christo.

b) Textus: *Qui manet in Me et Ego in eo, hic fert fructum multum;* id est, *omnis* qui manet in Me, et *solus* ille qui manet in Me fert fructum. Sensus hic exclusivus apparet ex ipsa natura allegoriae. Quasi diceret: omnis qui conjunctus est Mecum, fert fructum, et omnis qui seiunctus est a Me, non fert fructum. Condicio sine qua non pro fructu ferendo est unio cum Christo; quae condicio unica est sub duplici aspectu (manet in Me, Ego in eo). *Quia sine Me nihil potestis facere;* id est, omnis qui a Me seiunctus est, non fert fructum, *quia* sine Me nihil potestis facere. *Sine Me* χωρì, id est extra Me; quod est idem quod dixerat de palmite: *a semetifso, nisi manserit in vite:* et de fidelibus: *nisi in Me manseritis, si quis in Me non manserit. Potestis,* id est, in sensu physico et absoluto, sicut palmes in eodem sensu nequit ferre fructum. *Eacere* aequivalet in allegoria formulae *ferre fructum;* hic vero fructus, ex ipsa natura allegoriae, est quidquid activitatis vitalis est in palmitibus. Unde nequit dici verba haec designare solum fructus in ordine apostolatus, aut solos actus bonos iustorum, sed totam internam activitatem supernaturalem animae.

c) Argumentum: Christus docet veram aliquam impotentiam aliquid faciendi in ordine supernatural! sine unione cum Ipso. Atqui haec impotentia 1) est physica et absoluta, 2)

4 Cf. J.Leal, *La alcgoria de la vid y la ncccsidad de la gracia:* EstEcl 26 (1952) 5-38; S.Augustinus, *In Io* tr.80-81; I.Maldonado, *In' Io* c.15 v.1-5; F.Toledo, *In Io* c.15 v.1-5; Lagrange, *Evangile scion Saint Jean* (Paris 1927) 401-403.

refertur ad actus etiam mere salutares, 3) et supponit negationem cuiuscumque unionis supernaturalis, etiam unionis dÿnamicae per auxilium gratiae actualis. Ergo ad omnes actus salutares requiritur physice et absolute gratia interna.

Mai.: Quod doceatur vera aliqua impotentia, est clarum. Quod agatur de ordine supernaturali, patet: impotentia enim habetur in eodem ordine in quo dicitur vitis vera; iam vero Christus dicitur vitis prout est Deus simul et homo, seu in ordine supernaturali.

Min.: 1) Potentia et impotentia est eadem pro fidelibus relate ad ordinem supernaturalem et pro palmitibus in ordine ad fructus; sed haec est physica et absoluta, utpote consistens in reali et vitali influxu vitis.

2) Forma, qua Christus utitur, est omnino universalis; ita ut mutaverit formulam *ferre fructum* in hanc aliam *nihil potestis facere,* quae est multo amplior. Praeterea Christus distinguit palmitem coniunctum cum vite, qui tamen non fert fructum, et palmitem qui fert fructum sed maiorem fructum ferre debet (vers.2); unde verba *nihil potestis facere* complectuntur et negationem fructus et negationem cuiuscumque activitatis vitalis. Ergo ibi includitur impotentia faciendi et actus meritorios et actus mere salutares.

3) *Sine Me* significat: sine meo influxu vitali.

Nota hanc esse interpretationem huius loci ab Ecclesia saepe propositam: Cf. *Conc. Carthag.* (D 105), *Indiculum* (D 138), *Arausicanum* (D 180), *Tridentinum* (D 809), *S. Leonem I* (R 2200), *S.Augustinum* (R 1793 1835 1851)[4*].

8. 2) *In specie, de singulis actibus salutaribus:*

Actus salutaris est, aut bona cogitatio, aut bona volitio, aut bona operatio. Atqui sine gratia interna nihil horum perfici potest. Ergo ad omnes actus salutares requiritur gratia interna.

a) De salutari cogitatione, id asserit magis obvie 2 Cor 3,5: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*[5]. Cf. *Arausicanum* (D 180), *S.Augustinum* (R 1938 1980).

Contextus. Adversarii accusaverant Paulum superbiae et arrogantiae. Apostolus autem respondet referens in Deum

4* De auctoritate Carthaginensis cf. B.I'iauiæ. *Autour de la controverse pélafficnnc:* RechScR 44 (1956) 481-514; de Indiculo cf. Rahner, *Indiculus:* LThK 5 (60) 648s.

5 Cf. CornEly, *Comment. in epist. alteram ad Corinthios* 84-86.

quaecumque habet. Tota idoneitas ipsius a Deo est, tanquam unico et ultimo fonte; ipse ex se ne ad cogitandum quidem Salutariter idoneus est.

Igitur, tam contextus, qui respicit ordinem supernaturalem, quam interpretatio traditionis, exigunt ut hic locus intelligatur de necessitate gratiae internae ad quamlibet eliciendam cogitationem salutarem.

b) De salutari volitione et actione, ex Phil 2,12s: *Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate* e.

Contextus. Paulus hortatur Philippenses ut semper operentur salutem, in qua operanda ita dependent a Deo, ut recte dicatur illum facere in ipsis (interne) et velle et operari. Hoc est, volitiones et actiones fidelium exhibentur ut effectus actionis divinae, conferendae pro bona voluntate, id est, iuxta Dei beneplacitum.

Merito ergo invocarunt concilia et Patres hunc locum ad probandam necessitatem gratiae internae in opere salutis. Cf. *Arausicanum* (D 177), *Indiculum* (D 141), *S.Augustinum* (R 1556 1572 1854 1889).

9. Probatur ex traditione. 1) *SS.Patres, ante Pelagium* florentes, non adeo frequenter efferunt necessitatem gratiae, sed potius inculcabant libertatem arbitrii contra gnosticos et manichaeos. Nec tamen absolute desunt assertiones generaliores de necessitate gratiae ad salutem. Ita S.Iustinus: "Ut a principio fieremus, in nobis situm non erat; ut autem ea sequamur, quae ipsi placent..., id Ipse nobis persuadet et ad fidem nos adducit" (R 114). S.Irenaeus docet gratiam Sancti Spiritus esse necessariam tanquam supernam pluviam, ut nos, lignum aridum, vitam fructificemus (R 220). S.Cyprianus: 'Oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei; quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est"... (R 558). S.Gregorius Nazianzenus: "Edocet sermo, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; immo ipsa electio eorum, quae recta sunt, divinum quoddam est atque donum a Dei benignitate manans" (R 1003). S.Ambrosius: "Nemo possit aedificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino" (R 1302)[7].

• Cf. KnabEnbauEr, *Comment. in opis. ad Philippenses* 224-228. De mente mediaevalium circa ea duo loca Pauli cf. Z.Alszeghy, *Nova creatura. La nosione de la gracia nei comcntari medievali di S.Paolo* (Rotna 1956) 203-216.

T Cf. H.Rahner, S.I., *Die Lehre der Kirchenvdter von dcr Geburt Christi im Hersen der Gldubigen:* ZkathTh 59 (1935) 383-393.

Haeresi pelagiana exoriente, plura concilia ipsam damnarunt, atque Patres, praesertim S.Augustinus, strenue contra illam decertarunt. S.Augustinus enim per viginti fere amno^, pluribus diversis libris edocet necessitatem gratiae internae ad omnes actus salutares. Nec ipse redargui potest tanquam inductor huius dogmatis, cum illud fundet tam in Scriptura quam in Patribus, qui ante illum fuerunt. Ita enim scripsit: "Isti tales tantique doctores [Cyprianus, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus] dicentes non esse aliquid de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur, nec ipsum cor nostrum et cogitationes nostras in potestate nostra esse, et totum dantes Deo, atque ab Ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad Eum, ut id quod bonum est nobis quoque videatur bonum, et velimus illud, ut honoremus Deum et recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti et religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, et confiteamur etiam voce quod credimus; haec utique gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur" (R 2004). Cf. praeterea R 1715 1719 1791 1855 1936 1954 s.

Post S.Augustinum, ceteri Patres, praesertim eiusdem discipuli Prosper et Fulgentius, hanc eandem necessitatem gratiae aperte tradunt. En verba S.Leonis Magni: "Dicente enim discipulis suis Domino: Sine me nihil potestis facere, dubium non est hominem bona agentem ex Deo habere et effectum operis et initium voluntatis" (R 2200). Etiam S.Fulgentius: "Sicut ex ipsa caro vitam non habet, sed ab anima accipit, sic homo non potest habere fidem, nisi munere Dei donantis acceperit..." (R 2243)B.

2) Eadem fides elucet *ex praxi Ecclesiae orantis,* ad quam saepe provocabant S.Cyprianus (R 558) et S.Augus-

8 Libri in quibus praecipue defendit S.Augustinus absolutam necessitatem gratiae internae hi sunt: *De peccatorum meritis ct remissione* (412); *De spiritu ct littera* (412); *De natura et gratia* (415); *Dc perfectione iustitiae hominis* (415); *De gestis Pelagii* (417); *De gratia Christi ct de peccato originali* (418); *Contra Julianum, hacrcsis pelagianac defensorent* (421); *De gratia et libero arbitreo* (426-7); *De correptione et gratia* (426-7); *De praedestinatione sanctorum* (428-9); *Dc dono perseverantiae* (428-9); *Contra secundam luliani responsionem. imperfectum opus* (429-30). Ceterum cf. de mente Augustini H.Rondet, S.I., *La théologie dc la grace dans la correspondence de saint Augustin:* RechAug 1 (Paris 1958) 3O3-3I5.

° Ad rite intdligcndam mentem quorundam Patrum in rebus ad gratiam pertinentibus, iuvabunt sequentes monograpbiae: H.StraETEr, *Die Erlbsungslchre des hi.Athanasius* (1894); G.A.Pell, *Die Lehre des hi.Athanasius von der Sündc und Erlosung* (1888); E.Scholl, *Die Lehre des hl.Basilius von der Gnadc* (1881); H.HvmmEr, *Des hl.Grcgor von Nas.Lehre von dc Gnadc* (1890); F.IIilt, *Des hl.Grcgor von Nyssa Lehre von Menschen* (1890); J.B.Aufhausiîr, *Die Heilslchre des hl.Grcgor von Nyssa* (1910); E.Weigl, *Die Heilslchre des hl.Cyrillus von Alex.* (1905); E.J.Carney, *The Doctrine of St.Augustine on Sanctity* (1945); *Obras de San Agustin* (B.A.C.) t.6. Tratados sobre la gracia ('949).

Tinus (R 1940 1456), et quam testatur *Indiculus* (D 139). Nimirum: Lex supplicandi (praxis orandi) arguit legem credendi (regulam fidei)[10]. Atqui praxis Ecclesiae est ut auxilium Dei petat pro omnibus; scilicet pro infidelibus, iudaeis, lapsis, haereticis, schismaticis... Ergo eius fides, sive doctrina tenenda, docet absolutam necessitatem gratiae.

10. Theologi. Scholastici semper docuerunt absolutam necessitatem gratiae internae ad ponendos actus meritorios vitae aeternae (1.2 q.109 a.2). Quid autem tenuerint de illis aliis actibus salutaribus, quibus homo se positive disponit ad iustificationem, alibi (th.11) dicemus. Certe, S.Thomas senior exigebat "auxilium gratuitum Dei interius animum moventis sive inspirantis bonum propositum" (1.2 q.109 a.6). Inde ab hoc tempore, si Durandum et Nominales excipias, theologi aperte tradunt necessitatem gratiae internae ad omnes actus salutares, etiam ad illos qui iustificationem praecedunt. Tandem, post Tridentinum disparuit in hac re omnis ambiguitas [11].

11. Ratio theologica. Ex proportione inter finem et media. Etenim finis ultimus hominis est simpliciter supernaturalis, ita ut nullus actus naturalis hominis servet proportionem cum illo, nec ratione meriti, nec ratione dispositionis positivae. Ergo huiusmodi actus, ut ad hunc finem positive conducant, debent fieri supernaturales. Nunc vero, ut evadant supernaturales, requiritur gratia interna (sola enim potentia intellectiva vel volitiva est incapax eliciendi actum supernaturalem). Ergo ad omnes actus salutares requiritur gratia interna (1.2 q.109 a.5; CG 3,147).

Thesis 2. Haec gratiae necessitas extenditur etiam ad ipsum initium fidei.

S.Th., 1.2 q.114 a.5 ad 1; Lercher-Lakner, 256-260; Beraza, 194-207; Lange, 56-69.

12. Nexus. Haec quaestio iam implicite soluta est in thesi praecedenti. Si enim ad omnes actus salutares requiritur gratia interna, cum initium fidei sit actus salutaris, eo ipso

[10] Cf. *Indiculum* c.8 (D 139); Pium XI, *Divini cultus* (D 2200); Pium XII, *Mediator Dei.* De efficacia huius argumenti liturgici legas M.Nicolau, S.I., *Etapas del proceso teológico:* EstEcl 19 (1945) 168-170 et maxime M.Pinto, *O valor teológico da Liturgia* (Braga 1952).

[11] Cf. A.Landgraf, *Studien zur Erkenntnis des Ubernatürlichen in der Frühscholastik:* Schol 4 (1929) 1-37.189-220.352-389; *Dogmengeschichte der Frühscholastik* T/1 (Regensburg 1952) 141-219; B.Lonergan, S.I., *Saint Thomas' Thought on Gratia Operans:* ThSt 2 (1941) 282-324; 3 (1942) 69-88.375-402.533-578.

fatendum est, etiam ad ipsum esse necessariam gratiam. Attamen, quia peculiaris de hac re exstitit per saeculum controversia, inde ab Augustino usque ad Arausicanum, peculiarem etiam statuimus propositionem.

13. Adversarii. 1) *Nonnulli monachi galli,* saeculo V, (Cassianus, Faustus, Vincentius, Hilarius Arelatensis, Gennadius...), tenentes gratiam internam esse necessariam ad salutem, excipiebant ab hac necessitate *initium fidei* et *credulitatis affectum.* Distinguentes in fide inter actum initialem, quo homo primo sese convertit ad Deum, et actus fidei subséquentes, illum vocabant *initium fidei,* hos *augmentum fidei.* Initio fidei adiungebant complexum actuum fidendi, orandi, paenitendi, amandi Deum, observandi mandata, quibus homo se praeparet ad baptismum. *Affectum credulitatis* vocabant, non voluntatem credendi, seu imperium voluntatis (sicut mos postea in theologia invaluit), sed ipsam primam fidem.

Hoc igitur fidei initium et hunc credulitatis affectum censebant provenire ex sola hominis voluntate, ita ut haec sit ratio cur alii prae aliis gratiam a Deo accipiamt.

Antiquitus appellabantur *reliquiae pelagianorum, galli, massilienses;* a tempore autem controversiarum de auxiliis dicuntur *s.emipelagianil.*

2) G.HermES (1775-1831) agnoscebat gratiam requiri ad actus salutares. Sed cum falso teneret fidem theoreticam non esse salutarem, ideo negavit ad illam eliciendam necessitatem gratiae (cf. *Vaticanum,* D 1791 1814)23

Nos autem tenemus huiusmodi actus, ut sint salutares, praeveniendos esse a gratia Dei. Asserimus ergo, gratiam non ideo conferri *quia* homo per solas vires naturae credit, vult, petit; sed e contrario, gratiam efficere *ut* homo credat, velit, pulset sicut oportet ad animae salutem.

1 Semipelagianismum impugnarunt: Augustinus, *Dc praedestinatione sanctorum; Dc dono perseverantiae;* Prosper Aquitanus, *De gratia Dei indiculus; De vocatione omnium gentium;* CaelEstinus I et Hormisdas; Fulgentius RuspEnsis; Caesarius Arelatensis, qui praefuit Conc. Arausicano, quod finem imposuit semipelagianismo. Itaque, falso asseruit lansenius semipelagianos docuisse necessitatem gratiae internae etiam ad ipsum initium fidei (D 1095). Ceterum fontes ct historiam scmipelagianismi breviter tradunt: W.Koch: I/ΓK 9,460-461; E.Amann, *Semipélagicn's:* DTC 14,1796-1850; J.Chéné, *Que signifiaient "Initium Fide?' ct "Affectus Credulitatis" pour les Scmipélagicnsï:* RechScRel 35 (1948) 566-588; Id., *Les origines dc la controverse scmi-pâlagienn'e:* AnnTh 13 (1953) 56-111; Id., *Le Semi-pélagianisme du Midi dc la Gaule:* RechScR 43 (1955) 321-341; De Plinval, *Prosper d'Aquitaine interprète de saint Augustin:* RechAug 1 (58) 339-355; S.PRETE, *Mario Mercatore polemista antipclagiano* (Torino 1958).

3 Ad rite dignoscendam mentem Hermesii plura reperics apud K.Feckes: DTK 4,991-3; A.TiiouvEnin: DTC 6,2288-2303.

14. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus,* c.6-9: omnis sancta cogitatio vel bona voluntas, ab initio fidei, praevenitur a gratia (D 135-141). *Arausicanum,* cn.3-8: etiam initium fidei provenit a gratia (D 176-181 ; 200 ab). *Tridentinum,* s.6 cn.3: de actibus disponentibus ad iustificationem (D 813). *Vaticanum,* c.3 et cn.5 : fides theoretica est salutaris, atque ideo ad ipsam ponendam requiritur gratia (D 1789 1791 1814).

15. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

16. Probatur ex Sacra Scriptura. 1) *In genere, tanquam corollarium thesis prioris:*

Ex Io 15,1-5, constat hominem sine gratia *nihil prorsus salutare* efficere posse. Atqui actus, quibus homo incipit agnoscere suam animi infirmitatem, et desiderat salutem, et accurrit ad medicum, sunt salutares; nam positive ducunt hominem ad Deum, finem nostrum supernaturalem. Ergo homo, absque gratia, hos actus elicere non valet. Cf. *Arausicanum,* cn.7 (D 180) ; *Bonifacium II* (D 200b).

2) *In specie, de actibus qui constituunt initium fidei:*

In sacris Litteris asseritur dissertis verbis nec fidem, nec desiderium salutis, nec petitionem auxilii divini elici posse absque gratia. Ergo requiritur gratia etiam ad actus qui constituunt initium fidei.

a) *De fide,* ex Io 6,66, ubi sermo est *a) de* vocatione ad fidem, nam v.65 dicitur *sunt quidam qui non credunt...; b)* de necessitate gratiae internae, cum non sufficiant miracula et Christi praedicatio, sed insuper requiratur ut trahamur a Patre; *c)* de necessitate absoluta, non enim dicitur quod facile non possimus, vel quod partim possimus, partim non, sed simpliciter quod nemo possit venire...[3]. Hunc locum urgent: *S.Augustinus* (R 1906 1946); S.Prosper (R 2034) ; Bonifacius II (D 200b).

b) *De desiderio et petitione salutis,* ex Phil 2,13, ubi dicitur quod *Deus... operatur in vobis et velle et perficere;* quae, ex v.12, de salute intelligenda sunt. Cf. S.Augustinum (R 1854 1572); *Arausicanum,* cn.4 (D 177).

17. 3) Nec *obiciantur* illa, quibus utebantur semipelagiani: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (Zach 1,3); *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis...* (Mt 7,7) ; *Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus* (Eph 5,14) ; *Crede in Dominum Iesum, et salvus eris...* (Act 16,31).

[3] Cf. F.Toledo, *In Io,* c.6 v.66; Maldonado, *In Io.,* ibid; Knabenbauer, *Evangelium secundum Ioannem* 256.

Haec emim non negant necessitatem gratiae praevenientis, quasi initium fidei esset tribuendum conatibus naturall·-bus hominis; sed, ea tacite supposita, ut ex aliis locis aperte constat, efferunt necessitatem cooperandi per liberum arbitrium, ut ad ulteriores gratias perveniatur. Cf. *Arausicanuni,* cn.25 (D 200); *Tridentinum* s.6 c.5 (D 797).

18. Probatur ex traditione, cuius testes sunt Patres et preces liturgicae. 1) *Patres, ante exortam haeresim* semipelagianam, rem explicite non attingunt; attamen implicite quodammodo etiam docent necessitatem gratiae ad initium fidei sub assertionibus universalioribus. Ita S.Basilius, loquens de fide, ait: "Fides, quae non necessariis geometriae illationibus, sed Spiritus Sancti opera gignitur" (R 936). Et Nazianzenus: "Quoniam enim nonnulli sunt qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam creatori et sapientiae eorum auctori ac bonorum omnium suppeditaturi acceptum ferant, eos edocet sermo quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; immo ipsa electio eorum, quae recta sunt, divinum quoddam est atque donum a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis et a Deo esse oportet. Idcirco ait: Non volentis, id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis est Dei. Ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo iure totum Deo assignavit: Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui det coronam" (R 1003).

Exsurgente haeresi, eminet tanquam impugnator ipsius, S.Augustinus; qui, etsi ante episcopatum idem fere tradiderat ac semipelagiani circa initium fidei, deinde evadit invictus assertor necessitatis gratiae ad quoslibet actus salutares. Cf. *Epist. ad Vitalem* (R 1456-1458); *De praedestinatione sanctorum* (R 1978-84); *De dono perseverantia* (R 2004-6). Eandem doctrinam tenent S.Prosper (R 2034 2045) [4] et S.Fulgentius (R 2243-2246; cf. et 2278).

De mente Chrysostomi disputatum est. Videtur tamen certum, Chrysostomum recte sensisse circa necessitatem gratiae ad initium fidei. Vide quae dicuntur in thesi de supernaturalitate fidei [5].

2) *Ex precibus liturgicis.* Lex supplicandi statuit legem credendi. Atqui haec est lex supplicandi, "ut infidelibus done-

[4] Cf. L.Pelland, S.I., *S.Prosperi Aquitani doctrina dc praedestinatione et voluntate Dei salvifica...* (Montreal 1936).

[5] Infra IV,112. Cf. E.Boularand, S.I.. *La venue de l'homme à la fai d'après saint Jean Chrysostome* (Roma 1939) 153-164; A.Mulard, *Le libre arbitre et la grâce chez saint Jean Chrysostome:* AnTh (1949) 151-179; A.Kεννύ, *Was St.John Chrysostom! a semi-Pclagian?:* IrishThQuart 27 (1960) 16-29.

tur fides" (D 139). Ergo fides, non est fructus virium naturalium, sed datur a Deo. Hoc argumentum invocat S. Augustinus (R 1940 1456).

19. Ratio theologica. Sit eadem propositionis praecedentis, scilicet, ex proportione inter finem et media (1.2 q.109 a.5). Actus enim initii fidei sunt vere salutares, utpote positive disponentes ad iustificationem et salutem aeternam. Ergo non nisi auxilio gratiae elici possunt.

20. Obiectiones. 1. Homo tenetur ad ponendos actus salutares. Atqui nemo tenetur ad impossibilia. Ergo actus salutares sunt homini possibiles.

Conc. mai. Dist. min. Nemo tenetur ad ea quae sint impossibilia et viribus naturalibus et viribus gratiae, *conc. min.;* ad impossibilia viribus naturalibus, sed possibilia viribus gratiae, *nego min. Dist. pariter cons.* Actus salutares sunt homini possibiles viribus naturalibus, *nego cons.;* viribus gratiae, *conc. cons.*

2. Si homo nequit ponere illud ad quod tenetur nisi ex viribus gratiae, gratia dicenda est ipsi debita. Atqui ratio debiti repugnat gratiae. Ergo gratia, aut non est necessaria, aut non est vera gratia.

Dist. mai. Dicenda est debita ex exigentia ipsius naturae, *nego mai.;* eo quod homo fuerit ordinatus ad finem supcrnaturalcm vitae aeternae, *conc. mai. Contradist. min.* Debitum naturale repugnat gratiae, *conc. min.;* debitum hypotheticum, posita ordinatione gratuita in finem supernaturalem, *nego min.*

3. Assensus fidei est actus salutaris. Atqui huiusmodi assensus potest praestari absque gratia, ex solis motivis credibilitatis. Ergo gratia non est necessaria, saltem ad actum fidei.

Dist. mai. Assensus fidei supernaturalis seu ex gratia positus est actus salutaris, *conc. mai.;* assensus fidei naturalis, seu ille quem homo praestaret ex solis motivis credibilitatis, absque auxilio gratiae, esset actus salutaris, *nego mai. Contradist. min.* Assensus supernaturalis, *'nego min.;* naturalis, *conc. min.*

Assensus fidei, praestitus ex nudis motivis credibilitatis, est pure naturalis, ac proinde sterilis in ordine ad vitam aeternam. Quod ipsum dicendum est de quolibet alio actu, v.gr. orationis, amoris, et ceteris qui sine gratia eliciantur. Etenim his actibus deest prorsus dignitas illa et excellentia, quibus ornantur actus salutares respectu beatitudinis aeternae. Igitur non obiciatur quod homo possit efficere huiusmodi actus ex solis naturae viribus; nos enim, hac quaestione praetermissa, necessitatem gratiae demonstravimus, non ex eo quod homo nequeat naturaliter elicere hos actus, sed ex eo quod non possit eosdem apponere salutariter.

4. Arausicanum, cn.7 (D 180), exhibet actus salutares tanquam effectu: illuminationis et inspirationis Spiritus Sancti "qui dat omnibus *suavitatem* in consentiendo et credendo veritati". Igitur, gratia datur ut suavius seu facilius operemur, non vero quia sit physice necessaria. Ergo necessitas gratiae non est physica, sed moralis tantum.

Conc. antec. Dist. cons. Ex his solis verbis posset quis suspicari necessitatem gratiae esse tantum moralem, *conc. cons.;* si vero inspiciatur contextus eiusdem canonis, *nego cons.* Ibi enim proba-

tur necessitas gratiae ex Io 15,5 *sine me nihil potestis facere;* qui textus continet necessitatem vere physicam et absolutam. Quod quidem etiam constat ex aliis canonibus eiusdem concilii, cn.6 et 24 (D 179 197). Ceterum, vera doctrina traditur apertis verbis a Cartliag. cn.5 (D 105) et a Tridentino, s.6 cn.2 (D 812).

Simili modo respondebis ad ea quae obiciuntur ex Patribus, quatenus donant nomine *delectationis* et *suavitatis* gratiam necessariam ad salutariter agendum.

5. S.Augustinus demonstrat aliquando necessitatem gratiae ex infirmitate inducta per concupiscentiam •. Ergo gratia dicenda est necessaria, non physice, sed moraliter tantum.

Resp. vera esse ea quae dicuntur in *antec.* Demonstrat ergo aliquando Augustinus necessitatem gratiae ex impotentia morali, ut etiam fit ab Apostolo ad Rom c.7. Sed quin excludat necessitatem physicam, ad quam alibi etiam provocat. Ita v.gr. in libro *De gestis Pelagii:* "Admonemur adiutorium esse genera duo. Aliqua quippe sunt, sine quibus illud, ad quod adiuvant, effici non potest; sicut sine navi navigat nemo, nemo sine voce loquitur, nemo sine pedibus graditur, nemo sine luce contuetur, et multa huiusmodi; *unde est etiam illud, quod nemo sine Dei gratia recte vivit.* Alia vero sunt adiutoria, quibus sic adiuvamur, ut etiam si desint, possit alio modo fieri propter quod ea requirimus"... (R 1850).

6. Liberum hominis arbitrium, etsi debilitatum, non fuit penitus exstinctum per peccatum. Ergo homo, etiam lapsus, potest efficere aliquid boni.

Conc. antec. Dist. cons. Solum liberum arbitrium, sine gratia, potest efficere aliquid boni naturalis, *conc. cons.;* boni salutaris, *nego cons.* Sane liberum arbitrium, per se solum, nequit aliquid efficere positive conducens ad vitam aeternam, nec gratiam praevenire valet. Sed ipsius est ut semel ac fuerit a gratia excitatum, illius motioni consentiat vel dissentiat.

7. Deus, ut conferat nobis sua dona, aliquid exigit a nobis: *Convertimini ad me... et convertar ad vos* (Zach 1,3); *Petite et dabitur vobis* (Lc 11,9). Ergo a nobis exigit quod versatur in nostra manu, nempe fidem, orationem, etc.

Dist. antec. Aliquid exigit a nobis libere praestitum viribus gratiae, quam ipse prius largitur, *conc. antec.;* aliquid exigit libere praestitum solis viribus naturalibus, *nego antec. Dist. pariter cons.* A nobis exigit fidem, orationem, etc., positam viribus gratiae, qua ab eo praevenimur, *conc. cons.;* solis naturae viribus, *nego cons.*

21. Scholion 1. *De natura gratiae quae requiritur ad actus salutares.* Gratia necessaria ad actus salutares varia esse potest:

1) Pro *infidelibus negativis,* seu qui nunquam vocati sunt, gratia quae requiritur ut salutariter vocentur, est gratia actualis excitans. Ita uno ore omnes theologi. Haec est enim una quae pro ipsis concipitur possibilis.

2) Pro *infidelibus positivis,* seu qui aliquando vocati, huic vocationi restiterunt, certo non sufficit ad actum salutarem hic et nunc ponendum gratia actualis excitans olim habita, sed requiritur nova gratia actualis.

3) Pro *fidelibus peccatoribus* ad eliciendos actus illorum habituum, quos per peccatum amiserunt (caritatis), certo requiritur gra-

• *De natura et gratia 64,76:* ML 44,285.

lia actualis excitans; ad actus vero, quorum habitus servant (fidei, spei), probabilius etiam requiritur gratia actualis. Sed in hac altera hypothesi assimilantur iustis, de quibus statim.

22. Scholion 2. *De necessitate gratiae actualis fro actibus salutaribus iustorum'.* Ubi primum quaeritur de necessitate gratiae ad actus salutares non peccatorum, sed iustorum, status ipse quaestionis omnino mutatur. Vidimus enim radicem necessitatis gratiae pro actibus salutaribus inveniri non in morali infirmitate naturae, sed in physico defectu proportionis inter naturale et supernaturale. Hic autem defectus in iusto, habente gratiam habitualem et habitus infusos virtutum, iam non adest.

Quaestio haec satis complexa est, ut satis probat varius modus loquendi theologorum. Dum enim nonnulli putarunt necessitatem gratiae actualis pro his actibus iustorum pertinere ad fidem, alii negationem illius necessitatis ut probabiliorem et veriorem propugnant. Et sane vitandae sunt quaedam confusiones.

Non enim agitur de gratia necessaria ad perseverandum in iustitia, quae per se est gratia sanans, non elevans; neque de gratia necessaria ad eliciendos actus intensiores quam habitus infusi, quae gratia sine dubio requiritur ad supplendum defectum sufficientis elevationis. Sed agitur de gratia elevante necessaria ad singulos actus salutares iustorum.

Sane haec gratia praeveniens pro singulis actibus iustorum necessaria esse nequit ex ratione elevationis, ad hoc scilicet ut detur physica et entitativa proportio inter actum et salutem. Hi enim actus ponuntur ab agente iam entitative elevato per gratiam sanctificantem ct habitus infusos.

Sed dicunt illam gratiam necessariam esse ratione excitationis habituum, id est ut habitus infusi, qui iam sunt in anima, excitentur ad actus eliciendos. Attamen haec excitatio, vel intelligitur relate ad actus deliberatos, vel relate ad actus indcliberatos. Iam vero pro actibus deliberatis sufficiens excitatio habetur in actibus indeliberatis supernaturalibus. Relate vero ad hos, cum ipsi habeant rationem gratiae excitantis, ut postea videbimus (cf. n.26S-277), non satis apparet quomodo detur alia gratia praevia ad illos eliciendos.

Quod si dicatur, gratiam praevenientem requiri ut facultas iusti determinetur ad agendum supernaturaliter, cum etiam elevata per habitus infusos adhuc possit agere naturaliter, responderi potest determinationem hanc sufficienter haberi ex propositione obiccti. Nam, etsi obiectum sit naturale, nulla videtur esse difficultas in eo quod, proposito obiecto, habitus infusi connaturaliter ad statum elevationis determinentur semper ad actus indcliberatos supernaturales eliciendos, cum concursu utique supernatural!, qui eisdem habitibus supernaturalibus consentaneus est.

Tota ergo quaestio haec tandem esse videtur. In iusto recurrunt actus indclibcrati salutares, qui fiunt cum auxilio Dei speciali supernatural!, ideoque sunt supernaturales. Supernaturalitas vero eorum videtur sufficienter haberi ex habitibus infusis, qui physice in eorum exsistentiam influunt. Sed ad hoc etiam requiritur concursus Dei supernaturalis. Quaeri ergo potest, utrum hic ultimus concursus vocari debeat novum auxilium Dei, seu nova gratia actualis. Et

' Cf. LahgS, 531-536.

ita prababilius affirmandum videtur, quamvis revera sit connaturalis ad statum elevationis habituum infusorum.

II. De necessitate gratiae sanantis.

23. Respicientes veritates et actiones ordinis naturalis, quaerendum est, et *de capacitate intellectus* ad cognoscendum verum, et *de viribus voluntatis* ad faciendum bonum.

Alibi probatur *intellectum* humanum, solis viribus naturalibus, posse plura cognoscere, non solum ex iis quae spectant ad mundum sensibilem, sed etiam Dei exsistentiam, eiusque attributa, necnon et fundamenta moralitatis (1.2 q.109 a.1). Attamen simul tenendum est, moraliter necessariam fuisse revelationem, teste Vaticano, "ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint" (D 1786).

Igitur intellectus humanus, etiam in illis rebus divinis, quae per se rationi imperviae non sunt, plura potest cognoscere; minime vero omnia, certo et expedite et absque ullo errore, nisi adiuvetur revelatione, quae induit rationem gratiae externae, cuius auxilium asseritur necessarium, non physice, sed moraliter. De his autem sermo fit in tractatu *De vera religione;* ideo, haec omittimus amplius explicare.

Veniamus nunc ad investigandas vires *voluntatis* ad bonum perficiendum. Quaerimus ergo de viribus vel infirmitate naturae ad actus honestos (non salutares) eliciendos. In statu enim naturae lapsae, in quo nunc sumus, natura vulnerata per peccatum originale non omnia bona peragere potest solis suis viribus, sed requirit quandoque auxilium gratiae, quae, quia cius vulnera sanat, vocatur gratia sanans seu medicinalis. Quia tamen in hac re sunt errores inter se oppositi, quorum alii tenent voluntatem omnem actum bonum semper efficere posse, alii e converso tenent nihil boni a voluntate procedere propter omnimodam corruptionem naturae, doctrinam catholicam, quae in medio est, gradatim exponemus.

Doctrina ergo catholica, ex una parte tenet voluntatem non ita fuisse corruptam per peccatum originale, ut non possit *sine ulla gratia* actus honestos quandoque peragere; sed ex alia parte docet voluntatem ita fuisse vulneratam, ut non possit *sine gratiae sanantis auxilio* totam, legem naturalem servare, omnia peccata venialia diu vitare, in accepta iustitia perseverare. Haec omnia nunc exponere debemus.

A) Quid possit voluntas sine gratia.

24. Thesis fundamentalis catholica in hac quaestione haec est: homo potest facere actus naturaliter honestos, *sine ulla gratia.* Seu, quod idem est, divisio adaequata actuum humanorum non est in actus, qui fiunt cum gratia, et actus malos. Sed quia gratia multiplex esse potest, procedimus per gressus diversos, attendentes maxime varietatem adversariorum:

1) Non omnia opera peccatorum sunt peccata. Ergo ad actus honestos eliciendos non requiritur *gratia habitualis.*

2) Non omnia opera infidelium sunt peccata. Ergo ad actus honestos eliciendos non requiritur *gratia fidei.*

Inde iam sequitur, peccatorem et infidelem posse elicere actus honestos; sed adhuc non sequitur, illos elicere posse *sine ulla gratia.* Non enim exclusa est adhuc gratia actualis sanans, quae fortasse habetur in illis actibus bonis peccatorum ct infidelium, quamvis non sit in illis gratia habitualis aut gratia fidei. Ideo, ad excludendam etiam gratiam sanantem, dicimus:

3) Quilibet homo potest facere actus honestos *sine ulla gratia.*

4) Immo et hos actus quandoque revera facit.

Haec ergo singula sequentibus propositionibus exponemus.

Thesis 3. Non omnis opera peccatorum sunt peccata.

S.Th., 1.2 q.85 a.1s; Lercher-LaknEr, 233-240; Beraza, 311-39; Lance# 88-106.

25. Notiones. Peccator, id est, fidelis carens gratia sanctificante, cum sit in statu peccati mortalis (personalis vel originalis). In hypothesi autem habet fidem supernaturalem.

Peccatum, hoc est, offensa gravis Dei, vi cuius homo incurrit aversionem Dei et odium illius.

Dicimus ergo, actus peccatoris, non ideo quod fiunt sine gratia habituali, iam esse necessario peccata. Poterunt enim esse vel salutares (si fiant cum auxilio gratiae elevantis, de quo in thesibus praecedentibus), vel simpliciter honesti, scilicet conformes naturae rationali qua tali tum ex obiecto (quod non sit vetitum), tum ex fine operantis (qui non sit inordinatus), dum supponimus ut moraliter certum non dari morales actus indifferentes in individuo. Non autem excluditur vi huius

theseos, quod ii simpliciter honesti fiant cum gratia actuali sanante; a quo nunc praescindimus.

26. Adversarii. 1) *Novatores,* cum defenderent iustitiam originalem pertinuisse ad constitutiva essentialia naturae humanae, tenebant, per amissionem ipsius, naturam adeo essentialiter corruptam fuisse, ut homo necessario in omnibus peccet (D 776)[1].

2) Baius (1513-1589) docuit iustitiam originalem debitam fuisse homini, non constitutive, nec consecutive, sed certe saltem *exigitive* (D 1021.1023.1026). Amissa iustitia per peccatum Adami, liberum arbitrium exstinctum est (D 1066). Lx>co ipsius, datur duplex amor, necessario trahens voluntatem: aut vitiosus aut amor caritatis perfectae (D 1038). In peccatoribus autem, cum non regnet caritas, omnia eorum opera necessario sunt peccata (D 1040 1035)[2].

3) In eandem conclusionem devenit Quësnël (D 1409)[3].

4) Eundem errorem insinuat *synodus Pistoriensis* (D 1523)[4].

27. Doctrina Ecclesiae. *Tridentmum,* s.6 cn.7, definit actus, quibus peccator sese positive disponit ad iustificationem, non esse peccata (D 817; cf. 198s 898). *Vaticanum,* s.3 c.3, docet fidem peccatoris esse salutarem (D 1791).

Vide praeterea damnationes Baii, Quesnel et synodi Pistoriensis, citatas in numero praecedenti; et iam antea errorem loannis Hus, damnatum in *Conc. Constantiensi* (D 642).

1 Cf. L-Cristiani, *Réforme:* DTC 13,2020-2097; J.DEdiEü, *Protestantisme:* DTC 13,850-907. Sunt etiam hodie non rari protestantes qui integram doctrinam Lutheri teneant, iuxta A.Gyllenkrok, *Rechtfertigung und Hedigung in der frühen evangelischen Théologie Luthers* (Wiesbaden 1952). De facto multi loquuntur de corruptione radicali hominis, ut Bultmann, de quo cf. R.Marlé, S.I., *Bultmann et l'interprétation du Nouveau Testament* (Aubier 1956) 130-139, et Barth dc quo cf. K.Bouillard, S.I., *Karl Barth* 2 (Aubier 1957) 105-111. At difficile putantur esse qui teneant hominem penitus carere libertate et eum in opere peccare nec mere ipsum esse in perpetua pugna: cf. L. BoltyEr, *Du protestantisme à l'Église* (Paris 1955) 6. Unde iuxta Bouillard, 108-111, Barth diversum valorem ac Lutherus tribuit operibus etiam coram Deo. Imo dicunt ipsi protestantes Lutherum peccabilitatem hominis exaggerare; doctrinam eius de radicaliter servo arbitrio non ingredi hodie (ut nec antea) systema plerorumque lutheranorum: cf. W.Joest, *Paulus und das Luthcrsche Simul Justus et Peccator:* KerDog 1 (1955) 269-320: L.Ptnomaa, *Unfreier IVille und Predestination bei Luther:* ThZsch 13 (1957) 339-349; nisi iam quidam ipsum a determinismo eximere volunt. Hodie protestantes defendunt libertatem moralem hominis, ut cui auctori libero imputentur eius opera: cf. A.LEmaitrE. *Foi et vérité* (Genève 1954) p.427s; W.PannEnbErg, *Christlichcr Glabe und menschliche Freiheit:* KerDog 4 (1958) 251-280.

2 Cf. Le Bachelet, *Baius:* DTC 23,8-111; F.X.Jansïn, S.I., *Baius et le Baianisme. Essai théologique* (Louvain) 1927); P.SmuldERS, *Bajanismus:* LTh.K 1 (1957) 1196-1199; J.P.Van Dooren, *Michael Baius sijn leer over de mens* (Assen 1958).

8 J.CarreyrE, *Quesnel et le Quesnellisme:* DTC 13,1460-1535.

4 J.CarreyrE, *Pistoie (Synode de):* DTC 12,2134-2230.

28. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita* (D 817).

29. Probatur ex Sacra Scriptura. Deus hortatur peccatores (immo et infideles) ad quaedam opera, atque eos de nonnullis operibus laudat. Atqui haec repugnarent, si huiusmodi opera essent peccata. Ergo non omnia opera peccatorum sunt peccata.

Mai.: Hortatur enim peccatores ad orationem (Eccle 21,1), paenitentiam (Ez 18,30), eleemosynas... (Dan 4,24); eosque laudat de quibusdam operibus, v.c. orationem Manassis, regis impii (2 Par 33,11-13), orationem publicani (Lc 18,13s), desiderium Zachaei videndi Iesum (Lc 19,1-10), eleemosynas et orationes Cornelii (Act 10,4).

Min.: Id repugnaret sanctitati et veritati divinae.

30. Probatur ex traditione. *Ante S-Augustinum,* Patres tam graeci quam latini, sponte agnoverunt paganos nonnulla opera bona facere; etsi plerique non doceant explicite num haec fiant solis viribus naturalibus, an etiam cum gratia actuali. Legantur Nazianzenus: "Ille [pater Nazianzeni], ante etiam quam ad nostram aulam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis adsciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet, sic contra multi exterorum ad nos pertinent, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant. Quo in numero meus quoque pater erat..." (R 982). Et Chrysostomus: "Nonne et Christiani male agentes et gentiles viventes philosophice reperiuntur?... Attamen ne contentiosi videamur, concedamus apud gentiles esse qui recte vivant; nihil enim hoc orationi nostrae adversatur; sermo enim erat de eo quod ut plurimum, non de eo quod raro contingit" (R 1162).

S.Augustinus opposuit cupiditatem et caritatem; attamen non adeo exclusive ut non agnoscat quaedam opera naturaliter recta. Scripsit enim: "Caritas alia est divina, alia humana; alia est humana licita, alia illicita... Licita est humana caritas, qua uxor diligitur... Liceat vobis humana caritate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros... Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, iudaeorum, haereticorum" (R 1528; cf. 1733 1827). Eandem doctrinam tenuit S.Fulgentius, cum dixit de infidelibus et peccatoribus: "Quibus aliqua quidem bona, quae ad societatis humanae pertinent aequitatem, inesse

possunt; sed quia non fide et caritate Dei fiunt, prodesse non possunt" (R 2244).

Iam vero, si haec praestare potest paganus vel infidelis, id a fortiori facere poterit peccator, qui ornatur gratia fidei supernaturalis.

31. Ratio theologica. 1) Ex *Tridentino,* s.6 c.6. Peccatores, adiuti gratia actuali, disponuntur positive ad iustificationem, per actus salutares. Atqui nemo disponitur ad iustificationem peccando. Ergo non omnia opera peccatorum sunt peccata.

2) Ex *Tridentino* s.14 c.4. Peccator potest elicere actum attritionis, qui est verum Dei donum et impulsus Spiritus Sancti moventis. Atqui haec dici nequeunt de peccato. Ergo non omnia opera peccatoris sunt peccata.

32. Obiectiones. 1. Ex Mt 6,24: *Nemo potest duobus dominis servire...* Atqui peccator servit diabolo, non autem Deo. Ergo peccator in omnibus peccat.

Dist. mai. Nemo potest habitualiter servire Deo et diabolo, *conc. mai.;* qui habitualiter servit diabolo, nequit interdum praestare aliquod servitium Deo, *nego mai. Contradist. min.* Habitualiter, *conc. min.;* semper et in omnibus, *nego min.*

2. Ex Io 9,31 : *Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem cius facit, hunc exaudit.* Ergo oratio peccatoris, et pari ratione reliqua eiusdem opera, quae recta esse videntur, displicent Deo.

Rcsp. a) sensum intentum a caeco nativitatis hunc fuisse: si Christus esset peccator, ut contendebant Christi adversarii, non potuisset ipsum illuminare.

b) *Dist. mai.* Deus non audit peccatores, qui peccaminosc petant, *conc. mai.;* qui recte et ordinate petant, *nego mai.* Cf. 2.2 q.83 a.16[4*].

3. Ex Mt 7,18: *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bcmos fructus facere.* Atqui peccator est arbor mala, cuius fructus sunt eius opera. Ergo peccator nequit efficere bona opera.

Resp. a) Christum loqui de falsis prophetis, quorum doctrina ex se nequit reddere fructus bonos.

b) *Retorquendo,* quatenus exinde sequeretur iustum non posse unquam peccare, eo quod sit arbor bona; quod falsum est.

c) Verba Christi continent modum loquendi proverbialem, qui loquendi modus enuntiat id quod communiter evenire solet, non vero quod semper fit.

4. Scribit S.Augustinus de praeceptis caritatis: "Haec omnia praecepta dilectionis, id est caritatis, quae tanta et talia sunt, ut quidquid sc putaverit homo facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fiat bene" (R 1943). Atqui haec caritas intelligitur caritas

4* J.H.Nicolas, O.P., *Dieu exaucc-t-il les picheurst·.* VieSpir 103 (1960) 33-46.

theologica, quae cum gratia sanctificante coniungitur'. Ergo peccator nullo modo potest bene agere.

Dist. mai. Iuxta S.Augustinum, quidquid fit sine caritate, non fit bene, quatenus aut fit inhoneste contra caritatem, aut non est meritorium de condigno vitae aeternae, *conc. mai.;* iuxta S.Augustinum, peccator nequit facere quidquam naturaliter honestum, *nego mai. Conc. min. Dist. cons.* Peccator nequit quidquam naturaliter honestum agere, *nego cons.;* meritorium de condigno vitae aeternae, *conc. cons.* Legantur iterum verba S.Augustini, relata n.30, ex quibus constat, iuxta ipsum, praeter cupiditatem et caritatem, dari opera naturaliter honesta".

Thesis 4. Non omnia infidelium opera sunt peccata.

S.Th., 2.2 q.10 a.4; Lercher-Lakner, 233-240; Beraza, 320-328; Lange, 88-116.

33. Notiones. Infidelis, et positivus ct negativus, scilicet, qui caret fide supennaturali, habituali et actuali. Sub hoc ergo nomine complectimur et eos qui verum Deum agnoscunt (iudaei), et qui illum ignorant (pagani, athei).

Scopus huius propositionis est demonstrare quod opera infidelium, etsi hi careant gratia sanctificante et gratia fidei, non omnia sint peccata; sed quod interdum possint honeste operari, vel, si accedat gratia actualis supernaturalis, etiam possint agere salutariter.

34. Adversarii. 1) Iansenius (1585-1638) concessit peccatores posse honeste operari; id autem denegavit infidelibus. En processus doctrinalis ipsius. lustitia originalis debebatur homini debito *decentiae.* Per peccatum autem amisimus libertatem a necessitate. Loco illius, succedit duplex delectatio: gratia et concupiscentia. Voluntas autem sequitur necessario impulsum delectationis maioris. Nunc vero, in infidelibus dominatur concupiscentia, nulla enim ipsis confertur gratia; ergo quaecumque agunt, sunt peccata[1].

2) Eundem errorem defendunt Baius et Quesnel.

Animadverte discrimen inter sententiam Novatorum et errorem Baii, lansenii et Quesnel. Iuxta Novatores, peccatorum opera sunt peccata quia procedunt ex principio intrinseco malo, id est, ex natura intrinsece corrupta; iuxta ceteros autem, peccatorum et infidelium opera sunt peccata, quia procedunt ex principio extrinseco malo, hoc est, ex terrena cupiditate. Hac distinctione frustra innixi putabant Baiani et Ian-

° Rem ita esse intelligendam probat SuXrEz, *De gratia* 1,5,7. In hac ergo hypothesi solvimus difficultatem.

e Ceterum cf. J.Cadier, *Saint Augustin et la Rifortrie'.* RevEtAug 4 (1958) 367s.

1 J.CarreyrE, *Jansénisme:* DTC 8,318-529; A.de Becdelièbre: DAFC 2,1153-92.

senistae eorum doctrinam minime fuisse proscriptam damnatione tridentina erroris protestantici.

35. Doctrina Ecclesiae. Alexander VIII damnavit doctrinam lansenistarum (D 1298 1301); S.Pius V sententiam Bad (D 1025); Clemens XI errores Quesnelii (D 1392 1398).

Valor theologicus. *Certa, ex* damnatione lansenistarum.

36. Probatur ex sacra Scriptura et traditione, eadem ratione ac in thesi praecedenti.

De mente S.Augustini circa opera infidelium, haec praenota. S.Augustinus aliquando docuit, et quidem in ipsa controversia pelagiana, infideles quaedam recta facere (R 1733 1528 1827)... ; alias autem, saltem apparenter, id negavit, praesertim in opere *Contra Julianum* (1.4 c.3 n.23-33 ; c.30 ; c.32), ubi propugnat omnia opera infidelium esse peccata. Similia tradit S.Prosper (R 2037 2041s).

Igitur, quomodo intelligendus S.Augustinus?

Plures interpretationes datae sunt, quarum praecipuas recenset Lange. Ex quibus omnibus, nobis vel maxime placet interpretatio quam dedit Suarez, eo quod fortasse respondeat prae ceteris menti S.Augustini 2.

En verba Suarecii: "Omnia opera infidelium esse peccata tribus modis solet exponi. *Primo,* ut intelligatur de peccato late sumpto, pro actu facto in pessimo statu, in quo nihil potest prodesse ad vitam aeternam. Ita respondent nonnulli. Sed mihi non placet... Est ergo *secunda* responsio, Augustinum in his propositionibus loqui de infidelibus, ut infideles sunt, operantibus, id est, non ex regula rectae rationis, sed ex regula erroris sui. Ita exponit D.Thomas... Quae expositio certe non est aliena a mente Augustini... Haec autem D.Thomae expositio fiet probabilior, si addamus *aliam...* Nimirum, sensisse Augustinum, regulariter ac fere semper infideles operari ex infidelitate sua, vel ex aliqua prava intentione, ex ipsa infidelitate, vel occasione eius concepta... Hoc autem modo intellecta, sententia Augustini reducitur ad quaestionem de facto potius quam de iure, vel de potestate (ut sic dicam)... Et quia parum ac rarum quasi nihil reputatur, mo-

* Lance, *De gratia* 108. Suarez, *De gratia* 1,5,7,20s. Cf. J.M.DalmAu, S.I., *San Agustin en la tcologia de la gracia de Suârcs:* EstEcl 22 (1.948) 347-353. Sic videtur sentire G.Armas, *Las virtudes y la salvaciôn de los inficies segun San Agustin:* Contrib. espan. a una Mision. Agustin. (Burgos 1955) 140-150; ita vero ut Augustinus non neget dari actus bonos apud infideles et solum loquatur de infideli positivo.

raliter loquendo, ideo interdum cum illa exaggeratione vel absoluta negatione loquitur".

Suarecius ergo diversas locutiones S.Augustini in concreto sic explicat:

a) "In infidelibus non fuerunt verae virtutes": scilicet quia virtutes infidelium non perducebant ad vitam aeternam; praeterea quia non poterant moraliter pervenire ad statum in quo vere dici possint virtutes.

b) "Infidelis nihil boni operatur": scilicet vix bonum operatur; vel nihil boni operatur quod perducat ad vitam aeternam.

c) "Omnia opera infidelium sunt peccata": scilicet quia regulariter et fere semper operantur ex sua infidelitate.

37. Theologis autem recentioribus arridet non parum solutio Ioannis Ernst, in qua invocatur reatus peccati originalis[3]. Summa huius solutionis, haec est. Actus infidelium, licet naturaliter recti, quia eliciuntur in statu peccati originalis, dicuntur peccata ab Augustino; et ita quidem ut sint peccatum, non solum materiale sed vere formale, non tamen formale personale sed analogice ad peccatum personale. Unde diversus modus loquendi scholasticorum et Augustini oritur ex diverso termino comparationis. Illi enim comparant actus infidelium cum natura pure tali, id est, lapsa, sed non qua lapsa; hic vero cum natura lapsa, et qua vitiata per peccatum. Hac ratione, merito dicere potuit Augustinus de operibus infidelium quod sint peccatum actuale sensu analogo, cuius culpa identica est cum reatu peccati originalis. Theologi autem, cum huiusmodi conceptum reservent peccato personali, rite putarunt abstinendum esse ab hoc modo loquendi.

Ad eandem solutionem I.Ernst etiam Beraza accessisse videtur[4]. Peccatum—arguit Beraza—dici potest quodlibet opus, quod careat debito ordine in finem. Iam vero, genus humanum fuit elevatum in Adamo ad finem supernaturalem, a quo lapsum est per peccatum ipsius Adae; haec autem aliter reparari nequeunt nisi per fidem in Christum, qua fide iterum

3 I.Ernst, *Die Wcrke und Tugenden der Unglaubigcn nach St.Augustin* (1871); Id., *Zur Erklarung des 22. Kanons von Orange:* ZkathTh 19 (1895) 177-185. Ei assentitur M.FernAndKz, */Por qué rechaean los protestantes todo mérito en las obras buenasf:* RevEspT 19 (1959). Idem sensisse videtur, Del Val: cf. T.PriBTO, O.S.A., *Puntos para définir el car&cter de Ia Teologia del P.Honorato dei Val en relaciôn con San Agustin:* CiuD 172 (1959) 666-682. Illi vero solutioni obstat DalmAu, *Sobre un punto dificil de exegesis agustinxana:* EstEcl 23 (1949) 59-65. Videntur vero illi solutioni quodammodo praelusisse S.Thomas, 1.2 q.89 a.5 ad 3, et A.de Vega, *Tridentini decreti de iustificatione expositio et defensio...* 14,19.

4 Beraza, 326-328.

tendimus in finem supernaturalem. Ideo, quidquid ex fide non est potuit dici ab Augustino peccatum.

38. Ratio theologica. 1) Ex *Tridentino,* eodem modo ac in thesi priori.

2) Infideles tenentur servare legem naturalem. Atqui nemo tenetur ad peccandum. Ergo non omnia eorum opera dici possunt peccata.

3) Tandem Angelicus (2.2 q.10 a.4): "Infideles quidem gratia carent, *remmiet tamen in eis aliquod bonum naturae.* Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria. Tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet quod in omni suo opere peccent"...

39. Obiectiones. 1. Ex Rom 14,23: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Ergo omnia infidelium opera sunt peccata.

Resp. ex contextu patere quod in casu fides significet dictamen conscientiae. Unde: peccatum est quaecumque fiant contra dictamen conscientiae, *conc.;* quaecumque non fiant ex fide theologica, *nego.*

/Attamen fatendum est S.Augustinum *(Contra Julianum* 4,3) intellexisse hunc locum de fide theologica, atque exinde probasse omnia infidelium opera esse peccata. Mens autem Augustini intelligenda est iuxta illa quae diximus n.36s.

2. Ex Tit 1,15: *Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.* Ergo infidelis in omnibus peccat.

Resp. hunc esse sensum: Christianis, qui bene norunt nullum adesse cibum immundum, eo quod fuerit abolita lex mosaica de prohibitione ciborum, omnes cibi sunt mundi; sed iudaizantes, putantes legem illam adhuc vigere, peccant contra fidem et contra conscientiam'.

3. Ex Hebr 11,6: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo infidelis nequit Deo placere.

Resp. Apostolum id tantum asserere, nimirum, fidem esse necessariam ad iustificationem, ita ut adultus non possit iustificari nisi praecesserit actus fidei in Deum exsistentem et remunerantem. Itaque: sine fide nullus adultus valet iustificari, *conc. cons.;* sine fide evadunt inhonesta omnia opera, *nego cons.*

Thesis 5. Homo quilibet, absque ulla gratia, potest perficere aliquos actus naturaliter honestos; quos etiam quandoque facit.

S.Th., 1.2 q.109 a.2; LBacnBR-LAKNEu, 223-232; Bbraza, 329-349; Lanci!, 117-133.

40. Notiones. Homo absque gratia, id est, absque ullo auxilio indebito naturae, seu agens solis viribus naturalibus.

Cf. J.C.PlumpK, *Omnia munda mundis:* ThSt 6 (1945) 509-523.

Caret ergo, non solum gratia habituali et gratia fidei, sed etiam quibuslibet gratiis actualibus. Unde eius opera bona nequeunt esse salutaria, sed erunt pure naturalia, conformia utique naturae rationali qua tali, sed sterilia in ordine ad vitam aeternam.

Potest (quaestio iuris), hoc est, habet vires sufficientes, et physice et moraliter, ut solis ipsis possit, saltem aliquando, honeste agere. Insuper, tenemus de facto (quaestio facti) fieri aliquos actus huiusmodi.

Aeiquos actus. Non dicimus plures, vel etiam difficiliores, sed tantum aliquos, quin eos in specie determinemus. Augustinus memorat v.gr. amorem filiorum, amicorum... (R 1528).

41. Sentientiae. 1) *Augustinienses* exigunt ad honestatem actus ut hic, saltem virtualiter, referatur in Deum propter se dilectum. Nunc vero huiusmodi relatio, in hoc naturae statu, *fieri non potest sine gratia.* Hinc quod quilibet actus, positus absque hoc caritatis influxu, licet bonum sit obiectum et bonus pariter operantis finis, evadat inhonestus, ita ut sit saltem veniale peccatum\ Haec autem sententia iam obsolevit, ita ut etiam ipsi recentiores Augustinienses, v.c. H.del Val, ab ea recedant 23

2) G.Vazquez (1551-1604) et LM.de Ripalda (1594-1648), longe differunt ab opinione Augustiniensium, etsi eorum sententia semper habita sit a theologis tanquam satis singularis. Uterque concedit hominem lapsum, antecedenter ad gratiam, gaudere *potentia* ad ponendos actus naturaliter honestos; sed simul affirmat quod, consequenter ad Christi redemptionem, *de faeto* non possit dari actus bonus, quin eo ipso evadat salutaris. In hoc ergo ordine actus quilibet de facto, vel est salutaris, vel est simpliciter malus. Gratia vero illa qua actus honestus fit salutaris, diversa est pro Vâzquez et pro Ripalda.

Etenim gratia, quam assignat Vâzquez, est tantum *supernaturalis quoad modum,* cum nihil aliud sit quam *cogitatio* de bono faciendo, qua necessario debet praeveniri voluntas, sed *congrua,* seu quae efficaciter et infallibiliter coniungitur cum actu voluntatis. Quae quidem *cogitatio congrua,* licet entitative sit naturalis, utpote exorta ex causis naturalibus, est tamen indebita creaturae rationali, praesertim lapsae, cui datur

1 Cf. G.Ariminensem, *In 2 Sent,* d.41,3 c; Berti, *De theologicis disciplinis* 18,3; Noris, *Vindiciae august.* 3. De hac sententia agit Portali/., */lugustinia-* DTC 1,2485-2501. Eam reiccit D.SoTO. *De natura et gratia* 1,20-21.

3 Honoratus del Vai., O.S.A., *Sacra theologia dogmatica* vol.2, *Dc gratia Christi* n.52.

propter merita Christi. Ad ampliorem cognitionem sententiae P.Vâzquez iuvabit legisse eius commentarium *in 1.2* q.109 a.2 d.190. Haec sententia breviter sed lucide exponitur a Schiffinis.

Iuxta Ripalda, gratia illa, qua actus honestus efficitur salutaris, est *entitalive supernaturalis,* quia talis actus, vel procedit ex *imperio* alicuius actus supernaturalis, vel *comitem* habet actum supennaturalem. Uberior expositio sententiae P.Ripalda, reperitur in eius opere *De ente supernaturali* d.20 et d.114. Hanc sententiam dicunt probabilem Huarte et Billot; de fidelibus facilius illam admittunt Palmieri et Pesch.[*]

3) *Communis sententia theologorum* tenet hominem lapsum, omni gratia orbatum, posse facere aliquos actus naturaliter honestos, et quandoque illos facere.

Itaque, in sententia August..liensium, condicio v.c. infidelium esset pessima; nam, ut minimum, in omnibus peccarent venialiter. In sententia Ripalda et Vâzquez, esset optima; nam omnes eorum actus honesti evaderent salutares, remote saltem disponentes ad justificationem. Iuxta sententiam communem theologorum, sors illorum media est; scilicet, absque gratia ulla, poterunt, saltem aliquando, elicere actus naturaliter honestos; accedentibus vero gratiis actualibus, poterunt etiam facere actus salutares, quibus ad iustificationem disponantur.

42. Doctrina Ecclesiae. Ecclesia, quae saepe definivit quid homo non possit sine gratia, nunquam docuit explicite quid absque gratia naturaliter possit perficere. Tamen ex damnationibus ipsius contra baianos, iansenistas, Quesncl et pistorienses, merito arguitur doctrinam Ecclesiae favere nostrae sententiae, et aegre conciliari cum opinione Augustiniensium.

1) Damnatur plena mcapacitas hominis lapsi, absque gratia, ad omne bonum peragendum (D 1027 1352 1389). Ergo aliquid honestum facere potest.

2) Damnatur conceptio duplicis amoris, nimirum caritatis et cupiditatis, tanquam adaequata divisio amoris, qui in

3 S.Schiffini, *Tractatus dc gratia divina* 103-107.

* Huarte, *Dc gratia Christi* n.39, ubi habes relata verba P.Billot aliorumque theologorum qui censent probabilem doctrinam F.Ripalda: Palmieri, *De gratia actuali* 254-258; Pesch, *Compend. theol. dogmat.* 3,221; Id., *Praelectiones dogmaticae* 5,127. Plura alia circa Ripalda apud A.Arbeloa, *Da doctrina de la prcdestinaciôn y dc la gracia eficaz en Juan Martinez de Ripalda* (Pamplona 1950).

creatura rationali reperiri possit (D 1038 1297 1394 1524). Ergo datur tertium, seu amor naturaliter honestus.

43. Valor theologicus. *Communis et certa,* ex unanimi fere theologorum sententia.

44. Probatur ex traditione. *Patres* agnoscunt posse fieri ab infidelibus opera naturaliter honesta, et de facto asserunt talia opera aliquando ab ipsis facta esse. Cf. Chrysostomum (R 1162); S.Augustinum (R 1528 1733); S.Fulgentium (R 2244) [6].

45. Ratio theologica. 1) *Contra Augustinienses:* Ex *Vaticano,* s.3 c.2 (D 1785), homo potest certo cognoscere Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine. Ergo homo, solis viribus naturalibus, potest referre explicite in Deum, cognitum qua finem ultimum, aliquem actum honestum. Etenim alioquin adeo malus esset cogitandus homo ut, etiam cognito summo bono, semper et infallibiliter amplecteretur bona finita; quod quidem absurdum videtur.

2) *Contra Vâzquêz:* Concedimus "cognitionem congruam", quae de facto requiritur ad omnem actum honestum, esse speciale Dei beneficium, quatenus hunc ordinem cognitionis congruae prae alio libere elegit; verum negamus huiusmodi beneficium, pro universo genere humano, esse altioris ordinis quam beneficia ordinis naturalis. Nam tale beneficium debetur naturae etiam lapsae; aliter enim dicendum esset, omnes homines adeo fuisse corruptos, ut ipsis magis placeret inhonestum quam honesta etiam facillima. Ergo providentia Dei naturalis tenetur conferre generi humano nonnullas cogitationes congruas.

Quapropter, reicimus fundamentum Vazquezii, quod omnis cogitatio congrua habenda sit tanquam gratia specialis, homini concessa, propter merita Christi [7].

3) *Contra Ripalda:* Fatemur Deum potuisse eligere ordinem intentum a Ripalda; sed simul viderentur fontes testari talem ordinem de facto non fuisse a Deo electum. Etenim *Tridentinum,* s.6 c.8 (D 801), et *Vaticanum,* s.3 c.3 (D 1789), docent fidem esse initium salutis humanae atque radicem iustificationis. Ergo tanquam actus salutares habendi esse videntur solum omnes illi, "quibus ab initio fidei ad Deum tenditur" (D 141), non vero illi omnes, qui antecedant hoc fidei initium. Atqui aliunde novimus infideles posse honeste operari. Ergo non omnis actus honestus evadit salutaris.

6 Haec testimonia prolata sunt n.30.
7 Hanc sententiam reicit Suârêz, *De gratia* 1,17, pluribus argumentis.

46. Obiectiones. 1. Ex Arausicano, cn.22 (D 195), ubi traditur doctrina, quam Augustinus pluries docuit: "Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via". Ergo nullus homo, sine gratia, quidquam honesti facere potest.

Resp. variam esse interpretationem huius canonis[1]. Fortasse sit intelligendus hoc modo: *Nemo habet de suo,* seu a se solo, quidquam, quod non acceperit a Deo, auctore ordinis tum naturalis tum supernaturalis, *nisi mendacium et peccatum.* Etenim, si quid homo habet boni, illud accepit a Deo, qui est fons unde profluunt in nos omnia bona, tam naturalia quam supcrnaturalia. Ideo, *dist. antec.:* Quaecumque bona habet homo, ea veniunt a Deo, auctore ordinis naturalis et supernaturalis, *conc. antec.;* illa veniunt a Deo, auctore tantum ordinis supernaturalis, *nego antec.* Proinde, homo potest peragere, non solum opera salutaria, sed etiam naturalia sive ethice honesta.

2. Ex Arausicano cn.9 (D 182): "Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a faisitate et iniustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur". Ergo exigitur gratia pro omnibus actibus, tam salutaribus quam mere naturalibus; seu homo, absque gratia, nihil honestum perficere potest.

Resp. controversiam esse cum pelagianis et semipelagianis de necessitate gratiae ad opera salutaria, minime vero num aliquando sine gratia possit homo peragere opus honestum, etsi sterile. Cf. canones 6-8 (D 179-181). Igitur, verba quae obiciuntur, valent de actibus salutaribus, *ccrnc.;* de actibus pure naturalibus, *nego.*

3. Ex Mt 22,37, ubi imponitur praeceptum universale caritatis. Atqui huiusmodi praeceptum nequit adimpleri per solam illam relationem ad Deum quae natura sua inest cuilibet operi moraliter bono. Ergo, ne violetur praeceptum caritatis, omnia opera debent referri in Deum intentione actuali vel virtuali.

Dist. mai. Imponitur praeceptum universale, negative, quatenus vetat violare quodlibet praeceptum, *conc. mai.;* positive, quatenus omnia ex caritate fieri debeant, *nego mai. Contradist. min.* Non adimpletur qua negativum, *nego min.;* qua positivum, *conc. min.* Igitur, praeceptum caritatis est universale ratione finis, quia cetera praecepta referuntur ad caritatem, vel acquirendam vel augendam. Cf. 2.2 q.23 a.8 ad 3.

4. Ex 1 Cor 10,31: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo omnia opera, ut sint honesta, referenda sunt in Deum, tanquam finem supernaturalem; quod quidem non nisi per actus caritatis fieri potest.

Dist. antec. Omnia debent fieri in gloriam Dei negative, quatenus nihil faciendum est contra Dei voluntatem, *conc. antec.;* debent fieri positive, omnia in Deum referendo, *subdist.:* de consilio, ut vult S.Bonaventura, *conc.;* de praecepto, ut tenet S.Thomas, iterum

1 Cf. HurtKr, *Theologiae Dogmaticae Compendium* 3,65; Ernst, *Die Werke und Tugcndcn der Unglliubigen nach St.Augustin* 228-253; *Zur Erkliirung des 22. Kanons von Orange:* ZkathTIi 19 (1895) 177-185; J.de Bi.ic, *Sur le canon' 22 du concile d'Orange:* Greg 7 (1926) 396-401.

dist.: relatione actuali aut saltem virtual! cx parte operantis, *nego;* relatione virtual! ex parte operis, *conc.*

5. Homo tenetur ad eliciendos actus caritatis. Atqui elicere actus caritatis idem est ac referre actu omnia in Deum. Ergo homo tenetur ad referenda omnia actu in Deum.

Dist. mai. zVliquoties in vita, *conc. mai.;* quotiescumque ponendum est opus bonum, *nego mai. Conc. min. Dist. cons.* Aliquando in vita, *conc. cons.;* semper et in omnibus, *nego cons.*

47. Scholion. *De amore Dei naturaliter super omnia* (1.2 q.109 a.3). Constat ex thesi hominem lapsum, sine ulla gratia, posse ponere nonnullos actus naturaliter honestos. Quaeritur ergo in specie de actu quodam singulari et difficiliori, ratione suae excellentiae, scilicet de amore Dei, num etiam illum elicere valeat.

Duplex concipitur amor Dei, alius naturalis, supernaturalis alter. Amor *naturalis,* ille est quo Deum, per creaturas cognitum, amamus tanquam auctorem et finem ordinis naturalis; *supernaturalis* vero, ille quo Deum, per revelationem cognitum, amamus tanquam auctorem et finem ordinis gratiae. Nunc vero, uterque amor potest esse *imperfectus* vel *perfectus,* prout Deum non aestimemus supra omnia creata, vel secus. Sed rursus, amor perfectus, talis esse potest *affective* vel etiam *effective,* si non tantum affectu sed etiam diuturna observatione mandatorum, Deum diligamus super omnia creata.

Itaque, quaestio est num homo lapsus (de innocenti fere omnes theologi id concedunt), solis naturae viribus, gaudeat potentia morali (potentia physica certo concedenda est) ad amandum Deum perfecte (de amore imperfecto nemo dubitat quod asserendum sit), tum amore concupiscentiae, ut ipse est nobis bonus, tum amore benevolentiae, ut ille est in se bonus.

Iam vero, amor *perfectus effectivus* impossibilis est sine gratia, iuxta omnes; etenim statim demonstrabimus absque gratia nos non posse diu vitare omnia peccata gravia.

De amore autem *perfecto affectivo,* disputatur.

Id *negant* Bellarminus, Billuart, Salmanticenses, Hugon, Zubizarreta, Mendive, Schiffini, Boyer..., eo quod homo nequeat sincere velle, quod efficere non valet. Atqui nequit effective amare Deum super omnia. Ergo nec affective[8].*

Affirmat autem Molina, qui pro hac sententia citat S.Thomam, Scotum, Bonaventuram, Caietanum, Soto[9], Cano, Occam, Petrum de Aliaco, Marsilium, Paludanum, Richardum, Vitoria, Vega. Ex recentioribus nominandi sunt Tepe, Pesch, V. d.Mcersch, Muncunill, Beraza, Lange, Lcrcher...[10]. Nam, etsi de facto homo nequeat adim-

8 Bellarminus, *De gratia ct libero arbitrio 6,7;* Billuart, *De gratia* dis.3 a.4; Salmanticenses *Dc gratia* d.2 dub.3-4; Hucon, *De gratia* q.2 a.3; Zubizarrbta. *Theologia dogm. schol.* 3,34-37; Mendive, *De divina gratia* 90ss; Schiffini, *De gratia* 99 obi.4; Bover, *De gratia divina* (1938) th.4 p.71-8. Eandem sententiam tenet Suàrëz. Plura de mente ipsius, *De gratia* 1,30-36. Cf. et M.Flick-Z.Alzsechy, S.I., *L'opaione fondamentale della vita morale c la grasia:* Greg •Il (1960) 593-619.

9 I).Soto non recte adnumeratur huic sententiae, cum constet ex suo libro *De natura et gratia-* 1,2 tenuisse sententiam negativam.

10 Molina, *Concordia* q.14 a.13 d.14 membr.1 et 3; Tîrîî, *De gratia* 25-32; Psscn, *Praei, dogmat.* 5,128-131; I.v.d.Meersch, *De divina gratia* 81ss; Muncunill, *De gratia Christi* d.1 c.3 a.4; Beraza. 302-309; Lance, 133; Lercher, *Instit. thcol. dogmat.* 4,1,239.

plere omnia praecepta, attamen potest, cum nulla urgeat tentatio, momentis serenitatis et pacis, ea sincere velle servare. Atqui hic est amor Dei affective perfectus. Ergo homo lapsus, absque gratia, brevi saltem tempore, potest diligere Deum amore affective perfecto.

Cum ergo sat magna theologorum auctoritas teneat sententiam affirmativam, et rationes intrinsecae id ipsum suadere videantur, hanc etiam nos tanquam probabiliorem amplectimur.

B) Quid non possit voluntas sine gratia.

S.Th., 1.2 Q.100 a.4; Lercher-Lakner, 190-200; Beraza, 273-301; Lance, 134-162.

48. Etsi homo lapsus, ex nuper probatis, possit aliquid honestum absque gratia peragere, tamen sine illa nequit omnia perficere. Nequit enim vitare per longum tempus omnia peccata gravia, seu superare omnes tentationes graves, quae contra legem naturalem a se observandam insurgant; nequit diu perseverare in accepta iustitia; nequit diu vitare omnia peccata venialia. Igitur, de singulis dicamus.

Thesis 6. Homo lapsus sine gratia nequit diu servare quoad substantiam totam legem naturalem.

49. Notiones. Homo intelligitur ille qui gaudeat convenienti cognitione legis naturalis. Proinde loquimur de homine adulto, et quidem sanae mentis.

Lapsus, id est, affectus peccato originali, licet antecedenter ad peccata personalia. Si autem haec accedant, a fortiori valent de illo quaecumque de priori dicenda sunt.

Sine gratia, tum habituali, tum actuali, sed solo concursu generali Dei. In statu innocentiae non aderat haec impotentia, ratione doni integritatis. In statu naturae purae debitum fuisset aliquod speciale Dei auxilium ad illam impotentiam superandam. Quaenam gratia requiratur in hoc statu naturae lapsae, declarabitur in *scholio 2.*

Nequit, potentia morali, stricte dicta. Negamus ergo cum plerisque theologis impotentiam physicam[1]; sed asserimus impotentiam moralem, exsurgentem ex difficultate observandae legis naturalis. Quae quidem moralis impotentia cum duplex esse possit, alia *lata,* seu quae aliquas patiatur exceptiones, alia *stricta,* seu quae nunquam vinci possit, nos strictam defendimus. Disputant autem theologi (Ripalda, Suarez aliique recentiores) num haec impotentia moralis sit taoitum *con-*

[1] Impotentiam etiam physicam apponunt Saumanticenses, *De fjraria d.2* n.301-2. Illi loquuntur de vincendis tentationibus; sed hoc ipsum valet de lege servanda. At forte non differunt nisi modo loquendi.

sequens, an etiam *antecedens* praevisum usum libertatis saltem futuribilem [2]. Videtur eligenda impotentia antecedens.

Diu, longo tempore, per plures menses et annos. Ceterum, haec diuturnitas moraliter aestimanda est; diversa enim est pro diversis hominum adiunctis. Tamen, nisi aliqua gravis tentatio interim occurrat, admittimus hominem sine gratia posse observare totam legem naturalem per breve tempus.

Observari·, hoc est, facere quae praecipiuntur, et vitare quae prohibentur.

Lex naturalis est illa quam Deus necessario fert, cum sit ipsa lex aeterna, ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans, et quae per lumen rationis promulgatur.

Lex naturalis dupliciter spectari potest: vel quatenus obligat ad servanda praecepta simpliciter naturalia (amor Dei, parentum, etc.), vel quatenus praeterea obligat ad mandata positiva adimplenda (amplecti veram fidem, etc.). In thesi attingimus legem naturalem sub primo respectu. Verumtameri, per se patet, quod si homo impotens sit ad servandam legem naturalem, a fortiori etiam impotens erit ad observandam insuper legem positivam. Lex ergo naturalis est Decalogus.

Haec lex naturalis sumitur ut obligans sub gravi et sub poena damnationis aeternae. Igitur, adultus eam violans, reus fit peccati gravis formalis.

Totam, seu *collective,* de omnibus praeceptis legis naturalis simul sumptis. De singulis enim mandatis *distributive spectatis,* modo non adsit gravis difficultas, videtur concedenda potentia moralis. De hac re, in *scholio 1.*

Quoad substantiam. Lex naturalis adimpleri valet, aut per actus naturales ethice honestos, aut per actus salutares. Iuxta modum loquendi veterum scholasticorum, primus observantiae modus appellatur observatio legis naturalis *quoad substantiam;* alter vero modus dicitur adimpletio *secundum modum.* Haec autem distinctio duplicis observantiae legis, "quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum", et "quantum ad certum quendam modum", retinenda est (D 1061).

50. Adversarii. 1) *Pelagiani* tenebant hominem pro-

3 Impotentiam antecedentem eligit SuÂREz, *De gratia* 1,26; nuper eam efferunt Fi.ick-Alzseghy, *l.c.,* et G.Biffi, *Colpa e libertà neil'odierna condisvonc uniana* (Venegono 1959). Contra, amant impotentiam consequentem Ripalha, *De ente subernaturali* d.114 s.19; Lange, *De gratia* 135; nuper A.Gaboardi, *Imputabilità dei peccato nelΓimpôtcnsa di cvitarlo:* DivThom (Pi) (1940) 3-26.91-112, qui exponit ample opiniones de ea quaestione.

priis viribus naturalibus posse observare totam legem, imino et vitare quodlibet peccatum, etiam leve[3].

2) Dubia est mens *quorundam veterum scholasticorum* (Scoti, Durandi, Biel, etc.). Censet Suarez[4] eos vere docuisse hominem absque gratia posse vitare omnia peccata, etiam collective sumpta, contra legem naturae. Alii vero theologi eos excusant, eo quod fortasse negaverint tantum necessitatem gratiae habitualis, non autem actualis, vel quia loquerentur de potentia physica, non morali.

51. Doctrina Ecclesiae. *Carthaginoise concilium,* cn.3-5 (D 103-5), tradit necessitatem gratiae ad vitanda peccata gravia. *Indiculus,* c.3 (D 132), docet quemlibet hominem etiam iustum, egere cotidiano Dei adiutorio, ad peccata gravia vitanda. *Tridentinum,* s.6 c.13 et cn.22 (D 806 832), asserit requiri speciale Dei auxilium ut iustus possit superare insidias cannis, mundi et diaboli, atque hac ratione in accepta iustitia perseverare.

52. Valor dogmaticus. Cum fontes revelationis et definitiones ecclesiasticae non loquantur explicite de observatione solius legis naturalis, nec de observantia pure naturaliter honesta, censemus thesim non posse dici de fide. Sed debet haberi tanquam *theologice certa,* quatenus ex definitis certo eruitur[5]; dum enim asserunt ea homines sine gratia non posse non peccare, negant eo ipso directe potentiam non physicam (sine qua nequiret ullo modo esse peccatum liberum) sed *moralem,* quae sane, utpote orta ex concupiscentia, maxime afficit impletionem legis naturalis, ceterum ex se multo difficiliorem. Imo expresse fontes repetunt difficultatem vitandi peccata ex concupiscentia.

53. Probatur ex Sacra Scriptura. 1) *Sacra? Litterae* innuunt pugnam periculosam esse subeundam homini iusto, quam ille sola divina gratia, oratione obtinenda, superare poterit. Ergo a fortiori, non iustus, agens solis naturae viribus, eisdem difficultatibus facile succumbet, ita ut totam legem naturalem, ne quoad substantiam quidem, observare non valeat.

Antec.: Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret (1 Petr 5,8); *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli... loricam iustitiae...*

3 Cf. Augustinum, *De hacresibus* 88; Id., *Contra duas epist. Pelagianoru-m* 4,11,31.
4 Suarkz, *De gratia* 1,26,1.
6 Cf. SuâkEz, *De gratia* 1,26,12; HuaktE, *De gratia Christi* 50.

scutum fidei... galeam salutis... gladium spiritus... per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore (Eph 6,11-18): *Qui se existimat stare, videat, ne cadat...* (1 Cor 10,12). Ideo, nobis continuo orandum est: *ne nos inducas in tentationem* (,Mt 6,13).

2) Ex Rom 7,1-25, unde, etsi explicite non enuntiatur nostra propositio, facile eruiture.

Contextus. In hoc c.7 ostendit Paulus virtutem Evangelii ex eo quod liberet a lege mosaica, sub qua continetur lex naturalis ; nam legem mosaicam respicit, non ut est mere positiva, sed quatenus etiam vetat concupiscere. Itaque v.1-6 agitur de facto huius liberationis; v.7-13 de oppositione inter legem et concupiscentiam; v. 14-25 de vi concupiscentiae.

Textus. Haec est igitur mens divi Pauli, ludaeus, sub lege mosaica constitutus, et relictus sine gratia Christi suis concupiscentiis, etsi bonum ei placeat, tamen illud opere minime complet ; ita enim allicitur lege membrorum, ut peccet contra Dei legem (v.21-23), idque imputabiliter et graviter (v.ll). Ex hac autem misera servitute, sola Christi gratia liberari potest. Quod quidem asseritur, et implicite sub formula gratiarum actionis (v.25), et explicite alibi (c.8 v.2).

Docet ergo Paulus: a) *ludaeos,* sine gratia Christi, ita subiacere servituti peccati ut acti concupiscentia graviter peccent contra legem naturalem ; b) *Gentes,* non versari in meliori condicione antea dixerat c.1-3, sed in gravia peccata incidisse (c.l v. 18-29). Cuius quidem ratio, tam pro ethnicis quam pro iudaeis, alia non est nisi concupiscentia.

Argumentum. Itaque nec iudaei, nec gentes, gratia Christi destituti, servant legem naturalem. Atqui haec legis naturalis observantia, *a)* intelligenda est quoad substantiam; *b)* impotentia autem dicenda est moralis stricta. Ergo quilibet homo lapsus, absque gratia, nequit diu observare totam legem naturalem quoad substantiam.

Min.: a) *Intelligenda est de lege naturali, observanda quoad substantiam.* Hic Apostolus explicite loquitur de observantia *salutari,* quae datur per iustificationis gratiam; sed tamen haec valent etiam de observantia *honesta.* Nam ratio huius impossibilitatis assignata ab Apostolo, nimirum concupiscentia, non tantum viget pro salutari observantia sed etiam pro honesta.

° Cf. CornEi.y, *In epist. ad Romanos* 343s; F.Prat, *La théologie de saint Paul* (Paris 1927) 268-284; J.M.BovSR, *Tcologiat de San Pablo* (Madrid 1946> 264-268. De mente mediævaliutn de hac re cf. Ai.zskghy, *Nova creatura...* 218-237.

Min.: b) *Impotentia intelligenda est moralis stricta.* Nam Paulus et loquitur nomine iudaeorum sine exceptione et effert praecise difficultatem ex concupiscentia, quae afficit omnem hominem normalis conditionis.

Ceterum gravitas eius difficultatis patet cx eo quod gentes et iudaei (etiam posita saltem aliqua gratia) de facto ita se gerebant, ut Paulus concluderet "iudaeos et graecos omnes sub peccato esse" (Rom 1-3).

54. Probatur ex traditione. 1) *Patres* non solent distinguere inter observantiam honestam et salutarem legis divinae; attamen urgent magnam hominis fragilitatem, ita ut sine Dei auxilio nequeat superare tentationes. Cf. Chrysostomum (R 1191 1210), S.Ambrosium (R 1263), S.Leonem M. (R 2201). Immo aliquando reiciunt illam perfectam hominis impeccantiam, quam affirmabat Pelagius. Ita S.Hieronymus: "Hoc est quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum potestate vel peccare vel non peccare, et vel ad bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium; sed hoc pro modo et tempore et conditione fragilitatis humanae; perpetuitatem autem impeccantiae soli reservari Deo et Ei, qui Verbum caro factus carnis detrimenta et peccata non pertulit. Nec quia ad breve possum, coges me ut possim iugiter. Possum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire; numquid in perpetuum?" (R 1406).[*]

2) *Orationes liturgicae* urgent pariter nostram impotentiam ad servandam Dei legem: "Deus qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi..." (Dom.2 quadr.); "Deus qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, ut... contra omnia adversa muniamur" (In festo S.Martini, 11 nov.).

55. Ratio theologica. 1) Ex S.Thoma, qui hac ratione probat hominem, nondum iustificatum, non posse diu manere absque peccato mortali: "Sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo, et in ipso constituere finem suae voluntatis; per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani, sicut per rationis indicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter subiecto rationi, non potest esse quin contingant inordinati motus in appetitu sensitivo, ita etiam ratione hominis non totaliter exsistente subiecta Deo,

[*] Cf. J.J.Fahey, *Doctrina Sti.Hieronymi de gratiae divinae necessitate* (Mundelein 1937).

consequens est ut contingant multae inordinationes in ipsis actibus rationis. Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab Eo separari vellet, occurrunt multa, propter quae consequenda, vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo praecepta Ipsius, et ita peccat mortaliter"... (1.2 q.109 a.8). Petitur ergo ratio ex defectu subiectionis nostrae rationis et voluntatis erga Deum.

2) *Experientia* constat homines, etiam gratiis sufficientibus ornatos, multum peccare contra Dei legem. Unde eruitur magnam saltem adesse difficultatem ad hanc Dei legem servandam.

3) Hanc eandem difficultatem probant et *infirmitas nostrae voluntatis,* et incursus *concupiscentiae,* quibus accedunt *tentationes externae diaboli et mundi,* quae, multae, vehementes et diuturnae esse possunt.

56. Obiectiones. 1. Ex Rom 2,14: *Cum enim gentes, quae legem non habent,* naturaliter *ea. quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Ergo gentes *naturaliter* observant totam legem naturalem.

Resp. verbum *naturaliter* opponi legi scriptae, ita ut sensus sit: gentes, duce solo lumine rationis seu sine lege scripta, implent legem; asseritur ergo mere factum eius impletionis, quin directe doceatur quibus viribus ea obtineatur.

Et si diceretur ibi agi de impletione legis sine gratia, responderetur ad mentem Pauli: hic tradit singulos gentiles servasse omnia legis praecepta, *nego;* tradit alios gentiles alia praecepta, et hac ratione, omnes gentiles implevisse omnia praecepta, *subdist.:* excluso auxilio divino, *nego;* hoc auxilio non excluso, *ronc.*

2. Chrysostomus verba Apostoli, ita interpretatur: "Mirabiles [gentes] quia lege [scripta] non opus habuere, et quae legis sunt *omnia* exhibuere"'. Ergo, iuxta Chrysostomum, non aliqua tantum praecepta, sed totam legem adimplevere.

Resp. mentem Chrysostomi esse, non quod singuli omnia, sed quod alii alia impleverint praecepta; et hoc modo, ab omnibus servarentur omnia. Aliter enim sibi contradiceret, cum scribit: "Quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi, si Dei absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. Sed quid ego de nobis vilibus et abicctis loquor? Licet Paulus sit aliquis aut Petrus, licet lacobus aut loanncs, subsidio caelesti privatus facile vincitur ct supplantatur et concidit... Neque tantum in periculis, quae vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam quae non excedunt, caelesti auxilio indigemus, ut generose possimus obsistere" (R 1210). Ceterum S.Doctor non excludit auxilium divinum ab illa exhibitione legis.

3. In statu naturae purae homo potuisset observare totam legem naturalem. Atqui homo in statu naturae lapsae habet easdem vires

In epistulam ad Romtanos hom.5 n.5: MG 60.42S.

quas habuisset in statu naturae purae. Ergo etiam homo lapsus potest observare totam legem naturalem.

Dist. mai. In statu naturae purae homo potuisset servare totam legem naturalem, solis viribus naturalibus, absque ullo auxilio superaddito, *nego mai.;* superaddito aliquo Dei auxilio, *conc. mai. Conc. min. Visi, pariter cons.* Potest servare totam legem naturalem, solis viribus naturalibus, absque ullo auxilio superaddito, *nego cons.;* hoc auxilio superaddito, *conc. cons.*

Ut homo purus posset servare totam legem, egebat auxilio quodam Dei, superaddito viribus naturalibus; hoc autem auxilium fuisset ipsi debitum. Etiam *homini lapso, non reparato,* fuisset necessarium huiusmodi auxilium; et quia per peccatum originale homo non privatur bonis naturalibus, etiam illi fuisset debitum. *Homini vero lapso et reparato,* loco auxilii naturaliter debiti, datur auxilium supernaturale, quo adiutus valet homo servare legem, non solum quoad substantiam, sed etiam salutariter. Sed hoc auxilium est et debitum et indebitum; indebitum, quatenus ordinatur ad finem supernaturalem; debitum autem, quatenus reddit moraliter possibilem observantiam legis quoad substantiam.[8]

4. Deus creans hominem moraliter impotentem ad observandam legem, ac proinde ad assequendum suum finem, ageret imperfecte; sicut imperfecte ageret artifex qui rem exstrueret non sibi sufficientem, sed indigentem perenni ipsius auxilio. Atqui Deus nequit agere imperfecte. Ergo Deus ita fecit hominem ut possit moraliter servare totam legem naturalem.

Nego paritatem. Adest magna disparitas inter rem factam ab artifice, et dependentiam creaturarum a Deo; ilhtd enim pendet ab artifice tantum in fieri, homo vero pendet a Deo et in fieri et in esse et in operari. Ideo, ad Dei providentiam spectat ut homini praesto sit aliquod auxilium, quo reddatur ei moraliter possibilis observatio totius legis, ac consequenter assecutio finis ultimi.

57. 5. Ad graviter peccandum requiritur potentia vitandi peccatum non solum physice sed etiam moraliter. Atqui homo habet quidem potentiam physicam ad servandam totam legem naturalem, sed caret potentia morali. Ergo transgressio legis non potest ipsi imputari ad peccatum.

Dist. mai. Requiritur potentia, non solum physica, sed etiam moralis, ad singulos actus ponendos, *conc. mai.;* ad ipsam collectionem, indeterminate sumptam, *'nego mai. Contradist. min.* Non habet potentiam moralem quoad singulos actus, *nego min.;* quoad collectionem, *conc. min.* Ad rem Suârez: "Haec impotentia moralis non repugnat libertati; quia... non est per determinationem potentiae ad unum, quae opponitur libertati; sed per inconstantiam et infirmitatem operantis, quae non libertati, sed constantiae et fortitudini opponitur".[*]

6. Tandem collectio praeceptorum nequit moraliter servari. Atqui Deus non potest praecipere impossibilia. Ergo, cum praecipiat observantiam totius legis, haec debet esse moraliter possibilis.

Resp. Deum non praecipere collectionem tanquam aliquid diversum ab observantia singulorum praeceptorum. Nunc vero singula

8 De controversia circa debitum gratiae sanantis, alia dicuntur infra, n.70. Quomodo autem homini in statu naturae purae opus fuisset auxilio Dei, bene ostendit D. Soto, *De natura et gratia* 1,4.

• Suârez, *De gratia* 1,24,37.

homo custodire valet. Insuper, ad observantiam totius legis, successive custodiendae, non deerit auxilium necessarium ex parte Dei.

7. Ex dictis, homini debetur ex parte Dei aliquod auxilium, ut possit servare totam legem naturalem. Atqui quod debetur nequit appellari gratia. Ergo homo, absque gratia, poterit servare totam legem naturalem.

Conc. mai. Dist. min. Nequit dici gratia, si spectetur secundum suam entitatem, *trans, min.;* si spectetur respectu finis, ad quem datur, *nego min. Dist. pariter cons.* Absque gratia entitative supernatural!, *conc. cons.;* absque gratia supernatural! ratione finis ad quem ordinatur, *nego cons.*

Ad observandam legem naturalem quoad substantiam debetur utique ex parte Dei aliquod auxilium ; sed huiusmodi auxilium, ex natura rei, non requiritur nisi entitative naturale. Tale fuisset in statu naturae purae. In praesenti autem statu naturae lapsae et reparatae, quia finis hominis est supernaturalis, etiam auxilium divinum, saltem ratione huius finis, semper est supcrnaturalc seu indebitum, ac proinde vera gratia.

58. Scholion 1. *De tentationibus.* Ratio huius impotentiae moralis ad servandam diu totam legem naturalem sunt tentationes, quae oriri possunt aut ex carne, aut ex diabolo, aut ex mundo (D 806).

Patet ex th.l et 2 hominem non posse superare tentationes *salutariter* nisi ex gratia Dei. Sed quaeritur, num hae saltem *honeste* vinci possint absque Dei auxilio.

a) Certo tenendum est, ex thesi praecedenti, hominem non posse vincere sine gratia *omnes tentationes collective sumptas,* quae illi tempore satis longo obvenient ; aliter enim, absque gratia, observaret totam legem naturalem.

b) Immo, sat communiter traditur esse aliquas tentationes adeo graves, sive adeo sollicitantes ad peccandum, ratione intensitatis vel durationis, ut etiam *singulae* nequeant sine gratia superari.

c) Communius, etiam id tenetur de *ceteris tentationibus gravibus distributive sumptis.* Ita v.gr. Bcllarminus, Suârez, Salmanticenses, Mazzella, Lahousse, Muncunill, Beraza... ".

d) Communiter tenetur esse *tentationes adeo leves* (quia remisse vel brevi tempore ad malum alliciunt), ut homo, solis naturae viribus, ipsis resistere possit". Huc spectat damnatio Baii (D 1030): Sunt fures et latrones quotquot docent "tentationi ulli, sine gratiae ipsius adiutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur ac ab ea non superetur".

59. Scholion 2. *Quaenam gratia requiratur ad honeste observandam totam legem naturalem, sive ad vincendas omnes tentationes?*

Respondeo, *a)* ex natura rei non requiri gratiam entitative supernaturalem, sed sufficere gratiam medicinalem sive sanantem, per quam consulatur infirmitati naturae. Ita S.Thomas: "In statu naturae corruptae non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia sanante" (1.2 q.109 a.4).

b) De facto, nihil obstat quominus detur omnibus, etiam infi-

10 Bet.larminus, *De gratia ct libera arbitrio* 5,7; SuÂRHz, *De gratia* 1,23-21; SaEManticenses, *Dc gratia A.2* dub.8' n.274s; Mazzella, *De gratia Christi* 385-394; Lahousse, *De gratia divina* 164s; Muncunill, *De gratia Christi* d.1 c.3 a.3; Beraza, 290s.

n Cf. Bellarminum. *l.c.* Lnia-s R.Brcquillard, *Tentation:* DTC 15,116ss.

dclibus, gratia intrinsece supernaturalis. Quae quidem, 31 agatur de singulis tentationibus, sufficit *actualis.* Ut vero diu vincantur omnes tentationes, ordinarie praerequiritur etiam *status gràtiac,* non ut auxilium proximum, sed ut fundamentum sive ratio ad illud obtinendum. Haec enim diuturna victoria tentationum est insigne beneficium, ad quod recipiendum inveniuntur indispositi peccatores ".

Thesis 7. In statu naturae lapsae, iustificatus sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia diu perseverare non potest.

S.Th., 1.2 q.109 a.9s; LerchEr-LaknEr, 201-216; Beraza, 228-239; LancB, 170-175.

60. Notiones. Iustificatus intelligitur ille homo, qui accepit iustitiam sive gratiam habitualem ccteraque dona ipsam comitantia, eaque nunc retinet. Hac ratione differt haec thesis a th.6, de observantia legis naturalis; ibi enim quaestio erat de lege adimplenda a quolibet homine, hic vero tantum agitur de homine iusto, perseverante in accepta iustitia, per observationem mandatorum. Sed problema idem est, servata proportione.

Speciale auxilium dicitur quia est aliquid diversum a solis viribus naturalibus et ab ipsis denis habitualibus iustificationis; hoc enim exigit definitio tridentina. i.on ergo appellatur *speciale* eo quod sit privilegium, quale requiritur ad vitanda omnia peccata venialia; nam dum hoc nonnisi quam rarissime, illud omnibus datur, cum "Deus sua gratia semel iustificatos non deserat, nisi ab iis prius deseratur" (D 804). Igitur, *in quo reponendum est* hoc auxilium speciale?

a) *Plures theologi thomistae* (Io. a S.Thoma, Gonet, Salmanticenses, Billuart, Del Prado, Hugon...) reponunt illud in gratL? actuali efficaci, necessaria ad perseverandum[1]. Merito taiûx-n obicitur quod Tridentinum videatur loqui de potentia perseverandi, non de facto perseverantiae [2].

b) *Nonnulli theologi recentiores S.I.* (Hurter, Mazzella, Pesch, Perrone, Tepe) censent esse complexum gratiarum actualium, quae, ad superandas singulas difficultates seorsim sumptas, requiruntur et sufficiunt; seu esse gratias actuales quae ipsi statui gratiae connaturaliter debentur[3]. Quod ta-

12 Cf. SuArez, *Dc gratia* 1,27,20ss.

1 Ioannes a S.Thoma, *Cursus theologicus* in 1.2 d.21 a.2; Gonet, *Clypeus theol.thomisticae* d.1 a.8; Salmanticenses, *De gratia* d.3 dub.11; Billuart, *De gratia* dis.3 <r,10; N.del I*rado, *De gratia ct libero arbitrio* 1,120s; Hugon, *Dc gratia* q.2 a.8.

3 Cf. SuArez, *Dc gratia* 10.2,16.

8 Hurter, *De gratia* 41; Mazzella, *De gratia Christi* 314-315; Pesch, *Praelectiones dogmaticae* 5,189; Perrone, *Dc gratia Christi* 67s.2O3; TepE, *De gratia* 87.

men sufficçre non videtur. Nam, sicut non sufficit ad diu servandam totam legem naturalem id quod sufficit ad servanda singula praecepta distributive sumpta (haec enim absque gratia homo servare valet, minime vero illam), ita auxilium, quod datur iustis ad singulos actus seorsim sumptos videtur non sufficere ad diu perseverandum in statu gratiae.

c) *Alii autem theologi,* ut Beraza, Lercher, Michel, tenent esse aliquid diversum ab ipsa summa gratiarum actualium; esse nimirum *singularem protectionem Dei* circa iustos, quae complectitur tum auxilia entitative naturalia et externa, quibus removentur occasiones peccandi, tum auxilia interna et intrinsece supernaturalia, quibus iustus salutariter operetur. Hanc intrepretationem suadere videntur tum ipsi fontes, tum verba S.Thomae (1.2 q.109 a.9-10) et Suarez, tum ipsa vox *auxilium,* quam Patres Tridentini consulto adhibuere; quae quidem latius patet quam vocabulum gratia, quod praetermiserunt 4. Itaque, haec specialis providentia exercetur a Deo, et per gratiam sanantem, et per gratiam elevantem.

Diu intclligendum est eodem modo ac in th.6.

Perseverantia est permanentia in accepta iustitia, eo quod vitentur peccata mortalia. Sed alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* (finalis, completa), quae protenditur usque ad finem vitae; *imperfecta* (temporalis, incompleta), quae durat per certum vitae tempus °. Rursus, haec perseverantia perfecta, duplicem respectum habere potest, activum et passivum. *Perseverantia activa* est bona vita per observantiam mandatorum; *perseverantia passwa* est bona mors, vel terminus vitae in statu gratiae. Homo moriens statim post iustificationem, habuit perseverantiam pure passivam; moriens in statu peccati, postquam aliquamdiu vixerit in gratia, habuit perseverantiam pure activam; sancte vivens et sancte moriens, habuit perseverantiam activam simul et passivam.

Non potest. Concessa potentia physica perseverandi, negamus potentiam moralem strictam, et quidem antecedentem, ut in th.6.

Ceterum, .oportet bene distinguere haec duo: a) *Potentiam perseverandi* (perseverantiam potentialem), illam scili-

4 Suârez, *Dc gratia* 10.2,6s; Beraza, 230; Lercher, 4,1,202; A.Michel, *Persévérance:* DTC 12,1283-6 ubi reperies alias interpretationes huius auxilii specialis. Satis constare videtur, tum cx actis Tridentini, tum ex capitibus corrcspondentibus, quod auxilium, de quo loquitur cn.22, per se sit auxilium gratiae sanantis, non elevantis. Cf. controversiam de hae re inter Lingens et Straub, apud ZkathTh 20 (1896) 40-60; 21 (1897) 107-140.209-254.

6 Huius divisionis meminit S.Augustinus, *De dorto persev.* 1 (R 1992?.

cet quae exsurgit ex viribus tam physicis quam moralibus quae requirantur ut iustus valeat perseverare in statu gratiae contra quaslibet tentationes; b) *factum perseverantiae* (perseverantiam actualem) seu perseverantiam quae actu et de facto habetur. Aliud est enim posse perseverare, aliud de facto perseverare; sicut aliud est posse currere, aliud de facto currere. Etenim ad factum perseverantiae requiruntur gratiae actuales efficaces, ad potentiam vero perseverandi non nisi gratiae actuales sufficientes.

Igitur, thesis nostra respicit *potentiam perseverandi. De facto* dicendum erit in *scholio 1.* Asserimus ergo quod in hoc statu naturae lapsae, ut iustus possit diu perseverare in gratia, perseverantia activa, indigeat speciali auxilio Dei.

61. Adversarii. 1) *Pelagiani* docuere hominem, solis naturae viribus, posse adimplere omnia praecepta, atque ideo perseverare sine peccato.

2) *Semipelagiani* etiam memorantur a pluribus auctoribus tanquam fautores huius erroris. Attamen Lange censet eos defendisse necessitatem auxilii specialis ad posse perseverare, et tantummodo oppugnasse doctrinam augustinianam de dono perseverantiae actualis [e].

62. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus,* c.3 (D 132), declarat "neminem etiam baptismatis gratia renovatum esse idoneum ,ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit". *Arausicanum,* cn.10 (D 183), asserit quod "adiutorium Dei etiam renatis... semper est implorandum, ut... in bono possint opere perdurare". *Tridentinum,* s.6 cn.13 (D 806), agens de perseverantiae munere, ait quod illud "aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet". In cn. vero 22 (D 832) definit: "Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, a.s.".

Circa sensum huius canonis Tridentini, fatendum est illud exhibere quamdam indeterminationem, cum possit intelligi de facto vel de potentia perseverandi, de perseverantia perfecta vel etiam de imperfecta. Hinc:

a) Ut minimum tenendum est concilium definivisse iustificatum *de facto non perseverare sine speciali Dei auxilio.*

b) Certum videtur concilium etiam definivisse iustum

[e] Lance, 172.

non posse perseverare usque in finem, sine speciali auxilio Dei. Ita enim sonant ipsa verba.

cj Probabilius, concilium directe loquitur *de perseverantia perfecta,* ut eruitur ex comparatione cum c.11 et 13; nihilominus arguitive *potest extendi etiam ad imperfectam,* cum eadem ratio impotentiae seu difficilis pugna cum carne, mundo, diabolo, valeat pariter ad impediendam victoriam iusti diuturnam seu longo vitae spatio producendam.

63. Valor dogmaticus. 1) Factum perseverantiae perfectae, est veritas *de fide divina et catholica definita;* 2) potentia perseverandi perfecte, videtur etiam veritas de *fide divina et catholica definita;* 3) potentia diu perseverandi, est *theologice certa.*

64. Probatur ex Sacra Scriptura. Sacrae Litterae testantur gravem pugnam esse subeundam etiam homini iusto; ideoque illum hortantur ut petat continuo divinum auxilium, sine quo hostes superare non poterit. Atqui hoc significat requiri ad posse diu perseverare aliquod speciale auxilium, praeter gratiam habitualem. Ergo ut iustus possit diu perseverare, praeter gratiam habitualem, indiget speciali Dei auxilio.

Mai.: Iusti exhibentur tanquam milites, induti omni armorum genere, ut possint stare adversus insidias diaboli (Eph 6, 11-17); hostes vero iustorum sunt *tentationes* (lac 1,2.12), *concupiscentia* (lac 1,14), *diabolus* (1 Petr 5,8). Ideo ipsis "per omnem orationem et obsecrationem orandum est omni tempore" (Eph 6,18), ne succumbant tentationibus (Mt 6,13; 26,41).

Min.: Etenim, si iusti possent perseverare sola gratia habituali, sensum non haberet illa specialis difficultas qua laborant, nec illis esset orandum ut perseverare possent; petitur enim quod non habetur.

65. Probatur ex traditione. 1) *Patres* urgent *a)* impossibilitatem perseverandi sine auxilio divino; *b)* necessitatem orationis assiduae ut illud auxilium obtineatur. Ita Origenes: "Opus est voluntate nostra et divina ope conspirante... ad id etiam, ut qui honestus et bonus evasit, in virtute perseveret" (R 485). Et S.Cyprianus: "Petimus et rogamus ut qui baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus..."[7]. Etiam Chrysostomus: "Quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi, si Dei absit auxi-

[7] *Dc orat, doniin.* 12: ML 4,527; ed. Hartel, CSEL 1,275.

Horn, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. Sed quid ergo de nobis vilibus et abiectis loquor? Licet? Paulus sit aliquis aut Petrus, licet lacobus aut loannes, subsidio caelesti privatus facile vincitur et supplantatur et concidit... Neque tantum in periculis, quae vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam quae non excedunt, caelesti auxilio indigemus, ut generose possimus obsistere" (R 1210; cf. 1191 1153). Similia proferunt S.Ambrosius (R 1302) et S.Hieronymus (R 1404 1406). S.Augustinus, in libro *De dono persev.,* ostendit perseverantiam esse gratuitum donum Dei, eo praesertim quod sit obiectum orationis [8] Eandem tenent doctrinam eius discipuli S.Prosper Aquitanus et S.Fulgentius [9].

2) *Ex praxi Ecclesiae orantis:* In canone Missae precamur: "Fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas". Fer. tertia p. dom. Passionis legimus: "Da nobis perseverantem in tua voluntate famulatum". Itemque in aliis orationibus: "Timorem et amorem tuum fac nos habere perpetuum...". "Tua circa nos propitiatus dona custodias..."

3) *Ex praxi animarum fidelium et sanctarum,* quae hanc perseverantiam ideo iugiter a Deo petunt, quia sunt persuasae se diu perseverare non posse nisi adiuventur speciali auxilio.

66. 4) *Ex Theologis. Antetridentini,* etsi explicite nondum distinguant gratiam habitualem et actualem, iam innuunt quaedam auxilia superaddi debere ut iustus possit perseverare. Ita v.gr. S.Anselmus et Scotus. S.Thomas, in suis primis scriptis, nihil praeter gratiam habitualem exigebat; sed in *Summa theologica,* ut statim videbimus, aperte docet sola gratia habituali non posse hominem perseverare [10].

Theologi postlridentini tuentur uno ore necessitatem specialis auxilii, distincti a gratia habituali. Disputant autem num illud auxilium semper debeat esse gratia elevans (Lingens contra Straub ceterosque theologos), vel etiam num sit diversum a complexo auxiliorum quae connaturaliter proveniunt ex gratia habituali (supra memoravimus nonnullos theologos).

67. Ratio theologica. S.Thomas suadet necessitatem

8 *De dono persev.* n.3-9.15.41.55 etc.; *Dc corrcpt. et gratia* c.6-12. Praecipua leguntur apud R 1944s.1992s.

9 S.Prosper Aquitanus, *Carmen de ingratis: Dc gratia Dei ct libero arbitrio:* ML 51,76s: S.Fulgentius Ruspensis, *Dc fide ad Petrum; De veritate praedestinationis:* MI, 65,603s.

10 S.Anselmus, *De concordia* 4; Scotus, *In 4* d.22 n.17. Circa evolutionem mentis D.Thomae, cf. A.Michel, *Persévérance:* DTC 12,1274-6.

specialis auxilii, distincti a gratia habituali, ex infirmitate naturae humanae, quam sola gratia habitualis perfecte non sanat. Scribit enim 1.2 q.109 a.9: "Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem *modo* quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur; et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitae aeternae, quae excedunt proportionem naturae. *Alio modo* indiget homo auxilio gratiae ut a Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad *primum* auxilii *modum* homo in gratia exsistens non indiget alio auxilio gratiae, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiae secundum *alium modum,* ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Et hoc propter duo. *Primo* quidem *ratione generali:* propter hoc, quod, sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinae. *Secundo ratione speciali:* propter condicionem status humanae naturae. Quae quidem, licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam *servit legi peccati,* ut dicitur ad Rom 7. Remanet etiam quaedam ignorantiae obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur Rom 8, *quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat; secundum illud Sap 9: *Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae.* Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur et protegamur, qui omnia novit et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam, convenit dicere: *Et ne nos inducas in tentationem;* et *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra;* et cetera quae in oratione dominica continentur ad hoc pertinentia".

Cf. etiam ad 1 et 2.

68. Obiectiones. 1. Concilium Carthagincnsc cn.3 (D 103) definit gratiam Dei, qua justificamur, non solum valere ad remissionem peccatorum, quae iam commissa sunt, sed etiam ad adiutorium ut non committantur. Ergo ad perseverandum sufficit ipsa gratia habitualis, quin requiratur novum aliquod auxilium speciale.

Dist. antec. Definit totam seriem gratiarum actualium et habitualium sufficere ad perseverandum, *conc. antec.;* solam gratiam habitualem, *subdist.:* remote, *conc.;* proxime, *nego.*

Plures doctores contendunt gratiam iustificantem, de qua loquitur Carthaginense, intelligendam esse sensu latiori, ut fit frequenter apud veteres, de omnibus gratiis, sive haec gratia sit formaliter iustificans, sive dicat ordinem ad iustificationem. Nunc vero, hoc sensu accepta definitione, nullam facit difficultatem, nam inter illas gratias continetur etiam auxilium necessarium ad perseverandum.

Sed sunt alii interpretes, qui definitionem obicctam intelligant de sola gratia habituali; quo posito, concedunt gratiam sanctificantem esse principium quod *remote* sufficit ad perseverandum, negant vero etiam *proxime* sufficere, in hoc statu naturae lapsae. Ad rem Suarez; "Dicimus hoc iuvamen..., licet de se sit sufficiens, quantum est *ex parte ipsius gratiae,* ad perseverantiam seu diuturnam eiusdem gratiae conservationem, nihilominus *ex parte subtecti iit homine lapso* non sufficere, nisi ipsamet gratia amplius iuvetur per specialem Dei protectionem" ".

2. Gratia habitualis sanat naturam infirmam per peccatum. Atqui impotentia ad vitanda peccata oriebatur ex infirmitate naturae. Ergo gratia habitualis est principium proximum perseverandi.

Dist. mai. Gratia habitualis sanat naturam eadem illa sanitate perfecta, quam habuit ante peccatum, *nego mai.;* sanat imperfecte, id est, sanitate utique essentiali, minime vero intégrait, *conc. mai. Contradist. min.* Oriebatur ex infirmitate proveniente ex concupiscentia, quae non aufertur per gratiam habitualem, *conc. min.;* quae auferatur, *nego min.'l.*

3. Gratia Christi efficacior est quam iustitia originalis. Atqui in statu iustitiae originalis non dabatur concupiscentia. Ergo gratia Christi, licet non auferat, debet omnino superare concupiscentiam.

Dist. mai. Gratia Christi est efficacior, si adaequate sumatur pro omni genere gratiarum, *conc. mai.;* si intclligatur sola gratia habitualis, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Gratia Christi, et habitualis et actualis, *conc. cons.;* sola gratia habitualis, *nego cons.*

4. Omnibus iustis debetur auxilium quod sit ipsis necessarium. Atqui auxilium speciale ad perseverandum iustis non debetur. Ergo huiusmodi auxilium non est necessarium.

Dist. mai. Debetur auxilium proxime vel saltem remote sufficiens, hoc est, gratia orationis, *conc. mai.;* proxime sufficiens, *nego mai. Contradist. min.* Auxilium proxime sufficiens non debetur iustis, *conc. min.;* remote sufficiens, *nego min.*

5. lustus perseverare potest, absque speciali auxilio, per breve tempus. Ergo successive poterit perseverare etiam per longum tempus.

Trans, antec. Nego cons. et *consequentiam.* Nam difficultates illae, v.gr. tentationes, quae abesse possunt per breve tempus, certo non aberunt si tempus sit diuturnum.

69. Scholion 1. *De facto perseverantiae.* 1) Perseverantia perfecta sive finalis, seu mors in statu gratiae, dicitur a S.Augustino *donum Dei'l,* et a Tridentino appellata est *magnum Dei donum* (D 826). Quae quidem, etsi primario proferantur de illa perseverantia, quae activa est simul et passiva, extendi etiam debent ad perseverantiam pure passivam; nam et ipsa fert sccum aeternam praedestinationem ". Igitur, haec actualis perseverantia est *magnum donum* eo quod complectatur et gratiam habitualem, et gratias internas efficaces, et gratias externas, quarum praecipua est sancta mors, cum adiuncta aeterna beatitudine. Hoc ergo perseverantiae factum, merito dicitur etiam *speciale beneficium,* utpote distinctum.

" Suârbz, *De gratia* 10,2,11.
l2 Distinctionem bene explicat SuarBz, *Dc gratia* 10,2,11.
l3 *De dona persev.* 17: ML 45,1018; *De correct, et gratia* 8: ML 44,927.
u Huic extensioni repugnamt nonnulli auctores, teste I.Hermann, *Tract, dc gratia divina* 242.

tum a potentia perseverandi, tum a reliquis donis, quae sunt communia omnibus iustis. Est etiam *donum gratuitum,* quia de condigno mereri non potest. Quomodo vero sit explicandum hoc perseverantiae donum, dissentiunt scholae theologicae, pro diversis carum sententiis et circa gratiam efficacem, et circa praedestinationem ad gloriam.

2) Verum concessio huius doni est nobis *incerta,* dicente Tridentino: "De perseverantiae munere... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent". Et in canone: "Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, a.s." (D 806 826). Attamen, simul tenendum est, ut probabitur th.13, omnibus iustis, urgente praecepto, conferri a Deo gratiam proxime vel remote sufficientem, qua illud possint implere (D 828).

3) Immo, haec finalis perseverantia *oratione infallibiliter impetrari potest.* Etenim *Christus Dominus* absolute promisit se petentibus daturum (Mt 7,7); quod quidem pracprimis valere debet de dono perseverantiae, cum sit res omnium maxime necessaria ad assequendam vitam aeternam. Ceterum, hoc explicite testantur de perseverantia *sancti Patres* (Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus) et *theologi.* Ut vero oratio infallibdis evadat, in hac petitione perseverandum est. Ad rem Suarez: "Igitur perseverantia orationis in tali materia requisita est, ut non semel tantum aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitae duret, et praesertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata aut vincendi tentationes, cum debita fiducia repetatur. Sic enim fiet, ut procedendo ab uno actu ad alium, bene operando et convenienter orando, infallibiliter perseverantiam consequatur" ". Sed haec assidua oratio coniungenda est cum sumptione sacrae Eucharistiae, non tantum quia haec praecepta est, sed etiam quia videtur esse medium moralitcr necessarium ad obtinendum speciale auxilium perseverantiae ".

4) Sed haec actualis perseverantia, non solum impetrari, sed etiam *mereri potest,* non quidem de condigno, sed certe de congruo. Ita communiter theologi, qui provocant ad 2 Petr 1,10: *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem facialis...* Hoc vero meritum de congruo, non infallibile dicendum est, sed fallibile, eo quod Deus donum perseverantiae absolute promiserit quidem orationi, non vero ullis aliis operibus bonis.

5) Quomodo autem cohaereat gratuitas perseverantiae finalis cum doctrina de gratuitate praedestinationis, explicandum est diversimode iuxta diversas scholas catholicas. Qui praedestinationem ad gloriam tenent antecedentem, consequenter dicere debent: quia Deus absolute elegit hunc hominem ad gloriam ante praevisa merita, ideo praeparavit illi donum perseverantiae finalis. Qui vero

Suarez, *De gratia* 12,38,16. Ipse Suarez, ad infallibilitatem huius orationis exigit statum gratiae *(Ibid.,* 12,38,15). Bellarminus, post controversias de gratia, librum scripsit de oratione *(De controversiis* [Ndpoles 18581 t.4 p.636-672).

J· L.LercHER, *In'stit. theol. dogmat.* (1945) vol.4,1 n.208; Id., *Dic ht.Eucharistie ais notivendiges Mittet cur Bewahrutfg des Gnadcnstandcs:* ZkatliTli 55 (1931) 287-293; G.AlastruEy, *Tractatus de sanctissima Eucharistia* (1949) p.308-310. Ideo De la Taille, *Myst. fidei* elucid.49 § 2, appellat Eucharistiam sacramentum perseverantiae.

praedestinationem ad gloriam tenent consequentem, rem sic explicant: Deus huic homini, multum oranti, praeparat donum perseverantiae finalis; et quia ille homo praevidetur sic mortuus in statu gratiae, Deus absolute decernit dare illi gloriam.

70. Scholion 2. *Finalis perseverantia et confirmatio in gratia.* Quia et perseverantia finalis et confirmatio in gratia coincidunt in immunitate a peccatis mortalibus usque ad finem vitae, quaeritur a theologis quomodo haec duo dona inter se differant. Nam ea differre inter sc, vel eo constat quod confirmatio in gratia sit singulare privilegium quod paucis omnino conceditur (sicut B.Mariae Virgini et Apostolis, quamvis diversa ratione), donum vero perseverantiae finalis omnibus praedestinatis concedatur. Et sane confirmatio in gratia aliquid addit supra meram perseverantiam finalem. Quid autem sit quod addit, non uno modo a theologis explicatur.

Alii enim confirmationem in gratia explicant per talem impotentiam peccandi quae oriatur ex sublata libertate ad peccandtun per auxilia efficacia (ut vult Valencia), vel per donum aliquod intrinsecum (ut tenet Ledesma). Quod quidem ita intelligi debet, ut libertas non amittatur pro omnibus actibus, etiam bonis, sed pro malis tantum. Huic sententiae tribuit Suârez quandam probabilitatem, si de quibusdam Sanctis affirmetur, non de omnibus intelligatur.

Alii theologi tenent confirmatum in gratia habere semper revelationem aliquam propriae perseverantiae; quam certe non habet omnis qui finaliter perseverat. Sic Vâzquez. Hoc tamen valde incertum est, ac praeterea non videtur explicare naturam ipsam confirmationis in gratia.

Alii hanc explicant per maiorem intrinsecam perfectionem gratiae habitualis. Sic plures Thomistae. Sed obscurum est, in quo sit reponenda illa maior intrinseca perfectio gratiae.

Alii denique eam explicant per maiorem abundantiam auxiliorum Dei; quasi Deus pro confirmatis in gratia maiorem custodiam exerceat per gratias actuales efficaces, quam quae ad perseverandum sufficerent. Sic Suârez et Molinistae generarim. Quae explicatio praeferenda videtur. Adhuc in hac solutione generali, quidam theologi admittunt praedefinitiones formales pro confirmatis in gratia, virtuales tantum pro aliis; quod, etsi absolute admitti possit, minus tamen consentaneum est cum stricto systemate molinistico ".

Thesis 8. Nullus homo lapsus potest diu vitare omnia peccata venialia, absque speciali Dei privilegio.

S.Th., 1.2 q.109 a.8; LBrchEr-LaknEr, 217-222; Bbraza, 251-261; LakgE, 163-169.

71. Notiones. Nullus homo lapsus. In hoc statu naturae lapsae, nullus adultus, nec infidelis nec fidelis; ex ipsis

17 Has varias sententias bene exponit Beraza, 250. Ceterum de his cf. J.Gummersbach, S.I., *Unsündlichkeit und Befesttgung in der Gnode* (Frankfurt 1933); Id., *Confirmation en grâce:* DSpir 2 (1953) 1422-1436; Id., *Bcfcstigung in der Gnade:* LThK 2 (1958) 101s; A.M.Horvath, O.P., *Heiligkcit und Sündc* (Freiburg Schw. 1943); M.FërnândEz, */Fueron los Apôstoles con'firmados en gracia?'.* Lum 6 (1957) 3-28; X, *La Sainte-Vierge, impeccable et méritante:* AinCl 69 (1959) 126s. De qua impeccabilitate Christiani loquitur S.Ioannes? Cf. I.de la PotteriR, S.I., *L/impeccabilité du chrétien d'après I Joh., 3,6-9. L'Evangile de Jean·.* RechBibl 3 (1958) 161-177.

autem iustis, ne sanctissimus quidem vir. Unam certo excipimus B.M.Virginem [1]. Disputatur num etiam excipiendi sint S.Ioannes Baptista et S.Ioseph saltem in aliqua materia et in aliqua periodo vitae.

Potest. Ut in thesi priori, concedimus potentiam physicam, sed denegamus moralem, et quidem strictam; ea videtur omnino esse antecedens praevisum usum libertatis humanae [2].

Diu, moraliter aestimandum est ex adiunctis in quibus homo versatur [3]. Semper autem brevius tempus assignandum est quam ad servandam legem naturalem. Certe, Tridentinum definivit iustum haec vitare non posse *per totam vitam* (D 833); sed simul loquitur de peccatis *quotidianis,* in quae etiam iusti et sancti quandoque labuntur (D 804) [3*].

Peccatum veniale dicitur ille actus moralis inordinatus, qui levis evadit vel propter parvitatem materiae vel propter defectum cognitionis aut consensus. Duplex distinguitur peccatum veniale: a) *Deliberatum,* si, in materia levi, adsit plena advertentia et consensus; b) *semideliberatum seu subreptitium,* si, in qualibet materia, non adsit perfecta advertentia et consensus. In thesi respicimus peccata venialia semideliberata, atque satis est ut de illis intelligatur definitio tridentina; censent enim communiter Doctores, homines sanctitatis eximiae posse diu abstinere ab omni peccato veniali plene deliberato, sine speciali privilegio Dei; ideoque validum esse votum de vitandis venialibus deliberatis [4].

Omnia, collective sumpta; de singulis enim concedimus. Igitur impotentia afficit directe collectionem; ergo singula libere patramus.

Privilegium est exceptio a lege generali et odiosa. In casu, lex generalis divinae providentiae, a qua datur exceptio, illa esse videtur: permittendi in omnibus, ob rationes optimas sapientissimae providentiae, aliqua peccata venialia et ideo non concedendi eas uberiores gratias quibus omnia peccata levia vitarentur. Hoc autem privilegium diversimode praestari potest: immunitate a concupiscentia, quae est radix huius impotentiae, singulari providentia Dei, serie continua

1 Cf. J.A. de Aldama, S.I., *El valor dogmático de la doctrina sobre la inmunidad de pecado venial en Nuestra Señora:* ArchTG 9 (1946) 53-67.
2 Cf. Beraza, 253-255.
3 Cf. Suárez, *De gratia* 9,8,29.
3* Ea tamen frequentia determinari nequit: cf. L.L.McR., *The Frequency of Venial Sins:* ClRev 45 (1960) 232-235. At non est de ea re Prov 24,16: cf. E.Tarusell i, *Siete voces cae el justo:* RevisBibl 14 n.63 (1952) 17-18.
4 Cf. Suárez, *De voto* 2,5; S.Alphonsum, *Theol. Mor.* 3,203. Contra opinantur nonnulli theologi, ut Gotti, Gonet, Montesinos, Serra...

gratiarum actualium, quae non necessario requirantur intrinsece supernaturales.

Speciale dicitur quia raro conceditur. Ad servandam ergo totam legem naturalem collective sumptam, sicuti ad perseverandum requiritur gratia, *quae amnibus de facto datur;* sed ad vitanda omnia peccata venialia collective sumpta, requiritur gratia, *quae rarissime datur.*

72. Adversarii. 1) *Pelagiani,* qui perfectam impeccantiam, ex solis naturae viribus, multis sanctis adscripserunt, eamque assequi posse quemlibet hominem asseruerunt[5].

2) Similem errorem renovarunt saeculo XIV *beguardi* et *bcguinae* (D 471)[6].

73. Doctrina Ecclesiae. *Carthaginense,* cn.6-8 (D 106-8) docuit contra pelagianos, omnes homines veraciter dicere quod habeant peccatum, atque pro illius remissione eos rite orare. *Viennense* damnat errorem beguardorum et beguinarum de quorundam perfecta impeccabilitate (D 471). *Tridentinum,* s.6 c.11 et cn.23 (D 804 833), tradit iustos etiam incidere in levia et quotidiana peccata; et definit nullum iustificatum illa plene vitare posse *per totam vitam,* nisi ex speciali Dei privilegio. Sed intelligendum est, vitam illam non statim finiri post acceptam iustitiam; secus enim, si tempus brevissimum intercedat inter iustificationem et mortem, etiam sine ullo privilegio, possunt vitari omnia peccata venialia. Sensum definitionis tridentinae his verbis declarat Lange: "Agitur 1) de statu naturae lapsae; 2) de tota vita...; 3) de omnibus peccatis venialibus, non de solis deliberatis; 4) non de ullo determinato peccato; 5) de vera impotentia virtutis, non merae futuritionis; 6) de privilegio rarissimo"[7].

74. Valor dogmaticus. 1) Iustum non posse per totam vitam peccata omnia venialia vitare, sine speciali Dei privilegio, est veritas de *fide divina et catholica definita,* Quod est a fortiori de non iustis. 2) Idem valere de vitandis omnibus peccatis venialibus diu, est *theologice certum,* cum ratio impotentiae seu difficultas concupiscentiae valeat etiam pro diuturno tempore.

75. Argumentum. Fontes revelationis testantur de facto, excepta B.M.Virgine, neminem vitasse omnia peccata venialia. Ergo nemo, sine speciali Dei privilegio, haec vitare potest.

5 Cf. S.Augustinum, *Dc haeredibus* 88 (R 1976).
6 De mente becuardorum et beguinarum. cf. F.Vernet: DTC 2,528.535.
7 *De gratia* 165.

Consequentia patet. Nam factum adeo universale merito arguit impotentiam saltem moralem strictam; quae, non gratiis ordinariis, sed solo privilegio speciali superari potest.

A) *Probatur antecedens ex sacra Scriptura: a)* Ex Mt 6,12: *Dimitte nabis debita nostra.* Ita docuit Christus omnes orare; ergo omnes veraciter dicunt se peccatis affici, atque pro ipsorum remissione merito orant. Nunc vero, haec non in omnibus valent de peccatis gravibus; ergo saltem de levibus. Vide interpretationem authenticam huius loci apud Carthaginense et Tridentinum (D 107 804).

b) Ex lac 3,2: *In multis offendimus omnes.* Quibus verbis innuitur infirmitas naturae humanae atque subreptio quorundam peccatorum; quae sane levia, non gravia sint oportet, cum in gravibus non omnes offendant. Cf. interpretationem authenticam huius loci apud Carthaginense et Tridentinum (D 107 810).

c) Ex Io 1,85; Ps 142,2; lob 37,7; 3 Reg 8,46; Dan 9,5.15.20, iuxta interpretationem Concilii Carthaginensis (D 107).

B) *Probatur antecedens ex traditione, qualis ex Patribus elucet:*

Ante Pelagium, Nazianzenus solum Detun ab omni peccato excipit: “Illud cognitum habeamus, quod omni vitio carere vere hominis modulum excedit, soliusque Dei est” (R 981).

Orto pelagianismo, S.Augustinus semper propugnavit hanc doctrinam; ita tamen ut primum denegaverit factum, deinde etiam ipsius possibilitatem, ex solis gratiis ordinariis. Sed excipit B.M.Virginem. Dicit enim: “Cum, voluntatem humanam gratia adiuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit, possem facillime ac veracissime respondere”... (R 1722). "De cotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur”... (R 1921). “Non potest homo, quandiu carnem portat, nisi habere vel levia peccata” (R 1846). “Ipsa etiam vita cetera iam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fecunditate iustitiae, sine peccatorum remissione non agitur” (R 1918). “Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem”... (R 1794). Plura dabit R 1718 1720 1733 1737 1888 1894.

Ipse S.Augustinus probat hanc doctrinam provocans ad S.Cyprianum et S.Ambrosium, quorum verba profert [8].

[8] *Contra duas epist. Pelag.* 4,10,27s; 4,11,31: MU 44,629-636.

Tandem clamat L,EO M.: “Fallitur prorsus ista persuasio, et nimia vanitate veterascit quicumque inter tentationes huius vitae ab omni se vulnere credit immunem” (R 2201).

76. Ratio theologica. Ex S.Thoma (1.2 q.109 a.8); “Non autem potest homo abstinere ab omini peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis; cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest (et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii), non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi motusvitandos.”

Itaque ratio huius impotentiae petitur ex *concupiscentia* quae viget in nobis, ex *tarditate ingenii* ad cognoscendum bonum honestum, et ex *mutabilitate voluntatis.* His accedunt frequentes *tentationes,* quibus impellimur ad venialiter peccandum.

77. Obiectiones. 1. Justus vitare potest singula peccata venialia. Atqui, qui potest vitare singula, successive vitare potest omnia. Ergo iustus vitare potest omnia peccata venialia.

Conc. mai. Dist. min. Si moralis potentia voluntatis eadem sit respectu cuiusvis peccati seorsim sumpti, ac respectu totius collectionis, *conc. min.;* aliter, *nego min.*

Collectio fert sccum specialem difficultatem, quae non adest respectu singulorum peccatorum. Ad rem Molina: 'Occasiones peccatorum venialium frequentissimae sunt, possuntque venialia peccata cx subreptione absque plena deliberatione committi; mens vero non potest esse in tam exacta et continua vigilia adversus tam frequentes et multiplices occasiones, ut in singulis momentis magni alicuius temporis totum efficiat quod potest, ut eiusmodi omnia peccata evitet; praesertim cum mortales a tanto labore suscipiendo torpescant, eo quod intelligant, per huiusmodi peccata Dei gratiam non amitti, neque incurri aeternum interitum. Quo vero sanctior quisque est, eo plus invigilat tnaioribusque auxiliis iuvatur, pluraque proinde peccata venialia devitat”

2. Si iustus non potest vitare omnia peccata venialia, haec nequeunt ipsi imputari; ad impossibile enim nemo tenetur. Atqui ipsi imputantur. Ergo illa vitare potest.

Dist. mai. Si non potest vitare peccatum determinatum, hoc nequit ipsi imputari, *conc. mai.;* si non potest vitare collectionem omnium peccatorum venialium, *nego mai. Conc. min. Dist. cons.* Vitare potest hoc peccatum determinatum, quod hic et nunc incurrit, *conc. cons.;* omnia simul sumpta, *nego cons.* Nunc vero, haec necessitas indeterminata respectu totius collectionis non tollit libertatem.

3. Adest praeceptum vitandi peccata venia'ia, etiam collective sumpta. Atqui praeceptum est de re possibili. Ergo iustus potest vitare omnia peccata venialia. *Probatur maior.* Hic actus “nolo ob-

° Molina, *Concoidia* q.14 a.13 d.17.

servare omnia praecepta" est peccaminosus. Atqui huiusmodi actus non opponitur ulli praecepto determinato, sed omnibus. Ergo datur praeceptum vitandi peccata venialia, etiam collective sumpta.

Nego mai. Ad probationem, *conc. mai. Nego min.* Nam ex eo quod illud peccatum non sit contra aliquod praeceptum determinatum, non recte infertur esse contra omnia; etenim exinde tantum inferri potest esse contra aliquod praeceptum indeterminatum. Igitur, ille actus "nolo servare omnia praecepta" aequivalet huic: "Volo peccare, seu deficere in aliquo praecepto".

4. Nonnulli viri sancti votum emiserunt dc vitandis omnibus peccatis venialibus. Atqui votum est de re possibili. Ergo iusti possunt vitare omnia peccata venialia, absque speciali privilegio.

Dist. mai. Votum emiserunt de vitandis peccatis venialibus deliberatis, *conc. mai.;* etiam semideliberatis, *nego mai. Conc. min. Dist. cons.* Possunt vitare venialia deliberata, *cone, cons.;* etiam semideliberata, *nego cons.*

78. Corollarium generale totius articuli. Ex probatis sequitur exsistentia duplicis auxilii divini, seu duplicis gratiae. Nam quod necessarium est ad aliquid a Deo intentum, sine dubio a Deo dari debet.

a) Exsistit ergo auxilium seu *gratia elevans,* quae datur ad eliciendos actus salutares, quaeque tollit impotentiam physicam naturae ad supernaturale. Haec gratia necessario est supernaturalis entitative.

b) Exsistit praeterea auxilium medicinale, seu *gratia sanans,* quae datur ad eliciendos actus honestos (non quidem omnes), quaeque tollit impotentiam moralem naturae vulneratae per peccatum originale. Haec gratia cx suo conceptu non est necessario supernaturalis entitative, est tamen semper in hoc ordine supernaturalis saltem quoad modum, nisi forte sit semper vel plerumque supernaturalis entitative.

ARTICULUS II

De gratuitate gratiae

79. Haec gratia, cuius exsistentiam probavimus, non esset vera gratia, nisi esset *gratuita.* De hoc iam agimus.

Nunc vero, utraque gratia gratuita dicenda est, sed longe diverso modo.

Gratia sanans sive medicinalis, de se est auxilium ordinis naturalis, tantum enim medetur impotentiae morali ad peragenda opera naturaliter honesta. Quousque vero sit indebitum huiusmodi auxilium, controvertitur; Suarez censet esse indebitum homini, etiam in statu naturae purae; alii theologi (Salmanticenses, Billot...), id ipsum docent saltem consequenter ad peccatum originale; tandem alii (Scheeben, Beraza, Lange...), tenent hoc auxilium esse homini debitum,

turn in statu naturae purae, tum etiam post peccatum originale 1.

Quidquid vero sit de hac controversia, hoc auxilium a fontibus appellatur *gratia,* et quidem merito. Indebitum enim dici potest ex triplici capite: *a)* quia hic ordo, in quo nunc versamur, est supernaturalis, cui directe vel indirecte, negative vel positive, omnia subordinantur; *b)* quia datur propter merita Christi Redemptoris; *c)* si peccata personalia accesserint, quia tunc fit homo reus aeternae damnationis, et indignus quolibet auxilio necessario ad vitanda nova peccata gravia. Atque haec sufficiant de gratuitate gratiae sanantis.

Igitur, in hoc articulo, attendimus ad *gratiam elevantem,* quae medetur impotentiae physicae ad eliciendos actus salutares. Et quidem quaestio fit de homine lapso circa primam gratiam actualem, qua ornatus adultus sese disponit ad iustificationem. Nam, semel collata prima gratia salutari, vi ipsius, homo iam mereri potest novas gratias.

Itaque, gratuitum est quod gratis datur, seu quod non debetur. Debitum autem, aliud est *physicum,* aliud *morale.* Iam vero, debitum physicum, sive debitum quod fundatur in exigentiis naturae, iam manet exclusum ex 1 et 2 thesi, quatenus ibi demonstravimus hominem laborare impotentia physica ad actus salutares perficiendos, ac simul exclusimus quamlibet exigentiam naturalem eorundem. Tantum ergo remanet excludendum debitum morale, seu debitum fundatum in operibus personalibus, quatenus haec nullam possunt inducere gratiae exigentiam, *nec per modum meriti, nec per modum impetrationis, nec per modum positivae dispositionis.* Hinc triplex thesis.

Thesis 9. Homo lapsus, solis naturae viribus, non potest gratiam mereri.

S.Tit., 1.2 q.114 a.5; LBrciiEb-LaknER, 293-300; Beraza, 357-366; Lance, 195-209.

80. **Notiones.** Homo lapsus, et quidem adultus; solus enim ille est capax merendi. Homo quilibet, etiam non lapsus, seu antecedenter ad peccatum originale, esset incapax huius meriti; sed a fortiori homo lapsus, qui praeterea per peccatum originale positive indignum se fecit.

Solis naturae viribus, id est, sine gratia salutari. Igitur,

1 SuAhEz, *Dc gratia* 1,25-27; SalmanticEnsES, *De gratia* d.2 dub.6; Billot, *De gratia Christi* th.2; ScheEben, *Dagtnatik 1.2* 1.4 n.3Slss; Beraza, 282; Lance, 155-162.

vel propriis viribus, vel etiam adiutus gratia medicinali, qua servaret legem naturalem.

Gratia, positive et in se salutaris. Sed respicimus gratiam actualem, et quidem primam, qua homo disponitur ad iustificationem. Ceteras enim gratias, ex hac prima gratia, iam mereri potest.

Meritum dicitur opus bonum, praestitum in obsequium Dei, atque ideo praemio dignum. Distinguitur in eo meritum: a) *Aptitudinale* seu valor operis ut digni quod acceptetur ad praemium, b) *Actuale* seu realis dignitas praemii post operis acceptationem.

Meritum est *de condigno,* si datur aequalitas saltem proportionis inter valorem operis et praemium, ita ut, posita acceptatione, hoc debeatur ex aliqua ratione *iustitiae.* Est vero *de congruo,* si deest ea aequalitas vel acceptatio, sed ex adiunctis opus ob quamdam *decentiam* seu *aequitatem* postulat praemium. Plura de hoc conceptu in capite quarto.

Itaque, negamus omnem rationem meriti operibus naturalibus, licet honestis, peccatoris vel infidelis, relate ad primam gratiam actualem, positive ac in se salutarem. Ergo nullus infidelis aut peccator, etsi sit naturaliter maxime probus, misericors, etc., illam gratiam meretur. Immo, si fingas duos infideles, alium, qui agat vitam turpissimam, alium vero summe sed naturaliter honestam, neuter hanc gratiam meretur, uterque illa indignus est.

81. Adversarii. 1) *Pelagiani,* primum, asseruerunt "gratiam Dei secundum merita nostra dari" (R 1978); deinde, post retractationem Pelagii a.415, id mitigarunt, ponentes aliquid minus quam meritum de condigno[2].

2) *Semipelagiani* defendebant quoddam meritum exiguum respectu gratiae, per initium fidei. Scribit, v.gr. Cassianus, "pulsationem nostram *non esse condignam... occasione* sibi tantummodo a nobis bonae voluntatis oblata"...[3].

82. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus,* c.5 (D 134), asserit: "Nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit"; c.6 (D 135), "per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus"; c.9 (D 141), "ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri"... *Arausicanum,* cn.18 (D 191), docet "nullis meritis gratiam praeveniri"; cn.22 (D 195), "nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum"... ; cn.25 (D 200),

2 Cf. S.Augustinum, *Contra duas epist. Pelag.* 2,8,17: ML 44,583s; Id., *Contra Iulianum* 4,8,41: ML 44,759.
3 *De coenobiorum institutis* 12,14: ML 94,447. Cf. *Collationes* 13,13: ML 49,932s.

"nullis praecedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat"... Ergo Concilium Arausicanum reicit quodlibet meritum, etiam illud tenue et exiguum, quod apponebant semipelagiani, contra quos proferuntur hi canones; immo, canones 22 et 25 reprobant, non solum acceptationem, sed etiam ipsum meritum aptitudinale. *Tridentinum,* s.6 cp.5 (D 797), "nullis exsistentibus meritis", saltem excludit meritum de condigno. Cf. cp.8 (D 801), ubi vox "promereri" intelligitur de merito de condigno.

83. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita,* quoad exclusionem meriti *condigni* et, ut videtur ex habita ratione doctrinae semipelagianae, etiam *congrui.*

84. Probatur ex Sacra Scriptura. Haec 1) asserit ad salutem requiri ut *Deus nos praeveniat* sua gratia interna; 2) positive *excludit opera nostra naturalia* a negotio iustificationis. Atqui haec pugnant cum quolibet merito gratiae. Ergo homo lapsus naturaliter nequit gratiam mereri.

Mai.: 1) ex Io 6,44: ut homo veniat ad salutem, mon sufficiunt miracula nec ipsa Christi praedicatio, sed requiritur ut Pater, motionibus suis internis, trahat illum ad Christum (cf. v.65-66)..

Mai.: 2) ex Rom 11,6: docet Paulus nonnullos iudaeos participasse salutem Christi, non ex operibus, sed ex gratuita electione Dei. Ceterum, epistula ad Romanos, in sua parte dogmatica, c. 1-11, fere tota est de gratuitate gratiae. Ibi ostendit iustificationem non esse ex operibus meritoriis de condigno. At fortasse saltem de congruo? Id non tam disserte explicatur; sed exclussio huius meriti de congruo potius eruenda est ex generali conceptione Apostoli de omnimoda gratuitate totius salutis christianae (Eph 2,1-10).

85. Probatur ex traditione. 1) *Ante S.Augustinum,* Patres agnoscunt, sub formulis generalioribus, necessitatem gratiae ad omnes actus salutares, ut notavimus in 1 et 2 thesi. Immo, S.Cyrillus Hieros. asserit explicite gratuitatem gratiae, dum ait: "Non ideo spernas gratiam, quia gratis datur" (R 808). Illa ergo quae ipse Cyrillus prius dixerat, et similia quae apud alios Patres illius aetatis reperiuntur, interpretanda sunt, vel de dispositione pure negativa, vel quatenus non excludunt auxilium gratiae praevenientis ad illa opera peragenda.

2) S.Augustinus iunior, ante episcopatum, quendam semipelagianismum tenuit, docens aliqua "occultissima merita"

gratiam praecedere[4]. Sed inde ab anno 397, sententiam mutavit, agnoscens absolutam gratuitatem gratiae. "Quid autem habes, ait, quod non accepisti?... Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis et per illam nos impetrari Dei dona, quibus temperanter et iuste et pie vivamus in hoc saeculo" (R 1981). Et alibi: "Videant... utrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum quos mei episcopatus initio, antequam pelagiana haeresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi, remanserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei"... (R 2005). Plura dabit R 1452 1473 1791 1807 1851 1857 1974.

3) Hanc S.Augustini doctrinam *reliqui Patres* amplectuntur: S.Prosper (R 2034 2044s), S.Leo M., S.Fulgentius, S.Gregorius M.[5]

86. Theologi. *Priores theologi* semper negarunt meritum de condigno respectu gratiae habitualis. Ita v.c. divus Thomas *(In 2* d.27 q.1 a.4; 1.2 q.114 a.5). Meritum autem aliquod de congruo admiserunt, antiquitus, Alexander Halensis, S.Thomas[6], Durandus, Nominales[7]; recentius vero, Hermes et Kuhn[8]. Contra, S.Bonaventura, iam negabat ipsum meritum de congruo, nisi praecederet "excitatio per aliquod donum gratiae gratis datae"[9]. *Post Concilium Tridentinum,* uno ore, denegatur quodlibet meritum.

87. Ratio theologica. 1) *Ex ratione allata a divo Thoma,* 1.2 q.114 a.5, quae valet, non solum de gratia habituali, sed etiam de prima gratia actuali, intrinsece supernaturali. Dicit Angelicus: "Donum gratiae considerari potest dupliciter. *Uno modo,* secundum rationem gratuiti doni. Et sic manifestum est, quod omne meritum repugnat gratiae... *Alio modo* potest considerari secundum naturam ipsius rei, quae

4 S.Augustinus, *Expositio... ad Romanos* 60-64: ML 35,2078-81; Id., *De diversis quaestionibus* 68,3s: ML 40,71-74.
5 S.Leo M., *Epist.* 1,3: ML 54,595; S.Fulgentius, *De veritate praedest.* 1,3,7: ML 65,606; S.Gregorius M., *Moral.* 33,21,38: ML 76,698.
6 De mente S.Thomae circa processum conversionis, cf. M.Flick, *L'attimo della giustificazione secondo S.Tommaso* (Roma 1947).
7 Ripalda, *De ente supernaturali* d.17 s.1 n.1-3, numerat plures veteres scholasticos qui meritum de congruo apposuerunt.
8 I.Kuhn, *Die christliche Lehre von der gottl. Gnade* (1868); Hermes, *Christkatolische Dogmatik* (1834).
9 *In 2* d.28 a.2 q.1. De mente scholae franciscanae circa processum conversionis, legas R.Ch.Dhont, O.F.M., *Le problème de la préparation à la grâce. Débuts de l'Ecole franciscaine* (Paris 1946); F.Mitzka, S.I., *Die Lehre des hl.Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligmachende Gnade:* ZkathTh 50 (1926) 27-72.220-252.

donatur. Et sic etiam noci potest cadere sub merito non habentis gratiam: *tum quia* excedit proportionem naturae; *tum etiam quia* ante gratiam, in statu peccati, homo habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet ipsum peccatum". Ergo repugnat meritum gratiae, tum ex conceptu formali huius, quia involvit rationem donationis gratuitae; tum ex ipsa natura rei quae donatur, quae excedit proportionem naturae, et qua indignus est homo propter peccatum.

2) *Ex thesi 2,* initium salutis nequit esse a nobis. Atqui esset a nobis, si possemus mereri primam gratiam; nam illam mereri iam esset initium satis magnum in negotio salutis. Ergo nequimus illam mereri.

88. Obiectiones. 1. Opera mala sunt gratiae demeritoria. Ergo a pari opera bona dicenda sunt gratiae meritoria.

Nego paritatem, eo quod plus requiratur ad merendum quam ad demerendum. Nam demeritum exsurgit ex quolibet defectu. Sed ad merendum exigitur proportio quaedam inter meritum ct praemium, qualis adest inter causam ct effectum; quae haberi non potest, nisi inter res eiusdem ordinis. Cum ergo opera naturalia et gratia versentur in diverso ordine, illa nunquam possunt gratiam mereri.

2. In actuali oeconomia nequit obtineri finis naturalis quin simul obtineatur finis supernaturalis. Atqui finem naturalem homo mereri potest solis operibus naturalibus. Ergo et finem supematuralcm.

Conc. mai. et min. Nego cons. Exinde enim id tantum sequitur, quod, in hypothesi huius elevationis ad finem supernaturalem, debeatur homini auxilium gratiae, ut ille finis supernaturalis valeat obtineri.

3. 'Si homo, solis naturae viribus, non mereretur saltem de congruo primam gratiam, non adesset ratio cur Deus hanc gratiam uni concedat, alteri deneget; ac proinde dicendus esset acceptor personarum. Atqui haec repugnant. Ergo homo primam gratiam, saltem de congruo, mereri potest.

Nego mai. Etenim, cum dona gratiae sint prorsus gratuita, haec libere distribuit Deus, quin rationabiliter possit quisquam offendi.

Acceptor personarum ille est, qui in bonis illis distribuendis, quae secundum meritum vel aptitudinem singulorum dari debent, haec non respicit, sed alia; atque hoc modo violat iustitiam distributivam. Haec autem, cx dictis, non valent respectu donorum gratiae, quia haec gratuite dantur.

Ceterum, Deus omnibus hominibus confert gratiam saltem remote sufficientem ad obtinendam vitam aeternam. Si vero uni conferat plus quam aliis, id pendet cx sola cius voluntate, iuxta illa: *An non habet potestatem figulus Iuli ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (Rom 9,21); *Miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo cuius miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom 9,15-16).

Attamen, nullo modo putandum est, Deum haec facere arbitrarie ct quasi fortuito, sine sapienti consilio. Quale vero sit huius-

modi sapicntissimum consilium, nobis penitus latet, ita ut ne conicere quidem quidquam valeamus.

Thesis 10. Homo lapsus oratione naturali nequit gratiam impetrare.

S.Th., 2.2 q.83 a.15; Lercher-Lakner, 293-300; Beraza, 367-376; Lange, 195-209.

89. Notiones. Oratio est explicatio desiderii coram Deo ut aliquid ab eo impetremus; seu, ut ait S.Thomas, ipsa est interpres desiderii nostri apud Deum (2.2 q.83 a.1 ad 1).

Naturalis, quae fiat solis naturae viribus, sine gratia salutari, quamvis forte cum gratia sanante.

Impetratio intelligitur vis quaedam moralis, propria orationis. Nunc vero haec vis competit orationi, vel quatenus est obsequium Deo praestitum, et sic est meritoria de congruo *(impetratio latiori sensu),* vel quatenus est humilis confessio nostrae indigentiae, et imploratio divinae misericordiae *(impetratio stricte dicta).* Igitur oratio, sub hoc altero respectu, non movet Deum per modum obsequii, sed ratione humilis deprecationis; provocat enim, non ad iustitiam vel aequitatem Dei, sed ad ipsius misericordiam erga miseriam deprecantis. In thesi agimus de *impetratione stricte dicta.*

Itaque, ex thesi praecedenti constat Deum non moveri ad conferendam primam gratiam supernaturalem per orationem naturalem, ut est obsequium Dei, seu per merita hominis naturalia. Quaeritur ergo in hac thesi, num fortasse moveatur naturali oratione, prout haec dicit strictam impetrationem.

Quaestio vero fit *de praesenti providentia.* Censet enim Ripalda [1], in alio ordine non repugnare quominus gratia impetraretur precibus naturalibus.

Insuper quaestio fit *de facto;* nam ex se gratuitas gratiae non laederetur si concederetur a Deo vi naturalis impetrationis, cum tandem Deus illam concederet ex sola sua misericordia. Sed contendimus, de facto fontes excludere hunc modum obtinendi gratiam.

90. Adversarii. *Semipelagiani* tenebant initium fidei, a nobis naturaliter praestitum, posse gratiam impetrare.

91. Doctrina Ecclesiae. *Arausicanum,* cn.3 (D 176) damnat tanquam contrarium Scripturae, "si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis"; cn.6 (D 179), reicit

[1] Ripalda, *Dc ente supernaturali* d.19 s.3 n.12-16.

quod gratia conferatur, naturaliter "orantibus... petentibus, quaerentibus, pulsantibus".

92. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.* Alii vero dicunt thesim esse saltem theologice certam, vel etiam fidei proximam [2].

93. Probatur ex Sacra Scriptura. Oratio, qua impetratur gratia, ipsa iam supponit gratiam, et illam exigit. Ergo haec gratia nequit impetrari oratione naturali.

Antec.: Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere (Phil 2,13). De sensu huius textus iam diximus n.18.

94. Probatur ex traditione. *Patres* exigunt gratiam *ad orandum salutariter.* Ita S.AUGUSTINUS: "Ne saltem orationis putentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed iam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur" (R 1451). Et alibi: "Ubi intellegimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus" (R 2006).

In genere, ut patet ex thesi 2, Patres exigunt gratiam *ad initium fidei,* sub quo continentur desiderium et petitio salutis.

95. Theologi. Praeclare rem exposuit S.THOMAS (2.2 q.83 a.15): 'Oratio... habet efficaciam *merendi,* in quantum procedit ex radice caritatis... Efficaciam autem *impetrandi* habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit". Et ad 1: "Etiam oratio, quae impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia quasi ex gratuito dono; quia ipsum orare est quoddam donum Dei, ut Augustinus dicit". Ergo aperte statuitur necessitas alicuius doni gratuiti ad impetrandam gratiam gratum facientem. Unde haec naturaliter non habetur.

96. Ratio theologica. Si oratio naturalis haberet vim ad impetrandam gratiam, initium salutis esset a nobis. Atqui ex thesi 2, nequit esse a nobis. Ergo nec oratio naturalis valet gratiam impetrare.

97. Obiectiones. 1. Eleemosyna, quam dives elargitur, motus precibus pauperis, non desinit esse prorsus gratuita. Ergo a pari, gratia prima, quae daretur a Deo intuitu orationis naturalis, non desineret esse vere gratuita.

Conc. mai. Dist. min. Non desineret habere aliquam veram gra-

2 Cf. LANGE, n.198 et auctores ibi citatos Van der Mcersch, Mannens, Van Noort.

tuitatem, *conc. min.;* non desineret habere eam plenam graturtatem, quam Deus in hoc ordine voluit, *nego min.* Et *nego paritatem.* Disparitas in eo stat quod divites saepe acceptant petitiones pauperum; Deus autem de facto, in hac providentia, noluit acceptare ullam orationem naturalem ad dandam primam gratiam. Itaque, licet ex se posset stare gratuitas gratiae cum impetratione orationis naturalis, tamen de facto Deus non acceptat huiusmodi orationem, ut satis constat ex fontibus revelationis. Ideo, de facto, talis est gratuitas gratiae ut excludat quemlibet voluntatis affectum naturalem in ordine ad conferendam primam gratiam.

2. lusti Veteris Testamenti potuerunt impetrare suis orationibus ex gratia factis quaedam Incarnationis adiuncta, v.gr. eius accelerationem. Ergo homo quilibet per orationem naturalem poterit etiam impetrare primam gratiam; gratia enim non est adeo excellens ac Incarnatio.

Nego paritatem. Nam, etsi Incarnatio sit opus omnium maximum, tamen versatur in eodem ordine ac orationes illae ex gratia factae; sed oratio naturalis et gratia sunt in diverso ordine.

Thesis 11. Homo lapsus, solis naturae viribus, nequit ad gratiam positive se disponere.

S.Th., 1.2 <1.109 a.6; q.U2 a.2s; q.113; Lercher-LaknBr, 301-310; Beraza, 377-386; Lance, 210-246.

98. Notiones. Dispositio est aptitudo seu proportio subiecti ad aliquid recipiendum. Ita v.c. lignum aridum est dispositum ad combustionem; cera ad quamlibet formam suscipiendam, etc.

Dispositio, alia est physica, alia moralis. *Physica,* illa est quae fundatur in realitate physica; *moralis* vero, quae fundatur in realitate morali; id est, in actibus liberis, quibus homo redditur aptus ad aliquam perfectionem recipiendam. De hac agitur in thesi. Igitur, nihil aliud est nisi praeparatio ad gratiam, quae actibus liberis efficitur.

Rursus, haec dispositio moralis, alia concipitur negativa, alia positiva. *Dispositio relativa seu impropria,* est remotio impedimenti ad formam suscipiendam; v.c. non madefactio ligni, vel in casu nostro, non peccare. Dicitur dispositio impropria, quia ipsa non facit magis idoneum subiectum ad receptionem formae, sed tantum cavet ne ineptius fiat. *Dispositio* positiva est capacitas realis ad aliquid, seu realitas quae accidentaliter advenit subiecto de se indifferenti, et quae illud reddit idoneum ad hanc formam potius quam aliam recipiendam. Quae quidem positiva dispositio potest esse *proxima,* si iam nihil aliud requiratur, vel *remota,* si adhuc aliquid aliud exigatur ad formam suscipiendam.

99. Iam vero, dispositio positiva distinguitur triplex:

1) Dispositio quae exigit formam, seu *dispositio exigen-*

tiae. Ita v.c. proxime disposita materia generativa, haec exigit infusionem animae.

2) Dispositio quae natura sua exigitur a forma, seu *dispositio condignitatis.* Scilicet, haec dispositio non exigit formam, sed forma, natura sua, illam praerequirit. Ita v.c. lignum aridum non exigit combustionem, sed combustio praerequirit ariditatem ligni; dotes probitatis, scientiae et prudentiae non exigunt munus publicum, sed huiusmodi munus has dotes praerequirit...

3) Dispositio quae exigitur a forma, non natura sua, sed ex lege positiva, ipsi extrinseca, seu *dispositio legalis.* Ita v.c. lex ecclesiastica certam aetatem ad plura exigit.

Itaque, asserimus hominem, solis naturae viribus, mullo modo posse se disponere positive ad gratiam primam recipiendam. *Non dispositione positiva exigentiae,* quatenus gratia homini debeatur. *Non dispositione positiva condignitatis,* quatenus gratia, natura sua, praerequirat in homine quasdam dispositiones naturales, ut ipsa possit conferri. *Non dispositione positiva legali,* quatenus exsistat lex aliqua divina de non conferenda gratia, nisi homo naturaliter praestiterit determinatas dispositiones, et de danda infallibiliter, si illas exhibuerit. Negamus exsistentiam huiusmodi legis.

Verum observa dispositionem moralem positivam de facto coniungi, ut videtur, cum aliqua ratione *meriti de congruo.* Quod tamen non impedit quominus saltem conceptu, dispositio et meritum distinguantur. Nam meritum dicit obsequium erga alterum, infert aliquam exigentiam praemii...; sed dispositio tantum respicit sublectum quod disponitur, nec omnis dispositio exigit formam, v.gr. dispositio condignitatis et legalis.

100. Sententiae. 1) *Aetate patristica,* haec quaestio non proponitur sub conceptu peripatetico dispositionis. Attamen, quoad rem, etsi non verbis, aliquam dispositionem positivam admiserunt *pelagiani, semipelagiani,* innuo et Augustinus *iunior.*

2) *Scholastici* rem agitare coeperunt, duce Alexandro Harensi 1, sub conceptu aristotelico dispositionis materiae ad formam. Et quidem multi veteres theologi, nondum bene cognoscentes controversiam semipelagianam, et sub voce gratiae solam habitualem intelligentes, putaverunt satisfieri doctrinae Ecclesiae si defenderetur gratiam habitualem non conferri ex meritis de condigno. Ita v.gr. Durandus et *nominales* (G.Occam, G.Biel) tenebant dispositionem positivam proxi-

Karl, Heim, *Das Wcsen der Gnade... bei Alex. Hal.* (1907) p.72.114.

mam, ex solis naturae viribus; alii vero, saltem remotam asserebant[2]. Hac ratione, valde obscurata est veritas de exclusione cuiuslibet dispositionis, quae certa prorsus eruebatur ex controversia semipelagiana.

3) Sed, *ope aliorum scholasticorum,* haec veritas paulatim restituitur priori luci:

a) S.Thomas, etsi prius docuerat dispositionem positivam ad gratiam habitualem absque gratia interna[3]; deinde, sententia mutata, illam negavit, tenens *ultimam saltem dispositionem* ad iustificationem procedere ex gratuita et intenna motione Dei. Post Angelicum, id ipsum asseruere Richardus a Mediavilla, Aegidius Romanus,[*] *thomistae* et multi *scotistae.*

b) Saeculo XVI, D.Soto, A.Vega et B.Medina adhuc admiserunt *quandam dispositionem naturalem remotissimam et impropriam,* quam ut positivam concipere videbantur[8].

c) Tandem SuArez demonstravit *nullam positivam dispositionem, ne remotissimam quidem,* posse doceri. Quod quidem, post ipsum, communiter tenetur[°].

101. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus,* c.5-6 et 8-9 (D 134-5 139-41), "omnium... quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitetur auctorem". *Arausicanum,* cn.4 (D 177), docet Deum voluntatem nostram non expectare, sed contra, illam a Deo praeparari; cn.6s (D 179s), excludit omnes actus qui possent concipi tanquam dispositiones positivae, atque illa omnia asserit esse fructus gratiae. *Tridentinum,* s.6 c.5-6 et cn.3 (D 797s 813), tradit et definit, saltem proximam dispositionem, non ex naturae viribus, sed ex gratia praeveniente provenire.

102. Valor dogmaticus. 1) Exclusio dispositionis exigentiae, quoad rem, dicenda esse videtur veritas *de fide divina ct catholica definita,* nisi potius dicatur *fidei proxima;* 2) exclusio dispositionis condignitatis, videtur *theologice certa* (D 177 179 181); 3) exclusio dispositionis legalis, est *certa in theologia.*

2 *Suârez, De gratia* 8,7,9, loquens de dispositione remota, ait: "Video theologos fere omnes sine scrupulo uti illo modo loquendi." Cf. A.Landgraf, *Dogmen'grschichte der Friihscholastik* 1,1 (Regensburg 1952) 238-302.

3 Hoc testantur CaiETanus *(In 1-2* q.109 a.6) et D.Soro *(De natura et gratia* 2,3). Cf. Lance, *De gratia* 219-224; M.Flick, *o.c.;* H.Bouillard, S.I., *Conversion et Grèce* (Fagis 1944); Id., */1 propos dc la grâce actuelle che* Saint Thomas D'Aquin:* RechScRel 33 (1946) 92-114.

♦ Richardus a Mediavilla, O.F.M., *In 2* d.28 a.l q.2; Aegidius Romanus, *In 2* d.28 q.1 a.3.

8 D.Soto, *Dc natura et gratia* 2,3; Andreas Veca, *Trident, decret, de iustificationc expositio* 8,9; B.Medina, *In 1-2* q.109 a.6.

8 SuArez, *De gratia* 8,7.

103. Probatur ex sacra Scriptura.

1) In negotio salutis, nihil possumus sine gratia (Io 15,5). Ergo nec nos positive disponere ad gratiam.

2) Ipsum salutis initium a Deo est (Io 6,66; Phil 2,13; 1,6; 2 Cor 3,5). Atqui esset a nobis, si praecederet positiva dispositio. Ergo talis dispositio nequit praecedere.

3) Deus gratiam confert etiam male dispositis (Is 65,1; Rom 10,20; 1 Petr 2,10). Ergo, nec ex natura gratiae, nec ex lege Dei positiva, requiritur dispositio positiva. Cogita Matthaeum, Saulum...

Observa dispositionem exigentiae excludi per primam et secundam considerationem; dispositiones vero condigniitatis et legalem, per tertiam considerationem.

104. Probatur ex traditione. 1) *Ante S.Augustinum,* sunt nonnulli Patres, qui Deo tribuunt initium salutis, locutione quadam universali; ideoque necessario excludunt dispositionem positivam naturalem. Ita S.Cyprianus: “In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est”[7]. Cf. S.Basilium (R 963), S.Ambrosium (R 1302).

2) S.Augustinus *senior* constanter negat quamlibet dispositionem positivam. Saepe enim provocat ad Prov 8,35 iuxta LXX et Italam: “Praeparatur voluntas a Domino” (R 1889 1906 1941 1968 1982). Hunc ipsum textum invocarunt *Indiculus* et *Arausicanum* (D 134 177).

3) *Discipuli S.Augustini,* ut S.Prosper, eandem tradunt doctrinam[8].

105. Ratio theologica. 1) S.Thomas (1.2 q.109 a.6) probat necessitatem alicuius auxilii gratuiti, interius animam moventis, ut homo possit se praeparare ad gratiam, hoc modo: “Necesse est... quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem. Et ideo, cum secundum ordinem agentium sive moventium sit ordo finium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis... Sed homines iustos [Deus] convertit ad Se ipsum sicut ad specialem finem, quem intendunt et cui cupiunt adhaerere sicut bono proprio... Ideo quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi Deo ipsum convertente. Hoc autem est praeparare se ad gratiam, quasi ad Deum converti”.

2) Ceterum, *dispositio exigentiae* reicitur ex eo quod initium salutis esset a nobis. *Dispositio condignitatis,* quia face-

[7] *Testimoniorum* 3,4: ML 4,734; CSEL 3,1,116.
[8] *Contra collatorem* 3,8; *De vocatione omnium gentium* 1,18: ML 45,1805; 51,671

ret gratiam pedisequam hominis. *Dispositio legalis,* quia est contra ipsam experientiam; nec ipsi semipelagiani ausi sunt statuere hanc legem generalem.

106. Obiectiones. 1. Ex Mt 25,14-30: Christus testatur se distribuere talenta *unicuique seciCndum propriam virtutem.* Atqui nomine talentorum veniunt dona gratiae; virtus autem propria est praevia dispositio naturalis. Ergo homo sese disponere potest positive, ex solis naturae viribus, ad gratiam primam recipiendam.

Conc. mai. Conc. primam pariem min.; sed *dist. alteram partem min.* Propria virtus est dispositio naturalis ex parte hominis, quae determinet collationem gratiae, *nego;* est condicio naturalis ingenii, aetatis, etc., cui Deus solet attemperare modum vocationis ad gratiam, *conc.*

Plures traduntur interpretationes horum verborum Christi Domini. Verum, his praetermissis, Maldonado censet Christum adhibuisse illam locutionem “secundum propriam virtutem”, non ad aliquid significandum, sed ad complendam narrationem. Scilicet, non intendebat docere Christus quod Deus gratiam conferat secundum propriam uniuscuiusque virtutem, sed tantum significare id quod homines communiter agere solent'. Ceterum, si admittatur illa interpretatio, quod Deus soleat attemperare condicionibus, in quibus homo versatur, modum vocationis ad gratiam, valet distinctio quam supra dedimus.

2. Homo debet habere in sua manu medium necessarium ad salutem. Atqui prima gratia est medium necessarium ad salutem. Ergo gratia prima debet esse in hominis potestate; atque ideo ad illam sese positive disponere poterit.

Dist. mai. Debet habere in sua manu medium necessarium ad salutem, *effective* vel *dispositive,* id est, debet posse efficere illud medium, vel ita se praeparare ad illud ut infallibiliter conferatur, *nego mai.;* debet illud habere in sua manu *receptive,* quatenus a Deo infallibiliter offertur, ita tamen ut homo possit illud recipere vel abicere, *conc. mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Est in hominis potestate effective aut dispositive, *nego cotis.;* receptive, *conc. cons.*

3. Parentes naturaliter disponunt materiam ad creationem animae infantium, quae a solo Deo fieri potest. Ergo a pari homo poterit naturaliter sese disponere ad gratiam, etsi haec a solo Deo dari possit.

Nego paritatem. Nam anima est naturalis forma corporis; ideo parentes naturaliter disponunt materiam ad illius susceptionem. Sed ad gratiam, cum sit entitas supernaturalis, nequit dari dispositio, quae perficiatur solis naturae viribus.

4. Congruit ut Deus accommodet largitionem donorum dispositionibus subiecti. Ergo congruit ut Deus det gratiam intuitu dispositionis naturalis.

Dist. antec. Id congruit, si dispositiones illae servent proportionem cum gratia, ut accidit in actibus supcrnaturalibus, *conc. antec.;* si haec proportio non servetur, ut accidit in operibus naturalibus, *nego antec.*

5. Cui denegatur prima gratia, id fit propter impedimenta, quae homo apposuit. Ergo cui datur, illa confertur ex dispositione ad illam.

• Maldonado, *In Mt* c.25 v.15

Nego paritatem. Nam ex co quod homo possit apponere impedimenta ad gratiam recipiendam, non sequitur quod possit sese disponere ad illam; etenim minus requiritur ad impediendam gratiam, quae gratis datur, quam ad illam exigendam.

Hi sane theologi, qui reiciunt dispositionem negativam, respondent difficultati negantes suppositum; nimirum, quod denegetur ulli homini gratia prima. Cf. n.107.

107. **Scholion 1.** *De dispositione negativa.* Controvertitur num sit admittenda, necne.

S.Thomas, qui cum esset junior docuerat dispositionem positivam naturalem, iam senior ne negativam quidem admisit. Thomam seniorem sequuntur Caietanus, Bariez, Billuart, Salmanticenses, Ripalda, et generatim hodierni thomistae[10]. Qui omnes vocationem ad fidem infidelis negativi (ad quem restringenda est dispositio negativa), ita concipiunt. Quilibet infidelis, dum venit ad plenum usum rationis, accipit infallibiliter a Deo gratiam elevantem, qua *remote vocatur* ad fidem. Si infidelis respondeat huic primae gratiae supernatural!, ipsi dabuntur aliae, quibus perveniat ad fidem, quae requiritur ad iustificationem. Si autem ad iustificationem non perveniat, ideo est quia neglexit cooperari his gratiis. Igitur, dispositio negativa locum habere non potest, sed tantum positiva ex gratia supernatural!. Ergo nequit exsistere dispositio negativa pure naturalis.

Contra, Molina, Suarez, Iassiusu, quos plures sequuntur theologi, excoluerunt conceptum dispositionis negativae, quam contendunt esse admittendam. In hac sententia, vocatio infidelis ad fidem ita fieri potest. Prima gratia, intrinsece supernaturalis, quae datur infideli, est *vocatio proxima* ad fidem; quam gratiam Deus vellet dare omnibus infidelibus adultis. Ratio vero cur haec gratia de facto non omnibus conferatur, est quia Deus plerumque illam gratiam renuit dare, nisi infidelis removeat impedimenta gratiae, id est, vitet peccata per observantiam legis naturalis, in facilioribus solis naturae viribus, in difficilioribus etiam accedente gratia sanante. Hac ratione, versatur in manu infidelis accipere voca-

10 S.Thomas, *In 2* d.28 q.1 a.4; *Quaest. disp. de veritate* q.6 a.2; *Quodlib.* I a.7; *1.2* q.109 a.6; q.112 a.2; CaiETanus, *In 1.2* q.109 a.6; BÁRez, *In 2.2* q.1O a.I dub.2; Billuart, *De gratia* dis.3 a.7; Salmanticenses, *De gratia d.3* dub.7; Ripalda, *Dc ctrte supernaturali* d.18 ct 20; N.dEl Prado, *Dc gratia et libero arbitria* 1,67ss; Hugon, *De gratia* q.2 a.5; Garrigou-LagrangE, *De gratia* 249.

31 Molina, *Concordia* q.14 a.13 d.10; SuArez, *De gratia* 4,15; *De divina motione* 3,2,6; *De praedestinatione* 2,7; Lessius, *De gratia efficaci* c.10 et append.: Beraza, 384ss; Lange, 231ss. Cf. tamen de mente Molinae circa illud axioma J.RabEnïck,S.I., *Das Axiom: "Facienti quod est in sc Deus non denegat gratiam" nach der Erkl'àrung Molinas:* Schol 32 (1957) 27-40; J.Heli.în, S. 1., *FI axioma "Facienti quod est in' se Deus non denegat gratiam" en el P.Luis de Molina:* EstKc! 35 (1960) 27-40. In gcncrc dc eo axiomate cf. J.Trütsch, *Facienti quod in se est:* LThK 3 (1959) 1336s.

tionem ad fidem, etenim, si illa praestet, Deus infallibiliter ipsi eam dabit. Igitur, Deus *dat* gratiam *omnibus,* qui sese negative disponant. *Sed non solis his;* nam interdum, etiam indispositos et renuentes vocat. Praeterea, illa negativa naturalis dispositio *non est ratio determinans* collationem gratiae, sed pura condicio negativa, qua posita, Deus gratiam confert propter voluntatem suam salvificam universalem.

Hanc alteram sententiam, tutam, immo et probabiliorem, censemus. Profluit enim ex voluntate salvifica universali, ex potestate morali hominis ad peragendos aliquos actus naturaliter honestos, et ex eo quod innuatur hominem, suis peccatis, posse se reddere gratia indigniorem (1 Tim 1,13; Lc 23, 34. Cf. D 804 1794). Ceterum, illa supernaturalis vocatio ad fidem omnium infidelium, de qua iin sententia priori, non satis probatur.

10S. Scholion 2. *De sensu axiomatis: Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Hoc axioma adumbratur in sacra Scriptura (Mt 7,7), profertur a Patribus (R 892 1219), recipitur ab universis theologis, damnatur a novatoribus.

1) *Sensus* huius axiomatis varius esse potest, pro vario modo intelligendi vocem *gratiam* et formulam *quod est in se.*

Si *gratia* intelligatur *habitualis,* axioma non est verum nisi de eo qui facit quod est in se viribus *gratiae actualis.* Unde sensus est: si quis cooperatur gratiis actualibus, Deus ipsi dabit gratiam habitualem.

Si *gratia* intelligatur *actualis adiuvans,* axioma non est verum nisi de eo qui facit quod est in se viribus *gratiae excitantis.* Unde sensus est : si quis cooperatur gratiae excitanti, Deus ipsi dabit gratiam adiuvantem.

Si *gratia* intelligatur *actualis excitans,* non tamen prima sed *subsequens,* in aliqua serie gratiarum, axioma non est verum nisi de eo qui facit quod est in se viribus gratiae excitantis primae. Unde sensus est: si quis cooperatur primae gratiae excitanti, Deus ipsi dabit ulteriorem gratiam excitantem.

Si *gratia* intelligatur *actualis excitans prima,* axioma non est verum de eo qui facit quod est in se viribus solius naturae (vel etiam gratiae sanantis), eo sensu quod Deus *debeat* ipsi dare gratiam tanquam praemium meriti, vel fructum impetrationis, vel formam correspondentem positivae cuidam dispositioni. Eo autem sensu, quod Deus *de facto* dabit primam gratiam excitantem ipsi non ponenti obicem per peccatum,

seu *negative tantum et improprie disposito,* disputatur a theologis utrum axioma sit verum an falsum. Verum illud esse eo sensu tenent communiter auctores Societatis Iesu; falsum esse tonent generatim Thomistae.

2) Ut tamen omnis ambiguitas excludatur, *rem ita definimus:*

a) Agitur de homine negative sese disponentis ad gratiam solis viribus naturae, vel etiam additis viribus gratiae sanantis. Qui proinde servat legem naturalem non peccando contra eam. Et dicitur ille homo accepturus a Deo primam gratiam excitantem, quae in casu erit vocatio proxima ad fidem.

b) *Non dicitur:* connexio inter hanc negativam dispositionem et gratiam talis est, ut Deus det gratiam omni et soli facienti sic quod est in se. Ita enim dispositio negativa esset ratio determinans collationem gratiae. *Sed dicitur:* Deus infallibiliter dat gratiam omni homini non ponenti obicem per peccatum, seu sese negative disponenti; attamen haec dispositio negativa non requiritur, ne quidem ut condicio sine qua non, cum Deus interdum det gratiam etiam illi qui obicem per peccatum posuit, ideoque non sese disposuit negative. Datur ergo gratia *omni* sese sic disponenti, sed non *soli.*

c) Unde tandem sensus est: homini infideli, servanti legem naturalem per suas vires et per gratiam sanantem, Deus semper et infallibiliter dabit gratiam vocationis ad fidem; quamvis interdum eam gratiam det etiam illi qui legem naturalem non servavit.

d) Gratia ergo vocationis ad fidem dabitur illi homini *postquam* fecit quod erat in se non peccando, nullatenus *quia* hoc fecit.

3) Axioma ergo in hoc sensu determinato et definito *verum est.* Posita enim voluntate salvifica universali Dei, ex parte ipsius Dei nihil deest ut illi homini detur gratia. Atqui deesset aliquid ex parte Dei, si axioma illud in eo sensu esset falsum. Nam in illo casu gratia de facto non daretur. Ergo aliquid deesset vel ex parte Dei vel ex parte hominis. Atqui non ex parte hominis, quia fecit quod erat in se. Ergo ex parte Dei.

Ceterum talis sensus axiomatis nequit omnino dici semipelagianus. Ad hoc enim ut esset semipelagianus deberet intelligi de aliqua connexione inter opera naturalia illius hominis et gratiam, vel per modum meriti, vel per modum impetrationis, vel per modum cuiuscumque dispositionis positivae, vel

etiam per modum dispositionis negativae quae esset vera ratio collationis gratiae. Haec vero omnia positive excluduntur, ut explicatum est.

4) *Alia omnino quaestio* est, quomodo de facto intellexerint hoc axioma antiquiores theologi. Quod sane non tam facile determinari potest, cum status quaestionis non fuerit semper in ipsis accurate definitus [12].

ARTICULUS III

De supernaturalitate gratiae

109. Ex probatis in articulis praecedentibus, gratia salutaris ita gratuito homini confertur, ut non debeatur *naturae humanae lapsae,* nec ratione ipsius naturae, nec ratione quorumlibet eiusdem operum. Estne autem adeo gratuita, ut nec exigatur ab ulla *natura creata,* nec angelica, nec humana, etsi haec pura vel integra spectetur? Haec est quaestio nunc solvenda, quae coincidit cum quaestione de supernaturalitate gratiae. Id autem inquirimus in specie de actibus salutaribus, de quibus diximus in thesi 1 et 2; sed exinde profluet solutio etiam pro reliquis gratiae donis. De supernaturalitate autem gratiae sanantis iam aliqua innuimus n.78.

Thesis 12. Cum actus salutares sint entitative supernaturales, gratia quoque entitative supernaturalis dicenda est.

S.Th., 1.2 q.62 a.1; q.109 a.5; Lercher-Lakner, 272-276; Beraza, 66-68; Lange, 292-303.

110. **Notiones.** Actus salutares, quos supra descripsimus, intelliguntur tam illi qui, positi cum auxilio gratiae actualis, disponunt peccatorem ad iustificationem, quam hi, qui, eliciti ab homine iusto, sunt meritorii vitae aeternae. De utroque genere actuum pronuntiamus eos esse entitative supennaturales.

Entitative supernaturale dicitur illud donum, cuius entitas (essentia vel substantia) noai debetur ulli creaturae, sed proportionem servat cum visione Dei intuitiva [1].

[12] Beraza, 387-395; Lercher-Lakner, 305; Bucceroni, *Commentarius de axiomate· "Facienti quod est in se..."* (Romae 1890); J.Rivière, *Quelques antécédents patristiques de la formule: "Facienti quod in se est...":* RevScRcI (1927) 93s.

[1] Ad rite intellegendum conceptum entis supernaturalis iuvabunt sequentia: S.Th., 1 q.12, accedentibus omnibus conunentaristis in hune locum; Suârez, *De gratta* proleg.4 c.1 (Vivès, 7,179-185); Ripalda, *De ente supcrnaturali;* Scheeben, *Natur und Gnade* (1861); Mercier, O.P., *Lc surnaturel:* RevThom

Dono supernatural! *quoad entitatem,* opponitur donum supernaturale *quoad modum:* illud scilicet quod, etsi quoad entitatem debeatur alicui naturae, ipsi tamen confertur modo naturaliter indebito. Quod quidem diversimode accidere potest: *a)* vel quia entitas naturalis modo supernaturali producitur, v.c. suscitatio hominis mortui; *b)* vel quia actus naturalis acceptatur a Deo in finem supematuralem (extrinsece supernaturale); *c)* vel quia intensiore modo efficitur quam naturae debetur, v.c. si detur talis oculorum acies qualem vires naturales praestare nequeant.

Bene separantes factum supernaturalitatis a fundamento ipsius, in thesi respicimus *factum supernaturalitatis* actuum salutarium, quin ingrediamur quaestionem aliam, eamque controversam: nimirum, *undenam proveniat supernaturalitas,* num ex solo principio efficienti actuum salutarium, an etiam ex obiecto formali specifice diverso. Duo ergo dicimus: *primum* est, actus salutares esse entitative supernaturales; *secundum* est, gratiam, quae eorum actuum est causa, esse quoque supematuralem.

111. Sententiae. 1. Quamquam *temporibus antetridentinis* modus loquendi plane perspicuus non sit, tamen videtur praevaluisse in scholis sententia de supernaturalitate modali actuum salutarium. Duce enim Scoto, id plures docuere, ut fertur, non solum e *scotistis,* sed etiam ex *thoniistis.* Recensentur v.gr. Durandus, Aureolus, G.Biel, Maior, Almain, G.Ariminensis, Capreolus, Caietanus, F.de Vitoria... Res tamen non est certa. Dubitari enim potest de mente Scoti et Capreoli, dum Caietanus vix non certo defendit supernaturalitatem entitativam [2].

1902s; Bainvel *Nature et surnaturel* (1905); Dêneffe, *Gcschichtc des Wortes* "supernaturalis"; ZkathTh 46 (1922) 337-360; Ehriiard. *Le surnaturel* (1925); A.Landgraf, *Dogmcngcschichte der Friihscholastik* 1,1,141-201; II.dE Lubac. *Remarques sur l'histoire du mot "surnaturel"*: NouvRevTh 61 (1934) 225-249. 350-370. Huiusmodi articuli P.Lubac complendi sunt articulo J.C.MARVfintz Gômez, *Notas sobre unas notas para la historia de la palabra "sobrenatural":* ArchTG 1 (1938) 57-85. II.DE Lubac, *Surnaturel* (1946). Dc hoc autem opere conferenda est recensio P.BoyEr: Grcg 28 (1947) 375-395, et plura alia, quae, occasione operis P.dc Lubac, scripta sunt de ente supernaturali. Legas, v.gr., G.dE BocliE, *Dc gratvitate ordinis supernaturalis ad quem homo elevatus est:* Greg 29 (1948) 435-463: Ç.BoyER, *Morale et surnaturel:* Greg 29 (19d8) 527-543; II.RoxdeT, *Le problème de la nature pure...:* RechScRel 35 (1948) 481-521; H.dF. Lubac, *Le mystère du surnaturel:* RechScRel 36 (1949) 80-121; J.Alfaro, *Lo natural y lo sobrenatural* (Madrid 1952).

2 Cf. T.Urdâkoz, O.P., *La teolog'a del acto sobrenatural en la Escuela de Salamanca:* CiencTom 62 (1942) 121-145. Legas etiam Ripalda, *Dc ente supernaturali* d.44 s.1. De mente S.Thomae, memorat Bouillard non defuisse auctores qui negarent ipsum non cognovisse gratiam actualem sed solum concursum naturalem, asserit autem ille contrarium, efferens tamen eam gratiam pro S.Doctore non fuisse elevantem, sed mere primo impellentem ut habitu infuso actus supernaturalis eliciatur: cf. Bouillard, *propos de la grâce actuelle...I.c.*

i 2. *Post Concilium Tridentinum,* communior in dies fit opinio de supernaturalitate entitativa actuum salutarium. Eeam tenent *thomistae,* v.gr. M.Cano, D.Cuevas, D.Soto, P.de Sotomayor, I.de la Pena, Mantius de Corpore Christi, B.de Medina, D.BÂnez 3; eamque defendunt communiter *auctores S. J.,* v.gr. Molina, Suarez, Ripalda, Lugo, etc., ex quibus unus excipiendus est Vazquez, qui admisit nonnullos actus vere salutares, qui essent entitative naturales.* Valde autem nota citatos auctores S.I. supernaturalitatem entitativam omnino defendere, etsi plures eorum hanc supernaturalitatem explicare velint non ex obiecto, sed tantum ex principio supernaturali.

112. Valor dogmaticus. Doctrina *communis et certa.*

113. Argumentum. 1.° *Actus salutares sunt entitative supernaturales.* 1) Fontes, ut late ostendimus in thesi 1 et 2, asserunt absolutam necessitatem gratiae ad actus salutares. Ergo hi dicendi sunt entitative supernaturales.

Consequentia. Si enim actus salutaris est entitative naturalis, non explicatur *absoluta et physica necessitas gratiae:* 1) Ratione *entitatis* actus, ut patet. 2) Nec ratione maioris vel *intensitatis vel facilitatis: a)* cum neutra requiratur ad actum salutarem; *b)* cum utraque saepe magna ex parte pendeat a conatu vel indole voluntatis. 3) Nec ratione divinae et specialis vel *cooperationis* vel *acceptationis: a)* cum mirum sit (nisi res probetur) Deum vèlle specialiter concurrere ad actum quem homo naturaliter elicere potest vel eum acceptare in salutem prae alio actu humano eiusdem valoris entitativi; *b)* cum in utroque casu homo de facto posset ponere actum in se salutarem, etsi ut talis non admitteretur a Deo. Ergo absoluta necessitas gratiae arguit entitativam supernaturalitatem actuum salutarium.

2) Actus salutares ultimo ordinantur ad visionem Dei intuitivam. Atqui haec est entitative supernaturalis. Ergo et actus salutares sunt entitative supernaturales.

Mai.: Hi actus salutares, vel sunt eliciti ab homine iusto, vel a peccatore sese disponente ad justificationem. Atqui utrumque genus actuum salutarium ordinatur ad visionem Dei intuitivam. Nam a) *actus salutares iustorum* merentur de condigno vitam aeternam, ac eiusdem quaedam quasi inchoatio sunt, utpote cum illa proportionem quandam servantes. Sed

' Cf. Urdakoz: ViencTom 63 (1942) 7-24.

4 Molina, *Concordia* q.14 a.13 d.7.14.38; Suârez, *De gratia* 2,4-9; Ripalda, *De ente supernaturali* d.44 s.3-8; Luco, *De fide* <1.9; Lange, 29ss; VXzquez, *In 1.2* d.180s.

etiam ordinantur ad visionem intuitivam b) *actus salutares beccatorum,* sese disponentium ad iustificationem, quatenus hi actus debent esse in eodem ordine ac ipsa iustificatio, nei effectus superet causam; iustificatio autem nos efficit heref des vitae aeternae ac naturae divinae participes.

Min. probatur in tractatu *De Deo Uno* 5.

3) Igitur, locutiones illae Concilii Arausicani et Trideritini "sicut oportet", "ut expedit", etc., non modalem, ut primo intuitu posset aliquis suspicari, sed entitativam supernaturalitatem reapse significant.

114. 2.° *Gratia esi entitative supernaturalis.* Si actus salutares sunt entitative supematurales, debent necessario habere principium efficiens quod sit etiam entitative supernaturale. Atqui tale principium non est nisi gratia. Ergo gratia est entitative supernaturalis.

Mai.: Si principium efficiens actuum salutarium esset entitative naturale, effectus superaret causam.

Min.: Principium adaequatum actuum supernaturalium est facultas et gratia. Atqui facultas est entitative naturalis. Ergo entitativa supematuralitas inveniri debet in gratia.

115. Scholion. *De explicatione huius supernaturalitatis.* Actus ergo humani possunt esse entitative naturales et entitative supematurales. Undenam provenit essentialis eorum distinctio?

Iuxta omnes theologos, haec oritur, saltem partialiter, ex diverso principio efficiente. Nam actus naturalis efficitur solis naturae viribus, vel viribus naturae simul cum gratia sanante; actus vero supernaturalis non nisi gratiae elevantis auxilio elici potest. Sed *quaestio est valde controversa,* num insuper requiratur ut obiectum formale sit etiam supernaturale. Dixi *obiectum formale,* seu id quod movet potentiam ad prosequendum vel fugiendum *obiectum materiale,* sive illud in quod fertur potentia.

Communiter thomistae[6], quos sequitur Suarez[7], tenent requiri obiectum formale diversum in actu naturali et in actu supernaturali. Quare, si actus sit entitative naturalis, eius obiectum formale erit etiam naturale, hoc est, apprehensum per solas vires naturales, absque interventu revelationis. Et contra, si actus sit entitative supernaturalis, ipsius obiectum

0 Cf. SThS 2,1,48-64.

Ab hac communi sententia thomistarum excipiendus est D. Soto, *De natura ct gratia* 1,22; 2,14 et 16 Immo V. d. MeBRSCH, *De divina gratia* 243, excipit etiam S. Thomam, Capreolum, Caietanum.

7 Suârez, *De gratia* 2,11. Cf. Salmanticenses, *De gratia* d.3 dub.3.

formale erit pariter supernaturale, seu cognitum lumine revelationis. Rursus, si adsit actus, cuius obiectum formale sit naturale, eo ipso dicendum est actum esse entitative naturalem; si vero agatur de actu, cuius obiectum formale sit supenna-(turale, iam eo ipso concludendum est illum actum esse pariter Bupernaturalem.

Attamen Molina, Lugo, Ripalda, Billot, communius auctores S.I., aliique theologi, ut Gutberlet, Atberger, V.d. Meersch6, docent *necessario et universaliter* non requiri obieclum formale diversum in actu naturali et in actu supernaturali. Quam sententiam, etiam nos, tanquam probabiliorem, amplectimur. Concedimus adesse quosdam actus, quorum obiectum nequit attingi ab ullo actu naturali, v.c. visio Dei intuitiva, amor consequens illam visionem, uno verbo actus exercendi a beatis in patria; immo concedimus de facto plures actus supernaturales iustorum habere obiectum formale diversum. Sed simul asserimus posse adesse actus naturales et supernaturales, qui habeant unum idemque obiectum formale e.

Haec autem demonstramus:

a) *Negative,* quatenus nec argumenta theologica, nec argumenta philosophica, certo valent probare priorem illam sententiam. *Non argumenta theologica,* quae duo praesertim sunt. 1) Nam, etsi concedamus Apostolum affirmare (1 Thess 2,13) fidem thessalonicensium, praestitam propter auctoritatem Dei revelantis, fuisse supernaturalem, non ideo tamen Paulus excludit possibilitatem assensus naturalis, propter auctoritatem Dei revelantis; asserit enim factum, sed minime negat possibilitatem, aut affirmat repugnantiam intrinsecam. 2) Praeterea, perfectio illa maior, quam habet actus supernaturalis, prae naturali, non provenit necessario ex obiecto formali, sed ex ordine quem dicit ad visionem beatificam, cum qua intrinsece connectitur. Sed *nec argumenta philosophica* probant illam sententiam, cum axioma illud, quod actus specificentur ab obiectis, habeat valorem assertivum, minime vero exclusivum; nec Aristoteles, nec S.Thomas (1.2 q.54 a.2) alia principia specificantia excluserunt10.

8 Molina, *Concordia* q.14 a.13 d.38 et 7-10; Luco, *De fide* d.9 s.1; Ripalda, *Dc ente supernaturali.* d.45; Billot, *De virtutibus infusis* (Romae 1905) 62ss; Gutberlet, *Dogmat. Theol.* 8,671ss; Atzberger, *Dogniatik* 1.6, 671s; V.d. Meersch, *De divina gratia* 243-247.

0 De his plura dabunt: G.Huarte, *De gratia Christi* 111-120; H.Lange, 304-310; H.LEnnErz, *De vero sensu principii "actus specificantur ab obiecto formali":* Greg 7 (1936) 143-6; R.Garrigou-Lagrange, *De gratia* p.375-387; C.Hu·BATKA, O.F.M.Cap., *Actus specificantur ab obiecto formali:* DivThP 27 (1949) 412-420; Rahner, *Gnadenerfahrung:* LThK 4 (1960) 1001-1002; J.Alfaro, S.I., *Formalobjekt, iibernatiirliches:* LThK 4 (1960) 207s.

«· Cf. Lange, 305 n.2.

b) *Positive,* argumento ad hominem. Si obiectum formale, sive motivum assensus naturalis et supernaturalis, essent diversa, possemus discernere utrumque actum. Nunc vero, ipsi adversarii repugnant haec concedere. Ergo dicendum est non necessario differre motivum assensus naturalis et supernaturalis. /

c) *Positive* etiam probatur ex Arausicano et Tridentino (D 179 180 199 813), quatenus haec concilia docent homineni non posse credere, sperare, paenitere... *sicut oportet* ad iustir ficationem et salutem, sine gratia. Atqui haec videntur innuere quod pure naturaliter, seu non sicut oporte.t, possit homo praestare eosdem illos actus. Ergo sola differentia principii operantis, priores actus evadunt supernaturales, posteriores vero naturales Plura in tractatu de fide.

ARTICULUS IV

Di·; UNIVERSALITATE gratiae

116. Gratia illa, quae et *necessaria* et *gratuita* et *supernaturalis* dicenda est, estne etiam *universalis,* seu omnibus datur?

Cum ex tractatu *De Deo Uno* constet Deum velle salutem omnium hominum, et ex alia parte cum im hoc ipso tractatu (n.3-22) probaverimus necessitatem gratiae ad salutem, exinde iam profluit eiusdem universalitas. Nemo enim diceret Deum serio velle salutem omnium hominum, si ipsis denegaret medium necessarium, scilicet gratiam, ad illam assequendam. Sed ea voluntas staret, etiam si Deus nonnisi semel gratiam suam daret illis qui ista gratia non uterentur; imo forte et si hanc illis tantum in communi offerret. Aliunde ea voluntas aliter exercetur erga iustos vel erga fideles peccatores vel erga infideles. Ideo, admissa in genere voluntate salvifica Dei, nunc inquirimus modum quo eam in concreto Deus exercet in gratiis distribuendis respectu adultorum Novae legis, et quidem primo *iustorum,* dein *fidelium peccatorum,* tandem *infidelium.*

" Cf. Molina, *Concordia* q.14 a.lS d.7; Huarts, *Dc gratia Christi* 115.

Thesis 13. Omnibus iustis, urgente praecepto, confertur a Deo gratia proxime vel remote sufficiens, qua illud possint implere.

S.Th., 1.2 q.109 a.9; Lercher-LaknKr, 371-379; Beraza, 397-405; Langs, 1Î5-18S.

117. Nexus. Ut monuimus supra n.69, etsi donum perseverantiae sit iustis incertum, Deus ex parte sua praestat omnibus auxilia sufficientia ad illud obtinendum, per rectam observantiam mandatorum. Nunc ergo hoc demonstrandum est.

118. Notiones. Iustis, hoc est, illis adultis, ratione utentibus, qui versantur in statu gratiae.

Omnibus, etiam illis qui de facto sunt graviter peccaturi, etiam ipsis non praedestinatis.

Urgente praecepto, scilicet, tunc cum urget praeceptum, et quidem grave; quod ut tale cognoscitur; et ad cuius adimpletionem sit necessaria gratia, vel quia praeceptum est supernaturale, vel quia, etsi naturale, adest gravis difficultas, quae sine gratia superari non possit.

Gratia sufficiens, illa est, qua iustus redditur potens ad servandum praeceptum. Sed, testibus Augustino et Tridentino, alia est proxime sufficiens, alia remote sufficiens: “Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis” (D 804). Itaque, *gratia proxime sufficiens* dicitur illa quae immediate, absque novo auxilio, reddit iustum potentem ad implenda mandata; *gratia vero remote sufficiens* est gratia orationis, quam Deus continuo iustis confert, et qua, si ipsa bene utantur, obtinebunt auxilium proxime sufficiens ad observanda praecepta.

Possint implere, vera potentia, non solum absoluta, sed etiam relativa, id est, praesente qualibet contraria concupiscentia.

119. Adversarii. 1) *Novatores* docuerunt impossibilem esse observantiam mandatorum, etiam iustis; praesertim mandatum de amore Dei ex toto corde et praeceptum non concupiscendi.

2) Iansenius tenuit quaedam praecepta esse, etiam iustis, impossibilia eo quod, dominante delectatione terrena, deest gratia qua possibilis fiat observantia mandatorum. Nimirum iuxta ipsum, gratia distingui debet alia absolute sufficiens, alia relative sufficiens. Prima est, quae in sola sua natura considerata, praescindendo ab aliis adiunctis, sufficit ad ac-

tum salutarem eliciendum; secunda est, quae non solum in sua natura considerata, sed etiam attenta delectatione terrena contraria in determinato subiecto, vires confert ad eliciendum actum sufficientes. Qua distinctione posita, negat gratiam relative sufficientem, admissa gratia absolute sufficiente, quae, ut patet, revera sufficiens dici nequit.

120. **Doctrina Ecclesiae.** *Carthaginense,* cn.3 (D 103), docet gratiam valere, non solum ad remissionem peccatorum, sed etiam ut nova non committantur. *Arausicanum,* cn.25 (D 200): "Profitemur et credimus quod... post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quae sibi sunt placita implere possimus". *Tridentinum,* cn.18 (D 828): "S.q.d. Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, a.s.". Cf. D 804. Innocentius X (D 1092) damnavit tanquam haereticam propositionem Iansenii. Pius XI (D 2241) haec applicat ad rectum usum matrimonii.

121. **Valor dogmaticus.** *De fide divina et catholica definita* (D 1092).

122. **Probatur ex Sacra Scriptura.** 1) Ex 1 Cor 10, 13: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Hunc locum iansenistae de solis praedestinatis intelligebant[1].

Contextus: Apostolus monet Corinthios, non sufficere professionem Christianam ad assequendam salutem aeternam, sed praeterea ipsis cavendum esse a peccatis, ne, more israelitarum, peccent et pereant. Ideo, qui existimat se firmum stare in via salutis, videat ne cadat...

Textus: *Tentatio vos non apprehendat* (εἴληφε, hoc est, *apprehendit) nisi humana.* Hucusque non habuistis tentationes nisi leves, accommodatas vestrae imbecillitati. Quare, etiam in posterum confidere debetis...

Fidelis autem Deus... Corinthiis addit animum; Deus enim non patietur vos tentari supra vires.

Sed faciet etiam cum tentatione proventum (ἔκβασιν). Faciet ut evadatis victores e tentatione, ad eum modum quo miles vincit in praelio.

Haec autem proferuntur ab Apostolo *de iustis,* et quidem *etiam de non praedestinatis.*

Agitur *de iustis.* Nam *a)* Paulus scribit ad fideles Ecclesiae Corinthiacae; *b)* explicite ait v.12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

1 Cf. Cornely, *In priorem epistolam ad Corinthios* 284-7.

Agitur *de omnibus iustis,* etiam de non praedestinatis. Nam *a)* finis epistulae est Corinthios consolari, et tentatos erigere; id autem Apostolus nullo modo obtineret, si haec valerent de solis praedestinatis, cum nemo sciat se esse de numero praedestinatorum ; *b)* gratis supponitur omnes fideles illius Ecclesiae esse praedestinatos; *c)* Tridentinum utitur his verbis ad urgendam observantiam voti castitatis (D 979) et Pius XI ad urgenda officia coniugum (D 2241).

Argumentum: Nullus iustorum, etiam non praedestinatorum, tentatur supra id quod ferre potest. Atqui, si urgente praecepto, non daretur gratia proxime vel remote sufficiens ad illud observandum, tentaretur supra id quod ferre posset. Ergo omnibus iustis datur gratia ad implenda praecepta, cum urget horum observatio.

2) Tridentinum (D 804) probat omnes iustos gaudere gratia vere sufficienti ad servanda praecepta, ex verbis Christi *iugum meum suave est et onus meum leve* ({Mt 11,30), et ex verbis loannis Apostoli *mandata cius gravia non sunt* (1 Io 5,3).

123. Probatur ex traditione. S.Augustinus, hanc veritatem supponit duplici illo principio: *a)* "Deus non deserit, si non deseratur"[2]; *b)* "Non igitur Deus impossibilia iubet, sed..."[3]. Apud eundem S.Augustinum, plura alia legi possunt (R 1889 1954 1960).

Post S.Augustinum, explicat S.Prosper primum illud principium augustinianum: "Non enim relicti sunt a Deo [peccatores], ut relinquerent Deum; sed reliquerunt et relicti sunt et ex bono in malum propria voluntate mutati sunt"... (R 2026; cf. 2029). Gennadius testatur "nullum Dei voluntate perire, sed permissum pro electione arbitrii, ne ingenuitas potestatis semel homini attributa ad servilem cogatur necessitatem" (R 2227). S.Caesarius Arelat. iterum effert effatum augustinianum: "Numquam Deus deserit hominem, misi prius ab homine deseratur" (R 2232). Tandem S.Fulgentius: "Nullus autem hominum iuste peccat, quamvis eum iuste Deus peccare permittat. Iuste enim deseritur a Deo qui deserit Deum" (R 2255).

124. Ratio theologica. Urgente quolibet praecepto, iustus potest semper perseverare in iustitia. Atqui non potest sine gratia. Ergo urgente quolibet praecepto, iustus habet semper gratiam sufficientem.

2 S.Augustinus, *De natura et gratia 26* (R 1792).
s S.Augustinus, *De natura ct gratia* 43 (R 1795)

Mai.: Si aliquando non posset perseverare, tunc ei peccatum non imputaretur. Atqui peccatum ei semper imputatur. Ergo potest semper perseverare.

Min.: Probavimus in thesi 7 iustum sine gratia in accepta iustitia diu perseverare non posse.

125. Obiectiones. 1. Constat ex Io 13,10 Petrum ante negationem Christi fuisse iustum. Atqui Petro defuit gratia ad superandam tentationem. Ergo non semper datur omnibus iustis gratia necessaria ad servanda praecepta.

Cons. mai. Dist. min. Defuit Petro gratia efficax, *conc. min.;* defuit gratia sufficiens, *subdist.* Gratia proxime sufficiens, *trans.;* saltem remote sufficiens, *nego.*

2. Ex Io 13,36 patet Petro defuisse omnem gratiam. *Non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* Quod confirmatur ex Patrum interpretatione. Chrysostomus enim scribit de Petro: "Quia nullo fultus erat auxilio, lapsus est"[4]. Et S.Hilarius asserit de Petro "culpam se nec admonitum potuisse vitare"[5]. Ergo, saltem aliquando, nonnullis iustis deest omnis gratia ad servanda praecepta.

Resp. 1) verba Christi intelligi a S.Augustino de martyrio Petri, quatenus Petrus tunc non habebat firmitatem necessariam ad moriendum pro Christo, sed illam erat habiturus post adventum Spiritus Sancti[6]. Hac vero data interpretatione, verba allata nihil probant contra thesim, cum nondum urgeret praeceptum moriendi pro Christo.

2) Si vero quis contenderet verba illa Christi Domini intelligenda esse de gratia, dicendum est, illa debere intelligi de subtractione gratiae uberioris, minime vero de negatione omnis gratiae, etiam remote sufficientis. Etenim verba illa *non potes me modo sequi* denotant impotentiam consequentem defectum voluntatis, non vero antecedentem.

3) Et quidem fundamentum huius interpretationis reperitur apud ipsos Patres, qui obiciebantur. Nam iuxta Chrysostomum, Christus Petrum "deseruit ut suam edisceret infirmitatem"[7]; igitur, Petrus a Christo fuit desertus, quia elatus fuerat et nimis de se ipso confidebat. S.Hilarius autem intendit excusare negationem Petri, simul innuens illius impotentiam fuisse consequentem defectum voluntatis. Ceterum S.Augustinus aperte fatetur: "Quis enim dubitaverit quod Iudas Christum, si voluisset, non utique tradidisset; et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset? Nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum Propheta dicere: Adiutor meus esto, ne derelinquas me"[8].

3. Ex S.Augustino, dicente: "Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt iudicia Dei"[9]. Atqui, si uterque haberet gratiam sufficientem ad servanda praecepta, debuisset accurrere ad id quod alter gratiae consentit, alter vero dissentit. Ergo recursus ad inscrutabilia Dei

4 Chrysostomus, *In Mt* hom.82,4: MG 58,742.
5 S.Hilarius, *In Mt* c.32 n.4: ML 9,1071.
6 S.Augustinus, *In Io* tr.66 n.1: ML 35,1810.
7 Chrysostomus, *In Io* hom.73,1: MG 59,395.
8 S.Augustinus, *De unitate Ecclesiae* 9,23: ML 43,407; CSEL 52,257.
9 S.Augustinus, *De dono perseverantiae* 9,21 (R 1995).

iudicia arguit Augustinum non tenuisse quod omnes iusti habeant gratiam sufficientem ad servanda praecepta.

Dist. mai. Ratio *universalis* et *ultima* cur ex duobus piis, alius perseveret, alius vero non, est inscrutabile Dei indicium, *conc. mai.;* ratio *inadaeqnata* et *proximo, neyo mai. Contradist. min.* Debuisset recurrere ad id quod alter consentit, alter vero dissentit, tanquam ad rationem *inadaeqnatam* et *proximam, conc. min.;* tanquam ad rationem *universalem* et *ultimam, nego min.*

Ratio proxima et inadaequata discretionis inter perseverantem et non perseverantem, illa est, quod alter gratiae consentiat, alter vero dissentiat. Verum ratio universalis, adaequata et ultima est mysterium inscrutabile divinae praedestinationis. De his loquebatur S.Augustinus.

4. Gratia sufficiens ad servanda praecepta consistit in mentis illustratione, docenCc quid faciendum, quid vitandum sit. Atqui talis gratia excludit ignorantiam circa observantiam praeceptorum. Ergo, si semper daretur gratia sufficiens, urgente praecepto, nemo peccaret ex ignorantia; quod quidem contradicit cotidianae experientiae.

Conc. mai. Dist. min. Excludit ignorantiam inculpabilem, *conc. min.;* excludit omnem ignorantiam culpabilem, *nego min. Dist. pariter cons.* Nemo peccaret ex ignorantia inculpabili, *conc. cons.;* ex aliqua ignorantia culpabili, *nego cons.*

Thesis 14. Etiam fidelibus peccatoribus omnibus datur, pro loci et temporis opportunitate, gratia saltem remote sufficiens ad paenitentiam peragendam.

5.Th., 3 q.S6 a.1; Lercher-LaknEr, 371-379; Beraza, 406-430; Lance, 665-696.

126. Notiones. Fidelibus peccatoribus, scilicet, adultis, ratione utentibus, qui post baptismum labuntur in peccata gravia, retinent tamen fidem catholicam. Ili autem possunt inveniri et praedestinati et reprobi. In thesi praesertim attendimus ad reprobos; praedestinati enim, non solum sufficientem, sed et efficacem gratiam, habent aliquando.

Omnibus : Peccator concipitur aut communis, aut excaecatus et induratus. *Peccator communis* intelligitur ille, qui potius fragilitate quam malitia in peccata labitur. *Peccator excaecatus et induratus* ille est, qui peccatis pertinaciter adhaeret. Huiusmodi status opponitur statui gratiae. Sicut enim gratia dicit illuminationem intellectus et motionem voluntatis in bonum, ita contra peccator excaccatus et induratus dicit, tum caecitatem mentis (consistentem primo in quadam hebetudine ad percipienda ea quae spectant ad salutem, secundo etiam in positiva perversione iudicii, cf. Is 5,20), tum etiam obdurationem voluntatis (ortam primo ex pertinaci resistentia gratiae et secundo ex firma adhaesione peccatis). Haec est excaecatio et induratio passive sumpta.

Haec *perfecte* habetur in damnatis; in viatoribus vero est *imperfecta,* utpote conversionem omnino non excludens.

Causa excaecationis et indurationis, *intrinseca et principalis* est ipse peccator, et quidem tam efficienter quam meritorie; causa *extrinseca et inducens* est diabolus; causa *negativa, permissiva et occasionalis* dici potest Deus (Rom 9,18; Io 12, 40). Haec est excaecatio et induratio active sumpta [1].

Datur: Vox *dari* in nostro casu dupliciter intelligi potest. *Primo modo,* intelligitur ex parte Dei tantum, et idem est ac offerri, seu praeparari gratiam a Deo; quo sensu Deus potest dare gratiam homini, quin homo illam accipiat. *Secundo modo,* intelligitur non solum ex parte Dei sed etiam ex parte hominis, et idem est ac conferri de facto gratiam a Deo eamque recipi ab homine; quo sensu non potest a Deo dari gratia homini, quin ea ab homine recipiatur. Utroque sensu dicimus dari gratiam. Sed magna est in hoc differentia consideranda. Dari enim gratiam primo sensu *(offerri),* ab omnibus catholicis tenetur; dari vero gratiam secundo sensu *(conferri),* non ab omnibus theologis admittitur.

Pro loci et temporis opportunitate, seu tempore opportuno. Non ergo quibuslibet momentis ad conversionem vocantur peccatores, sed generatim tunc cum adsunt gratiae externae: *a)* praedicationis, lectionis, boni exempli; *b)* tribulationis in valetudine, bonis fortunae, morte amici; *c)* bonae actionis, v.c. eleemosynae; *d)* in articulo mortis, tunc enim urget necessitas paenitendi.

Ad paenitentiam peragendam, seu ad conversionem sive iustificationem de novo consequendam. Im his enim peccatoribus, gratia concipitur necessaria, vel ad nova peccata gravia vitanda, vel ad conversionem. Eos habere gratiam sufficientem ad vitanda nova peccata, supponimus. Etenim, si illis gratia denegaretur, quae esset necessaria, nec peccarent; nam ad impossibile nemo tenetur. In thesi ergo agimus de gratia conversionis sive salutaris paenitentiae.

Igitur, *sensus nostrae assertionis* est: Nullis fidelibus peccatoribus, nec communibus, nec etiam ipsis excaecatis et in-

1 BânEz, *In 1* q.23 a.3; Alvarez, *De aux. gratiae* d.112; GonET, *De reprobatione* d.5 a.5; I. a S.Thoma, *Cursus theologicus* in q.24 d.10 a.3; Ledesma, *De auxiliis* a.16 dicto» 4; Lemos, *Panoplia* t.4 p.2 tr.3 c.16; Hucon, *De gratia* q.5 a.3. Eam opinionem a temeritate excusat ut quae non excludat nisi *aliquos* obstinatos nec iis deneget possibilitatem salutis saltem quatenus ii non totaliter gratiis caruerunt, at eam opinionem acceptu difficilem censet A.Michel, *La grâce dernière est-elle offerte à tous an moment de la mort?:* AmCI 68 (1958) 638-641; simul memorat nonnullorum (E.de Champs, S.R.Bellarmîno) sententiam, qua *omni instanti* Deus peccatorem vocat, et eam reicit ut non consonam experientiae, dum ipse proponit cum Sudrez opinionem mediam, quam et nos in thesi tenemus.

duratis, Deus denegat gratiam, saltem remote sufficientem, ad conversionem, in poenam suorum peccatorum; sed, tempore opportuno, Deus confert illis gratiam, saltem remote sufficientem, ut huic gratiae fideliter coopérantes, tandem possint agere paenitentiam salutarem.

127. Adversarii. 1) IansenîüS peccatoribus excaecatis et induratis negavit gratiam sufficientem ad conversionem. Ita enim inscribitur c.10 1.3 *De gratia Christi:* "Excaecati et indurati carent gratia·sufficienti, qua videant et moveantur ad bonum".

2) *Plures antiquiores thomistae* (Bânez, Alvarez, Gonet, I.λ S.Thoma, Ledesma, Lemos...) tenebant Deum *offerre* in communi omnibus peccatoribus gratiam sufficientem ad conversionem, sed eam aliquibus *non conferre,* ita ut illam accipiant, in poenam suorum peccatorum. Haec autem sententia hodie videtur derelicta a recentioribus thomistis.

3) *Per excessum* videntur errare quotquot tribuunt omnibus et singulis hominibus illuminationem quandam finalem, quae nec revelatione nec ipsa cotidiana experientia satis fundata apparet[2].

128. Doctrina Ecclesiae. *Lateranense IV,* c.1 (D 430): "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper paenitentiam reparari". *Tridentinum,* s.6 cn.29 (D 839): "S.q.d. eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere... a.s.".

129. Valor dogmaticus. 1) De peccatoribus communibus, est veritas *de fide divina et catholica implicite definita.* Etenim definitum est peccatores baptizatos semper posse resurgere per paenitentiam; et aliunde definitum pariter est id sine gratia fieri non posse (D 177 813). Ergo huiusmodi gratia hisce peccatoribus praesto esse debet.

2) De peccatoribus obduratis et excaecatis assertio est *communis et certa.*

130. Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae, nulla facta distinctione peccatoris communis vel obdurati, testantur Deum velle omnium conversionem. Atqui sine gratia id fieri non potest, ut probatum est th.1 et 2. Ergo nemini illorum deest gratia, saltem remote sufficiens, ad conversionem.

Mai.: Ez 33,11: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sèd ut convertatur impius a via sua, et vivat. Con-*

2 Cf. g.vr. A.Getino, *Del gran niimero de los que sc salvan y de la mitigaciôn de las penos eternas* (Madrid 1934) diââlogo 4 (p.51), dialogo 15 (p.248s). Cf. SalmanticensRs, *De gratia* d.3 dub.8 n.199.

vertimini, convertimini a viis vestris pessimis... 2 Petr 3,9; *Dominus... patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Rom 2,4: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?* Lc 15,1-32, sub triplici parabola ostendit quomodo Christus susciperet peccatores. Loca autem illa, in quibus videntur exhiberi tanquam irremissibilia quaedam peccata (Mt 12,31; Hebr 6,4; 10,25 1 Io 5, 16), explicantur in tractatu de paenitentia[3].

131. Probatur ex traditione. *Patres* diversimode testantur semper patere peccatoribus viam salutis:

1) Dum interpretantur hac ratione verba Scripturae. Ita S-Cyrillus Alex.: "Cum ait [Deus] peccatoribus *adhuc habebis auxilium,* in spem ac fiduciam erigit, licet multis et inevitabilibus culpis sint implicati"... (R 2097). Et S.Caesarius Arelat.: "Cum enim semel et secundo et tertio unusquisque gravia peccata commiserit, exspectat tamen illum Deus, sicut per prophetam dicit, *ut convertatur et vivat"* (R 2232).

2) Ex voluntate Dei salvifica universali. S.Prosper: "Item qui dicit quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum praedestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiae Dei, *qui et omnes vult salvos fieri,* atque *in agnitionem veritatis venire...* (R 2030). Ambrosiaster: *"Vult* Deus *omnes homines salvos fieri,* sed si accedant ad Eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur; sed vult illos salvari, si et ipsi velint"... (R 1343). Chrysostomus: "Si *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* quomodo tot homines non illuminati manent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in Ipso est. Si qui vero sponte sua, mentis oculos claudentes, huius lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere" (R 1158).

3) Quatenus docent peccatores perire ex defectu suae cooperationis gratiae divinae. Ita Chrysostomus: "Non licet dicere: Non possum... Quomodo ergo, inquit, multi non possunt? Quia «nolunt. Quomodo non volunt? Prae desidia; nam si voluerint, poterunt omnino?"... (R 1220). S.Hieronymus: "Tantae bonitatis est [Deus]... ut eligat eum, quem interim bonum cernit et scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis et paenitentiae"... (R 1405). S.Augustinus: "Non poterant credere. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: Quia nolebant"... (R 1830).

[3] SThS 4,4,27-30.

4) Quatenus asserunt cuilibet, dum vivit, patere indulgentiae aditum. Ita S.Cyprianus: "Quando istinc recessum fuerit, nullus iam paenitentiac locus est, nullus satisfactionis effectus... In isto adhuc mundo manenti, paenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus, et quaerentibus atque intellegentibus veritatem, facilis accessus est''... (R 561).

132. Ratio theologica. Hanc profert S.Thomas (3 q.86 a.1): "Quod aliquod peccatum per paenitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter: uno modo, quia aliquis de peccato paenitere non posset; alio modo, quia paenitentia non posset delere peccatum. Et primo quidem modo, non possunt per paenitentiam deleri peccata daemonum, et etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt in malo confirmati... Tale autem non potest esse peccatum aliquod hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis paenitere non possit, est erroneum. Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundo, quia derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cuiuscumque peccatoris ad paenitendum".

133. Obiectiones. 1. Refert Scriptura (Is 5,5s; 1er 51,9; Mt 23,32) Deum, impleta peccatorum mensura, iam non amplius misereri quorundam hominum. Ergo non omnibus peccatoribus datur gratia paenitendi.

Dist. antec. Eorum nimirum qui ad vitae exitum deveniunt, *conc. antec.;* eorum etiam qui adhuc versantur in via, *subdist.:* non amplius miseretur, quatenus ipsis infligit mala temporalia, *conc. antec.;* quatenus illis denegat omnem gratiam, etiam remote sufficientem, ad paenitendum, *nego antec.*

2. Ex Io 12,40 et Is 6,10: *Excaecavit oculos eorum, et indurafnt cor eorum...* Igitur, iudaei non poterant credere, quia Deus excaecavit illos. Ergo non omnibus peccatoribus datur gratia conversionis.

Dist. antec. Non poterant credere impotentia antecedente, *nego antec.;* impotentia consequente exercitium libertatis, *subdist.:* non poterant credere immediate, eo quod carerent gratia proxime sufficiente, *conc. antec.;* non poterant credere mediate, si respondissent gratiae remote sufficienti, quam habebant, *nego antec.* Itaque, Deus excaecavit oculos iudaeorum, non *directe* et *positive,* sed *negative* vel *permissive,* quatenus illis denegavit auxilia uberiora ad credendum[4]

3. Ex Rom 9,18.21 novimus Deum indurare quos vult, et se gerere ad modum figuli, qui pro suo libitu, efficit vas in honorem et

4 Cl. S.Augustinum, *In lo* tr.53 n.6 et 10: ML 35,1778; F.Hïsss, *Das Vcrstockungsproblcm im Alien Testament* (Berlin 1955); A.SoldaTSUJ, M.S.C., "Ate *quando čonvertantur' Mc.* 4,12: PalCl 34 (1955) 534-543 (ubi exponitur nova interpretatio: si, forte, probabiliter...); J.Mac Avoy, *Endurcissement:* DSpir 4 (1958) 642-645 (de notione obdurationis in Scriptura); E-F.SiKgman, C.PP.S., *Teaching in Parables...:* CathBiblQuart 23 (1961) 176s.

in contumeliam. Ergo non omnes gaudent gratia necessaria ad conversionem.

Conc. antec. Dist. cons. Non omnes gaudent gratiis a Deo praevisis efficacibus ad fidem amplectendam, *conc. cons.;* non omnes gaudent gratia vere sufficiente, *nego cons.*[4]

4. Ex Tridentino (D 804), suam faciente sententiam Augustini: Deus non deserit, si non deseratur. Atqui peccatores Deum deserunt per peccatum. Ergo et ipsi a Deo deseruntur; ac proinde carent gratia necessaria ad conversionem.

Conc. mai. et *min. Dist. cons.* Deseruntur a Deo per subtractionem gratiae sanctificantis, *conc. cons.;* per subtractionem omnis gratiae actualis, etiam remote sufficientis, ad conversionem, *nego cons.*

5. Ex S.Augustino plures congeruntur sententiae, quae thesi adversari videntur: "Quoniam caecus puto quod velit videre, sed non potest"[6]. "Sed iam est mentis caecitas, iam oculus mentis exstinctus est"[7]. "Scimus non omnibus hominibus [gratiam] dari"... (R 1456).

Resp. Ut mens Sancti Doctoris rite intelligatur et his aliisque difficultatibus facile respondeatur, haec prae oculis habenda sunt;

a) Cum videtur negare omnibus peccatoribus dari gratiam, interdum loquitur de *gratia habituali,* non vero de *gratia actuali.*

b) Alias, intelligit *gratiam efficacem,* vel etiam illam quam hodie *proxime sufficientem* appellamus.

c) Distinguas *gratiam ad fidem* et *gratiam fidei.* Illa est dispositio ad conversionem, et datur omnibus; haec autem est actus fidei seu initium salutis, quod non omnibus datur.

d) Aliud est *desertio ex parte Dei,* quae plures gradus admittit quaeque non excludit omnem gratiam; aliud vero est *negatio* cuiuslibet gratiae.

e) Distinguas etiam inter *dare gratiam* et *accipere gratiam.* Nam apud Augustinum accipere gratiam idem est ac cooperari cum gratia.

f) Bene animadvertatur S.Augustinum, versus *finem* vitae, voluntatem salvificam universalem quodammodo restrinxisse[8].

Thesis 15. Ipsis denique infidelibus Deus non denegat gratiam vere sufficientem ut possint ad fidem converti.

Beraza, 431-448; Lange, 665-696.

134. Notiones. Infidelis dicitur qui caret vera fide in Deum et in Christum Dominum. Infidelis distinguitur negativus et positivus. *Negativus* ille est cui vera fides nunquam sufficienter proposita est. *Positivus* vero qui fidem sufficienter propositam audire vel accipere neglexit, aut semel admissam reiecit, sive totaliter (apostata) sive partialiter (haereticus). In thesi respicimus *infideles negativos,* et quidem adul-

5 Plura de hac re apud BovK», *Tcologia dc San Pablo* 234-250.
« S.Augustinus, *Dc nalura et gratia* 51,59: ML 44,276; CSEL 60,277.
' S.Augustinus, *Enarrat, in Ps.57* n.22: ML 36,692.
8 Cf. Lbrchbr-LaknKr, 379 ob.8.

tos; positivis enim iam aliquando data est gratia vere sufficiens.

Gratia VERE sufficiens, quaecumque haec sit, naturalis vel supernaturalis, remota vel proxima. Omittimus enim haec amplius determinare eo quod diversae proferantur sententiae, prout diversus assignetur modus subveniendi infidelium saluti.

Itaque, in thesi tantum asserimus *factum:* Deus confert gratiam vere sufficientem ut infideles adulti possint ad fidem venire. Nihil autem dicimus de *modo* quo Deus hanc vocationem conceditX.

135. Sententiae. 1) IansEnius negavit Christum mortuum fuisse pro omnibus hominibus (D 1096). *lansenistae* tenebant Christum oblatum fuisse pro solis fidelibus; hinc quod negarent omnem Christi influxum et omnem gratiam sufficientem paganis, iudaeis et haereticis (D 1294-5). Quesnel eosdem renovavit errores, tradens fidem esse primam gratiam, et extra Ecclesiam nullam dari gratiam (D 1376-9).

2) Apud *theologos* non semper viguit eadem sententia:

a) S.Thomas *(De verit.* q. 14 a.11 ad 1) aperte defenderat universalitatem vocationis ad fidem; senior autem fortasse non eadem firmitate et a- —'Htudine id ausus sit affirmare (cf. 2.2 q.2 a.5 ad 1)2.

b) *Plures thomistae,* scilicet, illi qui numerantur in thesi praecedenti, docuere Deum gratiam fidei omnibus *offerre,* quatenus media generalia et per se sufficientia providit; at non omnibus eadem salutis media *conferre,* eo quod per accidens, in particulari, interdum non possint applicari, neque teneatur Deus ad miraculose supplendum defectum causarum secundarum.

c) Haec autem opinio, etiam *ab ipsis thomistis,* hodie derelicta est. Legatur v.c. Hugon: "Infidelibus omnibus etiam negativis dantur pro tempore et loco gratiae proxime vel remote sufficientes. Licet multi olim theologi contradixerint, conclusio illa est hodie fere communis" 3. Et de eadem re ait

1 De his, interim, conferantur: L.Capéran, *Le problème du salut des infidèles* (Toulouse 1934); E-Harent, *Infidèles:* DTC 7,1726-1930; D'Alès: DAFC 4,1156-82; T.Urdânoz, O.P., *La neccsidad de la fe explicita para salvarse, segun los teôlogos dc la Escuela Sabnantina'-* ViencTom 59 (1940) 398-414.529-553; 60 (1941) 109-134; 61 (1941) 83-107; P.Ancel i, O.P., *La possibilità di salute nel primo atto morale per il fataciullo infcdele* (Roma 1946); H.P.A.Cornelissen, O.P., *Geloof sonder prediking* (Roermond-Maaseik 1946); R.Lombardi, S.I., *La salvesza di chi non ha fede* (Roma 1943).

3 Cf. J.de Guibert, S.I., *Quelle a été la pensée definitive de S.Thomas sur le salut des infidèles:* BullLittEccl (1913) 337-355; P.Lumbreras, O.P., *Cuando el salvaje llega al uso de rasôn:* AnAsFrV 7 (1946-1947) 85-128.

3 E.Hugon, O.P., *De gratia* q.S a.3.

M. Sola: "La doctrina hoy casi comûn entre los teôlogos católicos" [4].

136. **Doctrina Ecclesiae.** Innocentius X damnavit errorem Iansenii (D 1096). Alexander VIII damnavit iansenistas (D 1294-5). Clemens XI damnavit Quesnelum (D 1376-9) Pius IX haec profert: quod "Deus... minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat" (D 1677).

137. **Valor theologicus.** *Communis et certa.*

138. **Probatur ex sacra Scriptura.** 1) *Ex voluntate salvifica universali Dei.* Deus enim *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1 Tim 2,4). Supposita exegesi huius loci, ex tractatu *De Deo Uno* [5], arguimus: Deus serio vult salutem omnium prorsus hominum. Atqui talis seria voluntas in Deo non adesset respectu infidelium, si ipsis non daret gratiam vere sufficientem, qua possint venire ad agnitionem veritatis. Ergo, saltem aliquando in vita, Deus dat infidelibus gratiam vere sufficientem ut sese disponant et veniant ad fidem, quae ad iustificationem necessaria est.

2) *Ex redemptione universali Christi.* Etenim Christus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1 Tim 2,6); *pro omnibus mortuus est Christus* (2 Cor 5,15). Itaque, Christus pro omnibus mortuus est, et omnes homines vere redemit seu omnibus meruit salutem. Ergo haec omnibus debet esse possibilis. Atqui id tantum fieri potest per vocationem ad fidem, proximam vel saltem remotam. Ergo datur gratia sufficiens ut omnes infideles possint venire ad fidem.

139. **Probatur ex traditione.** *Patres a)* provocant ad voluntatem salvificam universalem (R 622 1158) et ad redemptionem universalem (R 12); *b)* asserunt omnes, quotquot pereunt, sua culpa perire (R 1313 1343); *c)* Orosius explicite docuit: "Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia..., verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare"... (R 2020) [6].

140. **Ratio theologica.** Omnes adulti tenentur tendere in suum finem ultimum, hoc est, in salutem aeternam. Atqui

[4] Cf. CiencTom 33 (1926) 357.
[5] SThS 2,1,229.
[6] De mente S. Augustini disserit J. Chéné, *Saint Augustin enseigne-t-il dans le De spiritu et littera l'universalité de la volonté salvifique de Dieu:* RechScR 47 (1959) 215-224.

fides salutaris est medium absolute necessarium ad salutem; haec autem impossibilis est nisi detur gratia vere sufficiens vocationis ad fidem. Ergo omnibus datur haec gratia sufficiens vocationis ad fidem.

141. Obiectiones. 1. Ex Act 14,15: *Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Et Act 16,6 dicitur de Paulo et Timotheo quod *vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.* Ergo ante Christi adventum omnes gentes carebant gratia sufficienti ad salutem assequendam, et post Christum saltem aliquae carent eadem gratia.

Conc. antec. Nego cons. Nam *in primo loco* tantum asseritur Deum non habuisse de gentibus singularem illam providentiam quam exercuit de iudaeis, minime vero negasse illis gratias sufficientes ad salutem. *In altero loco* dicitur Spiritus 'Sanctus noluisse tunc .temporis gratiam fidei concedere asianis, quam tamen postea concessit; non ergo largitur Deus hanc gratiam nisi tempore opportuno.

2. Arausicanum, cn.25 (D 200) fatetur quod Deus "fidem et amorem sui nobis prius inspirat"; Tridentinum vero, s.6 c.8 (D 801) etiam testatur fidem esse "humanae salutis initium". Unde eruitur fidem constituere primam gratiam supernaturalcm. Atqui infidelibus negativis haec gratia non confertur. Ergo infideles negativi carent gratia sufficienti ad salutem.

Dist. mai. Fides *perfecta,* seu assensus intellectualis praestitus veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis, constituit primam gratiam supernaturalem, *nego mai.; fides imperfecta* vel inchoata qua adulti disponuntur ad fidem perfectam eliciendam, constituit primam gratiam supernaturalcm, *subdist.:* prout est actus deliberatus infidelis, *nego;* prout est principium huius actus, *conc.* Sed huic primae gratiae supernatural! adhuc praecedere possunt aliae gratiae sanantes. *Contradist. min.* Infidelibus negativis non datur gratia fidei *perfectae, conc. min.: imperfectae,* entitative supernaturalis, aut saltem medicinalis, quae remote sufficiat ad hoc ut infidelis veniat ad fidem perfectam, *nego min.* (cf. D 1376-9).

3. Si darentur infidelibus negativis gratiae saltem remote sufficientes, quibus illi possent ad fidem venire, eorum ignorantia in rebus fidei esset culpabilis. Atqui non est culpabilis, ut constat cx damnatione propositionis baianae: "Infidelitas pure negativa in his, (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est" (D 1068). Ergo infidelibus negativis non dantur gratiae remote sufficientes ut possint ad fidem converti.

Nego mai. Etenim, ut haec ignorantia esset culpabilis, requireretur quod ipsis esset voluntaria in causa, id est, in abusu gratiarum quibus invitantur ad fidem. Nunc vero, cum talis effectus ne in confuso quidem possit ab infidelibus praenosci in sua causa, nec eorum repugnantia gratiis collatis potest induere rationem formalem peccati contra fidem. Merito ergo damnata est propositio baiana, quae docebat infidelitatem negativam, etsi involuntariam, esse peccatum; Baitis enim tenebat, voluntarium non esse de ratione peccati (D 1046).

4. Haec gratia remote sufficiens, ante fidem, est gratia orationis. Atqui oratio salutaris supponit fidem, iuxta illud: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* (Rom 10,14). Ergo infideles negativi nullam prorsus habent gratiam ad salutem consequendam.

Dist. mai. Aliqua oratio, *conc. mai.;* oratio, de qua loquitur Apostolus, seu invocatio in Deum Salvatorem, quae sit professio fidei Christianae, *nego mai. Contradist. min.* Oratio, dc qua loquitur Paulus, supponit fidem, *conc. min.;* oratio quaevis, *nego.* Notandum est in infidelibus gratiam remote sufficientem esse non posse orationem proprie dictam, cum hacc supponat fidem. Igitur, gratia remote sufficiens in infidelibus erit auxilium ad servandam legem naturalem, vel etiam aliud, pro diversa sententia quam quisque teneat circa modum vocationis ad fidem.

5. Si infidelibus negativis conferatur gratia saltem remote sufficiens ad fidem amplectendam, dispareret mysterium praedestinationis; nam facile redditur ratio cur alii veniant ad fidem, alii vero non, nimirum, quia alii consentiunt gratiae remote sufficienti, alii vero non. Ergo nequit conferri infidelibus negativis gratia, ne remote quidem sufficiens, veniendi ad fidem.

Nego antec. Nam, etiam datis infidelibus huiusmodi gratiis, remanet mysterium praedestinationis; semper enim remanet nobis incognitum cur aliis Deus concedat gratias efficaces, aliis vero gratias mere sufficientes.

142. Scholion. *De distributione gratiarum inaequali.* Deus nonnullis legibus se libere voluit ligare in gratiis distribuendis, dum promisit omnibus se daturum gratias saltem remote sufficientes ad salutem, se infallibiliter preces exauditurum sub certis condicionibus et cetera. Quae tamen nullatenus evertunt gratuitatem gratiae.

Sed etiam libere statutis liis legibus, quas Deus fideliter observat, remanet Ipsi magna libertas in gratiarum distributione, quam diversimode exercet in V. et in N.T., in adultis et in parvulis, in fidelibus et in infidelibus, in Christianis vulgaribus et in viris electis. Ipse enim dividit singulis hominibus, prout vult, tum gratias charismaticas, tum gratias gratum facientes, et quidem tam externas quam internas.

Ceterum, hoc factum dilucide testantur *sacrae Litterae* (Mt 11,20; 13,11; 20,1; 25,14; Lc 19,12; Rom 12,3; 1 Cor 12,11; Eph 4,7), *sancti Patres* (v.gr. Augustinus, Prosper, Fulgentius), *Concilium Tridentinum* cum dicit iustitiam dari "secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem" (D 799).

Igitur, causa huius inaequalis distributionis, prima et principalis est divina voluntas; sed accedit etiam dispositio et cooperatio singulorum hominum.

CAPUT II

De gratia iustificationis

P.Lombardus, *Sent. 2,26;* S.Tu., 1.2 q.112-113; S.Bonaventura. *In 2 Seni.* d.26 q.1-6; Scorus, *In 2 Sent.* d.26-27; Aecidius Romanus, *In libros Sententiarum* 2,26; SuArez, *De gratia* 1,6-9; 1,11; Bellarminus, *Dc iustificatione impii libri quinque;* Salmanticenses, *Cursus theologicus tr.lS* d.1-4; Berti, *De theologicis disciplinis* 1,19 c.1-5 ct 9; H.Lance, *Dc gratia* 311-487; LennErz, *Dc gratia Redemptoris* p.74-133; J.Rivière, *Justification:* DTC 8,2042-2227; J.v.d.MeErsch, *Grâce sanctifiante:* DTC 6,1604-1636; E.Tobac, *Grâce:* DAFC 2,224s.

143. Diximus de proprietatibus communibus cuilibet gratiae. Nunc ergo loquamur iam de singulis gratiae speciebus,

id est, *de gratia habituali* et *de gratia actuali.* Ac primum quidem de gratia habituali.

Sub lata acceptione gratiae habitualis venit omne donum supernaturale, quod animae inhaeret per modum habitus sive qualitatis permanentis. Huiusmodi sunt gratia sanctificams, virtutes infusae, dona Spiritus Sancti. Sensu autem strictiori, gratia habitualis confunditur cum gratia, quam theologi recentiores nominaverunt *sanctificantem.* Haec vero gratia sanctificans media aetate dicebatur *gratia gratum faciens,* vel etiam *gratia* simpliciter; in decretis autem tridentinis comprehenditur sub nomine *gratiae iustificationis* (D 813 827 840).

Iam vero, ut doctrinam de hac iustificationis gratia perfecte evolvamus, primum loquemur *de origine iustificationis,* seu de praeparatione adultorum ad iustitiam recipiendam; deinde, *de natura iustificationis,* tum in seipsa, tum in suis effectibus ; tandem, *de proprietatibus iustificationis,* hoc est, de eius augmento, amissione, incertitudine.

Quae quidem omnia accurate explicantur a decreto tridentino iustificationis. Paucis enim praemissis c.1-4, inde a c.5-6 agit de necessitate et modo praeparationis ad iustificationem in adultis, a c.7-9 de natura huius iustificationis, a c.10-15 de incremento iustificationis, perseverantia, amissione gratiae \

ARTICULUS I

De origine iustificationis

144. Iustificationis origo, alia est in parvulis, alia in adultis. Illi enim iustificantur ex opere operato, per sacramentum baptismi, sine ullo actu personali ; hi vero aliquid praestare debent. Nota enim sunt verba Augustini: "Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem" (R 1515). At quomodo?

1 Tanquam commentaria decreti de iustificatione commendantur prae ceteris: A.de Vega, *Tridcntini decreti dc iustificatione expositio et defensio libris XV distincta, totam doctrinam' iustificationis complectentibus* (1548) ; D.Soto, *De natura et gratia* (1.2-3) (1547); I'.CavallEra, S.I., *La session' VI du Concile de Trente sur la justification:* BullLitEvcl (1943) 229-238; (1944) 91-112.220-231; (1945) 54-64; (1946) 103-112; (1948) 21-31.231-240; (1949) 65-76.146-168; (1952) 99-108; M.Barraza, *Valor magistral del Decreto dc la Justificaciôn* (Bogotâ 1959). Amplam bibliographiam praebet J.OlazarXn, S.I.: EstEcl 20 (1946) 297s; praesertim 312s. Adeas etiam S.Gonzalez, S.I.: EstEcl 21 (1947) 147s. In specie cf. J.HefnEr, *Die Entstchurtgsgeschichte des Trienter Rccht-fcrtigungsdekretes* (Paderborn 1909); IT.RüeckerT, *Die Rcchtfertigungslchrc auf dent tridentinischcn Konsil* (Bonn 1925).

Novatores rem ita concipiebant[2][3]

1) Per peccatum originale seu inordinatam concupiscentiam homo adeo corruptus est, ut omnia eius opera, et ante et post iustificationem, sint peccata. Quare, loqui non possumus de ulla praeparatione ex parte nostra ad iustificationem ; ipsa enim fides fiducialis, nullo modo dicenda est dispositio sive causa meritoria iustificationis, cum sit *nudum vas* vel *sola manus,* qua Christi iustitiam apprehendimus.

2) Impius, absque ulla interna renovatione, apprehendit iustitiam Christi per *solam fidem,* exclusis quibuslibet aliis actibus aliarum virtutum.

3) Haec autem fides, non est fides dogmatica, quam ipsi irrident, sed *fides fiducialis:* illa scilicet fiducia qua homo firmiter confidit sibi non amplius imputari propria peccata ex misericordia Dei propter merita Christi. Itaque, haec fides fiducialis est actus voluntatis, qui tamen praeviam supponit quandam notitiam et assensum intellectualem 8.

His omnibus erroribus, explicite dammatis in Tridentino (D 814-17 819 821-4), opponimus doctrinam catholicam dc praeparatione ad iustificationem, qua complectitur, et *factum* necessitatis alicuius praeparationis, et *modum illius.* Factum ergo probamus in thesi 16; modum vero in thesibus 17 et 18.

Thesis 16. Adulti se praeparare debent ad accipiendam iustificationem.

S.Th., 1.2 q.112 a.2; q.113 a.3; LéRCHér-Lakner, 55-60; Lancé, 322-341; R.Grosciié, *Sola gratia:* Cath 11 (1957) 64-68.

145. Notiones. Adultus, scilicet, homo gaudens usu rationis, et adiutus gratia actuali intrinsece supernatural!, ita ut actus praeparatorii iustificationis evadant vere salutares.

Praeparare. Tridentinum, s.6 c.5-7, indifferenter adhibet voces *cooperationis* gratiae divinae, *dispositionis* et *praeparationis* (D 797 799 814 819). Dicimus ergo: *negative,* peccatori non esse manendum tantum passive ad iustificationem

2 Quando et quomodo devenerit Lutlierus ad hanc sententiam, explicant: J.Lortz, *Dic Reformation in' Deutschland* (1939) 1,188; JI.Grïsar, *Luther* (1911-12) 1,304s; 3,978s. De controversiis praetridentinis, cf. J.M.DalmaU, S.I.; RevEspT 6 (1946) 127-147.

3 De conceptu fidei fiducialis cf. FJ.Schiérsé, *Fidusialglaubc:* LThK 4 (1960) 121-123. Protestantes vero hodierni sine dubio multo magis efferunt elementum intelectuale fidei, ut iam Melanchton: cf. A.Lémaitré, *Foi et vérité* (Genève 1954) 342s.347s. Insistunt vero vehementer in justificatione per solam fidem sine operibus: G.Harder, *Rechtfcrtigung:* EvL 3 (1959) 473; H.H.Schrky, *Gercchtigkeit:* EvL 1 (1956) 1501-1506; K.B.Cully, *Grace and Justification today:* Intcrp 11 (1957) 421-428; W.Lohff, *Rechtfcrtigung:* EvL 3 (1959) 482s; B.Steffen, *Hciligung:* EvL 2 (1958) 81. Imo iuxta K.Barth, omnes iustificantur et salvantur etiam *sine fide,* quae non est nisi signum credenti iustificationis obtentae: H.Bouillard, S.I., *Karl Barth 2* (Aubier 1957).

recipiendam; *positive,* ipsum quadam sua activitate, postea determinanda, aliquid conferre debere ad suam iustificationem. Interim nihil dicimus de natura huius praeparationis seu dispositionis.

Debent, id est, tenentur ex voluntate Dei, rem ita decernentis; quod quidem praeterea maxime congruit rationi.

Iustificatio, in sacris Litteris, diversimode accipitur[4].

a) *Metonymiçe,* pro ipsa lege praecipiente et docente iustitiam, vel pro declaratione externa iustitiae (Ps 118; Prov 17,15).

b) *Pro acquisitione iustitiae* (Lc 18,14; Rom 8,30).

c) *Pro incremento iustitiae* (Apoc 22,11).

In hoc capite iustificatio a nobis sumitur praesertim pro acquisitione iustitiae. Quae quidem spectari potest *active* (actio Dei infundentis iustitiam), vel *passive* (receptio illius iustitiae).

Sed iustificatio dupliciter contingere potest, prout ipsa infundatur creaturae innocenti vel peccatrici. In praesenti statu generis humani, iustificatio dicit translationem e statu peccati in statum iustitiae. Ideo definitur a Tridentino, s.6 c.4: "Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, lesum Christum Salvatorem nostrum" (D 796). In statu innocentiae aliter eveniret, sicut aliter accidit in prima iustificatione Adami.

Intimiorem naturam iustificationis investigabimus in articulis sequentibus.

146. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.6 c.5 (D 797) explicat exordium iustificationis in adultis per gratiam Dei praevenientem, et per liberum assensum et cooperationem creaturae, gratiae divinae: "Eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur". Et c.7 (D 799): "Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur"; iustitia vero accipitur "secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem". Cn.4 (D 814) definitur liberum hominis arbitrium "cooperari assentiendo... quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet". Cn.9 (D 819) definitur pariter "necesse esse [impium] suae voluntatis motu praeparari atque disponi".

4 Plura dabit de hac re M.J.Lagrange, O.P., *La justification d'après S.Paul:* RevBibl 11 (1914) 321-343.479-503; *Epitre aux Romains* (1931) 19s.121-141; F.Prat, S.I., *La théologie de saint Paul* t.2 1.5 c.1; J.M.BovEr, S.I., *Teologia dc San Pablo* 731-803; S.LyonnEt, S.I., *Notes sur l'exégèse de l'cpître aux Romains:* Bibl 38 (1957) 44-49.

147. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

148. Probatur ex sacra Scriptura. Scriptura tribuit aliquem influxum causalem bonis actibus peccatoris in ordine ad iustificationem recipiendam. Ergo ad iustificationem requiritur aliqua praeparatio, dispositio sive cooperatio ex parte hominis adulti.

Antec.: Hic causalis influxus tribuitur:

a) *fidei* in primis, ut constat ex praepositionibus ἐκ, *δια* et ex dativo instrumental!, quae omnia veram causalitatem exprimunt: Rom 3,27-30; *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis...* Rom 5,1 : *Justificati ergo ex fide... Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam 4*[5]

b) *poenitentiae:* Act 2,38: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... et accipietis donum Spiritus Sancti.* Mt 4,17 : *Coepit lesus praedicare, et dicere: Poenitentiam agite...* Mt 3,2: *Venit Joannes Baptista... dicens: Poenitentiam agite...* Ez 18,21 : *Si autem impius egerit poenitentiam... vita vivet.*

c) *amori:* Lc 7,47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

d) *eleemosynis et orationibus:* Act 10,4: *Orationes tuae, et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei...*

149. Probatur ex traditione. Pluribus prolatis textibus, Rivière ita complectitur doctrinam Patrum : Integra antiqua Ecclesia, absque exceptione et progressu sensibili, uno ore docet ad iustificationem requiri, praeter gratiam divinam, cooperationem nostrae voluntatis, quae manifestari debet, tum fide, tum etiam operibus °.

150. Ratio theologica. S.Thomas (1.2 q.113 a.3) hanc profert congruentiam, ad suadendam necessitatem praeparationis ex parte hominis: "lustificatio impii fit Deo movente hominem ad iustitiam... Deus autem movet omnia secundum modum uniuscuiusque... Unde et hominem ad iustitiam movet secundum condicionem naturae humanae. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et

4* Cf. F.Amiot, *Les idées maîtresses de Saint Paul* (Paris 1959) 62-67; Tiï.G.dE Orbiso, O.F.M.Cap., *Dc fide in epistola ad Romanos:* Div 2 (1958) 576-596.

6 J.Riviè»e, *Justification:* DTC 8,2102. Cf. R, *Index theol.* n.362s.

ideo in co qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiae iustificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum, in his qui sunt huius motionis capaces".

Thesis 17. Haec autem praeparatio fit in primis per fidem non fiducialem, sed dogmaticam.

S.Th., 1.2 q.113 a.4; Lerciier-Lakner, 61; Beraza, 644-657; Lange, 322-341.

151. Notiones. Fidem triplicem numerant novatores:

a) *Fidem miraculorum,* seu per quam impetrantur miracula, dc qua valent verba Pauli 1 Cor 13,2.

b) *Fidem historicam,* seu notitiam historiae evangelicae.

c) *Fidem promissionum,* qua credimus promissiones a Deo factas circa remissionem peccatorum. Sed distinguunt fidem promissionum *generalem* et *specialem.* Generalis illa est qua credimus promissam esse salutem omnibus fidelibus; specialis vero illa qua singuli confidunt sibi peccata non imputari. Haec igitur fides specialis re confunditur cum fide fiduciali.

Fides dogmatica, quam nos opponimus fidei lutheranae, intelligitur, ex Vaticano, assensus quo a Deo "revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis" (D 1789; cf. 1811).

152. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* c.9 et cns.9-14 (D 802 819-24) docuit et definivit fidem fiducialem non iustificare, nec ad iustificationem requiri.

Contra, ipsum *Tridentinum* praedicat necessariam ad iustificationem fidem dogmaticam. Nam s.6 c.6 (D 798), legi mus: "Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt". Haec vero fides exhibetur in c.8 (D 801) tanquam "humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire". Ideo c.7 (D 799) dicitur sine illa nulli unquam contigisse iustificationem h

153. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

1 L.Krusse, *Dic instrumentale Hcilskraft des Glaubens nach dem Koneil von Trient:* ThQschr 135 (1955) 410-439.

154. **Probatur ex sacra Scriptura.** Scriptura praedicat necessitatem fidei ad iustificationem, et declarat hanc fidem esse assensum intellectualem, praestitum veritatibus a Deo revelatis. Ergo in adultis ad iustificationem requiritur fides dogmatica.

Antec.: Hebr 11, v.1 describitur fides tanquam mentis assensus; v.6 exhibetur obiectum huius fidei, scilicet, *quia est et quia remunerator sit.* Ergo agitur de fide dogmatica. Iam vero, haec fides in eodem v.6 dicitur adeo necessaria ut sine ipsa impossibile sit placere Deo

Cf. praeterea Mc 16,15-16; Io 20,31 ; Act 8,37, etc.

Observa: 1) S.Paulus ad Rom et Gal saepe loquitur de fide justificante; sed haec est fides evangelica sive obiectiva (Rom 1,16), nunquam fides fiducialis2.

2) Scriptura nunquam commendat fidem fiducialem tanquam dispositionem ad iustificationem, sed potius deterret a vana fiducia (Phil 2,12; 2 Petr 1,10).

155. **Probatur ex traditione.** 1) *Patres, una voce,* proclamant necessitatem fidei dogmaticae ad iustificationem. Ita S.Fulgentius: "Fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere, quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est" (R 2260). Et in capitibus sequentibus explicat singulos articulos fidei (R 2261s). Vacat autem plura proferre, cum ipsi protestantes veritatem nostrae assertionis et agnoscant et fateantur 2*

2) *Ecclesia,* iam a remotissimis temporibus, exigebat a catechumenis ante baptismum professionem fidei, qualem exhibent symbola antiqua. Hac ratione, ut facile instituerentur catechumeni, orta sunt *Catecheses* 4-18 S.Cyrilli Hieros., *Enchiridion* S.Augustini, *De cognitione baptismi* S.Ildephonsi Toletani, etc. Ergo haec praxis Ecclesiae arguit ipsam habuisse tanquam necessariam fidem dogmaticam ad iustificationem recipiendam.

156. **Theologi,** agnoscentes necessitatem fidei dogmaticae, investigarunt num fides etiam explicita requiratur, et quousque; num haec sit necessaria necessitate praecepti an etiam medii, etc. De his vero in tractatu *De fide.*

'* Cf. Bover, *Teologta de San Pablo* 841-851.

3 M.Didier, *Justification par la foi dans l'épître aux Galatcst* RevDiocN 11 (1957) 463-476.

«· Cf. O.Kirn, *Glaubc:* REPT *6,676.*

157. Ratio theologica. Ita arguit S.Thomas (1.2 q.113 a.4): "Motus liberi arbitrii requiritur ad iustificationem impii, secundum quod mens hominis movetur a Deo. Deus autem movet animam hominis convertendo eam ad Seipsum... Et ideo ad iustificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem... Et ideo motus fidei requiritur ad iustificationem impii".

158. Obiectiones. 1. Ex Mt 9,22: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* Et cx Lc 17,19: *Fides tua te salvum fecit.* Ubi fides, quae a Christo Domino exigebatur, erat fides fiducialis, sive fiducia in Ipsum.

Transeat quod, locis obiectis, ad quod Christus exigebat ab aegrotis esset fiducia in Ipsum. Sed exinde nihil sequitur contra thesim, cum ibi sermo non fiat de remissione peccatorum, sed de curatione fluxus sanguinis et leprae, id est, de valetudine corporali.

2. Ex Mt 9,2, ubi Christus dixit paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Unde constat Christum tribuere fiduciae remissionem peccatorum. Ergo fides, quae ad iustificationem requiritur, non est fides dogmatica, sed fides fiducialis.

Nego antec. Christus enim animum paralytici disponit ad iustificationem, cum exhortans ad detestationem peccatorum et ad spem veniae, ut innuitur a Tridentino (D 798); sed nullatenus sequitur exinde quod requiratur ad iustificationem illa fiducia, qua quis credit sibi peccata non imputari

Thesis 18. Sed, praeter fidem dogmaticam, etiam requiruntur alii actus aliarum virtutum.

S.Th., 1.2 q.113 a.5; LercherEr-Lakner, 62; Beraza, 658-669; I«angE, 322-341.

159. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.6 cn.9 (D 819) definivit: "S.q.d. sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur... a.s.". Igitur, praeter fidem, requiruntur etiam actus aliarum virtutum. Quinam? Ipsum Tridentinum, c.6 (D 798), post fidem, numerat, tanquam dispositiones ad iustificationem, actus *timoris, spei, dilectionis, poenitentiae, voti baptismi, propositi novae vitae.* Mons autem Tridentini, dum ita describeret processum conversionis, fuit numerare illos actus qui communiter adesse solent. Sed Tridentinum non intendebat .docere *a)* omnes hos actus esse necessarios *in omni* iustificatione; *b)* aut esse necessarios *hoc ordine; c)* aut *eandem* esse omnium *necessitatem; d)* nec negat, praeter hos actus, posse dari *alios,* v.c. orationis, miseri-

• Cf. Maldonado, *In Mt* c.9 v.2.

cordiae, etc.[*] Ceterum compara hanc doctrinam Concilii cum S.Th. 3 q.85 a.5.

160. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

161. Probatur ex sacra Scriptura. Duplici ratione id testatur sacra Scriptura:

a) *Negative,* quatenus negat solam fidem sufficere. Audiatur lacobus, 2,14-26: *Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?... Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa... Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum?... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua estl*[*] Audiatur etiam Paulus, Gal 5,6: *Nam in Christo lesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides, quae per caritatem operatur.*

b) *Positive,* quatenus exigit, praeter fidem, alios etiam actus tanquam dispositionem ad iustificationem. Exigit enim *poenitentiam:* Mt 4,17: *Coepit lesus praedicare, et dicere: Poenitentiam agite...* Mt 3,2: *Venit loannes Baptista... dicens: Poenitentiam agite...* Act 2,38: *Poenitentiam agite* (Petrus), *et baptizetur unusquisque vestrum... et accipietis donum Spiritus Sancti.* Ez 18,21 : *Si autem impius egerit poenitentiam... vita vivet...* Exigit *timorem:* Eccli 1,27: *Timor Domini expellit peccatum.* Exigit *spem:* Mt 9,2: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Obiciiîs 1) : S.Paulus tribuit aliquando iustificationem fidei, tacito quolibet alio actu. Ita Rom 5,1 : *lustificati ergo ex fide...* Et Eph 2,8: *Gratia enim estis salvati per fidem...* Ergo exinde concluditur solam fidem iustificare.

Huic difficultati duplex datur solutio[2]:

a) *Exegetae antiquiores,* ut Bellarminus, respondent Paulum nunquam numerasse simul omnes causas iustificationis, sed modo unam, modo aliam. Hanc solutionem eligit Harent.

b) *Recentiores exegetae,* ut Lagrange, Prat, respondent Paulum intelligere fidem vivam, id est, eam animi dispositionem quae includat omnia illa quae requiruntur a Tridentino, hoc est, alios actus aliarum virtutum[3].

1 Cf. A.Landcraf, *Dogmcngcschichtc der Frûhscholastik* 1,2,7-40; S.Gonzalez, *El proceso de la convcrsiôn a la lus del concilio de Trento:* RevEspir 5 (1946) 56-73.

*· Cf. Th.G.de Orbiso, O.F.M.Cap., *"Fidcs sine operibus mortua* (lac 2,14-26): VerDom 20 (1940) 265-277.

2 Solutionem iam innuebat Augustinus, *Dc fide et operibus* 13,20; 14,21: ML 40,210s. Cf. Bover. *Teologia dc San Pablo* 795-802.

8 Harent: DTC 6,70s; Lagrange, *Épître aux Romains* (Paris 1931) 99s;

Obicies 2): Datur oppositio inter doctrinam Pauli et Iacobi. Etenim Paulus asserit iustificare fidem sine operibus (Rom 3,28; 4,2; Eph 2,9); Iacobus autem docet fidem sine operibus mortuam esse (Iac 2,14).

Respondeo Paulum loqui de operibus legis, prout a iudaeis intelligebantur. Docet ergo bona opera, solis naturae viribus facta praesertim sola externa observantia legis sine cordis mutatione, non iustificare. Quod quidem verum est, nec negat Iacobus. Hic autem semper exigit ad iustificationem ut, praeter fidem, accedant etiam opera bona, ex gratia facta; quod etiam ipse divus Paulus explicite agnoscit (1 Cor 13,1; Gal 5,6) \

162. **Probatur ex traditione.** Sententia communis *Patrum* est, praeter fidem, etiam requiri opera sive actus aliarum virtutum. Quod ipsi testantur, vel asserentes praeter fidem requiri opera bona seu vitam rectam et iustam, vel in specie numerantes actus paenitcntiae, spei, timoris, caritatis et cetera. Confer S.Clementem Rom.: "Cuius gratia Abraham pater noster benedictus fuit? Nonne, quia iustitiam et veritatem per fidem operatus est?" (R 15). Clemens vero Alex. scribit: "Prima quidem ad salutem esse inclinatio nobis fides apparet, post quam timor et spes ex paenitentia, cum continentia et tolerantia proficientes nos ducunt ad amorem et ad cognitionem"... "Quando audierimus, *Fides tua te salvam fecit,* non accipimus eum [Christum] dicere simpliciter eos salvos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi opera quoque fuerint secuta"... (R 419 428). Origenes: "Etsi dicatur fides, sine operibus autem exsistat, mortua est talis fides"... (R 481). S.Gregorius Nyssenus: "Nec enim fides absque operibus iustitiae est sufficiens ad salvandum; nec rursus vitae iustitia per se ad salutem secura est, disiuncta fide" (R 1024). Chrysostomus: "Num ergo sufficit, inquies, credere in Filium ut vita aeterna habeatur? Nequaquam... Nam et si quis recte credat..., si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem" (R 1163). S.Augustinus: "Rarissime quippe accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus"... "Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse" (R 1590 1679).

PraT, *La théologie de Saint Paul* t.2 1.5. Cf. P.Denis, O.P., *La Révélation dc la grâce dans S.Paul et dans S.Jean* (Liège 1948).

4 Cf. E.Tobac, *Le problème de la justification dares S.Paul et dans SJacques:* RevHistEccl 22 (1926) 797-805: J.I.Vicentini, S.I., *De necessitate operunt in priori parte Epistolae ad Rom.:* VerDom 36 (1958) 270-283; Λμιοτ. *o.c.,* 111-116; Th.G.DE Orbiso, *De fide in epistola... l.c,,* 586-596.

163. Ratio theologica. Necessitatem aliorum actuum ad iustificationem ita probat S.Thomas (1.2 q.113 a.5): "Iustificatio impii est quidam motus, quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum iustitiae. Oportet igitur quod humana mens se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arbitrii... Unde oportet quod mens humana dum justificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato, et accedat ad iustitiam. Recessus autem et accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem et desiderium... Oportet igitur quod in iustificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus quo per desiderium tendat in Dei iustitiam, et alius quo detestetur peccatum".

164. Scholion. *De natura huius praeparationis ad iustificationem.* Huiusmodi actus fidei aliarumque virtutum, quibus, ex probatis, homo adultus necessario praeparari debet, ut iustificatio ipsi conferatur, induunt sequentes proprietates:

1) *Sunt vera dispositio positiva.* Scilicet, non sunt tantum dispositio negativa seu carentia dispositionis contrariae; nec sunt tamen condicio sine qua non, seu aliquid quod requiratur insupplebiliter ad iustificationem, quin tamen per se influat in illam; sed sunt vera dispositio positiva, quae reddit hominem idoneum ad recipiendam iustificationem, ita ut inter adultum justificandum et iustificationem inducendam exsurgat quaedam proportio, analoga proportioni causae materialis respectu formae (cf. n.98). Haec autem constant ex influxu causali quem Scriptura tribuit fidei aliisque actibus peccatoris in ordine ad iustificationem (cf. th.16).

2) *Sunt vera dispositio moralis.* Nimirum, hic causalis influxus est ordinis moralis; his enim actibus moralibus efficitur quaedam moralis idoneitas ad suscipiendam formam iustificationis. Nec desunt theologi, v.c. Billuart, qui hanc dispositionem habeant tanquam dispositionem physicam [5].

3) *Sunt dispositio impetratoria et meritoria de congruo.* Itaque, fides aliique actus habent vim impetrandi iustificationem; insuper, quia sunt opera facta in obsequium Dei, Eius bonitatem quodammodo movent ut retribuat iustificationem. Sed denegandum est meritum de condigno, "quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur" (D 801); aliter enim everteretur gratuitas iustificationis [°].

8 Cf. Lance, 342; SuXrez, *Dc gratia* 8,4,15; Billuart, *Dc gratia* d.6 a.3. Iuxta Garrigou-Lacrance, *De gratia* p.248, thomistae tenent satis communiter huiusmodi actus esso dispositionem physicam ad gratiam.

• Cf. R.Cii.Dhont, O.F.M., *Le problème de ia préparation à la grâce. Débuts de l'école franciscaine* (Paris 1946).

4) *Sunt dispositio magis vel minus remota.* Scilicet, illi actus qui, et necessarii sunt, et iustificationi quam maxime propinqui evadunt, merito dicuntur dispositiones minus remotae. Tales sunt fides, spes, amor, paenitentia. Reliqui vero actus salutares, v.gr. eleemosynae, oratio, etc., appellantur dispositiones remotiores. Sensu autem stricto, et iuxta communiorem modum loquendi, *dispositio proxima* est illa quam statim consequitur infusio gratiae (contritio perfecta, vel etiam contritio imperfecta simul cum sacramento); cetera omnia evadunt *dispositiones remotae.*

165. Obiectiones. 1. Ex Rom 3,28: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus.* Et ex Eph 2,8s: *Gratia enim estis salvati per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ergo in acquirenda iustificatione Apostolus excludit cetera opera, praeter fidem.

Dist. cons. Apostolus excludit opera legis mosaicae, *conc. cons.;* excludit alia opera, *subdist.:* opera facta sine gratia ante fidem, *conc.;* opera facta ex fide cum gratia, *nego.* Hanc difficultatem iam praeoccupavimus n.161.

2. Ex Lc 8,50, ubi Christus dicit ad lairum: *Crede tantum, et salva erit.* Ergo Christus, ad salutem, solam fidem exigit.

Nego suppositum. Ibi enim, non de iustificatione, sed de excitatione puellae agitur; fides autem, ad quam Christus hortatur, non est fides justificans, sed fiducia in Eius virtutem.

3. S.Paulus in epistola ad Rom 3,24 asserit iustificari nos gratis. Atqui, si opera bona disponerent ad iustificationem, verba Apostoli evaderent falsa. Ergo, praeter fidem, nihil aliud requiritur tanquam dispositio ad iustificationem.

Dist. mai. Iustificari gratis, id est, sine influxu causali actuum naturalium, *conc. mai.;* id est, sine influxu causali actuum supernaturalium, *subdist.:* sine influxu efficienti physico, aut morali meritorio de condigno, *conc. mai.;* sine influxu morali meritorio de congruo et impetratorio, *nego mai. Contradist. min.* Verba Apostoli evaderent falsa, si disponerent ad iustificationem opera bona naturalia, *conc. min.; opera* bona supernaturalia, *subdist.:* si illa disponerent ad iustificationem influxu physico efficienti, aut morali meritorio de condigno, *conc. min.;* si tantum influxu morali meritorio de congruo aut impetratorio, *nego min.* Confer explicationem huius locutionis paulinae, datam a *Conc. Tridenlino* s.6 c.8 (D 801).

4. S.Hilarius aperte testatur: “Fides enim sola iustificat”[7]. Et Chrysostomus: “Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola?”[8]. Origenes vero: “Et [Paulus] dicit sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodo, iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expictum”[9]. Ergo ex doctrina horum Patrum, praeter fidem, nulla alia opera requiruntur ad iustificationem.

Resp. negando consequens, et explicando singulos Patrum textus:

Iuxta S.Hilarium, ut patet ex contextu, illa sola fides quae iusti-

[7] S.Hilarius, *In Mt* 8: ML 9,961.
[8] Chrysostomus, *In epist. ad Tit.* horn.3 n.2: MG 62,670.
[9] Origenes, *In epist, ad Rom.* 3,9: MG 14,952.

ficat, opponitur legi mosaicae, non vero aliis dispositionibus, quae cx fide oriantur.

Chrysostomus vero tantum excludit caeremonias Veteris Legis. Continuo enim subdit: "Cur te legis servum reddis teque illi sublets?"

Origencs unice excludit opera externa tenens hominem interdum iustificari posse, etiamsi non apponat ullum opus externum. Hoc autem probat, prolatis exemplis mulieris peccatricis et boni latronis, qui non leguntur effecisse ante iustificationem ulla opera externa ieiunii vel eleemosynarum. Ceterum, ipse Origenes, in c.4 eiusdem commentarii ad Rom., praeter fidem, explicite exigit alios actus internos.

ARTICULUS II

De natura justificationis in seipsa

166. Doctrina Tridentina de natura iustificationis, s.6 c.7 (D 799s), tria maxime complectitur:

a) Elementa essentialia iustificationis: non sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis.

b) Modum concretum quo haec habentur in anima: per voluntariam susceptionem gratiae et donorum.

c) Effectus formales inde consequentes: homo ex iniusto fit iustus...

Haec ergo totidem articulis investigabimus, quibus alium addemus de proprietatibus iustificationis.

Thesis 19. Iustificatio peccatoris, non solum importat veram remissionem peccatorum, sed etiam internam animae renovationem.

S.Th., 1.2 q.113 a.1s.6; q.109 a.7; Lercher Lakner, 65-71; Beraza, 678-702; Fanc B, 347-358.

167. Notiones. Iustificatio peccatoris, sive adulti, sive infantis, intelligitur transitus a statu peccati in statum gratiae (D 796). Importat ergo duplicem terminum contrarium: *terminum a quo,* sive statum peccati, et *terminum ad quem,* sive statum iustitiae. Igitur excludimus iustificationem angelorum et protoparentum; illi enim minime transiere e statu peccati, quod non habebant, ad statum gratiae, sed eorum justificatio fuit transitus e carentia gratiae ad possessionem gratiae. Ergo illorum iustificatio constabat duplici termino, non contrario, sed contradictorio.

Peccata intellige habitualia: id est maculam relictam a peccatis actualibus, sive Adami, sive personalibus unius-

cuiusque. Unde peccata habitualia gravia, tam originale, quam personalia. Non attendimus ad peccata venialia, quia haec non constituunt hominem peccatorem sive impium; etsi de facto haec etiam remittantur semper in iustificatione baptismali, ac si debitae adsint condiciones etiam per sacramentum paenitentiae.

Vere remittuntur, hoc est, ita delentur ut iam amplius non exsistant. Macula, quae remanserat, iam amplius non est.

Interna renovatio. Praeter *elementum negativum,* hoc est, praeter remissionem peccatorum, quod quidem iam includit quandam renovationem, iustificatio continet etiam *elementum positivum,* id est, internam animae renovationem, seu novum et meliorem statum internum.

Itaque, affirmamus iustificationem, in praesenti providentia, importare haec duo: *Et veram peccatorum remissionem et internam animae renovationem.* De nexu autem causali, qui inter utrumque intercedit, pauca reperies in *scholio 3.*

168. Adversarii. 1) *Veteres protestantes* iustificationem pure extrinsecam concipiebant, quatenus fieret per non imputationem peccati et per imputationem iustitiae Christi. Interne autem homo manet peccator. Ideo, peccata *teguntur* ita ut quasi non videantur a Deo; *raduntur,* ita ut quasi non appareant; *non imputantur,* eaque Deus dissimulat, etsi revera permaneant in anima. Scilicet, Novatores nituntur falso supposito, quod natura humana fuerit essentialiter corrupta per peccatum originale, et quod huiusmodi peccatum consistat formaliter in concupiscentia[1].

2) Baius reposuit iustificationem in obedientia manda-

[1] Apud hodiernos protestantes, etsi difficile determinetur exacte quid eorum singuli teneant in hac re, notio iustificationis forinsecae per extrinsecam imputationem iustitiae Christi manet, ita ut post eam homo sit simul' peccator et iustus, v.g. de Bultmamn; cf. R.Marué, S.I., *Bultmann et ^interprétation du Nouveau Testament* (Aubier 1956) 130-139. Sed aliunde magis magisque efferunt momentum bonorum operum ut iustificationis fructum, qui constituit sanctificationem seu progressum hominis ad sanctitatem seu perfectionem: sic Lemaître, *o.c.,* 396-400; P.Fatu, *Du catholicisnte romain au christianisme évangélique* (Paris 1957) 172; *Luthériens et Eglise de l'Inde du Sud:* 1st 4 (1957) 207-209. Unde iustificatio non est vera nisi ea opera ferat: sic E.Thurneysen, *La foi et les oeuvres. Commentaire de l'Épître de Jacques* (Neuchâtel 1959) 90; C.Haufe, *Die sittlische Rechtfertigungslehre des Paulus* (Niemeyer 1957) 128ss; B.Steffen, *Hciligung:* EvL 2 (1958) 80-83. In quo sunt qui appellent ipsum Luthcrum dicentes cum non reiecisse ea opera bona: sic R.Stauffer, *La théologie de Luther d'après les recherches récentes:* RcvThPh 7 (1957) 22-25. Imo dicunt hominem iustificatione vere "renovari": sic R.Meiil, *Du catholicisme romain, approches et interprétations* (Paris 1957) 75; W.Lohpf, *Rcchtfcrtigung:* EvI, 3 (1959) 482s; EEmaitre, *o. c.,* 404. Sed ea renovatio non videtur esse tandem nisi moralem per superationem pcccabilitatis et bona opera, non per ontologicam transformationem hominis et infusionem alicuius doni creati: W.PannEnbErc, *Gnade:* EvL 1 (1956) 1610. Cf. H.Voiac, *Imputationsgerechtigkeit:* I/1'hK 5 (1960) 641s. Imo ipsa bona opera non videntur habere ullum valorem vitae aeternae: sic Mxiil, *Lc.,;* cf. L.BovyER, *Du protestantisme à l'Église* (Paris 55) 148s.

torum, absque remissione peccatorum et absque infusione gratiae interne renovantis (D 1042-4 1031-3).

3) Rosmini (1797-1855) contendit retinendum esse modum dicendi "quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat" (D 1925)[1].

169. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.5 cn.5 (D 792), definit per baptismum vere remitti peccatum originale. Haec autem assertio extendi debet, tum ad peccata personalia, tum ad justificationem per paenitentiam, eo quod ratio remissionis eadem sit, nempe, praesentia gratiae habitualis (cf. D 807 839s 895 897s). Ideo, s.6 c.7 (D 799), sermo fit de remissione peccatorum in adultis, et de interna eorum renovatione: "Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis"... Et quidem "unica formalis causa [iustificationis] est iustitia Dei, non qua Ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab Eo donati renovamur spiritu mentis nostrae... Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam". Quod iterum declaratur c.16 (D 809): "Quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum". Paulo infra, cn.10s (D 820s), definitur homines non esse formaliter iustos per ipsam iustitiam Christi, nec iustificari sola imputatione iustitiae Christi, nec sola remissione peccatorum, exclusa gratia inhaerente. Iustificamur ergo et remissione peccatorum et iustitia inhaerente [2].

170. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

[1] Plura de mente Rosmini, apud A.Michel: DTC 13,2917-52.

[2] Doctrina iustificationis K.Barth convenire substantialiter cum tridentina dicitur a H.KÜNG, *Rechtfertigung. Die Lehre Karl Barths und eine katholische Besinnung* (Einsiedeln 1957), cuius indagationi ipse Barth ut rectae annuit. Quamdam convenientiam fundamentalem admittunt alii ut J.Alfaro, S.I., *Justificación barthiana y Justification Católica:* Greg 39 (1958) 765. Alii vero eam non admittunt, ut H.Bouillard, S.I., *Karl Barth 2* (Aubier 1957) 101-111; P.Smulders, S.I., *Karl Barth versoend met Trente?:* Bijdr 19 (1958) 77-87; J.L.WITTE, S.I., *Ist Barths Rechtfertigungslehre grundsätzlich katholisch?:* AMünchThZ 10 (1959) 38-48; J.M.Alonso, C.M.F., *¿Karl Barth, un "criptocatólico"...?:* RevEspT 17 (1957) 357-382, vel saltem eam in dubium revocant (D.P.B., Iren 30 [1957] 337-340, D. T.Strotmann, *ibid.,* 408s). Cum Barth utatur formulis catholicis et probaverit earum interpretationem a Kueng intentam, iure forte diceretur ipse esse sat minus rigidus quam protestantismus classicus in doctrina iustificationis, ut ait A.Perego, S.I., *A colloquio con Karl Barth:* CivCatt (1958, 4) 182-187. Quod sane consonat iis quae diximus de mente protestantium hodiernorum quoad bona opera ob renovationem iusti et potest assumi in optimum signum quod protestantes in dies recedunt a doctrina lutherana iustificationis ac eo ipso ad catholicam accedunt. Imo iuxta Barth, omnes homines justificantur et salvantur etiam *sine fide,* quae non est nisi signum credenti iustificationis obtentae: Bouillard, *l.c.,* 73-77; L.BOUYER, *Karl Barth vu par le Père Bouillard:* RevScRel 32 (1958) 255-264. Iuxta Tillich, ipse peccator etiam incredulus manet semper in Christo: cf. I.P.Gabus, *Un grand théologien: Paul Tillich:* FoiV 59 (1960) 437-439.

a) ELEMENTUM NEGATIVUM

171. Probatur ex sacra Scriptura. Haec asserit in iustificatione vere remitti peccata, nec tantum tegi, radi aut non imputari. Ergo iustificatio importat veram remissionem peccatorum.

Antec.: Adeo effertur haec veritas, ut merito scripserit Bellarminus quod nemo "possit aliquod [verbum] reperire, quod ipsa Scriptura divina ante non occupaverit" 2.* Colligamus formulas praestantiores:

a) Peccata *auferuntur, removentur* ab homine (Io 1,29: 2 Reg 12,13).

b) *Emundantur, lavantur, dealbantur* homines a peccatis (Ps 50,4.9; 1 Cor 6,11).

c) *Delentur* peccata, ad eum modum quo deletur scriptura facta in tabula cerata (Is 43,25; Act 3,19).

d) *Elongantur* a peccatore, *sepeliuntur* in mare (Ps 102, 12; Midi 7,19).

e) Sunt ad modum vulneris quod *sanatur* (Is 30,26; cf. Mt 9,12; Lc 10,30s).

f) Sunt veluti mors, quae *destruitur penitus* per vivificationem baptismi (Rom 6,2-11).

Dices: Sed ipsa sacra Scriptura testatur peccata tegi, non imputari. Ergo haec non vere delentur (cf. Ps 31,1s; 2 Cor 5,19).

Respondeo: Cum adeo perspicue fateantur sacrae Litterae peccata vere remitti, haec amice componi debent. Quod quidem fieri potest, si haec prae oculis habeantur: 1) Cum dicit Scriptura peccata tegi, minime asserit simul remanere peccata. Ergo hae locutiones, 2) vel sunt tropi explicandi ex locis prioribus, 3) vel modus loquendi imperfectus, vere enim tegitur seu non imputatur quod penitus aufertur, ita ut iam non exsistat, 4) vel sermo fit de actu peccati, non de habitu. Igitur peccata teguntur, nec imputantur, ideo quia vere delentur, non quasi tantum occultentur 3.

172. Probatur ex traditione. 1) Protestantes recentiores, coacti historicis argumentis, solent concedere totam traditionem adversari Luthero. Factum vero huiusmodi ita explicare conantur: "Profunda Pauli theologia iam in antiqua Ecclesia parum intellecta est. Graeci paene unice iustitiae operum ideisque mysticis et superstitiosis deificationis inhaere-

*· Bkllarminus, *Dc i-.istificatione 2,7.*

3 Cf. et A.PerECO, S.I., *I peccati sono rimes: e non copcrti anche Secondo il salmo SO:* DivThom (Pi) 37 (1961) 205-215.

bant. Apud latinos multum nocuerunt Tertullianus, iuris peritus, et Cyprianus. Plus sensus pauliori habuerunt Ambrosius et maxime Augustinus, sed impedire non potuerunt, quominus tota Ecclesia medii aevi in plenum rueret pelagianismum, donec Lutherus purum Pauli evangelium iterum detexit vel potius in se expertus est"[3].

2) En quomodo loquantur nonnulli Patres, quasi a longe prospicerent errorem protestanticum. S. Iustinus: "Beatus cui non imputavit Dominus peccatum. Hoc est, si peccatorum eum paeniteat, peccatorum a Deo accipit remissionem, sed non, sicut vosmetipsos decipitis et alii quidam in hoc vobis similes, qui dicunt, etsi peccatores sint, modo Deum noverint, non imputare illis Dominum peccatum" (R 146). S. Ambrosius testatur quod Deus, "auferens peccata... penitus ea tollit, ita ut non sint, quorum memor non erit" (R 1256). S. Augustinus: "Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum unde crescant iterum resecanda peccata" (R 1886)[4]. S. Gregorius M.: "Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari Rubro aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas quam umbra veritatis" (R 2298).

173. Ratio theologica. 1) Si vere non remitterentur peccata, mors Christi esset minoris efficaciae quam peccatum Adae. Nam cum hoc intrinsece nos constituat peccatores, illa, peccata intrinsece non deleret, sed tantum dissimularet. Nunc vero haec adversantur verbis Apostoli ad Rom 5,15s. Ergo fatendum est in iustificatione peccata vere remitti.

2) Ex S.Thoma 1.2 q.113 a.1. Iustificatio est motus ad iustitiam. Atqui haec iustitia importat talem rectitudinem erga Deum, quae excludat peccata mortalia. Ergo justificatio peccatoris involvit remissionem peccatorum.

b) ELEMENTUM positivum

174. Probatur ex sacra Scriptura. Iustificatio baptismalis describitur tanquam *regeneratio* et *renovatio* (Tit 3,

[3] Lange, 355 nota, qui illa deprompsit ex Iihmels, apud REPTh ad vocem *Rechtfertigung* 16,482s.
[4] De doctrina justificationis augustinianae cf. J. Cadier, *Saint Augustin et la Réforme:* RevEtAug 4 (1958) 357-371; G. Bavaud, *Ua doctrine de la justification d'après saint Auigustin:* ibid., 5 (1959) 21-32.

4-7) [4]; per baptismum *deponitur vetus homo* seu status peccati, et, peracta renovatione, *induitur novus homo* seu status innocentiae (Eph 4,17-24); hic autem novus homo, qui induitur, est Christus (Gal 3,27), ita ut baptizatus convivificetur Christi vita (Eph 2,5), et sit Dei *factura* (Eph 2,10) atque *nova creatura* (2 Cor 5,17). Quae omnia et alia similia, maxime simul sumpta, nequeunt intelligi mere metaphorice, sed realiter seu de aliqua vera mutatione interna hominis [5].

175. Probatur ex traditione. Patres agnoscunt per iustificationem praeter remissionem peccatorum, fieri etiam intimam hominis renovationem, ita ut ipsi novatores, v.gr. Calvinus et Chemnitius, fateantur se, hac in re, a Patribus recedere [6]. Ita *Epist. Barnabae:* "Ubi igitur nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit" (R 32). S.Cyprianus: "In novum me hominem nativitas secunda reparavit" (R 548). Chrysostomus reddit rationem cur baptismus lavacrum regenerationis vocetur: "Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat et format" [e]. S.Augustinus: "Iustitia Dei manifestata est. Non dixit iustitia hominis... sed iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium" (R 1730). Plura dabunt: S.Irenaëus (R 219), S. Cyrillus Hier. (R 835), S.Gregorius Naz. (R 1011), S.Chrysostomus (R 1144 1203), S.Cyrillus Alex. (R 2080 2089 2106 2109), S.Leo M. (R 2193), rursus S.Augustinus (R 1710 1732 1715).

Hoc ipsum arguit tota Patrum doctrina de hominis deificatione per gratiam [7].

176. Ratio theologica. Ut infra probabitur, iustitia est inaequalis, tum in diversis iustis, tum in ipso homine pro diversis vitae temporibus. Ergo iustitia *a)* nequit consistere in sola remissione peccatorum, haec enim nequit esse inaequa-

[4] Utiliter conferes J.Solano, S.I., *La παλιγγενεσία segûn San Juan Crisóstomo:* MiscCom 2 (1944) 91s, De mente mediaevalium, Alszeghy, *Nova creatura...* 253-256.

[5] Cf. F.Amiot, *Les idées...* 105-109; M.E.Boismard, O.P., *Baptême et renouveau:* LumV 27 (1956) 103-118; M.Didier, *La justification par la foi...* 463.

[6] Bellarminus, *De iustificatione* 2,8.

[e] *Catech. ad illuminandos* 1,3: MG 49,227.

[7] Cf. J.Gros, *La divinisation du chrétien d'après les Pères grecs* (Paris 1938). Plura etiam apud Gautier, *Le Saint Esprit en nous d'après les Pères grecs* (Roma 1946); H.Rondet, S.I., *La divinisation du chrétien:* NouvRevTh 71 (1949) 449-476.581-588; Y.H.Dalmais, *Divinisation:* DSpir 3 (1957) 1371; G.Bardy ibid., 1389-1398; W.J.Burghardt, *The image of God in Man, according to Cyril of Alexandria* (Woostock 1957) c.6.8.

lis; *b)* nec in sola imputatione iustitiae Christi, haec enim eadem semper est. Ergo iustitia est aliquid nobis internum.

177. ' Scholion 1. *De duplici iuPiitia formali*[8]. Ex his, quae hucusque vidimus, conceptio catholica iustificationis ex adverso opponitur conceptioni protestanticae. *a)* Peccato enim vere remanente, sed *non imputato,* opponitur peccatum *vere* remissum; *b)* animae intrinsece non mutatae, sed cui *extrinsece* imputatur iustitia Christi, opponitur anima *intrinsece* renovata et sanctificata.

Est ergo conceptio protestantica penitus extrinseca (non imputatio peccati, imputatio iustitiae), dum conceptio catholica est penitus intrinseca (vera remissio peccati, vera iustitia inhaerens).

Mediam quandam conceptionem, a M.Bucero inventam, amplexi sunt quidam magni apologetae catholici, sicuti PiGGE et Gropper in Germania, Catharinus et praecipue Seripandus in Italia.

Iuxta hanc explicationem, iustificatio nostra non est in eo solum quod nobis extrinsece imputetur iustitia Christi ; sed neque in eo solum quod detur nobis intrinsece forma quaedam iustificans, scilicet iustitia nostra. Putabant nimirum hi doctores, utramque iustitiam essentialiter requiri (et iustitiam nostram et iustitiam Christi) in nostra iustificatione, et per utramque simul nos formaliter iustificari. Requiritur sane iustitia nostra tanquam forma quaedam nobis intrinsece inhaerens. Sed quia haec nostra iustitia semper imperfecta est, requiritur praeterea iustitia Christi, quae nobis imputetur et ita sit tanquam forma quaedam extrinseca nostrae iustificationis.

Hanc sententiam propugnarunt nonnulli in Conc. Tridentino, maxime vero Seripandus in congregatione generali diei 8 octobris 1546. Qua occasione, proposita est theologis a legatis quaestio haec specialiter disceptanda, quam ipse Seripandus redegerat: "An iustificatus apud divinum tribunal indicandus sit tantum ex sua inhaerente iustitia, seu ex operibus suis cum gratia factis, an cum hac inhaerente iustitia opus habeat misericordia Dei et iustitia Christi, h.e. merito et passione Eius, qua suppleatur defectus suae iustitiae ; quae Christi iustitia non tota omnibus communicetur, sed secundum divinam dispensationem seu secundum mensuram fidei et caritatis".

8 Lance 359-362; J.Henninger, *S.Augustinus ct dotrina dc duplici iustitia* (Modling b.Wien 1935); P.Pas, *La doctrine de la double justice au Concile de Trente:* EphThLov 30 (1954) 5-53.

Nonnulli theologi necessitatem iustitiae imputate praeter iustitiam inhaerentem defenderunt, maiore eorum parte repugnante, duce I.Laînëz, qui duodecim argumentis theoriam illam penitus reiecit: quia scilicet tolleret meritum, everteret veram iustificationem, satisfactionem et purgatorium, providentiam Dei, ipsam iustitiam inhaerentem, praeterquam quod nova esset haec opinio et ignobili origine vitiata. Re plene discussa, theoria duplicis iustitiae formalis a Concilio reiecta est illis verbis: "*unica* formalis causa est iustitia Dei, non qua Ipse iustus est, sed qua nos iustos facit" (D 799).

lustificatio nostra ex iustitia inhaerente dici potest imperfecta, quatenus totam suam vim habet a meritis Christi, quatenus non supprimit statim omnem carnis rebellionem, quatenus salutem nobis plenam nandum re affert sed spe, quatenus non dat perfectam securitatem propriae iustificationis. Sed inde non sequitur, imperfectionem hanc necessario esse tollendam in hac vita, et quidem in linea causae formalis, ita ut nisi tollatur, nondum habeatur vera iustificatio [8].

178. Scholion 2. *De causis iustificationis.*

In thesi diximus praesertim de causa formali iustificationis. Pulchre autem exhibet Tridentinum s.6 c.7 (D 799) integram doctrinam de causis iustificationis.

Causa *finalis* est gloria Dei et Christi, ac vita aeterna.

Causa *efficiens* est Deus misericors, qui gratuito nos abluit et sanctificat.

Causa *meritoria* est Christus Dominus, qui sua sanctissima passione nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit.

Causa *instrumentons* est sacramentum baptismi, vel sacramentum paenitentiae (D 807).

Causa *formalis,* et quidem unica, est iustitia Dei, non qua Ipse iustus est, sed qua nos iustos facit[10].

° Dc his auctoribus cf. F.X.Linsenmann, *Albertus Pighius und sein theologischc Standpunkt:* ThQschr 48 (1866) 571-644; St.Ehses, *Iohannes Groppers Rechtfertigungslehre auf dent Konsil von Trient:* RomQschr 20 (1906) 175-188; F.Hünermann, *Dic Rcchtfertigungslehre des Kard. G.Contarini:* ThQschr 102 (1921) 1-22; J.Henninger, *S.Augustinus et doctrina dc duplici iustitia. Inquisitio historico-critica in opinionem H.Scripandi de iustificatione, ciusque habitudinem ad doctrinant S.Augustini* (Middling 1935); H.Jedin, *Girolamo Seripando. Sein Lebon und Dcnkcn im Geistcskampf des lô.Jahrhundcrst* (Wurzburg 1937) cp.3. De disputatione in Concilio habita, cf. J.Hefner, *Die Entstchungsgeschichtc der Trienter Rechtfcrtigungsdckrets* (Paderborn 1909) 165-247; H.Rückert, *Dic Rcchtfertigungslehre auf dem Trienter Konsil* (Bonn 1925) 217-256. Nomina theologorum, qui in Concilio theoriam duplicis iustitiae tenuerunt, habes in CTr 5.632. Ibidem 5,612-629 habes votum P.Latnez, quod etiam invenitur apud H.Grisar, *lacobi Laynes disputationes tridentinae 2,* 153-192. Similia protulit Salmerôn: J.Olazarán, *Un voto tridentino del jesuita A.Salmerôn sobre la doble justifia:* EstEcl 20 (1946) 211-240.

10 Cf. Beraza, 719. Cf. et M.Oltra, O.F.M., *La causa formai de la fus·tificaciôn en Andrés de Vega·.* EstEcl 36 (1961) 5-17.

179. Scholion 3. *De nexu causali inter remissionem peccatorum et renovationem per gratiam.*

1) *Possuntne remitti peccata absque gratiae infusione?*

Docent omnes theologi, in hac providentia, in qua nunc versamur, id fieri non posse. Quod sane inde probat S.Thomas (1.2 q.113 a.2), quod remissio peccati fiat per specialem Dei dilectionem; Deus autem nequeat specialiter diligere peccatorem nisi per infusionem gratiae, cum amor Dei non supponat bonitatem in creaturis sed eam faciat. Num vero in aliis ordinibus hoc possibile sit, disputant theologi, absolute negantibus nonnullis thomistis (Caietano, Salmanticensibus, etc.), affirmantibus vero scotistis et plerisque auctoribus S.I. ".

2) *Potestne infundi gratia, quin remittatur peccatum?*

In praesenti providentia haec fieri non possunt. Hoc enim aperte docuit Tridentinum cum definivit s.5 cn.5 (D 792) per gratiam remitti reatum peccati originalis, et cum docuit s.6 c.7 (D 800) in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum accipere hominem gratiam aliaque dona inhaerentia.

Insuper, gratiam, ex ipsa sua natura, ac proinde necessitate saltem physica, expellere peccatum mortale, tenent communiter theologi, repugnantibus Scotistis et Nominalibus, qui hanc incompossibilitatem statuunt ex sola extrinseca ordinatione Dei.

Immo, Thomistae, cum pluribus theologis S.I., apponunt repugnantiam metaphysicam infusionis gratiae absque remissione peccati. Attamen Suarez, cum aliis iesuitis recentioribus, contenti sunt impossibilitate physica [12].

180. Obiectiones. 1. Ex Rom 5,13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Hinc ergo eruitur peccatum remanere in iustificatis, ac catenus tantum remitti quatenus non imputatur.

Conc. antec. Nego cons. In textu enim agitur de peccato nondum remisso. Ceterum, sensus huius loci non satis constat. Probabiliter significat, usque ad legem mosaicam peccata actualia non imputari a Deo ad poenam mortis corporalis, eo quod nondum data fuisset lex quae nonnulla peccata puniebat poena capitis".

2. Iustificatio saepe exhibetur in sacra Scriptura sub formulis forensibus *iudicii, accusatoris, advocati, sententiae,* etc. (Io 5,45; 1 Io 2,1; Lc 16,22, etc.). Ergo justificatio non nisi vim forensem habet.

Dist. antec. Iustificatio exhibetur sub formulis forensibus ad

[11] Caietanus, *In 1.2* q.113 a.2 ct *6:* Salmanticenses, *De iustificatione* d.2 dub.5-7; N.dEi, Prado, *De gratia et libero arbitrio* 1,410; Suarez, *De poenitentia* d.9 s.3.

[12] Suarez, *De gratia* 7,13 et 18-21; Beraza, 862-868, ubi plures citantur theologi.

[13] Cf. Bover, *Teologia de San Pablo* 218. Argumenta desumpta ab adversariis ex sacra Scriptura solvit Bellarminus, *De iustificatione* 2,9-12.

adumbrandos his formis sensibilibus, effectus qui in anima intrinsece exoriuntur, *conc. antec.;* aliter, *nego antec. Dist. pariter cons.* Iustificatio tantum haberet vim forensem, si id res ipsa permitteret, *conc. cons.;* aliter, *nego cons.* Etenim, ipsae sacrae Litterae tollunt quodlibet dubium cum docent peccata per iustificationem vere deleri et auferri.

3. Verbum *iustifico,* graece δικαιόω, non significat facere iustum, sed tantum declarare iustum. Ergo Iustificatio non importat veram et intrinsecam iustitiiam, sed tantum declarationem illius.

Dist. antec. Hoc significat apud scriptores profanos, *conc. antec.;* apud auctores sacros, *subdist.:* id significat aliquando, *conc.;* semper, et in specie, in casu praesenti, *nego.*

Auctores classici latini non agnoverunt verbum *iustifico.* Scriptores profani graeci utebantur quidem verbo δικαιόω; sed cum ignorarent prorsus internam iustificationem, pro ipsis tantum denotabat iustificationem forensem.

4. Ex 1 Cor 1,30 ubi dicitur quod Christus *factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio.* Ergo, si Christus factus est nobis iustitia, justificamur imputatione iustitiae Christi.

Conc. antec. Dist. cons. Christus factus est nobis iustitia *meritorie,* quatenus *nobis* meruit internam iustitiam, *conc. cons.;* quatenus *formaliter* ipsa Eius iustitia sit nostra iustitia, *nego cons.* Hanc distinctionem praebet ipsum Tridentinum s.6 cn.10: "S.q.d. homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, a.s." (D 820).

5. Ex 2 Cor 5,21 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in Ipso.* Hinc arguitur. Eadem ratione efficimur nos iustitia, qua Christus factus est peccatum. Atqui Christus factus est peccatum tantum extrinsece et imputative. Ergo et nos fimus iusti tantum extrinsece et imputative.

Nego paritatem. Nam Christus, ratione impeccantiae, non potuit fieri intrinsece peccatum ; sed, quia repraesentabat humanitatem peccatricem, factus est particeps sortis et poenarum illius[14]; homines autem, peccatis iam deletis, interne renovari et iustificari valent.

6. Iustitia comparatur in sacra Scriptura cum indumento (Ps 131,9; Rom 13,14; Eph 4,24). Atqui indumentum afficit corpus extrinsece. Ergo et iustitia afficit animam extrinsece.

Dist. mai. Iustitia comparatur cum indumento eo quod non sit nobis naturalis, sed a Deo infundatur, *conc. mai.;* eo quod non sit nobis intrinseca, *nego mai. Conc. min. Dist. cons.* Afficit animam extrinsece quatenus non est nobis naturalis, *conc. cons.;* quatenus non vere inhaereat nobis, per infusionem Dei, *nego cons.* Igitur, ratio comparationis inter indumentum et iustitiam petitur ex eo quod neutrum procedit ex natura, sed ad ipsam accedit. Proinde haec comparatio non excludit iustitiam inhaerentem. Quod patet vel ex eo quod Tridentinum, postquam docuit iustitiam animae inhaerere, eam statim appellat stolam candidam et immaculatam (D 799s).

7. Iustificatio fert secum divinam adoptionem. Atqui adoptio nihil intrinsecum apponit in eo qui adoptatur. Ergo nec Iustificatio dicit internam animae renovationem.

Conc. mai. Dist. min. Adoptio humana nihil intrinsecum apponit, *conc. min.;* adoptio divina, *nego min.* ex probatis.

w Hanc interpretationem habet probabiliorem Bover, *Tcologia de San Pablo* 561s.

ARTICULUS III

De DONIS QUIBUS IUSTIFICATIO PERFICITUR

181. Donum illud internum, vi cuius intrinsece renovamur, adaequate spectatum complectitur, iuxta omnes theologos, *gratiam sanctificantem et virtutes theologicas* ac *dona Spiritus S.* et, iuxta communiorem sententiam, etiam *virtutes morales.* Ex his autem, donum fundamentale est gratia sanctificans. Igitur, reliquis ad alium locum amandatis nunc inquirimus naturam gratiae sanctificantis, respicientis illam in seipsa. Notitia enim amplior ipsius, prout haec elucet ex suis effectibus, eruetur ex articulo sequenti [1].

Sed praeter dona creata, in iustificatione datur quoque donum increatum Spiritus Sancti, seu totius SS.Trinitatis, secundum physicam substantiam in anima iusta inhabitantis.

Haec ergo duo dona, creatum, scilicet gratia, et increatum Spiritus Sancti inhabitantis, in praesenti articulo considerabimus.

Thesis 20. Gratia sanctificans est donum creatum, physice permanens, realiter a caritate distinctum.

S.Th., 1.2 q.110 a.1-3; Lercher,-Lakner, 73-78; Beraza, 720-74-1.750-757; Lange, 369-388.

1) DONUM CREATUM

182. Notiones. Donum creatum, id est, non est aliquid increatum, seu non est ipsa persona Spiritus Sancti. Nimirum, posset dubitari num illud per quod interne renovamur sit Spiritus Sanctus, an aliquid ab ipso productum et ab eo proinde distinctum, an utrumque simul. Nos affirmamus gratiam samctificantem esse aliquid creatum, non esse ipsam personam Spiritus Sancti. Nam Spiritus Sanctus sanctificat *efficienter,* diffundendo in nobis caritatem, et *terminative,* inhabitando animam iustam; non vero sanctificat *formaliter,* quia "unica causa formalis [iustificationis] est iustitia Dei, non qua Ipse iustus est, sed qua nos iustos facit" (D 799).

Igitur, *non est quaestio* de origine gratiae; utrum, scilicet, producatur per creationem an per eductionem de potentia obiectiva animae. Hac de re, primum praevaluit sen-

1 Cf. J.Auer, *Dic Entwicklung der Gnadenlehrc in der Hochscholastik, mit besonderer Beriiksichtigung des Kardinals Matteo d'Acquasparta.* 1 Teii: *Dat Wcscn der Gnadc* (Freiburg i.Br. 1942).

tentia *creationistica,* ita ut a s.XIII ad XVI hanc doctrinam defenderint S.Bonaventura, H.Gandavonsis, Paludanus, Thomas de Argentina, Capreolus, Biel, Ferrariensis, Vitoria, A.de Vega, etc. Sed a s.XVI fit in dies communior sententia *eductionistica,* ita ut hodie haec sit sententia communis. Eam defendunt B.de Medina, Molina, G.de Valencia. Vazquez, Bânez, Ledesma, Lorca, Curiel, Suarez, I. a S.Thoma, Godoy, Gonet, Goudin, Billuart, plerique recentiores[2].

Itaque, *quaestio praesens* haec tantum est: Num gratia sit ipsa persona Spiritus Sancti, an donum a Deo productum et ab eo adaequate distinctum, sive id oriatur creatione, sive eductione. Est ergo donum creatum.

183. Adversarii. P.Lombardus[3] asseruit gratiam qua justificamur esse ipsam personam Spiritus Sancti. Scilicet, Magister gratiam facit identicam cum caritate, caritatem vero cum Spiritu Sancto, quia actum caritatis non elicimus per habitus infusos, sicut actum fidei et spei et ceterarum virtutum, sed per Spiritum Sanctum nobis assistentem, qui fungitur munere habitus caritatis.

Eandem sententiam tenuerunt quidam veteres scholastici ut Martinus Legionensis[4][5]

Recentius videntur quodammodo renovasse eandem opinionem Stattler, Hermes et Kuhn[6].

184. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.6 c.7 (D 799), docet illud quo formaliter iustificamur non esse iustitiam Dei, sed aliquid in nobis receptum, quod est diversum in singulis iustis, et cuius mensura pendet a dispositionibus uniuscuiusque; cn.11 (D 821) gratia exhibetur tanquam aliquid effectum a Spiritu Sancto; iuxta cn.24 (D 834) haec gratia augeri potest. Quae omnia distinctionem realem inter iustitiam et Spiritum Sanctum supponunt.

Valor dogmaticus. Videtur *de fide divina et catholica implicite definita* vel saltem *theologice certa,* quatenus formulae tridentinae nequeunt intelligi nisi supponant infundi etiam donum distinctum a Spiritu S. In adnotatione quadam proposita in Conc. Vaticano haec doctrina dicebatur doctrina catholica vel omnino iam definita a Tridentino, vel certe ex ibi

a Plura de hac re, deque aliis solutionibus mediis inter creationem et eductionem, vide apud E.Fernandez, O.P., *El problema de la produccîôn de la gracia y sus diversas soluciones:* CiencTom 70 (1946) 37-82.

s *Sententiae* 1 d.17 c.6 n.159.

* De bis cf. A.Landgraf, *Dogmengeschichte des Frühscholastik* 1,1,220-237.

6 Cf. J.Kleutgen, S.I., *Theol. d.^ore, 2-,279;* C.Schaezler, *Neue Untersuchungen Uber das Dogma der Gnade* (1865) 343.

definitis manifestissime consequens; opposita sententia damnabatur ut haeretica ®.

185. Probatur ex sacra Scriptura. Gratia sanctificans dicitur *semen* (1 Io 3,9), *regeneratio* et *renovatio* (Tit 3,5); Deus autem est seminans, regenerans atque renovans. Atqui semen et seminans, regeneratio et regenerans, renovatio et renovans distinguuntur realiter. Ergo gratia sanctificans nequit dici ipse Spiritus Sanctus.

186. Probatur ex traditione. *Patres* distinguunt Spiritum Sanctum, qui inhabitat animam iusti, ab alia entitate creata supernaturali, quae in iustificatione confertur, quaeque hominem transformat atque deificat. Cf. v.gr. Origenem (R 449), S.Basieium (R 944), S.Ambrosium (R 1282 1318), S.Augustinum (R 1715 1730 1732). Scribit S.Cyrii.i,us Ai,ex.: "Formatur autem in nobis Christus, inferente nobis Spiritu Sancto divinam aliquam formam per sanctificationem et iustitiam. Ita enim, ita in animabus nostris lucet character substantiae Dei et Patris, reformante nos, ut dixi, Spiritu Sancto per sanctificationem in Ipsum" (R 2099). Et S.Augustinus: "Quantum interest inter lumen, quod illuminat, et quod illuminatur, tantum inter sapientiam, quae creat, et istam, quae creata est, sicut inter iustitiam iustificantem, et iustitiam, quae justificatione facta est"7.

187. Ratio theologica. Omne esse est a forma aliqua inhaerente. Atqui iustificatus habet novum esse accidentale renovationis et sanctificationis. Ergo iustificatus habet novam quandam formam inhaerentem accidentalem. Atqui rursus haec nova forma nequit esse increata, quia non esset accidentalis sed substantialis. Ergo admittenda est in justificato forma aliqua sanctificans, quae sit donum creatum. Hanc formam vocamus gratiam sanctificantem (S.Th., *In 1 Sent.* d.17 q.1 a.1).

2) PHYSICE PERMANENS

188. Nexus. Facile conceditur gratiam sanctificantem esse aliquid physicum in momento iustificationis; exhibetur enim tanquam aliquid quod nobis infunditur, diffunditur in cordibus nostris, etc. Sed quomodo perseverat? Per-

ß CL 7,517s. Cf. K.Rahn&r, S. I., *Heiligmachendc Gnade:* LThK 5 (1960) 138-142.

» *Confess.* 12,15,20: ML 32,833; CSEL 33,332. Ceterum cf. A.Turrado, O.E.S.A., *El platonismo de San Agustin y su doctrina acerca de la inhabitation del Espiritu Santo:* Aug 5 (1955) 471-486.

severatne tantum moraliter, simili ratione ac perseverat peccatum in reatu morali sustinendi inimicitiam divinam, an etiam physice? Respondemus gratiam sanctificantem esse donum physicum, physice permanens. Atqui eo ipso differt necessario a gratiis actualibus et ab actibus virtutum.

189. Notiones. Donum physicum, hoc est, gaudens vera realitate physica. Non est ergo nudum ens morale, qualia sunt iura, obligationes, etc.

Physice permanens, quatenus pergit exsistere in sua physica entitate, etiam deficientibus actibus intellectus et voluntatis. Igitur non est pure moraliter permanens, sicut peccatum.

Duo ergo *affirmamus:* entitatem gratiae sanctificantis non esse transeuntem, sicuti est entitas actuum vel gratiae actualis, sed permanentem; eandemque esse entitatem non moralem, sicuti est ius et obligatio, sed physicam. In thesi autem praescindimus ab ulteriore determinatione, iuxta quam gratia est accidens, qualitas, habitus.

190. Adversarii. A.Pighius (c.1490-1542) infundatam censet permanendam gratiae, assertam a scholasticis, putans gratiam sanctificantem nihil aliud esse nisi seriem continuatam gratiarum actualium 8.*

Morinus (1591-1659) satis aperte innuit sibi placere sententiam, quae, negatis donis infusis physice permanentibus, tenet statum iustificationis consistere in complexu gratiarum actualium, quibus ducitur vita Christiana et quae denominant hominem iustum. Hoc autem tradit tanquam probabile tantum °.

191. Valor dogmaticus. 1) Iuxta omnes theologos, res quoad utrumque elementum est prorsus *certa,* ita ut oppositum dicendum sit plane temerarium. Attamen disputant theologi utrum id habendum sit tanquam definitum a Tridentino.

2) D.Soto, Cano, Salmanticenses, Del Prado, etc., id negant, eo quod de his tantum obiter dixerit concilium10.

3) Verum Vega, Suarez, Bellarminus, Valencia, etc., id

8 A.Picnius, *De libero arbitrio* 1.S.

8 I.Morinvs, *Commentarius historicus de disciplina sacramenti poenitentiae* 8,2,5.

ω D.Soto, *De natura ct gratia* 2,17-19; *In 4* dist.1 q.3 a.1; Cano, *De locis theoloaicis* 7,2; Salmanticenses, *De gratia* d.4 n.19; BASEZ, *In 2.2* q.23 a.2; IoannEs Vicente, *Rclcctio de gratia Christi* conci.6; N.det. Prado, *De gratia et libero arbitrio* 1,153s. De tota doctrina D. Soto cf. V.D.Carro, O.P., *El Maestro Domingo de Soto y las controversias sobre la justificacMn dentro y fucra dei Concilio de Trento.'* ViencTom 87 (1960) 423-465.

tanquam definitum habent ". Et quidem haec sententia tenenda esse videtur. Etenim:

a) Haec est mens manifesta Patrum tridentinorum. Vox *inhaerere* (D 800 809 821), verba *augeri* et *amitti* (D 803 834), metaphora *stolae* (D 800), hoc innuunt. Ceterum, ex actis concilii constat hanc fuisse mentem Patrum 12.

b) In Concilio Vaticano propositum fuit ut doctrina contraria huic physicae permanentiae damnaretur tanquam *haeretica;* etenim arguebatur physicam gratiae permanentiam esse doctrinam, vel omnino iam definitam a Tridentino, s.6 c.7 et 16, et cn.11, vel quae saltem ex ibi definitis manifesto consequeretur 13.

c) Sic rem intellexit *Catechismus Romanus:* "Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum... decrevit, divina qualitas in anima inhaerens" 14.

192. Probatur ex sacra Scriptura. 1) In iustificatione vere per gratiam *regeneramur* (Tit 3,5). Atqui in generatione non communicatur aliquid transiens, sed physice permanens. Ergo gratia consistit in entitate aliqua physica et physice permanente.

2) Gratia dicitur *semen, pignus, sigillum* (1 Io 3,9; Eph 1,13-14). Atqui haec nomina innuunt gratiam esse aliquid physice permanens. Ergo reapse habenda est tanquam aliquid physice permanens.

193. Probatur ex traditione. *Patres,* simul ac exhibent gratiam tanquam donum creatum, significant aliquoties illud esse physice permanens. Sint in exemplum S. Basilius: "Quemadmodum ars est in eo qui illam adeptus est, ita gratia Spiritus Sancti in eo qui recepit eam, semper quidem praesens, at non perpetuo operans" 15. S. Ambrosius: "Pictus es ergo, o homo, pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressam sed gratia" (B 1319; cf. 1318 et 1282). S. Augustinus (R 1715 1732). S. Cyrillus Alex. appellat gratiam "sanctificationis qualitatem et divinam figurationem" (R 2063. Cf. 2099).

11 Vega, *De iustificatione* 7,24; Suarez, *De gratia 6,3,6;* Bellarminus, *De gratia et libero arbitrio* 1,3; Valencia, p.2 d.4 q.3 punct.4; Ripalda, *De ente supernaturali* 1.6 disp.ultima, s.2 n.25-33.

12 CTr. 5,453.520s.682.686-90; Pallavicini, *Concilii Tridentini historia* 1.8 c.13 n.13; c.14 n.3; Vega, *De iustificatione* 7,24; F. Hünermann, *Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konsil von Trient* (Paderborn 1926); Prumbs, *Die Stellung des Trienter Konsils in der Frage nach dem Wesen der hlm. Gnade* (1909).

13 CL 7,517 et 551.

14 *Catechismus Romanus p.2* c.2 q.49.

15 *De Spiritu Sancto* 26,61,51: MG 32,179.

194. Ratio theologica. Ratio S.Thomae superius (n.187) allata, eodem modo probat physicam permanendam gratiae. Interna enim renovatio et sanctificatio, quam habet iustificatus, physica est (cum non sit mera imputatio) et permanens (cum sit verus status, non purus actus). Ergo exigit formam aliquam physicam et permanentem.

Realitatem huius formae *ulterius investigantes* theologi, haec tenent:

a) Gratia sanctificans est *accidens,* non substantia. Nam "omnis substantia, vel est ipsa natura rei cuius est substantia, vel est pars naturae, secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse quod sit substantia aut forma substantialis; sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem: ut de scientia patet. Secundum hoc ergo, quia anima imperfecte participat divinam bonitatem, ipsa participatio divinae bonitatis, quae est gratia, imperfectiori modo habet esse in anima quam anima in seipsa subsistat" (1.2 q.1 10 a.2 ad 2).

b) Est accidens *absolutum,* non relativum aut modale. Gratia enim talis naturae est, ut sit entitas a Deo infusa, quae etiam capax est augmenti. Unde reicienda est sententia I.Vicente, docentis immutationem internam animae, quae est iustificatio, fieri posse per aliquem modum realiter identificatum entitati animae et voluntatis, atque formaliter ab ea distinctum. Reicienda similiter est sententia D.Palmieri, tenentis iustitiam hominis nullo modo esse aliquid distinctum ab anima ut rem a re, sed esse modum intrinsecum ipsius animae, eam interne modificantem et sanctificantem. Qui quidem auctor hanc opinionem colligit ex praeconcepta sententia de impossibilitate accidentium absolutorum 10.

c) Est *qualitas.* Per illam enim anima sic afficitur ut aliter sit quam antea erat.

d) Est *habitus.* Est enim qualitas permanens (non transiens, sicut actus), difficile mobilis (ex natura sua, quae est perpetuo durabilis), qua anima bene disponitur ad vitam supernaturalem exercendam. Cf. 1.2 q.49.

e) Est *habitus entitativus,* non operativus. Gratia enim

w I.Vicente. *Relectio de gratia Christi* q.1 conci.6; D.Palmterî, *De gratia habituali* (in manuscripts) thes.14 (apud Beraza, 746). Similia tenuit E.Amort, *Theologia ccclectica* t.2 tr.2 disp.3 q.7. Cf. et M.Ferro Couselo, */Es la gracia tantificante una entidad absolutaf:* XV SemEspT (1956) 237-249; A.MiCHEio *La grâce sanctifiante est-elle chez tous les justes spécifiquement la même T'.* DocCom 8 (1955) 114-148.

"non immediate ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale, quod in anima facit, et est sicut dispositio, quae est respectu gloriae quae est gratia consummata" *(De verit.* q.27 a.2 ad 7). Dicit quidem ibi S.Thomas, gratiam non posse vocari proprie habitum, quia non ordinatur immediate ad operationem. Hoc tamen dicit ex mente Aristotelis, ut ex contextu sequenti facile patet. Ideo, rem accuratius explicans in *Summa Theologica,* distinguit inter habitus, qui disponunt in ordine ad operationem, et habitus, qui disponunt in ordine ad ipsam naturam (1.2 q.50 a.2). Quo posito, quia habitus operativus supponit aliquam naturam praeexsistentem, ad cuius perfectionem per actum obtinendam immediate disponit, admittendum est in ordine supernatural! exsistere aliquem habitum qui disponat animam immediate non ad ipsam operationem, sed ad naturam divinam participandam; quem habitum consequentur postea virtutes, tanquam habitus proxime disponentes ad operationes supernaturales, quibus nova illa natura perficiatur (1.2 q.110 a.3). Talis ergo est gratia, quae disponit utique ad actus supernaturales, non tamen immediate, sed mediantibus habitibus operativis virtutum; fere sicut essentia animae est principium actuum naturalium, non proximum, sed ultimum et radicale (1.2 q.110 a.4 ad 2)ie*

f) Hinc *eius subiectum* non est potentia, sed essentia animae, quam proxime et immediate sanctificat. "Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam, per virtutem fidei; et secundum potentiam voluntatis amorem divinum, per virtutem caritatis: ita etiam per naturam animae participat, secundum quandam similitudinem, naturam divinam, per quandam generationem sive recreationem" (1.2 q.110 a.4)1'.

3) Λ CARITATE REALITER DISTINCTUM

195. Nexus. Gratia distinguitur realiter a fide et a spe, siquidem, amissa gratia, illae possunt permanere. Sed contra, gratia est inseparabilis a caritate (D 800). Itaque, merito quaeritur num hae duae, quae sunt inseparabiles, realiter distinguantur, an tantum ratione.

ie* Cf. C.M.LachancE, O.P., *La grâce est en wtis par mode d'habitus cntitatif ou ontologique de la grâce:* RevUnitOtt 26 (1956) 23-51.75-89. De gratia ut dono creato et nova natura ad modum qualitatis cf. H.Rondêt, S.I., *Notes sur la théologie dc la Grâce:* NouvRevTh 83 (1961) 382-388.

17 Cf. T.Graf, *De subiecto psychico gratiae et virtutum secundum' doctrinam scholasticorum usque ad sacc.XlV* (Roma 1934-1935). De mente S.Bonaventurae cf. A.Briva, Pbro.» *La Gloria y su relaciôn con la Gracia segun las obras de San Buenaventura* (Barcelona 1957) 237-239.

196. Sententiae. 1) *Realis identitas* defenditur a P.Lombardo, Scoto et *scotistis,* Durando, Catharino, Laînez, Salmerôn, Bellarmino, Lessio, etc.[18][19]

2) *Realis distinctio,* ad eum modum quo anima distinguitur a suis potentiis, propugnatur a divo Thoma, *thomistis,* plerisque *auctoribus S-1-,* pluribus *aliis theologis*™.

Valor theologicus. Sententia *communior et probabilior.*

197. Argumenta. 1) A tempore *Conc. Tridentini,* etsi illud rem non definierit, de facto tamen doctrina realis distinctionis omnino communius defenditur a theologis cuiuscumque scholae. Revera Concilium, consulto, neutri opinioni praeiudicare voluit. Quare otiosum videtur inquirere cuinam magis faveat. De facto pleriquc praelati et theologi favebant scotistis; sed in decreto definitivo adhibuere formulas ambiguas. Ita,

a) favent thomistis: "Exclusa gratia *et caritate"* (D 821): "per voluntariam susceptionem gratiae *et* donorum" (D 799).

b) favent scotistis: "Caritas Dei diffunditur in cordibus"; "accipit homo fidem, spem et caritatem" (D 800); incrementum iustitiae habetur per "fidei, spei et caritatis augmentum" (D 803).

Igitur, his omnibus Tridentinum aperte docuit inseparabilitatem gratiae et caritatis; quaestionem vero de distinctione reali noluit solvere [20].

Nec in *Sacra Scriptura* quaestio solvitur:

a) Textus allati ab affirmantibus distinctionem realem (2 Cor 13,13; Rom 5,5) non constat certo iintelligendos esse de gratia habituali. Possunt enim intelligi, non de caritate nostra, sed de caritate qua nos diligit Deus.

b) Textus allati a negantibus distinctionem realem (Lc 7,47; 1 Petr 4,8) facile explicantur ex inseparabilitate gratiae et caritatis.

ω Lombardus, *Sent.* I, d.17; Scorus, *In 2 Sent.* dist.27; Mastrius, *De iustificatione* d.7 q.6; Durandus, *In 2 Sent,* d.26 q.1 n.7; Catharinus, *Commentaria in omnes divi Pauli Apostoli ct alias septem canonicas epistolas* (Paris 1566) 544-282...; LaînBz, *Disputationes tridentinae* 2,156.178...; Salmer0n, CTr 5,267; BMllarminus, *De gratia ct libero arbitrio* 1,6; LESSius, *De divinis perfectionibus* 12,11,76. Item de Vega cf. Oltra, *La causa formal...,* l.c., 17-19. Notandum est Bellarminum et I^essium etsi teneant realem identitatem gratiae et caritatis, oppositam tamen sententiam dicere probabilem.

19 S.Th., 1.2 q.110 a.3s; Aegidius, *In 2 Sent,* d.26 q.1 a.2; Capreolus, *In 2 Sent,* d.26 q.1; D.SoTO, *Dc natura ct gratia* 2,17; SuArEz, *De gratia* 6,12; Valencia, *In 1.2* d.8 q.2 p.2; Salmanticenses, *De gratia* d.4 n.77; Ripalda, *De cntC' supernaturali* d.132 n.53 et 67.

30 Cf. A.Prumbs, *Die Stcllunÿ des Trienter Konsils su der Fragc nach dem Wessen der heiligmachenden Gnade* (1909).

Patres graeci ita loquuntur de gratia deificante ut haec non possit facile confundi cum caritate. Contra, apud S.Augustinum vix adest locus reali distinctioni utriusque doni (cf. v.c. R 1798). Attamen Augustinus plerumque loquitur de actu caritatis, non de habitu.

198. 2) Gratia et caritas habent effectus formales distinctos. Ergo sunt formae realiter distinctae.

Antec.: Effectus formales gratiae sunt, ut videbimus, facere sanctum, consortem divinae naturae, filium Dei adoptivum; effectus formalis caritatis est disponere animam immediate ad diligendum Deum amore perfecto amicitiae.

3) Inter ordinem gratiae et ordinem naturae vera viget analogia. Atqui in ordine naturali prius est natura quam habitus ipsam complens in ordine ad operationem. Ergo etiam in ordine supernatural! prius est gratia quam caritas.

199. Corollarium. Ex dictis patet, gratiam sanctificantem se habere in anima per modum novae naturae, sicuti virtutes infusae habent se per modum facultatum seu potentiarum. Quod sic explicat S.Thomas, doctrinam hanc ex Ps.Dionysio mutuans: "Cum diversarum naturarum diversi sint fines, ad consecutionem alicuius finis in rebus naturalibus tria praeexiguntur: scilicet natura proportionata ad finem illum, et inclinatio ad finem quae est naturalis appetitus finis, et motus in finem... Homo autem secundum naturam suam proportionatus est ad quendam finem, cuius habet naturalem appetitum, et secundum naturales vires operari potest ad consecutionem illius finis; qui finis est aliqua contemplatio divinorum, qualis est homini possibilis secundum facultatem naturae, in qua philosophi ultimam hominis felicitatem posuerunt. Sed est aliquis finis, ad quem homo a Deo praeparatur, naturae humanae proportionem excedens: scilicet vita aeterna, quae consistit in visione Dei per essentiam, quae excedit proportionem cuiuslibet naturae creatae, soli Deo connaturalis exsistens. Unde oportet quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur eius appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis elevetur ad quandam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens. Et ad hoc datur gratia. Ad inclinandum autem affectum in hunc finem datur caritas. Ad exequendum autem opera quibus praedictus finis acquiritur, dantur aliae virtutes" *(De verit.* q.27 a.2). Hanc doctrinam supponit Leo XIII scribens: "Hoc amplius,

homini itisto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tanquam facultates agenti, opus plane est..."21.

200. Obiection.es. 1. *Deus caritas est* (1 Io 4,16). Atqui gratia sanctificans, vel est ipsacaritas, vel aliquid cum ipsa inseparabiliter coniunctum. Ergo gratia idem est ac Deus, ac proinde est aliquid increatum.

Dist. mai. Deus est caritas substantialis et increata, *conc. mai.;* caritas accidentalis, nobis inhaerens, *subdist.:* efficienter, *conc.;* formaliter, *nego. Contradist. min.* Gratia sanctificans est ipsa caritas substantialis, *nego min.;* est ipsa caritas accidentalis, quatenus ab ea inseparabilis est, etsi realiter ab ipsa distinguatur, *conc. min.* Hinc ergo patet verba quae sequuntur, *qui manet in caritate, in Deo manet,* id sibi velle: Qui gaudet caritate accidentali et creata, manet in Deo, cum dixerit Christus: *si quis diligit me, ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Io 14,23).

2. Tridentinum, s.5 cn.3 (D 790), definivit peccatum originale *inesse* unicuique proprium. Atqui exinde non eruitur peccatum originale physice permanere, sed tantum moraliter. Ergo, a pari, nec ex eo quod docuerit gratiam nobis *inhaerere* recte infertur eam esse aliquid physice permanens.

Resp. verbum *inesse* latius patere quam verbum *inhaerere.* Ceterum, mens *Concilii Tridentini* non solum colligitur ex hac voce, sed etiam ex aliis quae protulimus n.191.

3. Peccatum habituale, vi cuius homo vere constituitur peccator, est actus physice praeteritus et tantum moraliter perseverans. Ergo, a pari, iustitia habitualis, qua vere denominamur iusti, est etiam actus physice praeteritus, et tantum moraliter perseverans.

Nego paritatem, quia peccatum habituale, aliter ac gratia, non est principium ad eliciendos actus, quos sola natura elicere non possit. Praeterea, hanc physicam permanentiam gratiae satis probavimus n.190-192.

4. Gratia sanctificans est participatio naturae divinae. Atqui natura divina per seipsam est operativa. Ergo etiam gratia est per seipsam operativa, nec requirit novum habitum caritatis.

Dist. mai. Gratia est participatio naturae divinae per modum principii ultimi et radicalis operationum, *conc. mai.;* per modum principii proximi, *nego mai. Dist. min.* Natura divina est per seipsam operativa per modum principii ultimi et radicalis, *conc. min.;* per modum principii proximi, *nego min.*

5. Si gratia et caritas realiter distinguerentur, possent realiter separari. Atqui realiter separari non possunt. Ergo non distinguuntur realiter.

Nego mai. Separabilitas est signum realis distinctionis; sed inseparabilitas non est signum realis identitatis.

31 *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,654.

Thesis 21. In iustificatione, simul cum gratia habituali, datur etiam Spiritus Sanctus, nova praesentia in iusto exsistens.

S.Th.. 1 q.93 a.3.5.6; Lercher-Lakner, 98-101; Bhraza, 878-909; Lange, 442-455.

201. Nexus. Quaestio inhabitationis attingitur a theologis recentioribus tam in tractatu de Trinitate quam in tractatu de Gratia; diversa tamen ratione. Etenim in tractatu de Gratia agendum est de Spiritu Sancto, prout est gratia sive donum increatum, et de eiusdem relatione ad dona creata. Ad tractatum vero de Trinitate spectat consideratio generalis missionum divinarum, et quousque hae sint propriae vel appropriatae [1].

Igitur, nos dicemus seorsim *de facto* inhabitationis et *de eius modo.*

1) DE VERITATE INHABITATIONIS

202. Notiones. In iustificatione, tum prima cum homo transit e statu peccati in statum gratiae, tum secunda cum gratia augetur. Attamen argumenta respiciunt potius primam iustificationem.

Simul cum gratia, proinde, in eodem instanti rcali, praeter gratiam, datur etiam ipsa persona Spiritus Sancti. Non autem ingredimur quaestionem de relatione causali inter gratiam et inhabitationem.

Datur Spiritus Sanctus, et quidem secundum suam physicam substantiam. Immo *inhabitat* animam iusti, quia in ea permanenter commoratur, tanquam in possessione sua, ut ibi diligenter colatur. Ideo, anima iusti aptissime dicitur *templum vivum* Spiritus Sancti.

Cum autem hic loquimur de Spiritu Sancto, loquimur per appropriationem, iuxta communiorem opinionem TT. Datur ergo in iustificatione nova praesentia *totius Sanctissimae Trinitatis,* et totius Trinitatis est inhabitatio quam defendimus, ita vero ut ea inhabitatio tribus Personis divinis pariter ac eodem prorsus modo competat[2]. Alii vero TT. numero eorum in dies crescente, etsi varia explicatione, dum tenent fortiter eam doctrinam catholicam quod omnia dona creata

1 Cf. STBS 2.1,563-567.
a Cf. v.gr. T.Urdânoz, O.P., *La inhabitaciôn...:* RcvEspT 6 (1946) 476-485; P.Galtjer, O.P., *Llhabitation en nous des trois Personnes* (Romrr 1950) 9143; E.m S.TebESa, O.C.D., *Propriété o appropriatione T'.* EphCarm 4 (1950) 239-290; E.Sauras, O.P., *El Cucrpo Mistico de Cristo* (Madrid 1950) 768-798; R.Verardo, O.P., *Poletniche recenti intorno all'inabitatiorùe della SS.Trinità:* Sap 7 (1954) 29-44.

gratiae tribus Personis aequaliter debeantur ut uwt causae *efficienti,* assignant inhabitationem ita distincto modo singulis Personis, ut in anima iusti exsurgant speciales quaedam ac propriae relationes vel ad singulas Personas vel ad aliquam earum 2,* cum putent id Scripturae et SS.Patribus, saltem graecis 3, in specie S.Cyrille Alexandrino3,* magis consonare.

Nova praesentia (seu indistantia ab anima iusti), distincta scilicet formaliter a praesentia immensitatis. Haec praesentia, quomodocumque explicetur, est praesentia:

a) *Substantialis,* seu secundum substantiam; non mere dynamica.

b) *Specialis,* seu non secundum modum quo Deus est praesens omnibus rebus. Unde vi huius praesentiae, Deus incipit esse in iusto praesens novo titulo.

203. Sentientiae. Factum inhabitationis, in genere, agnoscunt omnes catholici ; discrepant vero circa maiorem determinationem huius facti.

1. Nonnulli negant inhabitationem Spiritus Sancti *in omni iustificatione.* Ita: *a)* Petavius hanc negavit iustis Veteris Testamenti4; *b)* I.H.Oswald et K.Adam negant inhabitationem substantialem haberi per iustificationem baptisma-

s* Cf. v.gr. H.Schauf, *Die Einwohnung des heiligen Geistcs...* (Freiburg i.Br. 1941), qui multos auctores ut eiusdem opinionis memorat; et putat TT.hodiernos in idem inclinare, cum nihil prohibeat quin inhabitatio ut propria singulis Personis modo diverso tribuatur; Id., *Einwohnung Gottes:* LThK 3 (1959) 772; G.Philips, *Le Saint-Esprit en nous:* EphemThLov 24 (1948) 127-135; F.de Lanversin, *L'acte de foi et n'os relations avec la très Sainte Trinité:* RechScRel 40 (1951) 298-306 (ex conceptu fidei); F.de LETTER, *Sanctifying Grace and Our Union with the Holy Trinity:* ThSt 13 (1952) 46-58; M.I.Donnelly, S.I., *Sanctifying Grace and our Union with the Holy Trinity:* ThSt 13 (1952) 190-204; F.Bourassa, S.I., *Rôle personnel des Personnes et relations distinctes aux Personnes:* ScEccl 7 (1955) 151-172; G.M.Gambari, O.F.M.Conv., *Le rclasioni sopranaturali aile Persone della SS.Trinità:* CollFranc 26 (1956) 509-537; J.Loosen, S.I., *Ekklcsiastiche, christologische und trinitatstheologische Elemente in Gnadcnbcgriff:* GeschGeg (München 1957) 97-101; M.Sciîmaus, *Appropriation:* LThK 1 (1957) 775. Non repugnat ea opinio, iuxta W.IIill, O.P., *Proper Relations to the Indwelling Divinet Persons* (Washington 1955). Quaestionem profundius esse indagandam in Scriptura aestimat E.HaiblE, *Die Einwohnung der drei Personen itn Christen nach den Ergcbnisscn der Ncucren Théologie:* ThQschr 139 (1959) 1-27.

8 De PP. cf. Petavius, S-I., *De Trinitate* 1.8 c.6; A.VErrielle, *La théorie trinitaire des Pères grecs:* RevApol 48 (1929) »540-550; 49 (1929) 154-157. De appropriatione vero PP. interpretatur P.GalTiEr, S.I., *Le Saint-Esprit en nous d'après les Pères Grecs* (Romae 1946).

8* Cf. J.Sagüés, S.I., *El Espiritu Santo en la santificaciôn del hombre segün la doctrina dc San Cirilo de Alejandria:* EstEcl 21 (1947) 35-83; L-Leiiavy, S.I., *L'inhabitation d'après saint Cyrille d'Alexandrie:* ScEcl 11 (1959) 204-200. De appropriatione vero ipsum interpretantur et Galtier, o.c., 217-272, et H.ou Manoir, S.I., *Dogme et spiritualité ches Saint Cyrille d'Alexandrie* (Parris 1944) 234-251. Etiam S.Augustinum hoc sensu A.Turrado, O.S.A., *El platonisme dc San Agustin y su doctrina acerca de la inhabitaciôn del Espiritu Santo:* Angus 5 (1955) 471-486; Id., *Sma.Trinidad en la vida espintual... segun' San Agustin:* RevEtAug 5 (1959) 130-135.

4 Petavius, *De Trinitate* 8,4,7.

loin, hanc enim reservant confirmationi[4]; c) S.Bonaventura negat dari novam missionem Spiritus Sancti, cum agitur de augmento gratiae intensivo; sed eam concedit in augmento quasi extensivo [5].

2. Non recte explicant relationem Spiritus Sancti *cum gratia: a)* Lessius, Petavius, Thomassinus, quodammodo Scheeben [6], quatenus faciunt fere independentem inhabitationem et gratiam; *b)* P.Lombardus, quatenus tenet Spiritum Sanctum fungi in iustis munere habitus caritatis; qui habitus, iuxta Magistrum, realiter idem est ac gratia sanctificans [7]; c) *Nominales,* quatenus existimant inhabitationem posse haberi per solam externam acceptationem Dei[8].

204. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.14 c.4 (D 898), docet attritionem esse "Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis..."; c.8 (D 904), tradit gravius peccare illos qui "accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint".

S.Pius V, dum damnat Baium, sermonem facit de inhabitatione Spiritus Sancti (D 1013 1015).

LEO XIII describit inhabitationem Spiritus Sancti et in tota Ecclesia et in animis singulorum fidelium. De iustis autem V.T. haec dicit: "Certum quidem est in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum..."[9]

Pius XII depingit nostram unionem cum Christo in corpore Ecclesiae per participationem Spiritus Sancti, qui inhabitat animas iustorum; et simul tradit quasdam regulas ad investigandum hoc mysterium inhabitationis [10].

[4] Oswald, *Die dogm. Lehre von den Sakramenten der kath. Kirche* (1894) 353ss; K.Adam: ThQschr 101 (1920) 408.
[5] S.Bonaventura, *In 1* d.15 q.ult. Cf. Suárez, *De Trinitate* 12,5,16-18; Beraza, 888.
[6] De hac re, contra Scheeben, scripsit T.Granderath, S.T., apud ZkathTh 7 (1883) 491-540; 8 (1884) 545-579. Prius, ipse Granderath iam alia scripserat apud ZkathTh 5 (1881) 283-319; 7 (1883) 593-638.
[7] Lombardus, *Sent.* 1 d.17. Plura de mente Lombardi apud DTC 12,1941ss.
[8] De his, cf. Occam' apud DTC 11,864ss; *Nominalisme:* ibid. 717ss. Alia citantur etiam n.264 nota 2.
[9] *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,651. Ceterum de discrimine Novi Testamenti a V. T. quoad gratiam Christi cf. G.Philips, *La grâce des justes de l'ancien testament:* EphemThLov 23 (1947) 521-556; 24 (1948) 23-58; A.M.Dubarle, O.P., *Les conditions du salut avant la venue du Sauveur cites S.Cyrille d'Alexandrie:* RevScPhTh 32 (1948) 359-362; A.M.Hofmann, O.P., *Die Gnade der Gerechten des Alten Blindes nach Thomas von Aquin:* DivThom (Fr) 29 (1951) 167-187; Y.Congar, O.P., *Le mystère du temple* (Paris 1958) 310-342; J.Bittremieux, *Utrum unio cum Spiritu Sancto sit causa formalis filiationis adoptivae iusti?:* EphemThLov 10 (1933) 435; De Letter, *Current Theology. Sanctifying Grace and the Divine Indwelling:* ThSt 14 (1953) 251s.
[10] *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 231s.

205. Valor dogmaticus. 1) Factum alicuius inhabitationis est veritas *de fide divina et catholica.* 2) Hanc inhabitationem convenire omnibus iustis, et distinguendam esse a donis creatis, est *doctrina saltem certa in theologia.* 3) Dari in omni iustificatione, tum prima tum secunda, est *doctrina communis* theologorum.

206. Probatur ex sacra Scriptura. Haec affirmat Spiritum Sanctum, prout ille est distinctus a donis creatis, donari iusti, atque in ipsis habitare tanquam in templo. Ergo, praeter dona creata, etiam ipsa persona Spiritus Sancti donatur iusti, et in eis velut in templo habitat.

Antec.: a) *Spiritus Sanctus datur iustis:* Io 14,16. Hic sermo est de persona Spiritus Sancti, de qua dicitur dari, et quidem iustis, ut constat ex v.15. Haec autem verba, quamvis forte dicantur solis Apostolis, merito extenduntur omnibus iustis, tum ex Patrum interpretatione, tum ex aliis locis sacrae Scripturae (cf. Io 14,23).

b) *Spiritus Sanctus habitat in iustis:* Rom 8,9-11. Sermo fit de persona Spiritus Sancti; dicit enim Apostolus nobis agendum esse iuxta normas dictatas a conscientia et ab illustrationibus Spiritus Sancti, qui est Spiritus Christi et Spiritus Patris (v.5-9). De ipso asserit habitare in iustis, scilicet, in illis in quibus nihil est damnations (v.1 et 10).

c) *Tanquam in templo vivo:* 1 Cor 3,16. (Cf. praeterea 1 Cor 6,19; 2 Cor 6,16, etc.). Ibi Ille dicitur habitare tanquam in templo in iustis.

Similia dicuntur de tota Trinitate: *Si quis diligit Me, sermonem meum servabit, et Paler meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciamus* (Io 14,23)[10*].

207. Probatur ex traditione. 1) *Patres,* praesertim graeci, frequenter docent Spiritum Sanctum donari iustis, eos inhabitare, et quidem tanquam templa viva. Cf. a) *ex orientalibus* Barnabam (R 36), S.Ignatium Ant. (R 40), Hermam (R 89), Tatianum (R 158), S.Irenaeum (R 219 251), Aphraatem (R 683), S.Athanasium (R 770 780), S.Cyrillum Hier. (R 813), S.Basilium (R 944), Didymum (R 1071),

10* Cf. J.Huby, S.I., *La vie dans l'Esprit d'après Saint Paul* (Romains, ch.8): RcchScRef (19-10) 12-39; J.Bonsirven, S.I., *Théoloffie du Nouveau Testament* (Aubier 1951) 92s; E-Bardy, *Le Saint Esprit en nous et dans l'Efjlise d'après le Nouveau Testament* (Albi 1950); A.Solîgnac, S.I., *Le Saint-Esprit et la présence du Christ auprès de scs fidèles:* NouvRevTh 77 (1955) 478-490; Congar, *o.c.,* 181-275; P.Suitbertus, *Die Vollkommcnhcitslchre des ersten Johanncsbticfes:* Bibl 39 (1958) 320-333 (de sensu verbi “ménein”). Ceterum tamen cf. I'.Puzo, S.I., *Siynificado de la palabra "pneuma" en San Pablo:* EstBibl 1 (1941) 437-460.

ChrysostomUM (R 1186), S.Cyrillum Alex. (R 2107 2114.. [11]; b) *ex latinis,* NovatianuM (R 607), S.Hilarium (R 872), S.Augustinum, S.Gregorium Eliberitanum et S.Isidorum Hispalensem [12].

2) Etiam *sacra Liturgia id testatur.* In hymno *Veni sancte Spiritus:* "Altissimi donum Dei... Dulcis hospes animae". Feria 4 p.Pent.: "Ut Spiritus Sanctus adveniens, templum nos gloriae suae dignanter inhabitando perficiat". Sab. p.Pent.: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum eius in nobis" (Introitus). Et in orat, prima: "Mentibus nostris, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde". Consulendus est etiam ritus Confirmationis et Ordinis.

208. Dices: Etiam dicitur Christus habitare in cordibus nostris, vivere in nobis (Eph 3,17; Gal 2,20). Atqui talis inhabitatio non est physica nec substantialis. Ergo nec inhabitatio Spiritus Sancti.

Respondet huic difficultati Pius XII: "Est nempe Christus in nobis, ut supra enucleate satis exposuimus, per Spiritum suum, quem nobis communicat et per quem ita in nobis operatur, ut quaecumque divina a Spiritu Sancto in animis peraguntur, etiam a Christo ibi peracta dicantur oportet..." [13].

2) DE MODO INHABITATIONIS

209. Igitur, haec physica et substantialis praesentia Spiritus Sancti, immo totius Trinitatis, in animis iustorum, quomodo concipienda est? Quaenam est ipsius natura?

Respondet Pius XII hanc inhabitationem personarum divinarum esse altum mysterium, "quod in hoc terrestri exilio, velamine quolibet detectum, omnino introspici, humanaque lingua significari nunquam possit" [14]. Ut vero aliquam saltem intelligentiam ipsius assequamur, iuvabit praemittere *negative,* quid non sit huiusmodi inhabitatio, ut veniamus

[11] Cf. /.Gross, *La divinisation du chrétien d'après les Pères (trees* (Paris 1938); P Galtier, *Le Saint Esprit en nous d'après les Pères Grecs;* Sagüés, *l.c.*; II.du Manoir, S.I., *Dogme ct Spiritualité chez S.Cyrille d'Alexandrie* (Paris 1944); B.FraïgnEau-JuliEn, *L'inhabitatien de la saintte Trinité dans l'âme selon saint Cyrille d'Alexandrie*: RevScPhTh 30 (1956) 135-156; Leavy, *l.c.,* 200-212.

[12] S.Augustinus, *In lo* 75ss; *De Trinitate* 15,17ss. Cf. A.Turrado, O.S.A., *La Santisima Trinidad en la vida cspiritual del justo, sit templo vivo, segun San Agustin::* RevEtAug 5 (1959) 223-260; S.GonzAi.Ez, S.I., *La inhabtaciôn del Espiritu Santo segun San Isidoro dc Sevilla:* RevEspir 1 (1941) 10-33; *segun San Gregorio de Elvira:* ib d., 6 (1947) 177-186.

[13] *Encycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 230.

[14] *Encycl, "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 231.

deinde ad investigandum in quonam *[>oritive reponenda* videatur.

210. I. *Quid non sit inhabitatio.* 1) Non est *sola omnipraesentia,* vi cuius Deus est in rebus omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam ; haec enim est communis quibuslibet rebus, dum inhabitatio est exclusiva iustorum.

2) Inhabitatio *non efficit unionem substantialem* inter substantiam Dei praesentis ct substantiam animae iustae, quam Ille inhabitat, sed tantum accidentalem, ratione praesentiae, quae versatur in genere accidentis. Illa enim unio substantialis esset secundum unitatem naturae vel personae. Nunc vero, utraque repugnat. Etenim repugnat ut natura divina coniungatur in unam naturam cum creaturis; repugnat etiam coniunctio in unitatem personae, cum ex revelatione haec tantum constet de mysterio Incarnationis. Immo monet Pius XII, "omnem reiciendum esse mysticae huius coagmentationis modum, quo christi fideles, quavis ratione ita creatarum rerum ordinem praetergrediantur, atque in divina perperam invadant, ut vel una sempiterni Numinis attributio de iisdem tanquam propria praedicari queat" 1S.

211. II. *Positiva expositio inhabitationis.* Pius XII ibidem, premens vestigia S.Thomae, adumbrat hanc positivam expositionem, haec asserens : "Inhabitare quidem divinae personae dicuntur, quatenus in creatis animantibus intellectu praeditis imperscrutabili modo praesentes, ab iisdem per cognitionem et amorem attinguntur, quadam tamen ratione omnem naturam transcendente, ac penitus intima et singulari".

Itaque, inhabitatio duo involvit: *praesentiam physicam* personarum divinarum, quae efficiunt et conservant in nobis dona creata justificationis (praesentiam dynamicam); *praesentiam intentionalem,* quae nihil aliud est nisi potestas fruendi Deo per actus intellectus et voluntatis, et quidem modo supernaturali et amicali. Quod quidem, ut docuerat Leo XIII, anticipatio quaedam est seu inchoatio fruitionis, qua in patria gaudebimus, et a qua, "condicione tantum seu statu" differt10.

212. Nunc vero, ex his duobus, quid *proprie et formaliter* constituit inhabitationem? Sola praesentia dynamica, an sola praesentia intentionalis, an utraque praesentia? Vel aliis verbis : Qualis est titulus exigens inhabitationem ?

1) In sola praesentia dynamica, per effectionem et con-

l5 *Encycl. "Mystici Ccrporis":* AAS 35 (1943) 231.
ie *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,653.

servationem gratiae, reponit rationem formalem inhabitationis Vâzquez 17, quem sequuntur, inter alios, Salmaticenses 18, Oberjdoerfer 19, etc.; recentius, hanc sententiam expolivit P.Galtier 20, cui adhaerent Lennerz 21, M.Retailleau 22, etc. Rem ita explicat Galtier: Gratia est velut sigillatio in materia fluida. Unde, sicut, ut maneat sigillatio in materia fluida, requiritur ut maneat semper applicatum sigillum, secus enim dispareret sigillatio, similiter, ut maneat gratia, quae est sigillatio assimilativa animae ad divinam naturam, nccesse est ut maneat semper haec divina natura physice praesens. Haec autem sententia profertur a Galtier tanquam referens mentem Sanctorum Patrum 23.

Sed haec explicatio reicitur a pluribus theologis, eo quod non transcendat modum communem exsistendi, quem Deus habet per potentiam in omnibus rebus creatis. Concedendum tamen est, citatos theologos recentiores insistere in productione gratiae non prout est nova operatio, sed prout est specialis modus operandi.

2) Contra, *sat multi theologi,* iam a saeculo XIV, ita intellexerunt S.Thomam, quasi Angelicus reponeret causam formalem inhabitationis in sola cognitione et amore supernaturalibus, independenter a praesentia immensitatis, hoc est, in sola praesentia intentionali. Ideo, huiusmodi theologi, iam ab eodem tempore, hanc opinionem reiciebant tanquam insufficientem et inefficacem 24. Et merito quidem. Quapropter,

17 G.Vâzquez, *In 1* q.30 c.3 n.11ss.

18 Salmanticenses, *De Trinit.* q.19 dub.5. Amplum ct analyticum conspectum multiplicis opinionis difficillima de hac quaestione praebet I.Trütsch, *S.Trinitatis inhabitatio apud theologos recentiores* (Trento 1949). Censet Z.Teresius a S.Agnete, O.C.D. *(Doctrina Salmanticensium de trtodo inhabitationis Ss.Trinitatis in anima iusti:* DivThom (Pi) 45 [1942] 373-394), Salmanticenses potius accedere ad sententiam Vazquczti quam Suarezii, ut communiter asserebatur.

19 Oberdoerfer, *De inhabitatione Spiritus Sancti in anitnabus iustorum* (Tornaci 1890).

20 F.Galtier. *L'habitation en nous des Trois Personnes* (Roma 1950) *217-240.*

21 H.Lennerz, *De gratia Redemptoris* (Roma 1934) 117.

22 M.Retailleau, *La sainte Trinité dans les âmes justes* (Angers 1932).

23 Ipsum sequuntur quoad ram I.G.Menéndez-Reigada, O.P., *Inhabitaciôn, dones y experienda mistica:* RevEspT 6 (1946) 68-78, et maxime T.Urdânoz, O.P., *La inhabitaeiôn del Espiritu Santo en el del justo:* ibid., 485-533. Item L.Chambat, O.S.B., *Présence et Union. Les missions des Personnes de la Sainte Trinité, scion Saint Thomas d'Aquin* (Abbay de Saint-Wandrille 1943). Sed censet L.D.Sullivan, S.I. *(lustification and the Inhabitation of the Holy Gost. The doctrine of the Father Gabriel V&squez, S.I.* [Roma? 1940)), Vazquezium aliter esse intclligcndum ac communiter intelligitur.

24 Cf. v.gr. Suârez, *De Trinitate* 12,5.10, ubi reicit hanc opin-onem tanquam inefficacem, eo quod ponat praesentiam pure intentionalem sive obiectivam. Praesentiam reapse intentionalem posuerunt S.Bonarventura ct Alexander Halensis: cf. H.C.Koenig, *De inhabitatione Spiritus Sancti doctrina Sancti Bonaventurae* (Mundelein 1934); E.Primeau, *Doctrina Summ'ae Theologicae Alexandri Halensis de Spiritus Sancti apud iustos inhabitatione* (Mundelein 1936).

Suârez censuit complendam esse hame sententiam S.Thomae per rationem amicitiae, quam Angelicus innuerat 1.2 q.28 a.1, ita ut haec supernaturalis amicitia, effectus gratiae sanctificantis, constituat physice praesentes Personas divinas. Scilicet, amicitia appetit unionem inter amicos, non solum affectivam, sed etiam effectivam, per physicam et personalem praesentiam. Atqui per gratiam homo iustus constituitur verus Dei amicus. Ergo gratia sanctificans exigit realem ac substantialem praesentiam Dei. En ipsa verba Suarezii: "Per gratiam et caritatem, perfectissima quaedam amicitia inter Deum et hominem constituitur. Amicitia vero ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem praesentiam et coniunctionem, quoad fieri possit. Unde, amicitia perfectissima et maxime spiritualis ac divina, suo iure ac debito, postulat intimam Dei praesentiam in homine; quem sibi, hoc modo, amicum constituit per realem exsistentiam intra ipsum, ex vi talis amicitiae, ita ut, quamvis alio titulo ibi non esset, hic sufficeret..."[25]. Hanc sententiam Suarezii amplectuntur, inter plures, Gonet, Biixuart, B.Froget, Terrien, Beraza, Ler'ciher-Lakner, Dalmau, Tetxidor [26].

Attamen, exigentiae obiecti cogniti ct amati videntur non posse fundare hanc novam praesentiam inhabitationis, cum talis cognitio et amor sint aliquid intentionale, quod etiam inter physice absentes dari possit. Immo, nec ipsa ratio amicitiae; quia amicitia, cum etiam pertineat ad ordinem affectivum, non intelligitur quomodo ipsa formaliter efficiat realiter praesentes Personas divinas. Conceditur ergo perfectam amicitiam tendere in realem amicorum praesentiam; sed negatur amorem ut talem posse efficere hanc physicam unionem.

3) Ideo, Ioannes a S.Thoma [27], Gardeil [28], quos alii sequuntur maxime ex thomistis [29], docent S.Thomam ita esse

[25] Suârez, *De Trinitate* 12,5,13. Dc mente Suarezii circa inhabitationem, cf. S.GonzâiXz, *Suârez frente al misterio de la inhabitaciôn:* EstEcl *24* (1950) 341-366.

[24] GonET, *ClyPcus thomisticus* tr.6 disp.13 a.3 n.30s; Billuart, *De Trin.* disp.6 a.4; B.FrocET, *De l'habitation du Saint Esprit dans les âmes justes* (Pars 1900); Beraza, 896-906: LerchEr-Lakner. ICO; Dalmau in SThS 2.1,569; In., EstEcl .31 (1957) 120; L-Teixidor, S.I., *De inhabitatione Sancti Spiritus in animis iustorum:* AnalSacraTarrac 9 (1932) 257-283; Id., EstEcl 10 (1931) 296-301.

" Ioannes a S.Thoma, *Cursus theologicus, in J,* q.43 disp.17; cf. M.Cuervo, O.P., Z.a *inhab'taciôn de la Trinidad en toda alma en gracia, scgtin Juan de Santo Tontds:* CiencTom 69 (1945) 114-220.

[28] A.Gardeil, O.P., *Comment je realise Γhabitation de Dieu dans les âmes justes:* RevThoni 28 (1923) 3-42.129-41.328-60; *La structure de l'âme et l'expcrience mystique 2* (Faris 1927) 6-87.

[29] In iis R.Garricou-Lacrance, O. P., *L'habitation de la sainte Trinité et l'expérience mystique:* RevThom 11 (1928) 449-474; H.Lance, S.L, *De gratia*

interpretandum ut, praesupposita praesentia immensitatis, inhabitatio formaliter habeatur per cognitionem et amorem. Itaque, cognitio et amor non constituunt praesentiam Dei in nobis; sed, hac praesupposita per praesentiam immensitatis, praesentia specialis Personarum divinarum consistit in earum supernaturali cognitione et amore, actuali vel saltem habituali, profluentibus ex gratia sanctificante.

4) Probabilius nobis videtur, accurrendum esse ad utramque praesentiam, dymamicam nempe et intentionalem, si velimus reddere rationem efficacem et adaequatam inhabitationis. Nimirum, amice consociantes duplicem formulam, quam in hac re adhibet S.Thomas, cum dicit Deum fieri praesentem *per gratiam et per operationem creaturae* so, possemus haec statuere: Deus sese coniungit iustis per gratiam dupliciter; scilicet, *tanquam principium,* efficiens et conservans in nobis gratiam, quae est ratio nostri esse et nostrae activitatis supernaturalis,.et *tanquam terminus,* dum sese tradit fruendum animae, habitualitcr vel etiam actualiter, per cognitionem et amorem, ex gratia profluentes.

Itaque, Personae divinae fiunt praesentes per efficientiam et conservationem gratiae sanctificantis; haec autem praesentia manifestat quodammodo animae Personas divinas, quae, hac ratione, fiunt obiectum cognitionis et amoris. Ideo, inhabitatio est factum *oniologicum* et *psychologicum,* prius autem ontologicum quam psychologicum ; seu inhabitatio, adaequate spectata, constituitur per praesentiam *dynamicam* (per effectionem et conservationem gratiae) simul et *intentionalem* (per cognitionem et amorem, actualem vel saltem habitualem).

5) Quare, nostra sententia non est nisi synthesis utriusque solutionis, quae, labentibus saeculis, huic quaestioni data est : Etenim, re historice considerata, animadvertimus *Sanctos Patres,* quos sequuntur Vazquez, Galtier, necnon et *alii theologi,* reponere inhabitationem in productione et conservatione gratiae, dum *ceteri theologi scholastici,* ducibus vel

(Friburgi Br. 1929) 453; M.CujîRVO, O.P., *Suma teolôgica de Santo Tomâs de Aquino:* B.A.C. 2 (Madrid 1948) 602-635; Sauras, *o.c.,* 790-818; J.H.Nicolas, O.P., *Le don du Saint Esprit:* RevThom 53 (10.53) 420s; F.Cunningham, *The Indwelling of the Trinity* (Dubuque 1955) c.6-9; V.Ror>Rfcui>7., O.P.. *Inhabitaciôn de la SS.Trin'Sdad en cl altna en gracia:* ViencTom 86 (1959) 65-115 Mentem S.Thomae de cognitione experimentali inhabitationis explicat J.F.Dedek, *Experimental Kitowlcyde of the Indwelling Trinity* (Mundelein 1958).

æ S.Thomas, 1 q.8 a.3: "Hoc igitur secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura, quae cognoscit et diligit illum actu vel habitu.. Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, dicitur esse hoc modo in sanctis *per gratiam."* Ipse AnGELLCUS, 1 q.43 a.3: "Quia cognoscendo et amando creatura rationalis *sua operatione* attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo."

maxime S.Thoma et Suarez, inhabitationem spectantes tanquam effectum formalem gratiae sanctificantis, eandem potius amant explicare per cognitionem et amorem, vel etiam per rationem amicitiae. Iam vero, neutra solutio, si seorsim accipiatur, rem satisfactorie enodare valet, cum prima non satis distinguat praesentiam inhabitationis a praesentia generali immensitatis, altera vero non sufficienter tueatur praesentiam physicam et substantialem. Ideo censemus utramque solutionem simul esse adhibendam, ut adaequate explicetur vera ac physica praesentia Trinitatis, ac simul rite separetur haec singularis praesentia a communi praesentia immensitatis [31].

N.B. Hodie vero non pauci TT., perficientes opinionem quam Lessius, Petavius, Scheeben, alii tenuerant ut magis conformem Scripturae et PP. graecis, explicant, ablatis differentiis, inhabitationem sic fere per causalitatem quasi formalem: Deus modo parallelo (ac servatis servandis) quo dicitur se dare ad modum formae accidentaliter beato et substantialiter humanitati Christi, non fit animae iusti praesens vel mere efficienter ac exemplariter per productionem gratiae ad similitudinem divinam vel solum quatenus producta prius gratia anima Deum intentionaliter per cognitionem et amorem ut praesentem attingit actu aut saltem habitu. Sed simpliciter Deus speciali unione applicat immediate animae suam substantiam ut quasi formam (non ergo qui ea applicatione fiat pars novae substantiae vel ipse perficiatur) dum ipsa sua unione transformat animam seu producit gratiam sanctificantem quae sit ultima dispositio formalis ad eum habendum et eo fruendum, ita ergo ut gratia creata et gratia increata sint absolute inseparabiles. Cum vero haec postrema simul et animam immediate afficiat et non sit vera eius forma, servatur et immanentia Dei inhabitantis et transcendentia divina [32].

31 Sic et J.B.Terrien, S.I., O *grâce et la gloire,* 1 (Faris 1901) 1.4 c.4-5. Et ita intelligunt S.Thomam J.Sagüés, S.I., *El modo dc inhabitaciôn del Espiritu Santo scgûn' Santo Tomâs dc Aquino:* MiscCom 2 (1944) 161-201, et, ut videtur, T.J.Fitzgerald, *Dc inhabdationc Spiritus Sancti doctrina S.Thomae Aquinatis* (Mundelein 1949); R.MorEncy, S.I., *L'union du juste* d *Dieu, par voie dc connaissance ct d'Amour dc Grâce selon Saint Thomas* (Montreal 1950), quoad rem S.I. Dockx, O.P., *Fils de Dieu par Grâce* (Paris 1948) et *Du fondement propre de la présence réelle de Dieu dans l'âme juste:* NouvRevTh 72 (1950) 673-689.

83 Sic praeter Lessium, Petavium, Scheeben et alios quos memorat SchaüP, *o.c.,* M.de la Taille, S.I., *Actuation créé par acte incréé:* RechScReI 18 (1928) 253-268 ct *Théories Mystiques:* Ibid. 303-306; K.RahnEr, S.I., *Zur Si holastischcn UnbcgriffTchkcit der ungeschaffem n Gnade:* Schnlh-n zur Théologie, 1 (Einsiedeln 1954) 347-375; J.M.Alonso, C.M.F., *Rclac:6n de causalidad entre gracia crcada c incrcada:* RevEspT 6 (1946) 3-59; M.J.Donnelly, *The Inhabitation of the Holy Spirit:* ThSt 8 (1947) 451-470; J.Trütsch, *o.c.;*

Eam theoriam, quae solet ab eius auctoribus tribui S.Thomae [33], thomistae generatim negant referre mentem Ipsius [33*].

213. Scholion 1. *De nexu inter gratiam et inhabitationem.* Probata exsistentia duplicis doni, creati et increati, in iustificatione, quaeri potest quid sit prius natura in anima iusta: gratia sanctificans, an inhabitatio. Nulla est quaestio de prioritate logica inhabitationis in ordine efficienti nec de prioritate logica gratiae in ordine dispositivo; sed de prioritate in morali. Non vero de prioritate valoris, sed donationis: datur per se primo gratia quae trahit Spiritum S. an potius hic datur, qui se communicat per dona gratiae? Ea quaestio a scholasticis vel non agitabatur expresse vel generatim solvebatur pro prioritate logica gratiae [*]. Recentius vero iam erant qui prioritatem inhabitationi tribuerent Quod sane tenere debent defensores causalitatis quasiformalis, cum pro iis donum primo ac per se datum sit Spiritus S.; imo pro iis quaestio fere caret sensu, cum iuxta eos gratia creata et gratia increata sint adeo correlativae ac metaphysice inseparabiles, ut nequeat concipi inhabitatio sine gratia nec haec sine ilia; ideo ii vellent potius supprimere quantum sit possibile dualismum illum, ut fere maneat unum donum increatum quod insto se tradit per transformationem huius seu per donum creatum [M].

Hinc, ex his quae in thesi praecedenti dicta sunt, productio gratiae tenenda est natura prior inhabitatione, cum sit eius radix et fundamentum, potius quam effectus formalis ipsius.

Quidquid tamen sit, iustificatio utrumque complectitur: et dona creata et donum increatum. Sed diversimode. Gratiam quidem tan-

E.Bourassa, S.I., *Actuation dc iânfc Par acte divin:* ScEccI 10 (1958) 139-166; C.Moeller-G.Philips, *Grâce ct oecuménisme* (Chcvctogne 1957) c.2-3; Ch. Baumgartner, S.I., *Bulletin de théologie dogmatique:* RechScRel 47 (1959) 134s; I-Wandenbroucke, O.S.B., *Esprit Saint:* DSpir 4 (1960); D.Burrell, C.S.C., *Indwelling: Presence and Dialogue:* ThSt 22 (1961) 1-17 (ut videtur). Quoad rein idem tenent J.C.Martinez GômEz, S.I., *El m'isterio de la inhabitaciôn del Espiritu Santo:* EstEcl 13 (1934) 287-315; Galtier, *Gracia c inabitasiane della S.Trinità:* ProbiOr 2 (Milano 1957) 630-633: A.Michel, *Trinité:* DTC 15 (1950) 1850s. Maxime P.de Letter, qui ct alia studia et haec edidit: *Divine Quasi-Formal Causality:* IrishThQuart 27 (1960) 220-228, *Sanctifying Grace and Divine Indwelling. Fr. dc la Taille and St.Thomas:* Greg 41 (1960) 63-69, *Trinitarian Indwelling according to Ruysbroeck:* HcythJourn 2 (1961) 48-54; putat solam causalitatcm quasiformalem fundarc relationes speciales iusti ad singulas personas: *Grace, Incorporation'., Inhabitation:* ThSt 19 (1958) 1-31. Num vero in omnibus referat exacte mentem S.Thomae quaerit Bourassa, *Présence intcntioneUe · Présence réelle:* ScEccI 12 (1960) 307-350.

33 Etiam Morency. *o.c.,* 239-240, credit conceptionem S.Thomae includere quadantenus thesim M.dë la Taille.

32* Cf. Urdanoz, *Infiujo causai dc las Divinas Person'as en la inhabitaciôn en las almas justas:* RevEpT 8 (1948) 186-192; Verardo, *Polemichc... l.c.,* 33; Hill, *Proper Relations...* 115.

*. H.Koenig, *De inhabitatione Spiritus Sancti doctrina S.Bonaventurae* (Mundelein 1934); J.Beumer S.I., *Das Perthaltnis von geschaffener und ungeschaffcncr Gnadc:* WissWcish 10 (1943) 22-41. Cf. T.C.Martînez.Gômez, *Relaciôn entre la inhabitaciôn del Espiritu Santo y los dones dc la justificaciôn:* EstEcl 14 (1935) 20-50; J.M.Alonso, *l.c.,* 5-8.

a'* Cf. Martînez Gômez, *l.c.,;* Galtier, *Gtazja c inab'tasionc...* 617-619.

M Cf. De Letter, *Divine Indwelling and sanctifying grace:* Bijdr 19 (1958) 22-31; Moeller-PmUPS, *o.c.,* c.3. De trinitate inhabitante ut obiccto cognitionis mysticae cf. De la Taille, *Théories mystiques:* RechScRel 18 (1928) 303-306.311.317s; MekéndBZ-Reigada, *l.c.,* 90-98; Danielou, *o.c.,* 223-225.242-252; De Letter, *Trinitarian...:* Heythjourn 2 (1961) 48-54. De momento doctrinae trinitariae ac proin inhabitationis pro Christiano cf. M.M.Philippon, O.P., *La Trinité, clé de voûte des mystères chrétiens:* RevThom 58 (1958) 209-225; Id., *La Trinidad en mi vida* (Barcelona 1961).

quam formam intrinsece informantem; Spiritum Sanctum tanquam formam externam assistentem. Potest ergo dici justificatio donum totale unum, ex duplici partiali illo elemento duplicem aspectum praebens, informativum et terminativum. Fere sicuti beatitudo supernaturalis unicum donum est, coalescens ex lumine gloriae tanquam ex forma interna et ex essentia divina tanquam ex termino externo ". Hinc effectus iustificationis tribui possunt et gratiae formaliter et Spiritui Sancto terminativen.

214. Scholion 2. *De excellentia iustificationis* (1.2 q.113 a.9s).
a) Ex parte rei productae, justificatio impii est opus praestantius quam creatio; nam terminatur ad bonum aeternum divinae participationis, dum creatio terminatur ad bonum naturae mutabilis. Ex parte modi agendi, creatio praestanticr est quam justificatio; quia fit ex nihilo et nullam dispositionem supponit, dum nistificatio non fit ex nihilo et exigit cx parte subiecti adulti nonnullas dispositiones.
b) Attamen justificatio, prout communiter fit, non est opus miraculosum. Etenim non fit praeter consuetum providentiae ordinem, sed secundum leges communes ordinis supernaturalis. Aliquando vero, v.gr. in conversione Pauli, est opus vere miraculosum.

ARTICULUS IV

De effectibus iustificationis

215. Iustificationem iam cognoscimus in seipsa spectatam. Ut vero illam intimius penetremus, veniamus ad investigandos effectus ipsius. Hi quidem plures assignantur; sunt vero praecipui consortium naturae divinae et filiatio Dei adoptiva.

Ut supra diximus, n.213, cum iustificatio coalescat ex dono creato et ex dono imereato, effectus ipsius utrique dono tribuendi sunt iuxta naturam uniuscuiusque. Sic ergo hi effectus dicendi sunt haberi formaliter per gratiam et terminative per inhabitationem Spiritus Sancti.

a) *Formaliter,* seu in genere causae formalis. Causa formalis illa est quae influit esse in aliud, non agendo sed informando, non actione sed sola sui communicatione. Dicitur ergo *effectus formalis* id quod forma tribuit subiecto immediate per sui communicationem.

Duplex esse potest effectus formalis:

1) *Primarius* (internus), qui primo et per se resultat ex ipsa communicatione formae. Est ergo ipsum compositum,, prout resultans ex forma informante subiectum, et inadaequate tantum distinguitur a forma.

2) *Secundarius* (externus), qui consequitur, naturali re-

98 Cf. Suârez, *De gratia* prol. 3,312.
27 Cf. LancB, 445.

sultantia, informationem subiecti. Non est ipsum compositum, et adaequate distinguitur a forma.

Effectus iustificationis habentur formaliter per gratiam. Cuius sane effectus formalis realiter unus est, scilicet homo novus. Virtualiter tamen multiplex dici potest pro diversis respectibus. Horum primus et fundamentalis, in quo ceteri radicantur, est reddere hominem consortem naturae divinae, qui proinde est effectus formalis primarius gratiae sanctificantis.

b) *Terminative,* seu ratione termini cui coniungitur. Per analogiam ad formam intrinsecam et informantem, considerari potest alia forma externa tanquam assistens.

Effectus iustificationis habentur terminative per inhabitationem Spiritus Sancti. Etiam sic primarius effectus est reddere hominem consortem naturae divinae.

Thesis 22. In iustificatione homo vere fit consors naturae divinae; quod obtinet formaliter per gratiam.

S.Th., 1.2 q.110 a.3s; I.ErchEr-Lakner, 79-97: Beraza, 769-803; Lance, 403-419.

216. Notiones. Consors naturae divinae dicitur ille qui naturam divinam participat.

1) Natura aliqua participari[1] potest:

a) *Numerice:* si eadem natura immultiplicata est in singulis participantibus. Sic natura divina est in Patre et Filio et Spiritu Sancto.

b) *Non numerice* (specifice vel quasi specifice): si eadem natura multiplicatur in singulis participantibus. Sic natura humana est in singulis hominibus.

2) Haec vero specifica vel quasi specifica participatio naturae adhuc esse potest:

a) *Univoca:* secundum eandem omnino rationem. Sic natura humana est in singulis hominibus.

b) *Analogica:* secundum rationem partim eandem, partial diversam; id est, secundum aliquam proportionem.

3) Participatio naturae divinae esse potest:

a) *Moralis tantum:* per quandam similitudinem actuum intellectus et voluntatis cum intellectu et voluntate Dei, in quibus vita divina residet.

- I I - 4

1 Dc conceptu participationis apud S.Thomam, cf. C.Fabro, *La nozione mctafisica de partccipaziorie secondo S.Tommaso d'Aquino* (Milano 1939): P.Parente. *Rapporto tra partecipasione c causalità in S.Tommaso:* ActPontAcRcxn-STh (1940-1941) 157-172; Geiger, *La participation dans la philosophie de S•Thomas d'Aquin* (Faris 1042); J.S.Dunce, C.S.C., *St.Thomas theology of participation:* ThSt 18 (1957) 487-512

b) *Physica:* per quandam similitudinem ontologicam cum ipso principio vitae divinae.

4) Tandem haec participatio potest esse:

a) *Substantialis:* si communicatur ipsa divina natura, quae proinde unitur homini unione substantiali.

b) *Accidentalis:* si communicatur entitas aliqua creata accidentalis, quae in seipsa refert similitudinem naturae divinae, quaeque proinde unitur homini unione accidentali.

Agimus de participatione naturae divinae analogica, physica et accidentali.

VERE, id est, non metaphorice, quamvis analogice.

Formaliter per gratiam: hoc consortium est effectus formalis gratiae sanctificantis.

Tria ergo dicimus:

a) In iustificatione datur consortium naturae divinae.

b) Hoc consortium habetur per gratiam.

c) Et quidem tanquam effectus formalis gratiae.

a) DATUR CONSORTIUM NATURAE DIVINAE

217. Adversarii. *Pantheistae, falsi mystici, Quietistae,* aliquam substantialem identitatem cum natura divina propugnantes, per conversionem nostram in illam.

Baius, *Rationalistae* et *Semirationalistae,* totum hoc consortium ad moralem quandam assimilationem cum Deo reducentes.

218. Doctrina Ecclesiae. 1) Consortium naturae divinae non posse esse numericum, docuit Ecclesia contra Eckard (D 510-513), contra Molinos (D 1225), contra pantheistas (D 1782s 1903s).

2) Consortium illud non esse pure morale, docuit S.Pius V contra Baium (D 1042), contra quem etiam tenuit supernaturalitatem ipsius (D 1021).

3) Leo XIII: "Eloqui nemo potest, quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter, tum in sacris Litteris, tum apud Ecclesiae Patres, et regenerati, et creaturae novae, et consortes divinae naturae, et filii Dei, et deifici similibusque laudibus appellantur"[2].

4) Pius XII: "Ac si Verbum semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, hoc ea quoque de causa egit, ut nos secundum carnem fratres faceret consortes divinae naturae,

[2] *Encycl. "Divinum illud* munus": ASS 29,652. De Eckarrt cf. Rondet, *La divinisation...* l.c. 460s; R.L.Oechslin, *Eckart (Maître Eckart):* DSpir 4 (1958) 93-116.

cum in terrestri exilio per sanctitatis effectricem gratiam, tum in caelesti patria per sempiternam assequendam beatitatem"[3].

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica,* ex magisterio ordinario Ecclesiae.

219. Probatur ex sacra Scriptura. 1) Ex 2 Petr 1,4: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per haec efficiamini divinae consortes naturae...*

Contextus. Commemorat Petrus beneficia quae Deus contulit Christianis, eos ad fidem adducendo (v.3-5), atque eos hortatur ut illis respondeant per exercitium virtutum (v.5-9). Scilicet, cum Deus donaverit vobis tot dona, vos debetis animos vestros ornare omni virtutum genere.

Textus. *Per quem,* id est, per Christum, vel graece, *per quae,* scilicet, per illa de quibus in v.3. Sensus idem est. *Promissa maxima et pretiosa,* hoc est, dona promissa vel a prophetis vel a Christo et Apostolis, et quae conferuntur fidelibus ad vitam et pietatem (v.3), ad fugiendam corruptionem mundanam (v.4), et quidem tunc cum ad fidem vocantur a Christo, eumque cognoscunt (v.3). *Consortes divinae naturae,* seu socii et participes ipsius, ita ut adsit quodammodo vera communicatio naturae, qualiter colligitur ex conceptu regenerationis[4]. Cf. 1 Cor 10,14-22; 2 Cor 1,7; 1 Petr 5,1.

Argumentum[5][8] S.Petrus loquitur de aliquo consortio divinae naturae, quod non est pantheisticum, aut mere morale, aut pure eschatologicum. Atqui tale consortium habetur in iustificatione. Ergo in iustificatione homo vere fit consors naturae divinae.

Mai.: In textu aliquod consortium naturae divinae effertur ipsis verbis; quod, ut diximus, nihil aliud est, nisi participatio illius naturae quam habet verus et unicus Deus. Hoc autem consortium nequit intelligi:

a) *pantheisticum:* idea enim pantheistica aliena est a sacra Scriptura; praeterea in ipso contextu fit distinctio inter Deum donantem (v.3s) et hominem cooperantem (v.5-10).

b) *mere morale:* dona enim collata, inter quae enumeratur consortium divinae naturae, sunt ratio propter quam fideles tenentur quaerere aliam' assimilationem cum Deo, quae obtinetur per exercitium virtutum et est moralis.

3 *Enrycl. "Mystici Corporis":* AAS 35 (1943) 214.
* U.Hoizmeister, *In epistulam primam S.Petri* (Paris 1937) 79ss; B.Justiniani. *In omnes cathoPcas epistolas explanationes* (Lugduni 1621); J.Chains, *Les Épîtres catholiques* (Paris 1939) 41ss; A.CharuE, *Les epitres catholiques:* PirClam 12 (Paris 1951) 484s.
8 Cf. Lance, 410.

c) *pure eschatologicum:* illa promissa ad vitam et pietatem iam nobis donata sunt; cui vitae piae, quae ex illis donis oritur, opponitur corruptio concupiscentiae in hoc mundo; quibus omnibus praeparatur introitus in vitam aeternam (v.11).

Min.: Dona illa habentur in nobis per cognitionem Iesu, quam homo acquirit cum sequitur Dominum vocantem ad fidem (v.3).

2) Ex Io 3,5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* (cf. praeterea Io 1,13; Tit 3,5; Iac 1,18; 1 Io 3,9).

Unde sic: In iustificatione generamur a Deo in novam naturam. Atqui per generationem communicatur genito natura generantis. Ergo in iustificatione fimus participes naturae divinae.

Mai.: Sermo est de iustificatione; nam renascentia vel generatio quae acquiritur per baptismum, quaeque necessaria est ad ingrediendum regnum caelorum, est iustificatio.

Min.: Haec est condicio essentialis cuiuscumque generationis.

220. Probatur ex traditione. 1) *Patres* agnoscunt factum consortii divini in verbis Petri. Ita S.Leo M.: "Agnosce, o christiane, dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire" (R 2103). Cf. praeterea Clementem Alex. (R 412), S.Basilium (R 944), S.Ambrosium (R 1318), S.Augustinum (R 1468 1698), S.Cyrillum Alex. (R 2063 2080), Pseudo-Areopagitam (R 2286).

2) In *sacra Liturgia* celebratur nostra participatio divinitatis. In *Missa,* ad mixtionem aquae et vini: "Eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps". In *praef. Ascensionis:* "Ut nos divinitatis suae tribueret esse participes". *In dom.18 p.Pent.,* oratione secreta: "Unius summae divinitatis participes efficis". In *officio Ss.Sacramenti:* "Unigenitus siquidem Dei Filius, suae divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram sumpsit, ut homines deos faceret, factus homo". In *postcom. festi S.Cyrilli Hieros.* (18 mart.) petimus "ut divinae consortes naturae effici mereamur".

b) CONSORTIUM HOC HABETUR PER GRATIAM

221. Doctrina Ecclesiae. S.Pius V contra Baium tribuit gratiae consortium divinae naturae (D 1042). Idem fa-

cit Leo XIII et expressis verbis docet Pius XII in textibus supra citatis n.218.

Valor dogmaticus. Prout thesis effert aliquam connexionem inter gratiam et consortium divinae naturae, quin eam amplius determinet, dici debet *doctrina catholica.*

222. Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae inde docent participationem divinae naturae in homine iusto, quod iustus novam accipit naturam per generationem a Deo. Atqui talis generatio explicatur in Scriptura per donum aliquod creatum, quod vocamus gratiam. Ergo consortium naturae divinae habetur per gratiam.

Mai.: Cf. supra n.219 2).

Min.: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet (1 Io 3,9); *signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae* (Eph 1,14). "Semen" et "sigillum" est aliquod donum creatum, effectus actionis Spiritus Sancti. Illud vocamus gratiam.

223. Probatur ex traditione. S.Irenaeus loquitur saepe de aliqua participatione gloriae Dei, quae consistit in assimilatione, unione, communione cum Deo, quaeque est creata quaedam entitas superaddita naturae[6]. S.Cyrillus Alexandrinus tribuit nostram assimilationem ad Deum Spiritui Sancto per donum creatum gratiae (R 2063; cf. 2039)[7]. S.Augustinus: "Homines dixit deos, ex gratia sua deificatos" (R 1468).

c) CONSORTIUM HOC HABETUR PER GRATIAM FORMALITER

224. Adversarii. Lessius († 1623), tenet consortium divinae naturae effici formaliter per inhabitationem Spiritus Sancti: per gratiam homo fit iustus et sanctus, et hac ratione participat quodammodo naturam divinam, non vero complete et formaliter nisi per Spiritum Sanctum inhabitantem. Idem fere de causalitate quasiformali inhabitationis quoad consortium et quoad adoptionem, imo et quoad iustificationem in genere docent Petavius, Thomassinus, Scheeben, Hurter, dein Kuhaut[8], et in genere ii omnes qui explicant inhabita-

[6] Cf. Langs, 273-412.
[7] Cf. Lance, 276.
[8] Lessius, *Dc summo bono* 2,1,3; *Dc perfectionibus divinis* 12,11,75; Petavius, *De Trinitate* 8,4,6; Thomassinus, *Dc Incarnatione* 8,9ss; ScnEEBEN, *Dogmatik* 2,832; Hurter, *De çratia* 190ss; H.Kuhaut, *Dic Fonnalursache der Gottcskindschaft* (Muenster 1940).

tionem per unionem quasiformalem Dei inhabitantis (cf. n.212).

Valor theologicus. *Communis et certa.*

225. Ratio theologica. 1) Probatio. Natura divina concipitur ut principium radicale operationum, quibus Deus Seipsum videt et amat modo Sibi omnino proprio. Atqui gratia est formalis et physica imago illius principii radicalis. Ergo gratia in seipsa est participatio naturae divinae, quam proinde sola sui communicatione tribuit animae iustae.

Mai.: Natura concipitur semper ut radicale principium operationum specificarum. Ergo natura divina concipi debet ut principium radicale operationum propriarum Dei.

Min.: a) Est *imago:* imago enim est similitudo expressa in natura specifica vel quasi specifica, vi productionis. Atqui gratia est similitudo Dei, procedens ex archetypo divino, efferens vitam propriam Dei, vi actionis quae in fontibus vocatur generativa. Ergo gratia est imago principii radicalis vitae divinae.

b) Est *imago physica:* est enim ens physice permanens, physice inhaerens, physice disponens ad visionem et amorem Dei.

c) Est *imago formalis:* ponit enim formaliter in anima, quod formaliter est in Deo. Nam principium radicale videndi et amandi Deum, modo Sibi proprio, est in Deo formaliter, non tantum virtualiter. Cf. S.Th., 1 q.93 a.4 8.*

226. 2) Ulterior explicatio. Ex dictis sequitur, gratiam referre similitudinem quandam cum Deo in ordine supernatural! et per ipsam exprimi in anima imaginem supernaturalem ipsius Dei. Haec imago non est merum vestigium Dei, quale habetur in omnibus creaturis (participatio divinae essentiae); neque est imago Dei naturalis, qualis habetur in creaturis spiritualibus (participatio naturalis divinae naturae); sed est specialis imago Dei, referens quasi delineamenta propria vitae divinae, scilicet vitae trinitariae.

Sed quaerunt ulterius theologi, qualis sit terminus illius assimilationis, seu quaenam sit divina perfectio, cuius hoc modo sit in anima similitudo per gratiam.

a) Ripalda (f 1648), cum quo consentire videntur plures *scotistae,* necnon Sparza, Oviedo, Struggl, Kilber 10, do-

0 Cf. Garrigou-Lagrange, 104s:; J.BittrEmieux *Utrum unie cum Spiritu Sancto sii causa formalis filiationis adoptivae iustif.* EphemThLov 10 (1933) 427-40.

w Ripalda, *De ente supcrnaturali* d.1332 s.9 n.105; Esparza, *De iustifica-*

cet nos participare per gratiam naturam divinam, non physice, sed tantum moraliter. Scilicet, sicut Deus natura sua, ita homo per gratiam accipit illam bonitatem moralem, vi cuius removetur peccatum et praebetur facultas ad opera bona perficienda. Hanc participationem moralem naturae divinae ultro concedunt ceteri theologi, sed simul aestimant illam insufficientem, eo quod haec bonitas moralis supponat naturam psysicam, quae sit principium radicale harum bonarum operationum. "Sicut moralis bonitas, ait Peschu, in ordine naturali non constituit naturam humanam, sed est qualitas quaedam naturae intellectualis, ita in ordine supernatural! id quod reddit hominem participem naturae divinae, concipi debet ut ens physicum, cuius qualitas quaedam est moralis bonitas".

Ideo, *reliqui theologi* defendunt participationem divinae naturae intelligendam esse, non solum ordinis *moralis,* sed etiam ordinis *physici.* Attamen, non omnes explicant eodem modo *hanc physicam participationem.*

b) Ioannes Vicente, O.P. (t 1595), cuius sententiam amplectuntur alii thomistae, ut P.DE Ledesma, Cabrera, Nazario, Araùjo, Gr.Martînez, Ioannes a S.Thoma, Labat, Gonet, rem ita concipit: "Gratia per se primo est formalis quaedam expressio et participatio divinae naturae, secundum id quod excellentius est et divinius in ipsa natura Dei; est enim eius participatio, quatenus est ipsum Esse imparticipatum et independens, omnem praehabens essendi plenitudinem" 12.

Verum haec sententia impugnata est primum a I.A.CuRiEE (t 1609), deinde a Suarez (f 1617), quos sequuntur plerique theologi, eo quod nulla creatura possit participare divinam naturam secundum eam rationem qua est ipsum esse per essentiam 1S. Certe, hui sententiae I.Vicente minime fa-

tione 5,2; Oviedo, *Dc iustificationc* tr.8 contr.l n.3; Struggl, *De gratia* p.l tr.6 d.5 q.l a.3 n.23; Kilber, *De gratia* 407. Cf. Beraza, 778.

11 Pesch, *Praelectiones dogmaticae* 5,345.

12 Ioannes Vicente, *Relectio dc habituali Christi Salvatoris sanctificante gratia* (Romae 1590) p.18. Dc vita et scriptis huius theologi, cf. Beltriân de Heredia, *El padre Juan Picente Asturiccnse, Procurador y Picaria General de la Ordcn:* ArchFrPraed 11 (1941) 5-35. Plura de hac sententia dabit T.Urdjanoz, O.P., *Juan de Sarto Tomâs y la transcendenda sobrenatural de la gracia santificante:* ClencTom 69 (1945) 65-90; R.Garricou-Lagrange, O.P., *La grâce est-elle une participation de la Dcilé telle qu'elle est en soif:* RevThorn (1936) 470-485; M.García FernândEz, O.P., *La gracia como participaciôn de la divina naturalesa en Juan de Santo Tomâs y lugar que a âste corresponde en la tradiciân tomista:* ClencTom 70 (1946) 700-250; 73 (1947) 5-62; M.G.Bueno, O.P., *Sobre el constitutivo formal dc Dios cstrictamente sobrenatural:* ClencTom 85 (1958) 199-222. In specie de Ledesma cf. J.Gea Escolano, *La escncia dc la gracia, como participaciôn especial de Dios a través del ser, en Pedro de Ledesma* (Salamanca 1960).

13 Ioannis Alphonsi Curiei.is, *Lecturae seu Quaestiones in D.Thomae Aquinatis Primam Secundae* in q.110 a.3 dub.l § 4s; SuârEz, *De gratia* 7,1,24-29.

vent verba S.Thomae *(In 1* d.43 q.1 a.2): "Sicut nulli creaturae potest communicari quod sit Deus, ita non potest sibi communicari quod sit infinitae essentiae et infinitae potentiae".

c) Igitur Suarez, faciens suam interpretationem propositam a Curiel, eam refert his verbis: "Cum natura divina sit quaedam intellectualis natura altioris ordinis, quam sit vel esse possit ulla substantia intellectualis creata, ille gradus intellectualitatis qui est in divina natura, divino quodam et supernatural! modo participatur per habitualem gratiam, quo quidem modo a nulla substantia creata per seipsam, vel per potentiam sibi connaturalem participari potest... Divina enim essentia in ratione obiecti intelligibilis in se, et per visionem intuitivam ad ipsam Dei essentiam immediate terminatam, adeo est elevata et excellens ratione purissime actualitatis et immaterialitatis suae, ut a nulla substantia intellectuali possit connaturaliter videri, nisi a seipsa. Per gratiam vero et dona supernaturalia elevatur natura creata intellectualis ad participationem illius gradus intellectualitatis divinae, in quo possit obiectum illud intelligibile divinae essentiae in se intueri. Et ad hunc finem per se primo dantur dona habitualis gratiae... In illo vero ordine quidam habitus sunt principia proxima et quasi potentiae elicitivae talium actuum et hi sunt participationes propriae divinae naturae, non ut sub ratione naturae consideratur, sed ut habet rationem intellectus, aut voluntatis, vel iustitiae, vel alterius similis virtutis, et ideo, praeter hos habitus immediate operativos, datur alius in quo illi, tanquam in natura et essentia connectantur, quem gratiam sanctificantem per antonomasiam appellamus. Hinc ergo illa est propria participatio divinae naturae, ut talis natura est, quia participat gradum illum divinae intellectualitatis, non ut proxima virtus in ordine ad unum specialem actum, sed ut radicale principium omnium virtutum, et actuum illarum, quia proprie spectat ad naturam, ut natura est..."[14].

227. *Haec ultima explicatio nobis probabilior videtur.* Iuxta eam, essentia gratiae consistit in aliqua similitudine naturae divinae in quantum haec concipitur in relatione ad operationes proprias ipsius Dei. Operationes illae propriae sunt visio et amor ipsius Dei modo omnino speciali, qui radicatur in summa spiritualitate divina. Natura autem divina a no-

14 Cf. SuArEz, *Dc (jratia* 7,1,30s; RondET, *l.c.,* 451-456; A.Piot.antî, *La Grasia, conte participazione della Natura Divinat* EunDoc 10 (1957) 43-50; A.Michel, *Grâce sanctifiante et ordre surnaturel:* AmCl 69 (1959) 465-468. Bueno, *l.c.,* 217 putat opinionem thomistarum forte non differre a nostra.

bis concipitur tanquam radicale principium harum operationum. Gratia ergo est imago huius principii radicalis cognitionis et amoris Dei, modo exclusive divino. Quem modum cognoscendi et amandi Deum communicat iusto per meram sui communicationem. Non tamen communicat ipsam visionem et amorem actualem ; sed principium radicale ipsorum. Etsi enim in Deo omnia sint purissimus actus, modus noster concipiendi divina distinguit inter actus ipsos et principium eorum.

Modus utique proprius Dei in cognitione est visio beatifica suimetipsius, et in amore est amor eandem visionem consequens. Non tamen putandum est, participationem assimilativam huius modi proprii, prouti est in anima, reponendam esse solum in visione beatifica nostra et in amore consequenti. Sicut enim in ordine naturali homo vere est imago Dei, non solum quando actu intelligit et amat, sed perpetuo, ideo quia semper habet aptitudinem radicalem ad intelligendum et amandum, sic etiam in ordine supernatural! homo vere est specialis imago Dei, non solum quando Deum actu videt et amat beatifico modo, sed perpetuo, ideo quia semper per gratiam habet radicalem aptitudinem ad illam visionem et amorem. Gratia ergo ideo communicat naturam divinam, quia ex propria et immediata sui communicatione resultat anima assimilata Deo per imaginem illarum perfectionum, quae vitae divinae sunt propriae et exclusivae.

Quae quidem explicatio *sic probari potest.* Quo datur maior immaterialitas et intellectualitas, maior datur assimilatio ad Deum : sic maior est assimilatio ad Deum in angelo quam in homine, in homine quam in creatura irrationali. Ergo si datur aliqua assimilatio ad Deum, quae sit absolute supernaturalis, reponenda erit in aliqua immaterialitate et intellectualitate, quae sit propria Dei. Atqui gratia est similitudo Dei absolute supennaturalis. Ergo gratia debet esse assimilatio ad Deum in Eius summa immaterialitate et intellectualitate, seu in modo cognoscendi stricte divino, qui aliunde erit radix amoris simpliciter divini.

228. Scholion. *De consortio divinae naturae terminative sumpto.* Multi textus SS.Patrum tribuunt Spiritui Sancto inhabitanti consortium naturae divinae “. Quod quidem ita primo intelligi potest, ut significet Spiritum Sanctum efficere illud consortium non immediate, sed mediante forma creata gratiae. Sed praeterea bene intclligitur ex unione inter Spiritum Sanctum vel Trinitatem et animam, quae resultat ex inhabitatione, haberi in anima aliquam participationem naturae divinae. Quia tamen Spiritus Sanctus nequit

IS Cf. Martîsez Gômez, *Rclaeiin entre la inhabitaciôn...* 24-33.

considerari ut informans animam iusti, sed tantum ut eam inhabitans, consortium illud nequit tribui Spiritui Sancto formaliter, sed tantum terminative.

Thesis 23. In iustificatione homo vere fit filius Dei adoptivus; quod obtinet formaliter et adaequate per gratiam.

S.Th., 3 q.23 a.1ss; Lercher-Lakner, 79-97; Beraza, 804-828; Lange, 420-434.

229. Notiones. Filius Dei dicitur tripliciter: 1) *Per generationem naturalem,* in perfectam similitudinem generantis. Tale est Verbum (Ps 2,7; Io 1,1; 3,16...). 2) *Per errationem,* in similitudinem imperfectam Dei. Huiusmodi sunt creaturae intellectuales. Ita populus israeliticus (Deut 32,5-6; Os 11,1). Ita saepe angeli in libris poeticis. 3) *Per generationem spiritualem,* ratione gratiae sanctificantis. Ita omnes iusti. Haec tertia filiatio appellatur *adoptio.*

Adoptio, a iurisperitis definitur: Gratuita assumptio personae extraneae in filium cum iure ad hereditatem. Igitur cum filiatio adoptiva sit imitatio quaedam filiationis naturalis, tria importat: *a)* Communitatem naturae a patre in filium; *b)* quae communitas naturae cum iam habeatur, suppletur per affectum paternum erga filium; *c)* ius ad paternam hereditatem.

Haec valent de humana adoptione; quae tamen differt in pluribus *ab adoptione divina.* Nam 1) in adoptione humana necessario praeexigitur similitudo naturae; in divina vero, cum haec nondum adsit, a Deo efficitur; 2) adoptio humana est pure externa, per solum actum voluntatis adoptantis; divina vero efficitur ope infusionis doni intrinseci; 3) ideo, in adoptione divina, adoptatus merito dicitur genitus vel natus ex Deo; atque, specialiori modo quam in humanis, potest appellare Deum Patrem suum, et dici frater et coheres Christi Domini; 4) in humanis, ut quis succedat In bona adoptantis, requiritur quod intercedat mors illius; minime vero in divinis. Semper enim et essentialiter Deo vivente, ingredimur hereditatem Ipsius, quae alia non est nisi Eius essentia intuitive cognita et possessa per fruitionem [1].

Vere, id est, non metaphorice.

Formaliter per gratiam: adoptio divina est effectus formalis gratiae sanctificantis.

Adaequate per gratiam: quin entitati gratiae aliud quidpiam sit superaddendum.

1 Cf. J.Bellamy, *Adoption:* DTC 1,225-237.

Tria ergo dicimus:

a) In iustificatione homo fit filius Dei adoptivus.
b) Haec adoptio habetur per gratiam.
c) Et quidem tanquam effectus formalis ipsius.

a) homo fit filius ADOPTIVUS DEI

230. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.5 cn.5 (D 792): Homines per baptismum "innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti filii effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur". S.6 c.4 (D 796): Iustificatio est "translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei". S.6 c.7 (D 799): Per iustificationem "homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae".

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica.*

231. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Textus. *Rom 8,1-4:* Fideles, liberati a morte, a peccato, a servitute legis, a concupiscentia per Christum (c.5-7), novamque vitam agentes per Spiritum Sanctum inhabitantem (8,9), debent vivere prout decet sanctos. Illi enim qui ducuntur a Spiritu Dei, hi soli probantur esse filii Dei (8,14). Christiani enim acceperunt Spiritum adoptionis, id est illa interna sensa quae correspondent filio adoptivo erga suum patrem (8,15). Ipse enim Spiritus Sanctus simul cum spiritu nostro (scilicet simul cum nova natura supernaturali, seu gratia) testatur nos esse filios Dei (τέτοια) et heredes (8,16s). Haec filiatio adoptiva, quam nunc partim re habemus, partim spe, suam plenitudinem habebit per resurrectionem (8,23).

Cal 4,4-7: Christus venit ad elargiendam nobis filiationem Dei adoptivam, quae est fructus redemptionis. Vos autem esse filios, manifestum est quia Deus misit Spiritum in corda vestra (sic probabilius). Sumus ergo filii et heredes.

Eph 1,3ss: Deus praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Christum, et ut tales fecit nos heredes; cuius hereditatis pignus in nobis est ipse Spiritus Sanctus (1,13s).

1 Io 3,1s: Filii (τέκνα) Dei nominamur et sumus. Revera nascimur ex Deo (3,9; cf. Io 1,13; 1 Io 2,29; 4,7; 5,1.4.18), et haec generatio divina confert nobis aliquod principium permanens novae vitae spiritualis (3,9)

'· Cf. J. FINKENZELLER, *Gottcskindschaft-.* LThK 4 (1960) 1116s; J. HUBY, S.I., *La vie dans l'Esprit d'après Saint Paul {Romain's, ch.8):* RechScRel 30

b) Argumentum. In his textibus sermo est de aliqua vera filiatione Dei, quae vocatur adoptiva, etsi maior sit quam mera adoptio humana. Atqui talis adoptio coniungitur cum iustificatione. Ergo in iustificatione homo vere fit filius Dei adoptivus.

Mai.: Ibidem agi de filiatione Dei, patet. Haec filiatio vocatur ibidem saepe adoptiva. Nec posset esse naturalis, cum Filius Dei naturalis in Scriptura sit Unigenitus (Io 1,14.18; 3,16.18; 1 Io 4,9). Sed haec filiatio maior est quam mera adoptio iuridica inter homines: filii Dei non nominamur tantum, sed sumus; ita vere filii sumus, ut possimus vocari τέκνα; sicut dicimur adoptati, dicimur generari, nasci ex Deo.

Min.: Haec adoptio est unum ex donis, quae nobis affert redemptio Iesu Christi, ut patet in eisdem textibus, maxime S.Pauli.

232. Probatur ex traditione. 1) *Patres* affirmant saepe hanc filiationem adoptivam. Simul, loquuntur de iure ad caelestem hereditatem per illam adoptionem nobis collato, et de relatione nostrae filiationis adoptivae ad filiationem naturalem Christi. Cf. Tertullianum (R 302), Clementem Alex. (R 407), Novatianum (R 607), S.Athanasium (R 766), S.Cyrillum Hieros. (R 813), S.Basilium (R 948), S.Gregorium Nys. (R 1027), Chrysostomum (R 1171), S.Ambrosium (R 1273), S.Augustinum (R 1433 1468 1777), S.Cyrillum Alex. (R 2106...).

2) *Sacra Liturgia* etiam testatur factum filiationis adoptivae. *In praef. Pent.:* "Promissum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit". *In sab. sancto,* orat, p.3 proph.: "Qui in toto orbe terrarum, promissionis tuae filios diffusa adoptionis gratia, multiplicas". Legas benedictionem fontis, in hac die. In introitu *dom. in albis:* "Quasi modo geniti infantes...".

3) *Monumenta archaeologica demonstrant,* quam familiaris fuerit primis christianis haec idea novae nativitatis, seu divinae adoptionis. In memoriam revocentur *a)* nomina quae frequenter occurrunt in inscriptionibus sepulcralibus: Renatus, Regeneratus, Theogonius, Vitalis, Zoé, etc. *b)* Symbo-

(1940) 16-18; A.RoosEn, C.SS.R., *Testimonium Spiritus (Rom 8,16):* VerDom 28 (1950) 214-226; S.Zedda, S.I., *L'adozione a figli di Dio e lo spirito santo. Storia dell'interprctazione e tcologia viistica di Cal. 4,6* (Roma 1952); A.Viard, O.P., *Singulior ou pluriel dans S.Jcan, If 13:* AmCl 68 (1958) 516-52Θ; F.Dacquino, *Dio Padre c i cristiani figli sccondo S.Paolo:* ScuoCatt 88 (1960) 366-374. Dc indole adoptionis populi iudaici cf. N.W.Schoenberg, *Huiothcsia:* AmEcclRcv 143 (1960) 261-273. Adoptionem iuridicam parum coluisse iudaeos indicat R.de Vaux, O.P.. *Les institutions de ГAncien Testairtent,* I (Paris 1958) 85-87.

lum piscis et pisciculorum, cuius significatio profertur a Tertulliano: "Nos pisciculi, secundum χθύν nostrum lesum Christum, in aqua nascimur" (R 302)B.

233. Ratio theologica. Adoptio est assumptio personae extraneae in iura filii, maxime in hereditatem. Atqui iustificatus assumitur a Deo in ius ad hereditatem divinam.

Min.: lustificatus *a)* est persona extranea Deo: non enim habet numcrice vel specifice eandem naturam Dei; *b)* habet ius ad hereditatem divinam; haec enim nihil aliud est quam visio beatifica et consequens amor, quibus ipse Deus ineffabiliter est beatus; sed iustificatus, praescindendo a propriis meritis, ius habet ad visionem beatificam, ut patet in puero baptizato.

234. Scholion. *Adoptio et generatio.* Sunt ideae analogicae.

a) Per *generationem* pater communicat filio naturali iura in propria bona temporalia et socialia (nomen, dignitatem, hereditatem), ideo quia communicat ipsi propriam naturam seu substantiam (specifice eandem in creaturis, numcrice ean dem in divinis). Proinde filius naturalis est quaedam extensio patris in ordine physico, patremque quasi physice perdurare facit in mundo.

b) Per *adoptionem humanam* pater communicat filio adoptivo similia iura, quamvis non possit communicare ei propriam naturam. Proinde filius adoptivus est quaedam extensio patris in ordine morali et iuridico, patremque moraliter perdurare facit in mundo.

c) *Adoptio divina* est aliquid intermedium, multo magis accedens ad veram generationem. Per ipsam Deus communicat homini iusto iura in nomen, dignitatem et hereditatem ipsius Dei. Hoc tamen non facit mere iuridice et moraliter, sed ideo quia vere, etsi analogice, communicet ipsi propriam naturam. Excedit ergo haec adoptio adoptioni humanae, quia fundatur in vera communicatione naturae Patris; deficit autem a generatione naturali, quia haec communicatio non est numerica aut univoca (specifica), sed analogica. Proinde filius Dei adoptivus est quaedam quasi extensio Dei in ordine physico-morali supernaturali. Hinc apparet adoptionem divinam fundari de facto in consortio naturae divinae. Qui tamon duo conceptus, etsi valde sint inter se connexi, possunt ad invicem separari; sicut accidit in Christo, in quo datur consor-

Cf. Terrien, *La gracia y la gloria* t.1 l.1 c.2.

tium naturae divinae (etiam analogicum, per gratiam), sine adoptione divina, quae in Eo impossibilis est ideo quia Ipse nullo modo est persona "extranea".

b) ADOPTIO HABETUR PER GRATIAM

235. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum* s.6 c.4 (D 796) docet iustificationem esse translationem in statum adoptionis; et s.6 c.7 (D 799) eandem iustificationem dicit haberi per susceptionem gratiae.

S.Pius V docet contra Baium, per gratiam hominem adoptari in filium Dei (D 1042).

Leo XIII: "Eloqui nemo potest, quale sit opus istud divinae gratiae in animis hominum; qui *propterea* luculenter tum in sacris Litteris, tum apud Ecclesiae Patres et regenerati, et creaturae novae, et consortes divinae naturae, et filii Dei, et deifici similibusque laudibus appellantur"[3].

Valor dogmaticus. *Saltem doctrina catholica,* nisi dicenda sit de fide ex magisterio ordinario.

236. Ratio theologica. 1) In fontibus semper apparet adoptio divina tanquam effectus iustificationis. Atqui Justificatio habetur per gratiam. Ergo adoptio divina habetur per gratiam.

2) Fundamentum relationis filiationis, quae exsurgit in iustificato ad Deum, est communicatio naturae a Deo, vel ipsa natura divina communicata. Atqui Deus communicat iustificato naturam suam per gratiam. Ergo adoptio habetur per gratiam.

c) ADOPTIO HABETUR PER GRATIAM FORMALITER

237. Adversarii. 1) Lessius, Petavius, Scheeben: Adoptio divina habetur formaliter per Spiritum Sanctum inhabitantem, qui naturam divinam formaliter communicat proindeque iustificatum formaliter facit filium Dei (cf. n.224)[4].

2) Scotus, cum pluribus scotistis, maxime vero *Nominales* tenent filiationem fieri formaliter per favorem extrinsecum Dei, acceptantis iustum in filium ipsique promittentis hereditatem. Ratio autem est, quia ad filiationem requiritur remissio peccatorum; haec vero remissio non fit for-

3 *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,652.

4 Lessius, *De perfectionibus divinis* 12,11,75; Petavius, *De Trinitate* 8,4ss; Scheeben, *Dogmatik* 2,832. Iis addi possunt in genere omnes qui explicant inhabitationem per unionem quasiformalem Dei inhabitantis (cf. n.212).

maliter per gratiam solam, quia haec non expellit peccatum natura sua sed tantum ex speciali ordinatione Dei[5].

3) Ripalda[6] asserit gratiam conferre quidem dignitatem seu capacitatem moralem ad hereditatem, minime vero exigentiam physicam aut ius morale strictum ad ipsam. Hoc enim ius oritur ex decreto libero Dei, per novum favorem extrinsecum gratiae. Ergo filiatio non habetur formaliter per solam gratiam.

238. Valor theologicus. Adoptionem haberi formaliter et adaequate per gratiam, est *sententia probabilior.*

239. Ratio theologica. 1) Ubi primum communicatur homini natura divina per quandam quasi generationem, homo iam est filius Dei adoptivus. Atqui natura Dei communicatur homini formaliter per gratiam (cf. n.225). Ergo adoptio divina habetur *formaliter* per gratiam.

2) Ubi primum datur adoptio divina in homine, homo eo ipso, sine ulteriore decreto, est amicus Dei; et eo ipso, sine ulteriore favore, habet verum ius in hereditatem Patris. Atqui adoptio divina, ut probavimus, habetur formaliter per gratiam. Ergo etiam per ipsam habetur *adaequate.*

240. Scholion 1. *De nexu intercedente inter gratiam et adoptionem.* Quaeritur a theologis, utrum adoptio divina sit effectus formalis gratiae sanctificantis primarius, an secundarius. Quae quaestio aliter etiam poni potest: quanam necessitate ex gratia sequatur adoptio, metaphysica, an physica.

Sunt plures auctores, maxime Thomistae, qui tenent adoptionem pertinere ad effectum formalem primarium gratiae sanctificantis, eundemque sequi ex natura gratiae necessitate metaphysica. Qua in sententia, absolute repugnat, ex parte gratiae, hominem habere gratiam et non esse filium Dei adoptivum. Ratio autem ea est, quod contradictorium videatur Deum ex una parte producere et conservare gratiam, cuius essentia est communicare homini eandem naturam divinam sicque eum quasi generare in filium atque heredem, et eundem Deum ex alia parte non acceptare talem hominem in actu secundo ad ea ipsa quae in iuribus filii et hereditatis continentur[7].

Alii auctores, duce Suârez, distinguentes inter adoptionem in actu primo (prout dicit ius radicale physicum ad filiationem cum naturali exigentia hereditatis) et adoptionem in actu secundo (prout addit acceptationem actualem ex parte Dei et formalem denominationem filii cum iure pleno ad hereditatem), tenent adoptionem in actu primo esse effectum formalem primarium gratiae, adoptionem vero in actu secundo esse effectum secundarium. Adoptio ergo in actu secundo sequitur ex natura gratiae non metaphysica. sed physica necessitate. In hac sententia non repugnat de potentia Dei absoluta

[5] Scotus, *In 4* d.16 q.2.
[6] Ripalda, *De ente supernaturali* 1.6 d.ult. s.10 n.131-147.
[7] Cf. Lange, 434; Bittremieux, *l.c.,* 437-440.

aliquem habere gratiam et non esse filium adoptivum in actu secundo. Ratio huius sententiae ea est, quod gratia non contineat formaliter illam acceptationem divinam.

Cum hac quaestione maxime cohaeret aliqua quaestio, quae ponitur de gratia animae Christi. In Christo enim erat gratia sanctificans; unde etiam necessario erat eius effectus formalis primarius. Tamen in Christo non erat filiatio adoptiva. Huic quaestioni respondent auctores prioris sententiae: effectus formalis primarius gratiae duplex intelligendus est, alius quidem absolutus (consortium divinae naturae), alius vero hypotheticus (adoptio divina). Effectus hypotheticus supponit subiectum conveniens ut haberi possit. Iam vero Christus non est subiectum conveniens pro adoptione, quia non est persona extranea. Auctores alterius sententiae respondent: in Christo non datur filiatio adoptiva, etsi detur gratia, quia adoptio non est effectus gratiae primarius, sed secundarius, qui a Deo impediri potest[8].

241. Scholion 2. *Dc adoptione divina terminative sumpta.* In nonnullis textibus sacrae Scripturae stabilitur aliqua connexio adoptionis cum Spiritu Sancto inhabitante. Sic Rom 8,16s; Gal 4,4-7; Eph 1,13ss. Haec connexio ex dictis non talis est ut significet adoptionem esse effectum formalem inhabitationis. Hinc docetur in his textibus quaedam relatio filii ad Spiritum Sanctum, cuius terminus proinde est ipse Spiritus Sanctus inhabitans. Spiritus Sanctus manifestat, sigillat, quasi consciam nobis reddit illam divinam adoptionem[9].

242. Scholion 3. *De aliis effectibus gratiae sanctificantis.*
1) *Amicitia divina.* Quod vero aliquo sensu iustus dicatur amicus Dei, constat tum cx sacra Scriptura (Io 15,14s; Lc 12,4), tum ex Patribus, qui verba loannis ad apostolos interpretantur de amicitia vigente inter Deum et iustos. Ceterum, haec amicitia necessario consequitur participationem naturae divinae et adoptionem.

2) *Pulchritudo supcrnaturalis animae* effertur vel maxime a Patribus, ut Basilio (R 994), Chrysostomo (R 1144), Ambrosio (R 1319), Cyrillo Alexandrino, aliis[10].

3) *Singularis providentia Dei,* quae et consequitur divinam adoptionem, et explicite promittitur iustis apud Mt 6,33; Rom 8,28 et alibi. Haec autem providentia, inter alia, manifestatur per specialem

[8] Cf. Suarez, *De gratia* 7,4; Billuart, *Dc gratia* dis.7 a.3; P.Villada, *De effectibus formatis gratiae habitualis* 103-125.

[9] Cf. RoosEn. *l.c.;* Zedda, *o.c.;* J.Danielou, S.I., *Dieu et nous* (Paris 1956) 225-242. De fundamento adoptionis in Filio cf. E.Boularand, S.I., *La mission-invisible du Fils:* RevAscMyst 30 (1954) 297-323. Refertur adoptio ad ipsam Personam Patris modo proprio et speciali?: Cf. P.dh Haf.s, *Quonam sensu Deus dicitur Pater nosterf:* CollMechl 23 (1953) 551-557; L.BOVYER, *Le trône dc la Sagesse* (Paris 1957) 260-264; A.Michel, *Dieu notre Père, Marie notre bière, métaphore ou non?:* AmCl 69 (1959) 625; lu.. *Paternité "métaphorique" de Dieu:* AmCl 70 (1960) 309-311. Statuunt relationes speciales adoptati ad singulas Personas H.Rondet, *La divinisation du chrétien:* NouvRcvTh 71 (1949) 456-464.580-588; J.HavET, *Dieu notre Père:* RevDiocN 12 (1958) 18-40.154-169; pariter uno vel alio modo fere omnes qui inhabitationem non explicant per meram appropriationem (cf. n.202). Ipsam gratiam sanctificantem qua cristianam esse radicem personalis relationis adoptionis ad Patrem et ad Filium statuunt E.Mersch. S.I., *Filii in Filio:* NouvRcvTh 65 (1938) 551-582.681-702.809-830; II.P.E.T.voxs, *The grace of son-ship:* EphemThLov 27 (1951) 438-466. Ceterum cf. E.BraKm, *Ons Goddclijk Kindschap volgens Sint Augustinus. Fit.i in' Filio:* Aug 4 (1954) 196-204; Id., *Christus ats model en genadebron van onze prcdestinatic volgens Sint Augustinus:* ibid. 353-361.

[10] Cf. J.B 1TTRKMIEUX: EphThLov 5 (1928) 426-436.

custodiam angelorum, iuxta illud: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* (Hebr 1,4).

ARTICULUS V

De proprietatibus iustificationis

Tres recensentur praecipuae proprietates iustificationis: eius *inaequalitas, omissibilitas, incertitude.* Pauca de singulis.

Thesis 24. Iustitia augetur per bona opera.

S.Tн., 1.2 q.112 a.4; 2.2 q.24 a.4-7; LERCHER LAKNER. 102s; BERAZA, 938-948; LANGE, 4S4ss; J.AUER, *Gnadcmvachstuni:* 1/Th.K 4 (I960) 1015s.

243. Notiones. Iustitia, adaequate sumpta, id est, gratia sanctificans, virtutes infusae, dona Spiritus Sancti, prout haec sunt entitas physica supernaturalis animae. Loquimur de *facto* augmenti praescindendo a *modo.*

Augetur, ita ut diversa sit in diversis hominibus, nec eadem in eodem homine diversis vitae stadiis. Augetur autem tum ex opere operato, tum ex opere operantis.

Augmentum iustitiae duplex concipi potest:

a) *extrinsecum,* seu *extensivum:* quatenus extendatur ad plura obiecta materialia.

b) *intrinsecum,* seu *intensivum:* quatenus est aliqua physica entitas supernaturalis in anima.

Loquimur de augmento intrinseco, seu intensivo, quod simpliciter augmentum dici potest.

244. Adversarii. 1) Iovinianus s.IV docuit eiusdem valoris esse omnia opera bona; hinc aequalem omnium iustitiam, aequalem et gloriam (R 1383 1975)[1].

2) Beguardi s.XIV dicebant possibilem talem gradum perfectionis, ut maior in gratia profectus fieri non posset (D 471).

3) *Novatores* s.XVI tenebant aequalem esse omnium iustitiam, eo quod haec aliud non sit nisi eadem iustitia Christi, aequaliter omnibus imputata. Unus excipiendus est Bucerus, qui asserebat huiusmodi imputationem pendere a diversa fide fiduciali -.

245. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.6 c.7 (D 799), monet non omnes aequalem iustitiam accipere in prima sui

1 Dc loviniano plura dabit J.Forget: DTC 8,1577-1580.
a Cf. Bellarmtnum, *De iustification'e* 3,16.

iustificatione, sed "secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem"; c.10 (D 803) docet iustificatos posse crescere in ipsa iustitia accepta, et quidem indefinite, per augmentum virtutum theologicarum; cn.24 (D 834) definit iustitiam augeri per bona opera; cn.32 (D 842) pariter definit iustificatos bonis operibus mereri augmentum gratiae.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

246. Probatur ex sacra Scriptura. Haec docet iustitiam augeri, tum directe, tum indirecte ex inaequali retributione iustorum. Ergo iustitia augetur, seu inaequalis est.

Antec.: a) Directe apud 2 Petr 3,18: *Crescite vero in gratia...* Et Apoc 22,11: *Qui iustus est, justificetur adhuc...* (cf. praeterea 2 Cor 3,16; Phil 1,9; 3,12; Eph 4,15).

b) Indirecte apud 1 Cor 15,41, ubi sermo fit, non solum de discrimine inter corpus mortale et gloriosum iustorum, sed etiam de diversis gradibus gloriae pro diversitate meritorum: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate...*

247. Probatur ex traditione. Explicite hanc tradunt doctrinam S.Hieronymus et S.Augustinus, tum refellentes Iovinianum (R 1383 1975), tum etiam alibi. S.Augustinus scribit: "Induti sunt sancti iustitia, alius magis, alius minus"[3].

Hoc patet in tota ascetica catholica, quae continuo hortatur ad maiorem perfectionem.

248. Ratio theologica, *a)* Deus diversam confert gratiam iustificatis, pro diversitate praeparationis; et hi rursus diversimode cooperantur gratiis acceptis. Ergo iustitia inaequalis est. Cf. 1.2 q.112 a.4.

b) Iusti per bona opera merentur augmentum gloriae. Atqui gloriae correspondet gratia. Ergo gratia augetur per bona opera.

249. Scholion 1. *Explicatio ulterior huius augmenti:* a) De *modo,* theologi dissentiunt inter se. Nam thomistae, duce d.Thoma (2.2 q.24 a.5), id explicant per maiorem radicationem in subiecto. Contra, Albertus Magnus, Bonaventura, scotistac, Suarez, etc., hoc declarant per additionem gradus ad gradum, qui rursus inter se uniuntur ad unam qualitatem constituendam. Haec tamen quaestio pendet ab explicatione philosophica augmenti habituum[4].

[3] *Ep.* 167,3,13: ML 33,738; CSEL 44,601. Cf. *Ep.* 187,5,17: ML 33,838; CSEL 57,94.

[4] Suarez. *Disp. metaph.* d.46 s.2. Cf. M.Limbourg, S.I., *Vervollkommungsfähigkeit des Habitus; Vermehrung und Verlust der Gnade und Tugend:* ZkathTh 10 (1886) 107-141.277-312.

b) De *termino,* iuxta d.Thomam (2.2 q.24 a.6) et Suarez ’, iustitia indefinite augeri potest. Sunt tamen theologi qui dissentiant. Horum sententias recenset Beraza* Sane gratia nullum certum terminum habet ex parte sui, quia natura divina participabilis est in infinitum; neque ex parte subiecti, quia hoc non habetur in linea potentiae naturalis vel connaturalis, sed tantum in linea potentiae obedientialis; neque ex parte divinae potentiae, quia est simpliciter infinita. Potest tamen aliquis terminus assignari augmento gratiae in iustis, ex positivo decreto divino, quatenus gratia sine auxiliis divinis augeri nequit; Deus vero non dabit iustis maiora auxilia, quam quae B.Virgini dedit. Ergo gradus gratiae, ad quem Beatissima Virgo attigit, potest certo dici terminus ad quem nullus Sanctorum unquam pertinget1.

c) De *causa* huius augmenti, prout in bonis operibus invenitur, non una est theologorum sententia: num omnes actus meritorii, etiam remissi, augeant iustitiam, an solum actus intensi. Sunt enim quidam theologi, qui negant per actus remissos dari gratiae augmentum, aut ius ad illud. Maior pars Thomistarum tenet per illos actus dari augmentum in actu primo (seu ius quoddam ad augmentum realiter accipiendum suo tempore), non vero in actu secundo (seu ipsum augmentum re susceptum). Tempus vero illius augmenti re suscipiendi est, aut momentum caelestis glorificationis, aut ultimum instans vitae terrenae, aut tempus in quo anima sese melius disponit, iuxta diversa auctorum placita. Videtur tamen nunc communius a theologis teneri, cum Suarez et Salmanticensibus, omnes actus meritorios, etiam remissos, aliquod augmentum iustitiae statim re conferre. Quae sententia, cum magis consona videatur Tridentino nullam restrictionem apponenti, probabilior dicenda est, maxime cum in nostro casu potius quam conceptus dispositionis physicae, rcalitas causalitatis moralis meritoriae sit attendenda.

d) De *ne.ru* inter diversa elementa iustificationis relate ad augmentum. Cum in iustificatione non solum inveniatur gratia sanctificans, sed virtutes etiam infusae, non omnes theologi tenent simul cum gratia augeri omnes illas virtutes. Pro aliis enim, cum Vâzquez, fides et spes solis earum actibus augentur; pro aliis, cum Suarez, soli habitus formati crescunt simul cum gratia. Ripalda vero tenet omnes virtutes infusas augeri semper ac solum cum gratia crescit. Quae ultima sententia verior videtur, cum Tridentinum (D 803) eodem modo loquatur de augmento iustitiae per gratiam et de augmento fidei, spei et caritatis".

250. Scholion 2. *De diminulio/ie iustitiae.* Iustitia non minuitur per peccata venialia. Nam peccatum veniale nec *effective,* nec *meritorie* valet iustitiam minuere. Non *effective;* quia peccatum veniale nequit tollere habitualem conversionem ad Deum, tantum retardat hominis tendentiam in ultimum finem. Sed nec *meritorie,* nam secus poena esset improportionata; per peccatum enim veniale non avertitur homo ab ultimo fine, et tamen minueretur gratia ac consequenter aliquis gradus gloriae aeternae. Attamen, peccata venialia, praesertim plene deliberata, paulatim facile ducunt iustum ad lapsum *graviorem

’ Suarez, *De gratia* 9,5,4.
* Beraza, 943.
T Cf. Suarez, *De gratia* 9,6,8ss.
s Cf. Lance, 486; SoTo, *In 4* d.15 q.2 a.2; Sucrez, *De gratia* 9,4,11.
• Cf. S.Tn., 2.2 q.24 a.10; SuArBz, *De gratia* 11,8,6.

Thesis 25. Iustitia amitti potest, etiam in perpetuum, quolibet mortali peccato.

S.Th., *2.2* q.24 a.lia; Lerciter-LaknEr, 105s; Beraza, 949-957; Lange, 462-483; F.LaknEr, S.I., *Gnadenvcrlusl:* LThK 4 (1960) 1014s.

251. Notiones. Iustitia, id est, gratia sanctificans, ad quam praesertim respicimus. Sed etiam veniunt momine iustitiae, virtus theologica caritatis, virtutes morales infusae, inhabitatio et dona Spiritus Sancti. Excipiuntur tamen habitus fidei et spei, qui non evertuntur nisi peccatis quae illis directe opponantur, hoc est, desperatione ct infidelitate. Quod quidem provide fit, ut facilius possit iustificatio recuperari (D 808 838 1302 1401 1407).

Amitti potest. Igitur, homines semel iustificati, nequeunt gloriari quod iam certo iustitiam servabunt usque ad mortem. Et vicissim, nec peccata commissa post baptismum, nec ipsa defectio a fide, significant huiusmodi homines nunquam fuisse vere iustificatos.

Etiam in perpetuum. Ergo et homo iustus potest evadere reprobus, et possunt reperiri reprobi qui fuerint aliquando iusti.

Quolibet mortali peccato seu omni et solo peccato mortali. *Solo,* ergo non amittitur peccato veniali; *omni, ergo* non solo peccato infidelitatis, sed quolibet gravi peccato.

252. Adversarii. 1) Iovinianus tenuit non posse peccare hominem, lavacro regenerationis semel accepto (R 1975).

2) *Novatores,* ex quibus Calvinus docuit iustitiam esse inamissibilem, eo quod iustificatus idem valeat ac praedestinatus; Ciiemnitius tenuit tantum posse amitti ad tempus; LutuERus concessit etiam im perpetuum amissibilem esse, sed solo peccato infidelitatis, seu cessatione a fide fiduciali.[1]

3) Ad priores errores accedunt *beguardi* (D 471s), Molinos (D 1772 1281), Quesnel (D 1393).

253. Doctrina Ecclesiae. 1) *Quoad amissibilitatem iustitiae:*

Tridentinum, s.6 c.12 (D 805), damnat "quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiarh promittere debeat"; c.13 (D 806) profert quod "de perseverantiae munere... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur"; c.14 (D 807) de reparatione lapsorum et tota ses.14, dc paenitentia, hos ipsum arguunt; cn.23

1 Cf. Bklx.arminum, *De iustificatione* 3,14.

(D 833) aperte definit hominem semel iustificatum posse amplius peccare et gratiam amittere.

2) *Omni et solo peccato mortali:*

Tridentinum, s.6 c.15 (D 808), docet "non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti"; cn.27 (D 837) definit: "Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, a.s." (cf. D 862 324). Simul docet etiam non amitti gratiam peccato veniali. Nam s.6 c.11 (D 804) ait: "Licet enim... iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti"; s.14 c.5 (D 899): "Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur"...

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

254. Probatur ex sacra Scriptura. 1) *Amissibilitas iustitiae* constat ex Ez 33,12; *Iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quocumque die peccaverit;* Rom 11,22; *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate...* Ceterum, ipse Paulus timet ne forte reprobus efficiatur (1 Cor 9,27); ludas, quondam iustus, adeo filius perditionis evasit ut bonum erat ei, si natus non fuisset (Io 17,12; Mt 26,24). Ad rem Bellarminus: "Habemus igitur octo exempla, quorum tria Adami, Davidis et Petri demonstrant iustitiam posse et amitti et recuperari; alia quinque Satanae, Saulis, Salomonis, Simonis et ludae indicant posse aliquos vere iustos ita excidere a iustitia ut inter reprobos numerari non sine ratione credantur" 2.

2) *Quolibet mortali peccato* id evenire posse, testantur catalogi vitiorum, quibus excludimur a regno Dei (1 Cor 6,9; Gal 5,19-21; Eph 5,5; Apoc 21,8). *Solo vero peccato mortali* arguunt verba lac 3,2: *In multis offendimus omnes* (cf. Mt 6,12; 1 Cor 3,10s).

255. Probatur ex traditione. 1) *Amissibilitatem* iustitiae tuetur consulto Hieronymus s.

2) Iustitiam amitti, et quidem *quolibet mortali peccato,* tradunt plures Patres. Ita S.Athanasius: "Cum aliquis vitio aliquo a Spiritu defecerit, illa quidem gratia apud eos qui

2 Bkllarminus, *De iustificatione* 3,14.
8 S.Hieronymus, *Adversus lovinianum* 1.2 n.1-3: ML 23,282-288.

voluerint irrevocabilis permanet, si modo ipsos postquam ceciderint paeniteat; verumtamen ille qui cecidit non amplius in Deo est"... (R 770). S.Augustinus: "Si autem iam regeneratus et iustificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere: Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio" (R 1944). Cf. praeterea Aphraatem (R 683), S.Basilium (R 973), iterum S.Augustinum (R 1701).

3) *Solo mortali peccato* amitti iustitiam, docuerunt Patres in controversia contra Iovinianum et contra pelagianos, dum reicerent perfectam hominis impeccantiam solis gratiis ordinariis. Vide supra n.75.

256. Ratio theologica. 1) S.Thomas probat amissibilitatem caritatis (2.2 q.24 a.11), cum docet caritatem viae non replere, sicuti replet caritas patriae, totam potentialitatem mentis nostrae; atque ideo cum actu in Deum non fertur, potest illam amittere. Amitti vero quolibet mortali peccato demonstrat (2.2 q.24 a.12), quia "per quodlibet mortale peccatum, quod divinis praeceptis contrariatur, ponitur praedictae infusioni [caritatis a Deo in animam] obstaculum". Tandem (1.2 q.71 a.4): "Peccatum veniale, quod non contrariatur caritati nec excludit ipsam"... 4.

2) Si iustitia esset inamissibilis, vanae essent tot exhortationes, ut iusti cum metu et tremore salutem operentur.

3) Nec recte diceretur perseverantia finalis magnum Dei donum, si gratia semel data, amitti non posset.

257. Obiectiones. 1. Ex 1 Cor 13.8: *Caritas nunquam excidit.* Atqui caritas est inseparabilis a gratia. Ergo gratia nunquam amittitur.

ma'· Caritas ex se perdurat etiam in patria, contra ac accidit aliis donis, v.gr. prophetiae, quae finiuntur cum vita mortali, *conc. mai.;* caritas, semel acquisita, iam est inamissibilis etiam ratione subiecti in quo reperitur, *nego mai. Conc. min. Dist. pariter cons.* Gratia ex se durat etiam in patria, *conc. cons.;* non potest amitti ratione peccati, perdurante hac vita, *nego cons.*

2. Ex Mc 16,16: *Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit.* Ergo iustitia, semel accepta, est inamissibilis.

Dist. antec. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, si permaneat usque ad mortem in fide et iustitia accepta, *conc. antec.;* aliter, *nego antec.*

3. Gratia est ens spirituale. Atqui anima et lumen gloriae, entia spiritualia, sunt indestructibilia. Ergo et gratia est indestructibilis.

Nego paritatem. Anima enim est substantia spiritualis, gratia vero accidens spirituale. Lumen autem gloriae, etsi sit accidens, datur in termino, non in via, ut gratia, de qua loquimur.

• Ceterum cf. utiliter A.M.T,ANBβηΛΓ, *Die Lehre vom Entsug der Gnade in der Frühscholast'k:* ZkathTh 78 (1956) 439-458.

4. Per gratiam iustus acquirit ius ad gloriam. Ergo Deus evaderet iniustus si hanc non daret; ac proinde gratia inamissibilis est. *Dist. antec.* Iustus acquirit per gratiam verum ius ad gloriam, dummodo tamen permaneat in gratia usque ad mortem, ut gloria possit donari, *conc. antec.;* aliter, *nego antec.* Unde illud ius, etsi verum ius, est tamen amissibile per peccatum, sicut et ipsa grat'a, quae illud fundat.

5. Ex 1 Io 3,9: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Itaque, iustitia, semel accepta, videtur dicenda simpliciter inamissibilis.

Rcsp. hic non enuntiari inamissibilitatem gratiae; in eadem enim epistola (2,1) supponitur, iustos peccare posse. Igitur, sensus hic esse videtur: Gratia divina et peccatum mutuo se expellunt; ideo iustificatus, aut non peccat, aut si peccat, eo ipso desinit esse iustus. Ad rem S.Thomas: "Sic enim dictum est: *Qui natus est ex Deo non potest peccare,* sicut si diceretur quod calidum non potest infrigidare (id tamen, quod est calidum, potest fieri frigidum, et sic infrigidabit), vel sicut si diceretur: "Iustus iniusta non agit, scilicet inquantum est iustus".[5]

Thesis 25. Seclusa speciali revelatione, homo nequit habere certitudinem strictam de propria iustificatione.

S.Tn., 1.2 q.112 a.5; Lercher-Lakner, 107ss; Beraza, 958-971; E.Stakemeier..., *Hcilsgewissheit:* I/HiK 5 (1960) 157-160.

258. Notiones. Certitudo est firmitas assensus, excludentis omnem prudentem formidinem de opposito. Distinguitur autem certitudo metaphysica, physica et moralis, prout haec fundetur motivo excludente falsitatem metaphysice, physice vel moraliter.

Certitudo moralis, de qua in thesi, alia est *stricta,* alia *lata.* Dicitur *stricta,* illa quae excludit omnem formidinem errandi, etiam imprudentem; *lata* vero est illa quae non tollit absolute omnem formidinem errandi.

259. Adversarii. 1) Errarunt *Novatores,* tenentes hanc certitudinem de statu iustitiae posse et debere habere omnes homines, atque per hanc praecise certitudinem vel fiduciam eos iustificari. Igitur, praeter *possibilitatem* huius certitudinis, docent hanc de facto requiri seu *necessariam* esse ad iustificationem[1].

2) Contra hunc errorem insurrexerunt uno ore *theologi catholici, negantes necessitatem* huius certitudinis ad iustificationem. *Circa possibilitatem* vero eiusdem certitudinis, theologi dissentiebant:

5 4 CG 70.

1 Hodierni vero protestantes non asserunt securitatem, sed potius spem: sic A.KÖBERLE, *Heilsgewisshcit:* EvL 2 (1958) 89-91; de mente K.Barth cf. J.Hamer, O.P., *Karl Barth* (Paris 1949) 63-68.

a) *Intra Concilium Tridentinum.* Plures, sequentes divum Thomam, asserebant absque speciali revelatione, possibilem tantum esse certitudinem coniecturalem. Alii vero (Massarelli numerat 21 theologos), qui gloriabantur tanquam Scoti discipuli et ad quos accedebant Catharinus O.P. et card. Dee Monte, propugnabant, etiam sine speciali revelatione possibilem esse certitudinem fidei divinae particularis sive acquisitae, cui falsum absolute subesse posset. Pauci, inter quos numerabatur Saemerôn, dubii haerebant. Tandem concordia facta est, cum omnes consenserunt de excludenda "certitudine fidei, cui non potest subesse falsum"

b) *Extra Concilium Tridentinum.* Verum statim post sextam sessionem, annis 1547-1551, controversia revixit inter D. oto et A.Catharinum. Priori favebat A.de Vega [2].

Igitur, sententia, quae tandem praevaluit in scholis catholicis, his continetur: *a)* Certitudo fidei de propria iustificatione, immo certitudo moralis stricta, quae excludat ipsam potentiam formidandi, tantummodo haberi possunt ex speciali revelatione, *b)* Certitudinem moralem, quae excludat actum serium, non vero potentiam formidandi, possunt habere viri sanctitatis eximiae, *c)* Certitudinem moralem late dictam, sive coniecturalem, etiam ceteri iusti obtinere possunt[3].

260. Doctrina Ecclesiae. *Trideniinum* s.6 c.9 (D 802) reicit vanam fiduciam haereticorum, "cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum"; cn.12 (D 822) definit fidem iustificantem non esse fiduciam protestanticam ; on. 13-14 (D 823-4) pariter definit hanc fiduciam non esse necessariam ad veram iusti ficationem.

261. Valor dogmaticus. 1) Non esse necessariam certitudinem fidei de propria iustitia, est *de fide divina et catholica definita.*

2) Nec esse possibilem huiusmodi certitudinem fidei, est saltem *doctrina catholica.*

3) Immo, nec esse possibilem certitudinem moralem

[1] Plura apud Hefner, *Die Entstchungsgcschichte des Tricnter Rechtfertigungsdckretes* 297-328.

[2] Vega, *De iustificatione* 1.9.

[3] Praetermissis antiquioribus, de hac re scripserunt recenter: M.Oltra, O.F.M., *Dic Gewissheit des Gnadenstandes bei Andreas de Vega:* (Düsseldorf 1941); *La certesa del estado de gracia scgûn Andres de Vega:* VerVid 3 (1945) 46-98.325-356.502-543; V.Beltran de Heredia, O.P^ *Controversia "de certitudine gratiae" entre Domingo de Soto y Ambrosio Catarino:* CiencTom 61 (1941) 133-163; J.Olazarân, S.I., *La controversia Soto-Catarino-Vega sobre la ccrtcza de la gracia:* EstEcl 16 (1942) 145-183; A.StakEmEier, *Dos Konstl von Trient über die Heilsgevrissheit* (Heidelberg 1947).

strictam, utique vero latam sive coniecturalem, est *communis et certa sententia.*

262. Argumenta. 1) Rem probat divus Thomas (1.2 q.112 a.5) hac ratione: "Certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit diiudicari per proprium principium... Principium autem gratiae, et obiectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus... Et ideo homo non potest per certitudinem diiudicare, utrum ipse habeat gratiam"... [3]

2) Ut assequamur certitudinem fidei, vel certitudinem moralem strictam, de statu nostrae iustitiae, duo debent nobis constare: vel post baptismum nos nunquam graviter peccasse, vel paenitentiam debitam egisse. Atqui neutrum potest nobis constare, aut certitudine fidei, aut certitudine morali stricta. Ergo non possumus habere certitudinem fidei vel moralem strictam de statu nostrae iustitiae.

Min.: a) Non certitudine fidei, quia haec tantum ex revelatione haberi potest.

b) Non certitudine morali stricta. Nam nobis evidens non est nos semper recte implevisse divina mandata, et, si peccavimus aliquando, de peccato salutarem paenitentiam egisse. Aliter accidit respectu parvuli rite baptizati.

3) Nonnulli Patres hanc incertitudinem commendant eamque vident laudatam apud Eccl 9,1, apud Ps 18,13, etc. Legantur Hieronymus (R 1374), Augustinus (R 1800), Gregorius M. (R 2296). Basilius hoc praebet consilium: "Itaque, ne te ipse prae altero iustificaveris, nequando Dei sententia, etsi tua iustificatus, condemnere" [4].

263. Scholion. *De signis quibusdam status gratiae.* Tam SS.Patres quam ipse S.Thomas in 1.2 q.112 a.5, censent adesse quaedam signa, ex quibus merito conicitur status gratiae, ita ut certitudo moralis lata de propria iustificatione exsurgere possit. Quae tamen signa, nec seorsim, nec simul sumpta, nisi accedat specialis revelatio, valent unquam generare certitudinem moralem strictam. Hoc autem provide fit, dicente S.Augustino: "Quae praesumptio, in isto tentationum loco non expedit ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas"[5]. Et S.Hieronymo: "Ideo ambiguum ponitur et incertum ut dum homines dubii sunt de salute,

[3] De mente S.Thomae cf. St. Pfürtner, O.P., *Die Heilsgewissheit nach Luther und die Hoffnungsgewissheit nach Thomas von Aquin:* Cath 13 (1959) 182-199. De historia rei praetridentina cf. C.M.Lachance, *L'homme peut-il savoir qu'il a la grâce:* RevUnivOtt 24 (1954) 65*-92*; Landgraf, *Die Erkenntbarkeit der eigenen Gnadenstandes nach der Lehre der Frühscholastik:* Schol 24 (1949) 29; Dedek, *o.c.*

[4] *Homilia de humilitate* 4: MG 31,534. De mente S.Augustin; cf. M.Guérard des Lauriers, O.P., *Saint Augustin et la question de la certitude de la grâce au Concile de Trente:* AugMag 2 (Paris 1954) 1057-1067.

[5] *De correptione et gratia* 13.40: ML 44,941.

fortius agant paenitentiam, et magis ad misericordiam provocent Deum'". Et in libro *De imitatione Christi,* 1,25: "Spem bonam et firmam retinere debes quod ad palmam pervenies; sed securitatem capere non oportet, ne torpeas aut elatus fias".

Signa vero quae assignantur, haec fere sunt: Diuturna observatio mandatorum, animus devotus erga Christum Dominum et B.M.Virginem, odium peccati, contemptus rerum mundanarum, amor rerum caelestium, pax animae, tranquillitas conscientiae, spirituales consolationes atque favores divini, etc.

CAPUT III

De gratia actuali

P.Lombardus, *Sent.* 2,27-28; S.Th., 1.2 q.111; S.Bonaventura, *In 2 Sent.* d.27s; Scotus, *In 2 Sent.* d.27&; SiMrez, *De gratia* 1,3-5; Salmanticenses. *Cursus theologicus* tr.4 d.5-7; Berti, *Dc theologicis discipl.* 1.16s; E.Hucon, *Tractatus de gratia* q.4; I.Hermann, *Tract, de divina gratia* (1904) 37-93. 388-755; L-LerciiEr, *Instit. theol. dogmat.* vol.4,1 η.261-356; H.Guil1Ermin, O.P., *De la grâce suffisante:* RevThom 9-11 (1901-3); R.Garrigou-LagrangE, O.P., *De gratia* p.122-242.

264. Gratia actualis ordinatur ad acquirendam, conservandam et augendam vitam supernaturalem, quae per iustificationem nobis data est. Ideo, postquam diximus de gratia habituali, aggredimur expositionem gratiae actualis.

Qua in re, duo veniunt investiganda: *natura gratiae actualis* in seipsa, atque *ipsius habitudo ad liberum hominis arbitrium,* seu eiusdem gratiae sufficientia et efficacia. Sed, priusquam singula evolvamus, nonnihil praemittendum est de evolutione huius nominis et doctrinae.

De evolutione nominis. S.Thomas (1.2 q.109 a.6 et 9; q.111 a.2, etc.) re, aperte distinguit gratiam habitualem et actualem; nomen vero in eo desideratur. Ipse enim opponit inter se "habituale donum" et "divinum auxilium ad bene volendum et agendum"[1] Apud Capreolum iam reperitur haec duplex vox gratiae habitualis et actualis. In actis Concilii Tridentini occurrit saltem semel hoc vocabulum gratiae actualis; etsi ordinarie adhuc retinentur verba aequivalentia *auxilium Dei moventis, motio gratuita, influentia specialis,* etc. Post Tridentinum, communior fit in dies usus huius nominis gratiae actualis.

De evolutione doctrinae. Sacra *Scriptura* frequenter loquitur de gratuito et interno influxu Dei in animam hominis, eo fine ut ille transeunter iuvetur ad salutariter agen-

" *In Io* 3,9: ML 25,1144.

1 Cf. P.dE Voogiit, O.S.B., *A propos de la grâce actuelle dans la théologie dc S.Thom'as:* DivThom (Pi) 31 (1928) 386-416; Lange, 488-9.

dum. Quod quidem exprimitur variis formulis: Illuminare, aperire cor, pulsare, excitare, trahere, movere, docere, delectare, etc. *Patres,* praesertim Augustinus, eiusque discipuli, saepe attingunt gratias actuales; attamen illi, sicut et pelagiani, potius disputarunt de necessitate vel gratuitate gratiae in genere, quam de distinctione inter gratiam actualem et habitualem. *Scholastici* veteres aliquantulum neglexerunt internam gratiam actualem[2]. *Novatores* nunquam habuere rectum conceptum gratiae actualis. *Baius* despexit distinctionem inter gratiam actualem et habitualem (D 1063-4). Doctrina de gratia actuali evoluta est vel maxime in *controversiis posttridentinis,* tum catholicorum contra baianos et iansenistas, tum scholarum catholicarum inter se. Ex quibus controversiis plura utique claruerunt; etsi plena solutio non in omnibus hucusque fuerit adinventa.

ARTICULUS I

De natura gratiae actualis in seipsa

Thesis 27. Gratiae actuales internae exhibentur in fontibus revelationis tanquam illustrationes immediatae intellectus et immediatae inspirationes voluntatis, ad actus supernaturales eliciendos.

265. Notiones. Gratiae actuales, sive auxilia quae conferuntur a Deo ad actus salutares eliciendos. Igitur, hae gratiae actuales non constituunt statum permanentem iustitiae, velut gratia habitualis; nec dantur ad efficiendam seriem indefinitam actuum, velut virtutes infusae; sed sunt aliquid transiens, ad modum actuum potentiarum animae nostrae.

Internae. Non curamus hic de gratiis externis (v.gr. praedicatio, miracula, bona exempla...), quibus utique, accedente gratia interna, utitur Deus ad salutem animarum, et quae vere dici possunt gratiae divinae; nec agimus de motibus internis, qui possunt excitari a Deo et angelis in facultatibus sensitivis. Sed hic intelligimus nomine gratiae actualis internae,

2 Ad cognoscendam mentem scholasticorum circa gratiam actualem iuvabunt sequentes monographiae: F.Mitzka. S.I., *Die Lehre des hl.Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligmachende Gnade:* ZkathTh 50 (1926) 27-72.220-252; J.Stufler, *Die entfernte Vorbereitung auf die Rechtfertigung nach dem hl.Thomas:* ZkathTh 47 (1923) 1-23.161-183; V.Heynck, O.F.M., *Die aktuelle Gnade bei Richard Mediavilla:* FranzStud 22 (1935) 297-325; K.Feckes, *Die Stellung der nominalistischen Schule zur aktuellen Gnade:* RömQschr 32 (1924) 157-165; K.Feckes, *Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel und ihre Stellung innerhalb der nominalistischen Schule* (Munster 1925); Bouillard, *Conversion et Grâce* (Paris 1944).

illam quae confertur animae vel eius facultatibus superioribus seu intellectui ac voluntati, cum hae solae possint elevari ad actus simpliciter supernaturales.

Exhibentur. Fontes proponunt gratias actuales sub forma illustrationis et inspirationis; quae duo proinde pertinent ad essentiam gratiae actualis. Non tamen dicimus in thesi, his solis actibus illustrationis et inspirationis absolvi totam essentiam gratiae actualis. De hoc enim disputant theologi, ut videbimus postea.

Illustrationes et inspirationes. Hae voces, in fontibus, non exprimunt exclusive, prima influxum in intellectum, altera in voluntatem; sed indistincte adhibentur. Apud Tridentinum, s.6 c.5 (D 797), utraque vox eundem sensum induere videtur; immo, apud sacram Scripturam, inspiratio complectitur utrumque. Attamen, theologi hodierni referunt communiter illustrationem ad intellectum, inspirationem vero ad voluntatem. Itaque, intellectus illustratur ut, lumine supernatural! elevatus, cognoscat quae conferunt ad salutem; voluntati autem inspiratur pia affectio, ut possit velle et exsequi opera salutaria.

Illustratio intellectus, alia est mediata (externa), alia immediata (interna). *Mediata* illustratio adest, si per gratiam externam vel per influxum divinum in facultates inferiores naturaliter illustratur intellectus. *Immediata* vero, si Deus directe et immediate influens in intellectum, efficit ut oriatur actus nobilioris entitatis subiectivae quam qui solis viribus naturalibus erumperet.

Inspiratio voluntatis, vel est mediata, vel immediata. *Mediata* dicitur illa, quae, posita illustratione intellectus, naturaliter et sponte oritur in voluntate. *Immediata* autem adest, si Deus directe agit in ipsam voluntatem, gratis et indebito modo, aliquid efficiens quod nequeat explicari ex psychologico nexu inter exercitium intellectus et voluntatis, eo quod radicentur in eadem anima.

266. Observa: 1) Has illustrationes immediatas consistere *a)* in *iudiciis,* tum speculativis tum practicis, quae a Patribus appellantur "vocatio, exhortatio, scientia..."; *b)* in *simplicibus apprehensionibus,* in illis praesertim quae suasivae sunt, et quae virtualiter aequivalent iudiciis.

2) Has inspirationes immediatas posse consistere in actibus caritatis, sed etiam in actibus aliarum virtutum, v.gr. timoris, spei, paenitentiae, etc.[1]

[1] Cf. Beraza, 69s.

3) Utrumque genus actuum, hoc est, illustrationes et inspirationes, esse actus vitales, quatenus non solum a Deo, sed etiam a nostris facultatibus physice eliciuntur.

4) Esse actus indcliberatos, quatenus antevertunt exercitium libertatis, vel, ut Patres loquuntur, "fiunt in nobis sine nobis" libere agentibus, "praeveniunt" nos, "non sunt in nostra potestate"... Et quidem, ratio gratiae actualis competit primario his actibus indeliberatis; etsi, etiam induant rationem gratiae actualis actus deliberati sive liberi, si hi se habeant ad subséquentes actus salutares per modum principii, v.c. si quis ex amore Dei largiatur eleemosynam.

5) Nexum adesse inter gratiam externam ct internam. Suavis enim providentiae modus exigit ut Deus in conferendis gratiis internis, ordinarie, sese accommodet gratiis externis. Nimirum, Deus plura instituit media externa, quibus homines adducantur ad salutem, v.c. praedicationem evangelicam pro infideli, piam lectionem vel contionem vel honum exemplum, etc., pro fidelibus. Quapropter, cum ex his obiectis externis deberet naturaliter oriri aliqua bona cogitatio vel affectio, tunc Deus se inserit in hoc naturae cursu, et loco concurrendi naturaliter, concurrit supernaturaliter operatione arcana et mirabili. Quo fit ut illa cogitatio vel affectio sint supernaturales, seu sint gratiae actuales.

267. Adversarii. 1) *Pelagiani* negarunt initio omnem gratiam internam; deinde admiserunt gratiam internam illustrationis immediatae intellectus; sed immediatam inspirationem voluntatis, sive immediatum Dei influxum in liberum arbitrium, semper reiecerunt.

2) *Semipelagiani* excludunt gratiam internam, quae praeveniat initium fidei.

3) Nonnulli theologi, v.c. Vazquez, negant immediatam inspirationem voluntatis; tenent enim sufficere immediatam illustrationem intellectus, ex qua sponte oriantur boni voluntatis affectus[2].

268. Doctrina Ecclesiae. *Carthaginense,* cn.4 (D 104): Per gratiam "nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum; ... per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus". *Indiculus,* c.8 (D 134): "Quia praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum Ipse tangit corda filiorum". *Arausicanum,* cn.5 (D 178): "Per gratiae donum, id

2 VXzquez, *In 1.2* d.185 c.6. Cf. ct Peravium, *Dc Pelagianorum ct Scmipelagianorum haeresi* 10,12,15.

est, per inspirationem Spiritus Sancti"; en.6 (D 179), "per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti"; cn.7 (D 180), "illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati". *Tridentinum,* s.6 c.5 (D 797), describit in genere dispositionem adulti ad iustificationem per Spiritus Sancti illuminationem, ita ut homo, recipiens huiusmodi inspirationem, illam etiam abicere possit; c.6 (D 798s) numerat in specie praecipuos actus, quibus homo ad iustificationem solet disponi, ita ut hi aperte distinguantur ab infusione virtutum, quae iustificationem consequitur; cn.3 (D 813), memorat praevenientem Spiritus Sancti inspirationem. *Vaticanum,* s.3 c.3 (D 1791), profert eadem verba cn.7 Concilii Arausicani.

269. Valor dogmaticus. Thesis, prout proponitur, est *certa.* At inde sequitur exsistentia harum illustrationum et inspirationum, quae est *de fide divina et catholica definita.* Idque dicendum etiam est de illis, prout dicuntur immediatae, in genere. Sententia negans necessitatem inspirationis immediatae, *minus consona fontibus* dicenda est.

270. Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae exhibent gratias actuales internas, tanquam immediatas illustrationes intellectus et tanquam inspirationes voluntatis.

A. *Tanquam illuminatio immediata intellectus:*

a) *Illuminatio.* Ipse terminus illuminationis sive illustrationis saepe reperitur in sacra Scriptura, licet non semper denotet gratias actuales internas. Scilicet, Deus illuminat oculos ne pereamus (Ps 12,4) ; illuminat lucernam nostram, tenebras nostras (Ps 17,29) ; dat intellectum ut scrutemur legem suam, eamque custodiamus (Ps 118,34); illuminat oculos cordis, ut cognoscamus supernaturalia (Eph 1,16-18); illuxit in cordibus nostris, ut illuminemur cognitione Christi (2 Cor 4,6); aperuit cor Lydiae, ad intelligenda quae proferebantur a Paulo (Act 16,14)...

b) *Immediata.* 1) Ex Io 6,44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater..., traxerit eum.* Haec verba explicantur in contextu de fide salutari (v.65-66), qua in Christum ducimur. Immo Augustinus, ac cum eo Patres occidentales, id etiam intellexerunt de motione voluntatis. Ergo nullus adultus salutariter credere potest per solam externam evangelii praedicationem, et naturalem cognitionem et volitionem, quae psychologice consequuntur auditionem praedicationis ; sed requiritur praeterea interna attractio Patris, quam Christus expli-

cat v.45: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Igitur, haec attractio consistit in illustratione interna doctrinae evangelicae, quam Pater in audientibus operatur. Ergo illustratio intellectus est immediata.

3) Ex 1 Cor 3,6: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit.* Quasi diceret Paulus: Ego primus evangelizavi vos, fidei semina ieci, quae postea Apollo confirmavit; solus vero Deus dedit vobis vitam et vigorem ad crescendum in ipsa fide. Id est, Paulus et Apollo sunt ministri Dei, qui praedicant verbum, extrinsecus agentes; Deus vero operatur intrinsecus. Iam vero, quod per extrinsecum ministerium fit, hoc etiam facit Deus, tanquam causa principalis. Ergo dans incrementum aliquid aliud facit, absque ministerio externo; si enim incrementum daret per ministros, non esset ratio cur plantatio et rigatio tribueretur ministris, incrementum vero non. Ergo, praeter illustrationem mediatam praedicationis evangelicae, aliquid aliud internum confertur a solo Deo.

3) Cf. Act 16,14; Mt 11,25; 16,17, etc.

B. *Tanquam inspiratio voluntatis:*

Ipsa vox inspiratio raro occurrit in sacris Litteris. Conceptus vero adest *a)* quatenus Deus exhibetur inspirans quosdam affectus, per quos homo iuvatur ad bene agendum. Ita Deus dat suavitatem sive dulcedinem ad servanda eius verba (Ps 118,103); dilatat cor ad currendam viam mandatorum (Ps 118,32)... *b)* Praeterea, Deus pulsat (Apoc 3,20), excitat dormientem (Eph 5,14), hortatur corda (2 Thess 2,17).

271. Probatur ex traditione. 1) *Patres* plus minus eosdem terminos adhibent ac sacra Scriptura, ad designandas gratias actuales internas. Insuper, satis perspicue innuunt has immediate a Deo effici in intellectu et voluntate. Ita v.c. Clemens Alex. (R 430), S.Ephraem (R 704), S.Augustinus (R 1483 1485 1722 1724 1729 1736 1764 1822s 1853), S.Prosper (R 2035 2043), S.Fulgentius (R 2246)... Circa S.Augustinum notandum est, eum in prioribus scriptis antipelagianis saepe descripsisse gratiam, tanquam motionem mediatam voluntatis; in posterioribus vero magis urgere motionem immediatam [8].

2) *Sacra Liturgia* postulat a Deo illustrationem et inspirationem ad cognoscenda et peragenda salutaria. *Feria 4 quatuor temp. Quadr.:* "Mentes nostras... illustra, ut videre pos-

[8] Cf. *ne gratia Christi 26,27:* ML 44,374; CSEL 42,147; *Opus imperfectum contra Julianwrrt* 3,106: ML 45,1291s.

simus quae agenda sunt". *Feria 6 quatuor temp. Quadr.:* "Mentibus nostris gratiae tuae lumen ostende". *Dom. 5 p. Pascha:* "Largire... ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt". *In sab. quatuor temp. Quadr.:* "Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni"...

272. Ratio theologica. *Ex parte nostra,* congruit indorli naturae humanae, ut haec excitetur et adiuvetur ad bonum per lumen intellectus et per motionem voluntatis.

Etiam congruit *ex parte gratiae,* ut eius munus sit illustrare intellectum et roborare voluntatem. Nam vulnera nobis inflicta per peccatum sunt vel maxime ignorantia in intellectu et imbecillitas in voluntate.

273. Obiectio. Illustratio immediata, utpote quae iuxta ordinariam providentiam Dei supponit obiectum externum et nihil novi revelat, idem prorsus intellectui manifestat ac illustratio mediata, Ergo illustratio immediata evadit superflua et innecessaria.

Trans, antcc. Dist. cons. Illustratio immediata evaderet innecessaria, si actus vitales lintellectus non essent elevandi ad ordinem supernaturalem, *conc. cons.;* aliter, *nego cons.* Igitur, haec illustratio immediata Dei, entitative supernaturalis, a Deo datur ut homo valeat elicere actum, entitative supernaturalem ; haec autem ratio supernaturalitatis fugit conscientiam nostram. Praeterea, hae illustrationes vel inspirationes immediatae saepe etiam dantur ut homo facilius possit superare impedimenta interna, quae eum avertunt a bonis operibus perficiendis.

Thesis 28. Solis his actibus vitalibus tota essentia gratiae excitantis absolvitur.

Bkraza, 76-89; Lance, 518-529; Lerchhr-LaknCr, 277-281.

274. Notiones. His actibus vitalibus, sci. illustratione et inspiratione, quae a Deo immediate in nobis sine nobis (libere operantibus) producuntur.

Solis, sci. sine ulla alia entitate superaddita, praeter hos actus.

Tota essentia: gratia excitans adaequate sumpta consistit in his actibus.

Gratia excitans: auxilium supernaturale nobis divinitus immissum, quo primo movemur ad bonum faciendum et malum vitandum. Haec gratia datur et iusto et peccatori.

275. Sententiae. *Prima* tenet essentiam gratiae excitantis formaliter reponendam esse in aliqua qualitate seu motione, cuius effectus est illustratio et inspiratio. Nimirum, ad hoc ut intellectus possit elicere illustrationem et voluntas inspirationem, quae sunt entitative supernaturales, requiritur

ut intellectus et voluntas eleventur per auxilium divinum supernaturale. Haec autem elevatio debet esse intrinseca ipsis facultatibus; hinc auxilium divinum debet recipi in ipsa potentia prius natura quam actus producatur. Tale auxilium est entitas physica, mon vitalis (quia non fit a potentia, sed a solo Deo), nec intentionalis (quia non movet potentiam per modum obiecti, sed per impulsum physicum in actum), natura sua fluens (quia desinit esse desinentibus actibus). Haec motio constituit potentiam completam in actu primo, est principium actuum indeliberatorum et vocatur praemotio physica. Sic *Thomistae generatim* et nonnulli etiam eorum qui praedeterminationem physicam non admittunt, ut Billot, Terrien, Boyer 2.

Secunda sententia tenet, essentiam gratiae excitantis adaequate reponendam esse in ipsa immediata illustratione et inspiratione. Hae sane potentiae elevandae sunt ad illos actus entitative supernaturales eliciendos. Sed ad hanc elevationem nulla requiritur nova entitas, quae in potentia prius recipiatur. Proinde haec sententia non admittit elevationem intrinsecam ipsius potentiae, sed extrinsecam. Deus scilicet, assistens ipsi potentiae, immediate et per Seipsum supplet quod naturae deest ad illos actus supernaturales producendos. Unde primum ens supematurale in facultate receptum, non est motio praevia ad actum, sed ipse actus indeliberatus. Hic actus totus procedit a Deo et totus a facultate, totalitate effectus; sed partialitate causae, actus procedit a facultate ut vitalis, a Deo ut supernaturalis. Haec solutio supponit potentiam naturalem assumi a Deo ad producendum effectum supernaturalem per potentiam obedientialem activam stricte dictam; quae in eo consistit quod in natura sit potentia ut subdatur influxui Creatoris, ita ut possit cum concursu Dei simultaneo, nobiliori, validiori atque indebito, producere effectum supernaturalem; in nostro casu, actum indeliberatum entitative vitalem et simpliciter supernaturalem. Sic *Molinistae.*

276. Dicimus cum secunda sententia, gratiam excitantem formaliter non consistere in entitate aliqua, quae potentiae superaddatur ut eam elevet ad eliciendum actum supernaturalem; sed consistere in ipsis actibus vitalibus illustrationis et inspirationis. Qui sunt entitative supernaturales eo

3 Cf. Salmanticenses, *De gratia* disp.5 n.34; Billuart, *De gratia* disp.4 a.5; Hugon, *Dc gratia* q.3 a.I.

3 Cf. Billot, *Dc gratia Christi* (Prati 1912) 153; Terrien, *La grâce et la gloire3* 2,375ss; Boyer, *De gratia divina* (Romae 1927) th.19 p.156ss. Similiter Van der Meersch, *De divina gratia* 279-281; Van Noort, *De gratia Christi* 15.

quod procedunt a Deo per concursum indebitum et supernaturalem; ergo per elevationem potentiae extrinsecam, non intrinsecam.

Valor theologicus. *Sententia probabilior.*

277. Argumentum. 1. *Elevatio intrinseca non datur.* Illa entitas non vitalis (praemotio physica) esset vel pura motio physica, vel qualitas transiens. Atqui neutrum dici potest. Ergo talis entitas non datur.

Min.: a) *Non pura motio physica:* impossibile est assignare aliquem terminum intrinsecum huic motui ex uno statu in alium. Atqui repugnat motus ex uno statu in alium sine termino intrinseco. Ergo illa pura motio repugnat.

Mai. haec.: Talis motus non est transitus ex potentia in actum vitalem (quia talis transitus fit formalitcr per ipsum fieri actus), nec ex facultate adhuc impotente in statum potentiae completae (quia hoc nequit fieri sine aliqua qualitate, conferente novam virtutem agendi, unde iam non esset pura motio).

b) *Non qualitas transiens:* entitas quaevis mortua non est medium aptum quo voluntas determinetur ad actum. Nam optime intelligitur voluntatem moveri per cognitionem, non vero intelligitur eam moveri per influxum physicum.

2. *Elevatio extrinseca possibilis est.* Actus supernaturalis elicitus a facultate vitali per auxilium extrinsecum ipsi facultati repugnaret vel ex vitalitate, vel ex supernaturalitate. Atqui neutrum. Ergo elevatio extrinseca possibilis est.

a) *Non ex vitalitate:* ad hoc, iuxta omnes, non requiritur ut omnia principia actum efficientia sint intrinseca et vitalia.

b) *Non ex supernaturalitate:* ad hoc sufficit ut unum ex principiis actus sit supernaturale, et ut tale operetur.

3. *Elevatio extrinseca consanat foniibus.* In fontibus, qui tam diligenter loquuntur de necessitate gratiae contra Pelagianos et Semipelagianos, gratia describitur verbis, quae actum vitalem significant, et nova quaedam entitas non vitalis simpliciter ignoratur. Atqui hoc probat, magis consentaneam esse fontibus theoriam elevationis extrinsecae. Ergo theoria elevationis extrinsecae magis consonat fontibus.

Thesis 29. Gratia adiuvans in ipsa illustratione et inspiratione reponenda est, prout simul cum voluntate physice efficiunt actum salutarem deliberatum.

Bbraza, 120-139; I<£rch£r-Laknsr, 286.

278. Notiones. Gratia adiuvans: auxilium supernaturale nobis divinitus immissum, quo iuvamur ad efficiendum libere illud bonum, vel ad libere omittendum illud malum, ad quod movit gratia excitans.

Gratia adiuvans consideratur in thesi, non *formaliter* (prout est ipsum adiutorium divinum ad salutariter operandum), sed *principiative* (prout est principium simul cum voluntate efficiens actum salutarem).

Illustratio et inspiratio, de quibus in praecedentibus thesibus.

Prout efficiunt actum salutarem: ipsae enim illustrationes et inspirationes habent rationem gratiae excitantis et rationem gratiae adiuvantis, sub diversis respectibus. Illam, prout excitant voluntatem liberam; hanc, prout simul cum voluntate libera eliciunt actum deliberatum.

Physice: quia voluntati desunt vires physicae ad eliciendum actum deliberatum supernaturalem, hae vires eidem voluntati praestari debent. Dicimus ergo easdem praestari ab ipsis actibus indeliberatis illustrationis et inspirationis, qui simul cum voluntate „efformant principium physicum adaequatum actus deliberati.

279. Sententiae. *Prima* tenet, consequenter ad ea quae iidem auctores dicebant in thesi praecedenti, gratiam adiuvantem esse entitatem non vitalem, divinitus immissam, qua Deus voluntatem, iam in actu primo per gratiam excitantem (praemotionem) constitutam, applicat ad actum liberum efficiendum. Haec entitas (quae est nova praemotio physica, infallibiliter connexa cum ipso actu libero, ideoque vocatur praedeterminatio physica) supplet vires physicas, quae potentiae naturali desunt ad eliciendum actum supernaturalem. Talis divinus influxus est concursus praevius, qui perdurat in operatione et ita fit concursus simultaneus. In hac sententia gratia adiuvans realiter distinguitur a gratia excitante. Sic *Thomistae.*

Secunda sententia, negata, sicut in thesi praecedenti, qualibet entitate non vitali, tenet gratiam adiuvantem esse ipsas illustrationes et inspirationes supernaturales. Non tamen quomodocumque; sed prout attenditur influxus earum in actum

deliberatum. Hic influxus vel est tantum moralis, vel etiam physicus, iuxta diversos auctores huius sententiae.

a) Si influxus est *tantum moralis,* vires physicae, quae desunt voluntati ad eliciendum actum salutarem, non ei tribuuntur ab illustratione et inspiratione, sed ab alio speciali influxu divino, qui tamen non est concursus praevius, sed simultaneus. Sic Suarez, Tanner, Kilber, Mendive, Schiffini, alii [1].

b) Si influxus est *etiam physicus,* ipsa illustratio et inspiratio tribuit voluntati vires physicas, quibus carebat ad eliciendum actum supernaturalem. Unde nunc non ponitur nova elevatio extrinseca voluntatis, sed intrinseca per gratiam nempe excitantem. Sine dubio adhuc requiritur novus influxus divinus supernaturalis ad actum (concursus simultaneus); at hic concursus non est specialis, sed connaturalis voluntati iam elevatae. Sic Molina, Lessius, VAzquez, Valencia, Ripalda, Palmieri, Pesch, Beraza, Lance [2].

280. Dicimus, nullam esse admittendam entitatem non vitalem ad actum deliberatum efficiendum. At neque requiri novum specialem concursum divinum. Gratia ergo adiuvans non distinguitur realiter a gratia excitante, sed solum ratione; quatenus scilicet influit physice cum voluntate ad eliciendum actum supernaturalem deliberatum.

Valor theologicus. *Sententia probabilior.*

281. Argumentum. 1. *Non requiritur ulla, nova praemotio physica.* Illustratio et inspiratio, conferendo novas vires, sive physicas sive morales, complent potentiam in ratione principii supernaturalis et constituunt eam in actu primo proximo ad salutariter operandum. Atqui virtus, qua facimus actum salutarem, est illa eadem virtus qua possumus illum facere. Ergo illustratio et inspiratio est virtus qua facimus actum salutarem, seu est gratia adiuvans.

Mai.: Constat ex thesi praecedenti.

N.B. Quia haec praevia motio non est mera praemotio, sed etiam praedeterminatio ad actum, speciales habet difficultates, de quibus postea erit agendum.

2. *Non requiritur influxus specialis Dei. a)* Influxus ille requireretur ad elevandam voluntatem. Atqui voluntas iam

1 SuArez, *De gratia* 3,4,12; Tanner, *De gratia,* disp.6 q.3 dub.10; Kilber. *De gratia* 268; Mendive, *De divina gratia* 169; Schiffini, *De gratia* 154.

2 Molina, *Concordia* q.14 a.13 d.37; Lessius, *De auxiliis* 15,3; 17,10; VAzquez, *In 1.2* q.108 disp.185 c.10; Valencia, *In 1.2* disp.2 punct.3; Ripalda, *De ente supernaturali* disp.110 s.1; PalmiEr b *De gratia divina actuali* th.19; Pësch, *Praelectiones dogmaticae* 5,63; Beraza, 99-111; Lange, 528.

est elevata per gratiam excitantem. Ergo talis influxus non requiritur.

b) Influxus requireretur quia actus indeliberatus non esset physice operativus. Atqui est physice operativus, ut patet ex productione habituum. Ergo non requiritur.

282. Scholion 1. *De comparatione gratiae excitantis cum gratia adiuvante.* Gratia excitans, qua talis, praecedit liberum influxum voluntatis; gratia vero adiuvans, qua talis, illum nullo modo praecedit. Nullam enim admittimus praemotionera voluntatis. Influxus ergo gratiae adiuvantis non terminatur ad voluntatem, sed ad actum. Proinde non est tempore, aut natura prior quam actus voluntatis, sed simul. Praeterea concursus ille non solum est simultaneus, sed indifferens.

283. Scholion 2. *De causis actus salutaris deliberati.* Tam gratia quam voluntas sunt causa efficiens actus salutaris. Sed, quomodo se habet utraque causa respectu effectus?

Thomistae, ut fugiant quamlibet potentiam obedicntialem stricte activam, tenent voluntatem remote tantum et radicaliter concurrere ad actum salutarem, quatenus ipsa sustentat virtutem gratiae, a qua proxime procedit actus, et tanquam supernaturalis et tanquam vitalis.

Ceteris autem theologis haec non videntur consonare cum definitione tridentina circa cooperationem liberi arbitrii in opere salutis (D 797-814). Ideo rem explicant hoc modo: Causa efficiens proxima actus salutaris est tum gratia tum voluntas; sed utraque dicenda est causa partialis, non partialitate effectus, qui unus et simplex est, sed partialitate causae, quatenus neutra ex se sola est sufficiens ad hunc actum efficiendum. Nam actum, qua vitalem, Deus solus producere non valet; nec sola voluntas eundem actum, qua supernaturalem, efficere potest. Unde, ratione vitalitatis voluntas est causa principalis sui actus; ratione vero supernaturalitatis Deus est pariter causa principalis, adhibens potentiam extrinsece elevatam tanquam instrumentum ad efficiendum actum salutarem deliberatum.

284. Scholion 3. *Aliae divisiones gratiae actualis.* 1) *Gratia operans* et *coopérons.* Nomina occurrunt in sacra Scriptura. Ita Phil 2,13: *Deus operatur in vobis et velle et perficere;* Mc 16,20: *Praedicaverunt ubique Domino coopérante.* His verbis utuntur etiam Patres, ut S.Augustinus et Theodoretus (R 1942 2163). S.Thomas (1.2 q.111 a.2) gratiam, tum actualem tum habitualem, dividit in operantem et cooperantem; haec autem divisio diversimode explicatur a posterioribus theologis[3]. Hodie sat communiter intelligitur gratia operans illa quae in nobis operatur, sine nobis libere cooperantibus; gratia vero cooperans illa quae operatur nobiscum libere consentientibus, seu quae simul cum voluntate concurrit ad actum deliberatum. Unde, re, idem est gratia *operans* et *excitans,* gratia *cooperans* et *adiuvans.*

2) *Gratia praeveniens, concomitans et subsequens.* S.Augustinus utitur hac distinctione, provocans ad verba Ps 58,11 et 22,6: *Mise-*

3 De conceptu gratiae operantis et coopérantes apud thomistas recentiores, cf. C.Boyer, S.I., *Tract, de gratia divi/na* (1938) 242; R.Garrigou-Lagrange, O.P., *Dc gratia* 132-144; F.Zigon, *Gratia operans et coopérons iuxta S.Thomam:* EphThLov (1929) 614s.

ricordia eius praeveniet me; misericordia tua subsequetur me (R 1914 1793). Adhibetur haec divisio in sacra Liturgia, v.c. in oratione dom. Resurrect., in orat. dom.16 p. Pent., etc. Occurrit in *Concilio Arausicano* (D 187 191), *Carisiaco* (D 317), in symbolo Leonis IX (D 348). S.Thomas (1.2 q.111 a.3) distinguit quinque effectus gratiae; hanc, prout ex duobus effectibus attingit primum, vocat praevenientem respectu alterius effectus; et prout hunc attingit, subsequentem respectu prioris effectus. Tridentinum docet Christum iugiter influere virtutem in iustificatos, "quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur" (D 809). Hodie, plerumque, haec divisio assimilatur prioribus, ita ut gratia *praeveniens* et *operans* incidat in gratiam *excitantem,* gratia vero *concomitans, coopérons* et *subsequent* in gratiam *adiuvanlem.*

3) *Gratia sufficiens et efficax.* Gratia *sufficiens* dicitur illa quae tribuit potentiam ad operandum salutariter, quae tamen praescindit a facto consensus voluntatis. Gratia autem *efficax* est illa quae dat potentiam ad operandum salutariter, et cum consensu voluntatis coniungitur. Verum, de hac divisione plura erunt disputanda in sequentibus.

ARTICULUS II

De habitudine gratiae actualis ad liberum hominis arbitrium, SEU DE gratia sufficiente et efficaci

285. Iam exposuimus maturam gratiae actualis in seipsa spectatae. Ut vero hanc eandem gratiam adhuc melius dignoscamus, venit declaranda eiusdem habitudo ad liberum hominis arbitrium. Patet enim ex praecedentibus actus salutares effici et a gratia Dei et a libera hominis voluntate. Ideo scribebat S.Bernardus : "Tolle liberum arbitrium, et non erit quod salvetur ; tolle gratiam, non erit unde salvetur" [1]. Utrumque ergo requiritur.

Si rem historice consideremus, in primis, constat ex lectione *sacrae Scripturae,* plures gratias, ob culpam voluntatis humanae, non ferre eum fructum quem Deus exspectabat. *Patres graeci omnes, et latini ante S.Augustinum,* magis urgebant influxum libertatis ; S.Augustinus vero, eiusque discipuli, magis efferunt, contra pelagianos et semipelagianos, victricem gratiae efficaciam. *Scholastici medii aevi,* utramque veritatem exhibent, etsi nondum adhibeant hanc divisionem gratiae sufficientis et efficacis. S.Thomas utitur hoc duplici vocabulo (1.2 q.106 a.2 ad 2; *In Rom* 8,6), sed non dividit gratiam in haec duo membra. Primus id fecisse videtur,Henricus Gorcumiensis (f 1431). Iuxta *novatores,* in homine lapso periit libertas: ideo homo trahitur, vel a concupiscentia ad malum, vel a gratia ad bonum. Iansenius mitigavit doctrinam

1 S.Bernardus, *De gratia ct libero arbitrio* 1,2: ML 182,1002.

protestanticam, asserens hominem, licet non cogatur, interne necessitari maiori actuali delectatione, caritatis vel cupiditatis. QuESnel provocabat ad vim irresistibilem voluntatis divinae *Tridentinum* vindicavit, homini etiam lapso, facultatem gratiae consentiendi, vel abiciendi divinam vocationem. Quapropter ab hoc tempore theologi accuratius examinarunt discrimen inter gratiam sufficientem et efficacem, ac varia systemata efformarunt ad declarandam infallibilitatem gratiae efficacis[2].

Itaque, primum disseremus de *gratia sufficiente,* deinde de *gratia efficaci.*

I. De gratia sufficiente

Thesis 30. In statu naturae lapsae datur gratia vere et pure sufficiens, non solum absolute, sed etiam relative.

S.Th., 1 q.62 a.8 ad 2; 1.2 q.106 a.2 ad 2; LerciiEr-LaknEr, 323-332; Beraza, 449-461; Lange, 539-552.

286. Notiones. In statu naturae lapsae, in quo nunc versamur, id est, in statu naturae lapsae in peccatum originale et reparatae per Christum Redemptorem, sed gementis sub concupiscentia. lansenistae enim concedebant angelis ante peccatum, et protoparentibus in statu innocentiae, gratiam vere sufficientem, hanc vero negabant homini lapso.

Datur, saltem aliquando, iuxta ea quae scripsimus de universalitate gratiae, th.13-15. Cum loquamur de auxilio sufficiente ad ponendos actus salutares, patet haec non nisi in adultis locum habere posse.

Gratia vere sufficiens dicitur illud auxilium quo homo redditur potens ad eliciendos actus salutares. Est *proxime sufficiens* si sit plene et immediate potens; *remote vero sufficients* si, mediante bono usu alicuius gratiae, v.c. orationis, ad novos actus salutares pervenire possit.

Gratia pure sufficiens dicitur illa quae non obtinet effectum. Etenim gratia vere sufficiens potest considerari praecisive vel negative:

a) *Praecisive,* quatenus tribuit veram sufficientiam ad salutariter operandum, facta praecisione num reapse coniungatur cum effectu necne. Hac ratione opponitur gratiae *insufficienti,* et potest esse efficax vel inefficax.

b) *Negative,* prout confert veram sufficientiam ad salutariter agendum, sed de facto caret effectu. Hac ratione opponitur gratiae *efficaci,* et vocatur pure sufficiens.

Mura apud Lance, 538.

Gratia vere sufficiens dicitur:

a) Absolute sufficiens: quae secundum solam suam naturam, praescindendo ab adiunctis praesentibus hominis cui datur, confert potentiam salutariter agendi.

b) Relative sufficiens: quae illam potentiam confert, etiam consideratis praesentibus adiunctis hominis, maxime eius prava concupiscentia.

Asserimus dari gratias, quae vere sufficiunt ad salutariter agendum, sed quae redduntur pure sufficientes propter dissensum voluntatis humanae.

287. Adversarii. 1) *Protestantes* negant gratiam pure sufficientem, cum teneant omnem gratiam esse efficacem. Si quis ergo non operatur salutariter, id debetur defectui gratiae, quae non datur.

2) Iansenius distinxit duplex adiutorium Dei: adiutorium *sine quo non,* et adiutorium *quo.* Illud dabatur in statu naturae innocentis, hoc in statu naturae lapsae. In hoc statu, homo non habet libertatem a necessitate, sed necessario sequitur maiorem delectationem, terrenam vel caelestem. Si delectatio caelestis est maior quam delectatio terrena, infallibiliter producit actum supernaturalem; haec vocatur gratia magna, victrix, dans potentiam non solum absolutam, sed etiam relativam, et est gratia *efficax.* Sed si delectatio caelestis est minor, actum non producit, quia sufficiens non fuit ad vincendam delectationem terrenam; haec est gratia parva, victa, dans potentiam absolutam, non relativam, et dici debet gratia *insufficiens* (quamvis sit absolute sufficiens). Nullus ergo locus manet pro gratia vere et mere sufficiente, sufficientia non solum absoluta sed etiam relativa. Quidam *iansenistae* loquebantur de gratia parva, quae tamen esset sufficiens et sufficientissima; sed hoc intelligebant de sufficientia absoluta, non de relativa.

288. Doctrina Ecclesiae. *Arausicanum* (D 200), *Valentinum* (D 321), *Lateranense IV* (D 430) testantur hominem gaudere gratia vere sufficiente ad salutariter operandum, quod tamen ipse libere renuit facere.

Tridentinum s.6 c.5 (D 797) agnoscit gratiam, quae est necessaria ut homo sese praeparet ad iustificationem (gratia vere sufficiens), cui tamen homo resistere potest (gratia quae non est efficax). S.6 c.11, cn.18 et cn.23 (D 804 828 833) definit iustum posse semper observare omnia mandata ex gratia Dei (gratia vere sufficiens), illum tamen posse peccare (gratia quae non est efficax). In his ergo implicite conti-

netur gratia vere et pure sufficiens. Ad eludendam vim huius definitionis tridentinae invexit lansenius distinctionem gratiae absolute sufficientis et relative sufficientis, quasi Tridentinum de illa tantum loqueretur, non de hac. Sed patet Tridentinum loqui de homine concreto in praesentibus adiunctis.

Innocentius X damnavit propositiones lansenii (D 1092s). Ex damnatione primae propositionis patet iustos habere semper gratiam qua possint servare mandata: gratiam vere sufficientem. Ex secunda propositione iusti possunt resistere huic gratiae et peccare: gratia non semper est efficax. Datur ergo gratia vere et pure sufficiens. Patet ibidem agi de gratia relative sufficiente, quam negabat lansenius.

Alexander VIII docuit contra lansenistas gratiam pure sufficientem esse beneficium Dei (D 1296).

Clemens XI damnavit propositiones Quesnelii, in quibus continebatur negatio gratiae pure sufficientis (D 1759-1775).

Pius VI similia damnavit contra Synodum Pistoriensem (D 1521).

Vaticanum s.3 c.3 (D 1791) agnovit gratiam fidei, quae potest esse pure sufficiens.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

289. Probatur ex sacra Scriptura. Constat Deum fecisse quantum debebat ex parte sua ut homines producerent fnictus salutares, quos tamen ipsi aliquando non fecerunt. Atqui non possent facere fructus salutares, nisi Deus dedisset illis gratiam vere sufficientem, etiam relative. Ergo, etiam in statu naturae lapsae, dantur gratiae vere et pure sufficientes.

Mai.: Illustratur variis Scripturae locis: *a)* Ex Is 5,1-7, ubi, sub parabola vineae, depingitur sollicitudo Dei erga homines et eorum iniquitas.[1] Ibi enim *sermo est de gratia interna:* quia haec erat necessaria ad opera peragenda quae Deus exspectabat ab israelitis (cf. v.7 et 18-20, et th.l). */Igitur de gratia pure suffidente:* quia de facto israelitae non fecerunt fructus, quos Deus exspectabat (v.7). *Aliunde, illa gratia erat vere sufficiens, etiam relative:* Deus enim nihil amplius facere debuit ex parte sua, debuisset autem si non dedisset gratiam vere sufficientem etiam relative (cf. v.1-2 nihil defuit vineae illi; v.2 ideo exspectavit fructus; v.4 *quid debui ultra facere;* adde, quod aliter Deus iniuste reprehenderet israelitas).

1 Cf. KnabenbauEr-ZorEll, *In Isaiarn prophetant* Ills.

b) Ex Mt 11,21: Corozaim et Bethsaida severissime iudicabuntur, quia noluerunt credere, cum tyrii et sidonii, eadem gratia ornati, credidissent. Ibi agitur de *gratia interna* (non solum de miraculis): quia sine illa impossibilis fuisset conversio, nec possent damnari propter defectum conversionis. Agitur de gratia *pure sufficiente:* quia de facto paenitentiam non egerunt. Agitur de gratia *vere sufficiente, etiam relative:* quia secus puniri non possent propter paenitentiam non faccam, haberent enim veram excusationem.

290. Probatur ex traditione. *Patres,* tum graeci tum latini, constanter asserunt hominibus suppeti ex parte Dei quaecumque sunt necessaria ad salutem, etiam illis qui pereunt. Ergo agnoscunt gratiam vere et pure sufficientem. Ita Chrysostomus: "Si per gratiam, inquit, cur non omnes salvamur? Quia non vultis. Gratia enim, licet gratia sit, volentes salvat, non nolentes, qui eam repellunt"... (R 1188; cf. 1158s). Legantur praeterea S.Irenaeus (R 244 247), Arnobius (R 622), S.Ephraem (R 704), S.Gregorius Nys. (R 1034). S.Augustinus saepe cogitavit de gratia sufficiente in scriptis prioribus ante annun 418; parum vero in posterioribus hoc anno (cf. ex illis prioribus R 1556 1571 1722 1735-6; ex posterioribus vero, cf. R 1955 1957, quae loquuntur de ordine antelapsario). En verba Damasceni: "Citra ipsius [Dei] opem et auxilium bonum velle nec facere possimus; ceterum nobis liberum esse in virtute perstare, Deumque ad eam vocantem sequi vel a virtute abscedere" (R 2359) 2.

291. Ratio theologica. Deus impossibilia nun iubet. Atqui iubet servare omnia Eius mandata. Ergo simul praebet gratiam sufficientem, qua possint impleri. Nunc vero, plures de facto non servant divina mandata. Ergo datur gratia vere et pure sufficiens.

Similiter argui potest ex voluntate salvifica universali Dei, et ex morte Christi pro omnibus prorsus hominibus.

292. Obiectiones. 1. Ex Rom 9,19: *Voluntati Eius quis resistit?* Unde voluntas Dei est semper efficax. Ergo repugnat gratia sufficiens.

Dist. antec. Voluntas Dei *antecedens* et *condicionata* est semper efficax, *nego antec.;* voluntas Dei *absoluta* et *consequens, conc. antec.* Verba autem haec, non sunt verba Apostoli, sed eius qui cum ipso loquitur

3 Cf. I.HabEkT, *Theologiae graecorum Patrum vindicatae circa universam materiam gratiae... libri tres* (Paris 1647); F.WbaTEa, *Vie christjiche Lehre Uber das Perhaltnis van Gnade un Fcihcit, von den apostat. Zeiten bis auf Augustinus* (Freiburg 1856).

3 Cf. Bover, *Teologia de San Pablo* 245s.

2. Ex Phil 1,6: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi lesu.* Et 2,13: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere.* Igitur, Paulus exhibet auxilium divinum tanquam coniunctum cum actu salutari. Ergo non datur gratia pure sufficiens.

Dist. antec. Exhibet gratiam coniunctam cum actu salutari, quatenus ipsa dat virtutem ad salutariter agendum, *conc. antec.;* quatenus semper agat, *subdist.:* gratia efficax, *conc.;* quaelibet gratia, *nego.* In his locis loquitur Apostolus de necessitate gratiae ad salutariter operandum. Proinde semper ac fiat actus salutaris, necessario debet dari gratia. Non autem docet Paulus gratiam non concedi nisi illi qui salutariter agat.

3. Apud Is 55,11 dicitur de verbo Dei: *Non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui.* Atqui haec nequeunt intelligi nisi de gratia efficaci. Ergo non exsistit gratia pure sufficiens.

Conc. mai. Trans, min. Nego cons, et consequentiam. Etenim quod aliquando sacra Scriptura loquatur de gratia efficaci, non arguit ipsam ignorare gratiam pure sufficientem (cf. n.275).

4. Tentatio saepe intensior est quam gratia alliciens ad bene operandum. Atqui haec gratia nequit esse vere sufficiens. Ergo, saltem in hac hypothesi, non datur gratia vere sufficiens.

Conc. mai. Dist. min. Haec gratia nequit esse vere sufficiens ad compescendam cupiditatem, *conc. min.;* nequit esse sufficiens ad salutariter agendum contra huiusmodi inclinationem, *nego min. Dist. fariter cons.* Non datur gratia sufficiens ad compescendam cupiditatem, *conc. cans.;* ad salutariter agendum, *nego cons.* Haec enim lansenii obiectio nititur falso supposito, quod voluntas se habeat passive, non autem active elective.

5. Ut gratia conferat vires relative sufficientes ad superandam delectationem terrenam, debet constituere voluntatem in vero aequilibrio. Atqui huiusmodi aequilibrium non adest cum delectatio terrena superat caelestem. Ergo in hoc casu non datur gratia relative sufficiens.

Dist. mai. In vero aequilibrio *electionis,* ita ut voluntas sit domina sui actus, *conc. mai.;* in vero aequilibrio *inclinationis, nego mai. Contradist. min.* Non adest aequilibrium *electionis, nego min.; inclinationis, conc. min.* Igitur, aequilibrium inclinationis non requiritur ad exercitium libertatis.

6. Gratia vere et pure sufficiens est facultas agendi, quae in actum tamen transire non valet. Atqui talis facultas repugnat. Ergo repugnat gratia vere et pure sufficiens.

Dist. mai. Est facultas, quae in actum transire non valet impotentia consequente resistentiam voluntatis, a Deo praevisam, *conc. niai.;* impotentia antecedente exercitium libertatis, *nego mai. Contradist. min.* Repugnat facultas agendi, quae ferat secum impotentiam antecedentem, *conc. min.;* consequentem, *nego min.*

293. Scholion 1. *Gratia vere et pure sufficiens est verum Dei beneficium.* lansenistae ideo reicicbant gratiam vere et pure sufficientem, quia eam habebant tanquam inutilem et perniciosam (D 1296). Attamen doctrina catholica, non solum tradit exsistentiam illius, sed etiam removet fundamentum adversariorum, docens illam gratiam esse verum Dei beneficium, tum materiale, tum etiam formale.

Beneficium materiale intelligitur illud quod, ex se, utile nobis evadere potest. Iam vero, huiusmodi gratia est donum indebitum,

a Deo collatum propter merita Christi, ut homo vere possit salutariter agere et vitam aeternam obtinere. Ratio autem beneficii materialis non disparet eo quod gratia illa reddatur inefficax, ex defectu cooperationis; hoc enim ipsi gratiae est prorsus extrinsecum.

Beneficium formale dicitur id quod datur intentione benefaciendi. Nunc vero, cum Deus hanc gratiam conferat ex voluntate seria et sincera, ut homo salutem consequi valeat, haec gratia est beneficium formale. Neque obstant: a) *praescientia inefficariae,* nam haec naturam huius doni non mutat, cum Deus illud non eligat quia inefficax praevidetur, sed potius quia confert auxilium vere sufficiens, etsi de facto non obtinebit consensum voluntatis; b) *denegatio gratiae efficacis,* loco gratiae praevisae inefficacis, quia, etsi arguat Deum nolle conferre illud maius beneficium gratiae efficacis, attamen minime probat hanc gratiam sufficientem non provenire ex benevola voluntate Dei. Insuper, Deus illam gratiam efficacem denegare potest, aut in poenam peccatorum, aut propter abusum gratiarum; c) *peccatum gravius* ex gratiae abusu, cum hoc soli homini, non Deo, tribuendum sit. Deus enim nequit teneri, ex praevisa hominis voluntate, ad omittendum id quod de sc est bonum et ex benevolentia confertur.

294. Scholion 2. *De natura gratiae sufficientis.* Quaenam est virtus vel potentia ad salutariter agendum, quam confert gratia sufficiens? Constituitne hominem in actu primo proximo, completo, ad agendum, an, praeter gratiam proxime sufficientem, requiritur nova alia gratia, ab ipsa realiter distincta, ut actus salutaris exsistat?

Diversimode respondent thomistac et molinistae. Iuxta *thomistas,* gratia sufficiens constituit voluntatem plene potentem ad agendum; sed repugnat eam in actum prodire, nisi addatur alia gratia potentior, quae est gratia efficax, seu praedeterminatio physica supernaturalis. Unde, gratia pure sufficiens dat nudum posse, quin constituat voluntatem expeditam ad agendum. Cuius quidem ratio haec est: ut voluntas agat, requiritur concursus praevius intrinsecus ipsi facultati, vi cuius tollatur eius indifferentia ad agendum[4].

Molinistae dicunt gratiam sufficientem conferre potentiam ad actum, ita ut nihil ei debeat addi ad hoc ut possit elicere actum salutarem. Unde, si hic omittatur, id solum pendet ex libertate hominis, non ex defectu ullius principii ad·agendum. Quare, non solum ad posse, sed etiam ad agere, dat sufficientiam completam et expeditam. Argumentum autem petunt ex ipsa ratione gratiae vere sufficientis, quatenus haec non esset vere sufficiens, si non daret sufficientiam ad ipsum agere.

II. De gratia efficaci

1) Exsistentia gratiae efficacis

Thesis 31. Datur etiam gratia efficax in actu primo, infallibiliter connexa cum consensu voluntatis.

S.Th., 1.2 q.111 ar.3; Lerchhr-Lakner, 333-341; LANGS, 553-571.

295. Notiones. Datur gratia efficax, seu exsistunt aliquae saltem gratiae efficaces in actu primo, in hoc statu

Cf. Garricou-LagrancB, *De gratia* 168-184.

naturae lapsae et reparatae. Sed id ipsum eveniret in quolibet ordine, ubi darentur haec auxilia.

Gratia efficax est illa quae obtinet effectum, id est, cuius ope fiunt actus salutares. Attamen in gratia efficaci potest distingui duplex efficacia:

1) *Efficacia virtutis,* quae nihil aliud est nisi vis illa quam habet gratia ad producendum effectum, etsi de facto illum non producat. Est gratia, quatenus potest producere actus salutares.

2) *Efficacia connexionis* cum actu salutari, quatenus secum fert actum salutarem. De hac loquimur in thesi. Verum haec potest considerari : a) *in actu secundo,* nimirum, conjuncta cum actuali consensu voluntatis, prout actu, hic et nunc, coniungitur cum actu salutari ; b) *in actu primo,* tanquam prior natura actuali consensu, seu prout antecedenter ad liberam determinationem voluntatis *absolute* praevisam, habet connexionem infallibilem cum actu libero absolute futuro, hoc est, cum consensu salutari.

Infallibiliter connexa. Affirmamus scilicet exsistere gratias, quae hanc connexionem infallibilem habeant cum actu. Haec autem connexio infallibilis, quam dicit gratia efficax in actu primo cum consensu salutari, triplex est:

1) *Obiectiva,* quae competit obiecto seu gratiae, et consistit in veritate obiectiva, seu in reali connexione huius illationis: "Datur talis gratia; ergo ponetur infrustrabiliter talis actus salutaris".

2) *Cognoscitiva,* quae competit divino intellectui, et consistit in eo quod Deus infallibiliter cognoscat ab aeterno connexionem obiectivam gratiae, efficacis cum consensu voluntatis.

3) *Affectiva,* quae competit Dei voluntati, et consistit in eo quod per talem gratiam Deus velit absolute et infrustrabiliter obtinere talem consensum. Est ergo decretum infrustrabile Dei dandi talem gratiam efficacem, in signum specialis benevolentiae divinae erga creaturam, cui talis gratia confertur.

296. Adversarii. 1) *Semipelagiani,* qui negantes specialem praedilectionem Dei erga aliquos, tenuerunt Deum offerre omnibus gratiam aequali modo: totum autem discrimen inter gratiam efficacem et pure sufficientem haberi ex actuali consensu vel dissensu voluntatis liberae. Hinc ergo gratia est efficax in actu secundo, sed non in actu primo. Connexio

enim infallibilis cum actu salutari non habetur antequam voluntas actu se determinaverit[1].

2) *Quidam theologi sorbonici - alphonsiani* (Ysambert, Duval, Habert, Duplessis d'Argentré, Tournely, S.Alphonsus M.a de Ligorio, quem sequuntur communiter *theologi* C.SS.R.) negant gratias efficaces in actu primo dari pro omnibus operibus. Concedunt quidem dari gratias efficaces pro operibus difficilioribus; sed pro facilioribus, maxime pro oratione, negant[2].

297. Doctrina Ecclesiae. Paulus V recenset hanc gratiam efficacem in actu primo inter capita veritatis catholicae. Scripsit enim, cum, finitis congregationibus de auxiliis, urgeretur ad solvendam controversiam: "Rem dilatam esse... *quod utraque pars congruat cum veritatis catholicae capitibus,* doceatque Deum, *gratiae suae efficacia,* nos ad agendum excitare, et facere de nolentibus volentes, et flectere et immutare hominum voluntates, de qua re in hac causa agitur; discrepent autem explicandi modo"...[3].

Et revera haec doctrina continetur in *Indiculo* c.4 5 8 9 (D 133s 139ss). Similiter in *Arausicano* c.3-6 9 20 25 (D 176-179 182 193 198).

298. Valor dogmaticus, *a)* Thesis, prout effert exsistentiam aliquarum gratiarum quae in actu primo sint efficaces, dicenda est *de fide divina et catholica implicite definita* contra Semipelagianos. Alii auctores eam in hoc sensu dicunt tantum theologice certam, quia putant ibi non contineri formaliter, sed inde certo deduci. Attamen hoc erat de facto unum ex elementis disputationis contra Semipelagianos.

b) Thesis, prout defendit exsistentiam gratiae efficacis pro omni actu salutari scilicet non solum pro difficilioribus, sed etiam pro facilioribus, est omnino *magis consentanea fontibus revelationis* (D 141).

299. Probatur ex sacra Scriptura. 1) Rom 9,11: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret...)* (cf. v.6-24).

Contextus. Quaerit Apostolus, unde stantibus promissionibus messianicis, gentes venerint ad fidem, iudaei vero, saltem plerique, non. Respondet: Ex voluntate Dei, libere dis-

1 False dictum est a quibusdam auctoribus, Molinistas et Congruistas non admittere gratiam efficacem in actu primo.
3 I.Herrmann, *De dwlna gratia* 502-513.
3 Apud Pesch, *Praelectiones dogmaticae* 5,583. Cf. S.Schneemann, *Controversiarum de gratia historia et progressus* (Friburgi 1881) 296.

tribuentis dona gratiae. Quod quidem illustratur exemplo Iacob et Esau (v.10-13). Haec enim fecit Deus ut constaret gratuitas electioeiis divinae[4]

Textus. Hic agitur *de actibus salutaribus* veniendi ad fidem, et de gratia ad hoc necessaria. *De gratia coniuncta cum effectu,* siquidem quaeritur cur de facto venerint gentes. Et quidem *in actu primo,* nam ratio cur venerint non est ipse liber consensus voluntatis, sicuti revera deberet esse si ageretur de gratia efficaci in actu secundo, sed aliquid pertinens ad ipsam gratiam: *miserentis est Dei* (v.16). *De connexione infallibili,* quia per hanc gratiam Deus dedit actum salutarem veniendi ad fidem.

Argumentum. Iuxta Apostolum, vocatio ad fidem, seu gratia veniendi ad fidem, procedit ex consilio vel proposito Dei, hoc est, ex voluntate absoluta et efficaci obtinendi vocationem ad fidem. Atqui haec exigunt exsistentiam gratiae efficacis in actu primo, connexam infallibiliter, infallibilitate affectiva, cum actu salutari veniendi ad fidem. Ergo exsistit gratia efficax in actu primo, infallibiliter connexa, infallibilitate affectiva, cum consensu salutari vocationis ad fidem.

Min.: Nam haec vocatio pendet a Deo, non a nobis. Ergo priusquam agat voluntas humana, gratia illius vocationis ad fidem iam connectitur infallibiliter cum actu salutari vocatio nis ad fidem.

Nota ex his concludi exsistentiam gratiae efficacis in actu primo, connexae infallibiliter, *infallibilitate affectiva,* cum actu salutari. Sed ex hac infallibilitate affectiva eruitur: a) *Infallibilitas cognoscitiva.* Deus enim, utpote sapiens et providus, nequit agere caece et improvide. Si ergo decrevit dare talem gratiam, hanc prius debuit infallibiliter cognoscere, b) *Infallibilitas obiectiva.* Nam scientia et voluntas Dei nequeunt falli. Si enim Deus cognovit talem gratiam producturam talem actum salutarem, necesse est ut illa gratia sit talis, quae, si detur, ferat secum infallibiliter actum salutarem.

2) Ez 11,19s: *Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant faciantque ea.* Unde Deus non solum dat potentiam, sed mutat ipsam voluntatem tali infallibilitate, ut possit id absolute praedicere. Atqui hoc est af-

4 CornEly, *Commentarium in S.Pauli epistolas* 487ss; F.PraT, *La théoloffie de saitet Paul* t.1 1.3 c.2; M.Lagrange, *Êpître aux Romains* 230s; J.Bover, *Teologia de San Pablo* 234-251.

firmare gratiam efficacem in actu primo. Ergo exsistit gratia efficax in actu primo.

3) Similia colliguntur ex Rom 8,28-33; Eph 1,5.11 ; Mt 22,14.

Nota in his omnibus textibus nullam fieri distinctionem inter opera faciliora et difficiliora.

300. Probatur ex traditione. 1) *Ex Patribus: a)* Patres florentes ante S.Augustinum rem theoretice non attingunt; practice vero, hanc tradunt doctrinam, quatenus hortantur ut postulentur a Deo virtutes, fides, caritas, opera bona..., et pro his gratias reddunt Deo. Audiatur S.Cyprianus: "Dicimus *fiat voluntas tua in caelo et in terra,* non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult; nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, oramus quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei; quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate"... (R 558). Cf. etiam Tertullianum (R 348).

b) S.Augustinus autem rem perspicue docuit. Cf. R 1427 et 1985 (Deus praescit et praedestinavit); 1572s (ratio cur de facto velimus est sola misericordia Dei, et haec misericordia nequit frustrari); 1936 (Paulus conversus est, quia vocatione efficacissima vocatus est); 1941 (Deus facit ut velimus, praestans vires efficacissimas voluntati) ; 1940 (flectit etiam rebelles) ; 1958 (datur gratia indeclinabilis et insuperabilis), etc.

c) Eandem doctrinam tuentur discipuli S.Augustini. Cf. S.Prosperum (R 2033).

2) *Sacra Liturgia* petit a Deo gratias efficaces, quae efficiant infallibiliter bonam voluntatem et bona opera. Ita *fer.4, post Dom.2 Quadr.:* "Deus, dirige ad te tuorum corda fidelium ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles et in opere efficaces". *Dom.5 post Pascha:* "Deus... largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus". *Vig. Pent.:* "Deus... concede nobis, et nostrae voluntatis pravitatem frangere, et tuorum praeceptorum rectitudinem in omnibus adimplere". *Dc-m.4 post Pen.:* "Ad te nostras, etiam rebelles, compelle voluntates". *Dom.19 post Pent.:* "Tua nos, Domine, medicinalis operatio, tuis semper faciat inhaerere mandatis", etc.

301. Ratio theologica. Si gratia efficax non penderet a "proposito", "consilio", sive decreto divino, sed ab humana tantum voluntate, non remaneret ullus locus praedefinitioni

actuum salutarium, sed unice divinae praescientiae. Atqui datur ea praedefinitio saltem aliquorum actuum salutarium, ut probatur in tractatu *De Deo Uno.* Ergo exsistit gratia efficax in actu primo [5].

Mai.: Nam ex praeparatione huius gratiae efficacis pendet certitudo et infallibilitas eius praedefinitionis. Haec enim non est nisi praedestinatio actus salutaris, seu decretum quo Deus, ante liberam determinationem creaturae, statuit ab aeterno positive et efficaciter, ut ab illa creatura certus aliquis actus bonus in tempore eliciatur, v.gr. actus contritionis.

Observa distinctionem illam inter opera faciliora et difficiliora videri ineptam, cum etiam ad opera faciliora, quaedam auxilia sint efficacia, quaedam inefficacia; Deus autem, haec non solum praescire, sed etiam seligere sive decernere debet, si sapienter ac provide agere velit.

302. Scholion. *De divina praedilectione.* Patet gratiam efficacem esse beneficium Dei omnino maius quam sit gratia mere sufficiens. Quo sensu in gratia efficaci continetur semper vera praedilectio Dei erga eum cui dat illam gratiam efficacem prae mere sufficienti. Inter illas autem gratias efficaces continetur ultima gratia efficax, quae coniungitur cum morte. Ibi habetur donum perseverantiae finalis, quod est maximum Dei beneficium.

2) exsistentia libertatis sub GRATIA EFFICACI

Thesis 32. Haec gratia efficax, etiam in hoc statu naturae lapsae, voluntatem non nécessitât.

S.Th., 1.2 q.106 a.2 ad 2; Lercher-Lakner, 314-322; Beraza, 481-497.

303. Notiones. Haec gratia efficax, de qua diximus in thesi praecedenti.

Etiam in statu naturae lapsae, tum ante tum post iustificationem. Nam adversarii concedunt, in statu innocentiae gratiam non intulisse ullam necessitatem. Nos autem id etiam tenemus de homine lapso, in quo regnat concupiscentia.

Voluntatem non nécessitât: etiam sub actuali impulsu gratiae efficacis in actu primo, voluntas manet libera. *Libertas* in genere est immunitas a vinculo vel ligamine. Cum autem duplex concipiatur vinculum sive ligamen, aliud extrinsecum voluntati, aliud vero ipsi intrinsecum, hinc duplex species libertatis:

a) *Libertas a coactione* sive ligamine extrinseco: est immunitas a vi extrinseca voluntati, ipsam cogente ad agendum.

5 Hoc argumento utitur Bellarminus, *De gratia et libero arbitrio* 1,12, ad refellendos illos auctores qui negabant exsistentiam cuiuslibet gratiae efficacis in actu primo.

Dicitur etiam libertas *spontaneitatis,* vel *voluntarium,* eo quod procedat a voluntate absque ulla violentia extrinseca.

b) *Libertas a necessitate* sive ligamine intrinseco: illa est qua nulla violentia infertur ipsi voluntati, intrinsece spectatae. Hac ratione, definiri potest, in genere: "Facultas ad plura, vel etiam ad opposita", prout sit libertas a) *contradictionis,* hoc est, agendi vel non agendi; b) *contrarietatis,* id est, agendi hoc vel contrarium; c) *specificationis,* seu agendi illa quae specie differunt.

Nec amplius procedimus in determinando conceptu libertatis, eo quod haec, in quibus conveniunt omnes doctores catholici, sufficiant ad tuendam veritatem huius theseos contra errores adversariorum. Notum enim est, in ulteriori explicatione libertatis discrepare inter se thomistes et molinistas.

Nimirum, iuxta *molinistas,* libertas est "facultas, quae, positis omnibus ad agendum pracrequisitis, potest agere vel non agere". Ita ut libertas consistat in quadam indifferentia, subiectiva et activa, positiva electiva, et habeat dominium sui actus, immo et plenam independentiam, non a Deo creante aut conservante aut concurrente, sed certe a Deo determinante antecedenter futurum actum liberum creaturae. Haec definitio communis erat in scholis ante exortam controversiam de auxiliis L

Huic conceptui libertatis repugnant *thomistae,* dicentes non posse admitti quod aliquod agens indifferens exeat per se ipsum ex hac indifferentia sive indeterminatione; sed voluntatem determinandam esse antecedenter ab agente extrinseco, scilicet, a Deo. Hinc, loco definitionis molinisticae, has alias proponunt: *a)* Libertas est "facultas rationalis ad opposita". Unde, dummodo facultas regatur ratione, et absolute possit facere opposita, iam est libera, licet ducatur irresistibiliter ad actum, *b)* Libertas est "facultas quae operatur sub lumine iudicii indifferentis". Itaque, voluntas, dummodo agat sub lumine iudicii obiective indifferentis, iam est libera, licet ducatur ad actum invincibiliter 2.

Sed, ut diximus, ab his notionibus disputatis modo praescindimus, quia thesis est dogmatica, nec disputabilis.

1 D.Soto, *Dc natura cl gratia* 1,16; SuArez, *Dc requisitis ad formalem libertatem* 3,4 (Vivès 7,11).

2 N.dei. Prado, *De gratia et libero arbitrio* 2,263-270. Ceterum, circa conceptum libertatis, qualis eruitur ex evolutione historica controversiarum, cf. A.BonET, *La filosofia de la libertad en las controversias tcolôgicas del siglo XVI y prim'era -.nitad del XVII* (Barcelona 1932). Adeas praeterea L.Teixidor, S.I., *El concepto de la libertad:* EstEcl 12 (1933) 473-502; O.Ixjttin, O.S.B., *Liberté humaine et motion divine:* RechThAncMéd 7 (1935) 52-69.156-173; P.Dumont, S.I., *Liberté humaine et concours divin d'après Suâres* (Paris 1936); J.Hellîn, S.I., *Sobre cl trénsito dc la potencia activa al acto segun Suâres:* RazFe 138 (1948) 353-407.

Asserimus ergo: etiam in hoc statu, in quo nunc versamur, sub influxu gratiae efficacis in actu primo, remanet in homine libertas, non solum a coactione, sed etiam a qualibet necessitate.

304. Adversarii. 1) *Novatores,* ducibus LUTHERO et CALVINO, admittunt post lapsum hominis libertatem a coactione, sed negant libertatem a necessitate. Tenent enim, post lapsum, voluntatem absolute necessitari ad bonum, si habeat gratiam; ad malum vero, si gratia privetur[3].

2) BAIUS, etsi non apertis verbis, attamen re negavit etiam liberum arbitrium (cf. D 1027s 1039 1066s).

3) IANSENIUS, doctrinam Baii excoluit et systematice proposuit. Haec est igitur mens illius. In hoc statu naturae lapsae, loco liberi arbitrii, quod peccato originali periit, homo semper ducitur ad operandum aliqua delectatione indeliberata. Haec autem delectatio duplex est: caelestis (gratia) vel terrena (concupiscentia), quae maiores vel minores invicem esse possunt; voluntas vero semper sequitur *necessario* delectationem maiorem. Itaque, post peccatum originale tantum remanet libertas a coactione; libertas vero a necessitate amissa est peccato originali (cf. D 1092-1095).

4) QUESNÊL tenuit gratiam esse ipsam omnipotentem Dei voluntatem, quae excitat in nobis *irresistibiliter* actus bonos (cf. D 1359-1375).

305. Doctrina Ecclesiae. *Tridentinum,* s.6 c.5-6 et cn.4.5 (D 797s 814s), docet gratiae nos libere assentiri et cooperari, ita ut illam abicere possimus; nec est amissum et exstinctum post Adae peccatum liberum hominis arbitrium. Damnationes SIXTI V, INNOCENTII X et CLEMENTIS XI contra Baium, Iansenium et Quesnelum, supra memorantur. Iuxta *Vaticanum,* s.3 c.3 (D 1791) homo consentit et cooperatur gratiae, cui resistere posset.

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

306. Probatur ex sacra Scriptura. 1) *In genere,* plura exhibet praecepta, consilia, exhortationes ad opera salutaria, urgens homines retributione praemii vel punitione. Atqui haec omnia sensu carerent, si homo sub influxu gratiae praevenientis non gauderet libertate a necessitate ad opera bona ponenda vel omittenda. Ergo homo sub influxu gratiae effi-

3 Cf. BELLARMINUM, *De gratia et libero arbitrio 6,9.* Hodierni protestantes supponunt libertatem sub gratia implicite quatenus, ex dictis, extollunt opera bona iusti et etiam explicite: sic LEMAITRE, *o.c.,* 423-429.

cacis praevenientis gaudet vera libertate a qualibet necessitate.

2) *In specie,* ex Eccli 31,8-11 : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus...* Sub gratia efficaci adest revera libertas, si homo loco consensus salutaris potuit ponere dissensum, et loco operis boni potuit ponere opus malum. Atqui ex verbis allatis res ita se habet. Ergo sub gratia efficaci remanet libertas.

Min.: Ibi enim agitur de gratia efficaci, siquidem de facto coniuncta est cum opere salutari, seu cum victoria tentationis, propter quod homo praedicatur beatus. Et tamen remanet libertas, quia sub illa gratia dicitur homo potuisse facere opus malum.

3) *In specie* etiam, simili ratione argui potest ex Deut 30,19; Apoc 3,20; Mt 19,17, etc.

307. Probatur ex traditione. Ipsi adversarii fatentur *Patres* sibi esse contrarios in hac re. Scribit enim Calvinus: "Voluntatem [Deus] movet, non *qualiter multis saeculis traditum est et creditum,* ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari ; sed illam efficaciter afficiendo..."[4] Vacaret ergo expositio huius argumenti traditionis. Attamen, saltem summatim, ostendamus quomodo haec fuerit reapse mens Patrum.

1) *Patres omnes,* tum graeci tum latini, *ante S.Augustinum,* aperte docent hominem libere consentire gratiae, eique resistere posse [5].

2) Circa mentem S.Augustini haec tenenda censemus: *a)* Paulo post conversionem, in controversia cum manichaeis, perspicue ac saepe asseruit exsistentiam liberi arbitrii. Scripsit enim contra illos *De libero arbitrio* (a.388-395) ; *De duabus animabus* (a.391-2); *De actis cum Felice manichaeo* (a.404) (cf. apud R 1558 1710, etc.), *b)* Iam morti proximus, a.426-7, dum conscriberet *Retractationes,* mentem suam non mutavit, sed potius confirmavit (cf. R 1966). *c)* In controversia pelagiana (a.412-430), extollit gratiae vim et efficaciam, quin tamen neget libertatem (cf. 1436 1510). Utique fatetur difficultatem componendi efficaciam gratiae cum libertate; sed hoc ipsum arguit illum sustinuisse utramque veritatem (cf. R 1856). Immo, versus finem vitae, scripsit librum *De gratia et libero arbitrio* (a.426-7), in quo docet et gratiam et liberum arbitrium a catholicis esse defendenda, etsi modum haec

4 Calvinus, *Institut, 2,3.*
5 Cf. Bellarminum, *De gratia et libero arbitrio* 5,24-28; 6,11; R ind. theol. 334s.

conciliandi non ingrediatur (cf. R 1940 1943...). Tgitur S.Augustinus, saepissime tenuit utrumque esse admittendum, gratiam scilicet et liberum arbitrium (cf. R 1723 1735s 1821 '1823 1848 1854 1890 1954s).

Itaque, S.Augustinus, etiam senior, contra ea quae asseruerunt lansenius ac nonnulli etiam auctores catholici, vere retinuit libertatem sub influxu gratiae efficacis. Etsi revera, in conflictu utriusque, propter adiuncta controversiae pelagianae, magis urgebat victricem gratiae efficaciam®.

3) *Patres post S.Augustinum florentes,* defendunt veram libertatem sub influxu gratiae. Ex *graecis,* audiatur v.gr. Damascenus: "Illud quoque sciendum, virtutem naturae nostrae divinitus inditam esse, Deumque ipsum omnis boni fontem et auctorem esse, ut citra ipsius opem et auxilium bonum velle nec facere possimus; ceterum nobis liberum esse in virtute perstare, Deumque ad eam vocantem sequi vel a virtute abscedere" (R 2359). *Latini,* etsi multi utantur formulis Augustini, eius tamen asperitatem in dicendo mitigarunt. Ita v.c. S.Prosper 7, *Patres arausicani* (D 176s).

308. Theologi. Verum conceptum libertatis exhibet S.Anselmus in suis opusculis *De libero arbitrio* et *De concordia praescientiae et praedestinationis necnon gratiae Dei cum libero arbitrio.* Eundem conceptum tradunt Alexander HalEnsis, S.Bonaventura aliique theologi illius aetatis. S.Thomas (1.2 q.10 a.4) propugnat libertatem, etiam cum voluntas movetur a Deo infallibiliter; hanc eandem libertatem defendit etiam sub motione gratiae angelorum (1 q.62 a.3 ad 2), vel hominum (1.2 q.106 a.2 ad 2). Tempore controversiarum cum novatoribus, omnes prorsus theologi reiciebant gratiam irresistibilem tanquam haereticam. In controversiis *de auxiliis* idem defendebatur ex utraque parte.

309. Ratio theologica. 1) *In genere: a)* Iuxta effatum, gratia non destruit, sed perficit naturam. Atqui destrueret perfectionem essentialem naturae rationalis, si auferret

e Cf. Lang®, 547-9; Portalié: DTC 1,2387s; T.Salgueiro, *La doctrine de S.Augustin sur la grâce d'après le traité à Simplicicn* (Porto 1925); K.Kolb, *Menschliche Freiheit und gottliches Vorhcrunsscn nach Augustinus* (Freiburg 1908); L.Booy, *Grâce et liberté chez S.Augustin* (Montréal 1938); J.M.Daumau. S.T., *Notas criticas sobre la interpretaciôn de la doctrina dc la gracia:* EstEcI 17 (1943) 5-131; A.Guzzo, *Agostino e Pelagio:* GiorMct 9 (1954) 516 522; H.RondET, S.I., *La liberté et la grâce dans la théologie augustinienwe: Saint Augustin parmi nous* (Paris 1954) c.5.; G.de BrocliE, S.I., *Pour une meilleure intelligence du "De Correptione et Gratia"*: AugMag 3 (Paris 1955) 317-337; G.de Plinval, *Aspects du déterminisme et de la liberté dans la doctrine de saint Augustin:* RevEtAug 1 (1955) 345-378; A.Sag®, A.A., *De la grâce du Christ, modèle et principe de la grâce:* RevEtAug 7 (1961) 28-31.

7 S.Prosper, *De vocatione omnium gerdium:* ML 51,648s.

libertatem. Ergo illam non aufert[8]. b) Iustus, agens adiutus gratia Dei, vere meretur augmentum gratiae et gloriae. Atqui, negata libertate, nequit adesse meritum nec demeritum. Ergo gratia non tollit libertatem.

2) *In specie:* A. *Contra Iansenium,* reiciendo fundamentum ipsius, scilicet, quod homo tantum moveatur ad agendum delectatione. Etenim: *a)* iuxta Tridentinum, movemur etiam timore et fide, metu et consideratione turpitudinis peccati (D 798 898 915); *b)* iuxta Patres, Deus movet hominem, terrendo, increpando, promittendo, delectando, etc.; *c)* ideo, damnatae sunt illae propositiones, in quibus defendebatur nullam aliam inspirationem trahere voluntatem nisi delectationem dilectionis (D 1399 1407 1403); *d)* obiectum voluntatis est omne bonum; ergo, non solum bonum delectabile, sed etiam honestum et utile.

B. Contra novatores, solvendo eorum argumenta, quae sunt totidem difficultates contra thesim nostram [9].

310. Obiectiones. 1. Ex Rom 9,21 ubi Deus comparatur *figulo,* homo autem *lulo,* quod est in manu eius. Ergo homo, gratia praeventus, necessitatur ad agendum.

Conc. antec. Nego cons. Hac enim comparatione id unum significatur, Deum vel posse iustificare per gratiam suam Christianos, vel posse permittere indurationem Pharaonis et itidaeorum; unde asseritur Deum esse causam primariam iustificationis, ita ut homo, absque eius gratia, non possit iustificari; sed non excluditur ullo modo libera cooperatio voluntatis humanae. Sane Deus per gratiam potest infallibiliter obtinere quemlibet actum bonum ab homine, quin huius libertas ullo modo laedatur [10].

2. Iuxta Eph 2,1-S homo exhibetur tanquam *mortuus in via salutis;* mortuus autem caret omni libertate. Ergo et homo necessitatur ad salutariter agendum per Dei gratiam.

Conc. antec. Nego cons. Hic enim tantum traditur hominem sine gratia non valere suscitari nec moveri in via salutis; ergo affirmatur necessitas gratiae, sed minime negatur libera hominis cooperatio.

3. Homo dicitur *servus peccati;* a qua servitute solum liberatur per Christum (Io 8,34; Gal 4,31). Ergo homo nihil cooperatur in opere salutis.

Conc. antec. Nego cons. Ibi enim dicitur gratiam Christi esse necessariam ut liberemur a peccatis; sed non excluditur cooperatio nostrae libertatis.

4. Deus operatur *et velle et perficere* (Phil 2,13), id est, totum opus salutare. Ergo homo, sub gratiae influxu, se habet tantum passive, absque ulla libera cooperatione vel resistentia.

8 Imo eam perficit: cf. F.Bourassa, S.I., *La liberté sous la gr&ce:* ScEccl 9 (1957) 95-127: Rondet, *La liberté... l.c.*

9 Haec praeclare fecit D.SoTO, *De natura et gratta* 1,16 et 18.

10 BovEr, *Teologia dc San· Pablo* 234-251, praesertim 245; A.Sfbrraeza, S I., *La libcrtà um'ana sotto l'influsso di forze esterne:* DivThom (Pi) 63 (I960)

Dist. antec. Deus operatur totum opus salutare, totaiitate effectus, *conc. antec.;* etiam totaiitate causae, ita ut Ipse solus agat denegata hominis libertate, 'nego *antec.*

5. lustificatio dicitur *nova creatio (2* Cor 5,17 ; Eph 2,10) et *regeneratio* (Tit 3,5). Atqui in creatione et generatione creatus et generatus se habent tantum passive. Ergo et iustificatus nihil libere operatur.

Conc. mai. Dist. min. Substantialiter creatus, vel generatus, nihil operatur, *conc. min.;* accidentaliter creatus vel generatus, ut fit in iustificatione, *subdist.:* nihil operatur in iustificatione formaliter sumpta, quae fit a solo Deo per infusionem gratiae sanctificantis, *conc.;* nihil operatur in ipsa dispositione ad gratiam iustificationis recipiendam, *nego.*

3) CONCORDIA GRATIAE EFFICACIS CUM LIBERTATE

311. Problema. Ex probatis in duabus thesibus praecedentibus sequitur magnum problema de concordia gratiae efficacis cum libertate seu de intima explicatione efficaciae gratiae. Ita enim erit explicanda ut non laedat libertatem. *Termini problematis* hi sunt:

Ex una parte gratia est efficax in actu primo. Unde antecedenter ad determinationem liberam voluntatis absolute futuram et absolute praevisam a Deo, infallibiliter verum est hanc gratiam habituram esse effectum, idque in illo signo iam a Deo scitur et intenditur.

Ex alia parte voluntas manet libera, etiam sub motione illius gratiae. Unde his omnibus non obstantibus, adhuc voluntas potest omittere actum salutarem, qui tamen infallibiliter, ut diximus, connectitur cum gratia efficaci in actu primo.

312. Solutio, a) *Difficultas solutiatnis.* Problema adeo difficile pro captu humanae mentis, docente S.Augustino, “quemlibet nostrum quaerentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus, ne liberum arbitrium sic asseramus, ut superba impietate ingrati Dei gratiae iudicemur” (R 1723). Seu, ut alibi dicit idem S.Doctor, “ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri” (R 1856). Hinc solutio quaerenda est sobrie, prout deficienti et finito captui humani intellectus consonat.

b) *Principium generale solutionis.* Allata S.Augustini verba limites nobis designant, intra quos solutio problematis sit quaerenda. Si quae enim sit solutio, quae alterutrum termi-

num problematis supprimat, illa solutio a limine reicienda est. Hoc quippe non est problema solvere, sed tollere. Ideo solutiones catholicae omnes utrumque terminum retinent; secus non essent catholicae. Hoc tamen supposito, potest quis arguere contra illas ex eo quod minus congruenter videantur explicare aliquem ex illis terminis.

c) *Solutiones acatholicae.* Ideo etiam reiciendae sunt tanquam acatholicae:

solutio semipelagiana: quia non admittit gratiam efficacem in actu primo.

solutio protestantica: quia negat libertatem.

solutio iansenistica: quia negat veram libertatem sub gratia.

d) *Tentamina catholica solutionis*[1]. Post Concilium Tridentinum, in quo definitum est dogma libertatis humanae ad praesentiam gratiae efficacis, theologi accuratius examinare coeperunt discrimen inter gratiam pure sufficientem et gratiam efficacem.

1) Porro, quae docuerat L.Molina, S.I., in suo magisterio theologico, per viginti annos, in academia Eboracensi, id scripto consignavit in sua memorabili *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis...* 1588, in qua, ope scientiae mediae, potuit asserere praedominium psychologicum hominis in determinationibus suae activitatis spiritualis. Circa idem tempus, 1573s, similem solutionem adhibebant Lovanii R.Bullarminus et L.Lessiüs [2].

2) Annis 1584 et 1594 edebat D.BÂnez, O.P., sua *Scholastica commentaria in 1 et 2.2 Angelici Doctoris,* in quibus rem solvebat ope praedeterminationis physicae, vi cuius subicitur liberum arbitrium influxui Dei.

3) Hinc orta est *Controversia de auxiliis* inter Patres Dominicanos et Patres Societatis lesu, quae protrahitur per vinginti et quinque annos (1582-1607). In ea partem habuerunt praeclari illius aetatis theologi, primum in Hispania (1582-1598), deinde Romae (1599-1607) per plures disputationes ac per fere octoginta Congregationes. Attamen, quaestio tandem remansit insoluta. Paulus V, a.1607, indicavit solutionem controversiae esse differendam; sed interea vetabatur "ne quis partem suae oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret" (D 1090 1097). Cum vero solutio hucusque nondum data sit, singulae partes libere pergunt defendere suam sententiam.

4) Haec autem *controversia revixit* singulari ardore ver-

1 Cf. Lancb, 573-577.
3 X.M.Lk Bachelet, S.I., *Prédestination ct grâce efficace* (Louvain 1931).

sus finem saeculi praeteriti. Quo tamen tempore quaestio attingitur, non speculative ut prius, sed potius historice; id est, disputatur de aspectu historico prioris controversiae 3, de mente divi Thomae circa praedeterminationem physicam 4; de origine praedetermiinationis in schola scotistica, a qua dicitur transisse in scholam thomisticam 5.

5) Hac aetate, quae fluit inter utramque controversiam, et speculativam et historicam, efflorescunt novae quaedam solutiones, mediae inter duas priores, quas propugnant, praeter alios, *scotistae recentiores, augustinienses, theologi sorbonico-alphonsiani.*

e) *Modus noster procedendi.* Quamvis solutiones catholicae in re difficillima multae sunt, duplex tamen datur in eis fundamentalis positio.

Alii enim theologi efficaciam gratiae quaerunt in ipsa natura intrinseca gratiae, quae pro ipsis est *efficax ab intrinseco,* etsi talem efficaciam diversimode explicent ad salvandam libertatem.

Alii vero theologi efficaciam gratiae non quaerunt in ipsa

3 SchnEEmann-GiEtmann, S.I., *Controversiarum dc divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia ct progressus* (1881); A.M.DummErmuth, O.P., *S.Thomas et doctrina praemotionis physicae, seu responsio ad R.P.Schncemann, S-I., aliosque doctrinae scholae thomisticae impugnatores* (1886); V.Frins, S.I., *S.Thomac Aq., O.P., doctrina de coopération^' Dei cum omni natura creata praesertim libera, seu S.Thomas praedeterminationis physicae ad omnem actionem creatam adversarius. Responsio ad R.P.A».Dummermuth, O.P.* (1893); A.M.DummErmuth, O.P., *Defensio doctrinae S.Thomac Aq. dc pracmotione physica, seu responsio ad R.P.V.Frins, S.I.* (1895); T.de Regnon, S.I., *Bannes et Molina* (1883); Td., *Bannesianismc et Molinisme* (1890); H.Gayraud, O.P., *Thomisme et Molinisme* (1889); *Providence et libre arbitre selon S.Thomas d'Aquin* (1892). In genere de evolutione controversiae banneziano-molinistica, cf. SagMs, *La suerte del Banccianismo y del Molinismo:* MiscCom 34-35 (1960) 391-431.

4 Card. Pecci, *Sentensa di S.Tommaso circa l'influsso divino e la scicnsa media* (1885); H.Guïllermin, O.P., *S.Thomas ct le Prédéterminisme* (1859s); Garrigou-Lagrange, O.F., contendit cum Adhémar d'AlES, S.I., apud RechScRcl, RevThom, RevPhilosopliie 1916s; I.Stufi.Er, S.I., praeter plures commentationes apud ZkathTh ab anno 1918, scripsit *D.Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante in omni operatione naturae creatae praesertim liberi arbitrii* (1923). Contra assertionem P.Stufler, quod divus Thomas denegaverit quemlibet concursum immediatum, scripserunt: R.M.SchulTES, O.P.: ThRev 20 (1921) 266; DivThom 1923-4; G.HolTüm. O.S.B.: DivThom (Fr) (1922) 188; F.Zigon: DivThom (Fr) (1924) 24; G.Huarte, S.I.: Grcg 6 (1925) 345-352; R.M.Martin, O.P.: RevThom 1924-6. Aliis praetermissis, de novo rem attingunt F.Zigon, *Divus Thomas arbiter controversiae dc concursu divino* (1923); F.Marîn Sola, O.P.j apud ViencTom 1925-6; Lange, *De gratia* 600-4; R.M.del Campo, S.I., *Doctrina S.Thomac de actu et potentia et de concursu* (1944); E.Iglesias, S.I., *De Deo in' operatione naturae vel voluntatis operante* (1946); I.B.Manyâ, *Theologumena: I, De Deo coopérante* (1946); R.Garrigou-Lagrange. *De comoedia bannesiana ct recenti syncretismo:* Ang 23 (1946) 3-25; S.Gonzalez: EstEccl 22 (1948) 375-398; Sagüés, *éCrisis cn cl batiecianismo?:* EstEcl 22 (1948) 699-749.

5 F.Pelster, S.I..*Thomas von Sutton·, O.P., cin Oxfordcr Vcrteidiger der thomistichen Lehrc:* ZkathTh 46 (1924) 212-256; H.Schwamm, *Magistri Ioannis de Ripa, O.F.M.. doctrina de praescientia divina* (1930); *Robert Cowton, O.P.M., liber das gottlicnc Vorherwissen* (1931); *Das gottliche Vorherwissen bei Duns Scotus und scincn ersten Anhangern* (1934); I.StuflEr, *Gott, der erste Bcweger aller Dirige* (1936); G.Left, *Bradzvardine and the Pelagians* (Cambridge 1957) H.A.ObErman, *Archbishop Thomas Bradavardine* (Utrecht 1957).

intrinseca natura gratiae, sed in formis extrinsecis, quae cum ipsa, historice et concrete sumpta, essentialiter connectantur. Unde pro his auctoribus gratia est quidem efficax in actu primo, non tamen ab intrinseco, sed *ab extrinseco.*

Hanc duplicem positionem in duplici thesi examinabimus.

Thesis 33. Concordia gratiae efficacis cum libertate explicari nequit per ullum systema quod teneat gratiam ab intrinseco efficacem.

Beraza, 525-588; Lance, 578-617; LRkciiBk-Lakner, 345-356.

313. Notiones. Concordia gratiae efficacis cum libertate: scilicet factum quod ex duplici praecedenti thesi consequitur: talis infallibilis connexio gratiae in actu primo cum consensu voluntatis, ut simul retineatur voluntatis liber consensus sub motione efficaci eiusdem gratiae.

Explicari nequit: illa systemata non sufficienter explicant utrumque terminum problematis. Bene scilicet explicant generatim efficaciam gratiae, sed minus explicant libertatem sub gratia efficaci.

Per ullum systema: systemata enim sunt diversa, ut videbimus; quae tamen coincidunt in puncto fundamentali: efficacia gratiae ab intrinseco.

Gratia ab intrinseco efficax: quae ex ipsa sua intrinseca natura, praescindendo ab adiunctis in quibus datur, habet infallibilem connexionem cum actu salutari. Unde cuicumque detur, semper connectetur cum consensu voluntatis.

314. Adversarii. 1. *Defendentes systema praedeterminationis physicae.* Iuxta hoc systema:

a) Gratia efficax est praedeterminatio quaedam physica: ens scilicet creatum, supernaturale, non vitale, in voluntate receptum, causa physica actus salutaris. Haec motio supematuralis physice determinat voluntatem ad hunc actum ponendum, antecedenter ad liberam determinationem voluntatis, cuius determinationis illa est causa. Haec autem praedeterminatio ita infallibiliter connectitur ex se ipsa cum actu salutari ad quem determinat, ut sub ipsa metaphysice repugnet actum non poni, et sine ipsa metaphysice repugnet actum poni. Haec gratia est eodem modo efficax pro quolibet homine et in quibuslibet adiunctis; efficacia enim residet in intrinseca eius natura.

b) Gratia sic efficax praesupponit decretum divinae voluntatis, quo Deus ab aeterno decrevit praedeterminare hanc voluntatem humanam ad hunc actum salutarem eliciendum.

Huius decreti divini praedeterminantis gratia efficax non est nisi instrumentum pro eius exsecutione. Hinc efficacia gratiae, seu eius infallibilis connexio cum actu salutari, petitur remote ex decreto divino extrinsece praedeterminante, proxime ex gratia physice et intrinsece praedeterminante.

c) Talis gratia efficax dat non solum *posse,* sed ipsum *operari.* Differt ergo intrinsece et essentialiter a gratia sufficiente, quae tantum dat *posse,* nec sine nova gratia efficaci actum ipsum eliciet.

d) Unde connexio infallibilis gratiae efficacis cum actu salutari explicatur optime. Connexio quidem *obiectiva,* ex ipsa natura gratiae ab intrinseco efficacis; *cognoscitiva,* ex scientia Dei, cuius terminus est decretum divinum praedeterminans; *affectiva,* ex eodem decreto praedeterminante. Unde prius Deus vult absolute dare hanc gratiam ; deinde videt in eodem decreto actum absolute futurum; tertio dat gratiam, quae est praedeterminatio physica supernaturalis; tandem voluntas elicit actum sub motione illius gratiae.

e) Sed explicatur etiam quomodo voluntas, sic agens sub motione praedeterminante gratiae, maneat tamen libera. Illa enim gratia praedeterminat non solum *ad hunc actum* eliciendum, sed ad eum *libere* eliciendum ; seu non solum *ad actum,* sed etiam *ad modum actus.* Praedeterminat enim ad actum in quantum ipsa est instrumentum Dei, absolute et efficaciter intendentis non solum consensum voluntatis, sed eius consensum liberum [1].

Hoc systema elaboratum est praecipue saec.XXH ex. et saec.XVH in., a D.Banez, D.Alvarez, Th. de Lemos; quibus postea accesserunt *Salmauticenses.* Illud sequuntur *Thomistae communiter* [2].

1 Cf. Garrigou-Lagrange, *Prémotion physique:* DTC 13,39-45; N.dEl Prado, *De gratia et libero arbitrio* 2,141s.

2 D.Banez, *Scholastica commentaria in 1 ct 2.2 Angelici Doctoris* (1584-1594); Id., *Tractatus de vera et legitima concordia liberi arbitrii creati cum auxiliis gratiae Dei efficaciter moventis humanam voluntatem:* Bibi, de Teologos Esparnoles, 14,351-420; D.Alvarez, *De auxiliis divinae gratiae ct humani arbitrii viribus ct libertate ac legitima cius cum efficacia eorundem auxiliorum concordia* (1610); A.Goudix, *Philosophia iuxta inconcussa tulissimaquc d.Thomae dogmata* (1671); *Tractatus theologici* (1723); T.de Lemos. *Panoplia gratiae scu dc rationalis creaturae in finem supernaturalem gratuita divina suavipotente ordinatione, ductu, mediis, Hbcroquc progressu, dissertationes theologicae* (1676); Salmanticenses. *De gratia* d.7; C.R.Billuart, *Summa S.Thomae hodiernis academiarum moribus accommodata...* (1759); H.E.Plassmann, *Die Schule des hl.Thomas* (1858s); C.M.Schneider, *Das Wisscn Gottes nach der Lehre des hl.Thomas* (1884s); N.del Prado, *Dc gratia ct libero arbitrio* (1907); R.Garrigou-Lagrange, *Dieu* (1923); *Prénfotion physique:* DTC 13,31-77; J.H.Nicolas, O.P., *La permission du péché:* RevThom 60 (1960) 511-546; V.D.Carro, O.P., *La critica histôrica ante las controversias sobre la gracia en el siglo XVI:* CiencTom 87 (1960) 71-76.

315. 2. *Defendentes systema praedeterminationis moralis.* Hoc systema tenet:

a) *Gratia efficax* non est praedeterminatio physica. Talis tamen naturae est, ut antecedenter ad omnem praevisionem consensus voluntatis, ita connectatur cum actu salutari, ut moraliter absolute repugnet actum non poni.

b) Haec *connexio gratiae efficacis cum actu* petitur ab aliis ex eius attemperatione cum indole, dispositione, adiunctis voluntatis; ab aliis ex multitudine auxiliorum, quibus in complexu certissime voluntas non resistet; ab aliis ex vi qua gratia in voluntatem influit.

c) *Efficacia* ergo gratiae *explicatur* ex illa obiectiva et antecedente connexione cum actu salutari, quae a Deo ut talis cognoscitur et intenditur.

d) *Libertas* vero explicatur quia gratia non praemovet phys'ce voluntatem, sed tantum moraliter.

Hoc systema defenditur a quibusdam theologis Ordinis Praedicatorum, ut Gonzalez de Aj.bei.da, F.Araùjo, J.de Vita, H.GuillERmin, et a nonnullis aliis, ut L.Thomassino, G.F.Albertini 3.

316. 3. *Defendentes systema condeterminatiomim.* Hoc systema tenet:

a) *Efficacia gratiae explicatur* per decretum divinum condeterminans, non praedeterminans, cuius obiectum est actus salutaris voluntatis.

b) Hoc decretum est *intrinsece efficax,* quia eius efficacia non dependet a determinatione voluntatis, ne quidem condicionate praevisa. Immo antecedit hanc determinationem, non prioritate causalitatis, sed continentiae; quatenus scilicet decretum Dei condeterminans virtualiter continet determinationem liberam voluntatis.

c) Haec autem *efficacia* decreti condeterminantis mon est effectiva, sed *affectiva;* quia decretum Dei connectitur infallibiliter cum determinatione voluntatis creatae, non ut causa eius, sed tanquam purus affectus.

d) Hinc plene salvatur *libertas.* Voluntas enim libere sese determinat in eundem semsum in quem decretum Dei ferebatur ab aeterno; non quia determinatio voluntatis causetur

3 G.m: AlbEl da. *In 1* q.19 a.8 d.58 s.2; F.Arauxo, *In 1.2* q.111 a.5 dub.6 n.41; Vita, *De proprio ct per se principio unde provenit peccatum in actionibus voluntariis* (Panormi 1665); Thomassinus, *Consensus Scholae de gratia* c.18ss (Vives, 6,361s); Albertini, apud G.Schneemann, S.I., *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia, initia et progressus* (1881) 125; Guili.Ermin: RevThom (1895) vol.9-11. Idem videtur tenere Philippe de la Trinité, *Notre liberté devant Dieu. Ni "Thomisme" n'i "Molinisme": Structures et Liberté:* EtCartn (1958) 47-76.

a Deo, sed quia voluntas, propter naturalem subordinationem et quasi sympathiam Creatori debitam, ex propria inclinatione et determinatione idem vult quod Deus.

Sic, duce Mastrio, *Scotistae* rccentiores communiter 4.

317. 4. *Defendentes systema delectationis viclricis.* Hoc systema tenet:

a) *Gratia efficax* est delectatio victrix. Nimirum gratia actualis est inspiratio sanctae delectationis. Si haec delectatio caelestis sit minor quam delectatio terrena, gratia est sufficiens (dans tantum posse); si vero sit maior, gratia est efficax, quia vincit contrariam delectationem terrenam (dat operari).

b) *Efficacia gratiae* habetur ex ipsa natura huius gratiae, prout in his adiunctis datur. Est ergo ab intrinseco et praedeterminans voluntatem, non tamen physice, sed moraliter; et est relativa, non absoluta, quia delectatio caelestis, quae hic et nunc est maior delectatione terrena, in aliis adiunctis esset minor.

c) *Libertas* salvatur, quia gratia agit tantum alliciendo voluntatem.

d) Hoc systema *differt a lansenismo,* quia propugmat libertatem et exsistentiam gratiae mere sufficientis.

Sic *Augustinienses,* Berti, Noris, Bellelli; in eundem fere sensum recenter L.Janssens 5.

318. Valor theologicus. Ex praescriptis Pauli V, Urbani VIII et Clementis XII non licet in hac re qualificare theologice sententias oppositas (D 1090; cf. etiam notam ad calcem eiusdem numeri; necnon notam secundam ad calcem numeri 1097). Omissa ergo qualificatione theologica, thesis nobis videtur *certa.*

319. Probatur. 1. *Argumento generali.* Systema tenens gratiam efficacem ab intrinseco, aut non explicat libertatem, aut non explicat efficaciam gratiae. Ergo admitti nequit.

Antec.: Antecedenter ad liberam determinationem volun-

4 B.Mastrius, *Dc divino intellectu* d.3 q.3 a.8. Eius doctrina comparatur cum doctrina Scoti a Schwamm, *Das Gottliche Vorhcrwissen...* 85-88.

5 H.Norisius, *Historia pelagiana; Vindiciae augustinianae;* F.Bellelli, *Mens Augustini de statu creature rationalis ante peccatum...; Mens Augustini de modo reparationis humanae post lapsum;* L.Janssens, O.S.B., *De gratia Dei et Christi* 657-662. Contra multos auctores aliter sentientes gratia efficax sumitur ab illis tribus Augustiniensibus ut praemotio *physica* (nec mere moralis), quin tamen differat natura sua a sufficienti (non inferente delectationem ytetneem), iuxta W.Bocxe, O.E.S.A., *Introduction to the Teaching of the Italian Augustinians of the 18th Century on the Nature of Actual Grace* (Heverlé-Louvain 1958).

tatis absolute futuram et praevisam, considerata intrinseca natura gratiae, aut haec gratia habet iam infallibilem connexionem cum actu salutari, aut non; si primum, non apparet quomodo maneat libertas; si secundum, non explicatur efficacia gratiae in actu primo.

320. 2. *Argumento particulari.*

1) *Contra systema praedeterminationis physicae.* In hoc systemate nec gratia sufficiens est vere sufficiens, nec gratia efficax salvat libertatem. Ergo admitti nequit.

Antec.: a) Cum sola gratia sufficiente in hoc systemate nequit componi actus salutaris; sed requiritur ut addatur nova gratia, scilicet gratia efficax. Atqui haec nova gratia iam non est in potestate hominis. Ergo cum gratia sufficiente homo revera non potest ponere actum, seu gratia sufficiens mon est vere sufficiens.

Respondent negando minorem. Ideo enim Deus negat ulteriorem gratiam efficacem, quia homo peccando resistit gratiae sufficienti. *Sed contra est:* prius quam Deus neget ulteriorem gratiam efficacem supponitur peccatum hominis male cooperantis gratiae sufficienti acceptae. Sed illud peccatum non potuit fieri sine praedeterminatione physica, de qua iterum quaeri potest utrum fuerit in potestate hominis, necne.

b) *Gratia* efficax ita intrinsece connectitur cum actu salutari, ut ipsa stante actus metaphysice omitti nequeat; ipsa non data, actus metaphysice repugnet. Atqui haec habemtur ante determinationem liberam voluntatis. Ergo non restat locus huic determinationi, sed voluntas necessario faciet id ad quod praedeterminata fuit per gratiam.

Respondent 1°, hominem sub gratia efficaci posse non ponere actum salutarem in sensu diviso, etsi id non possit in sensu composito. Scilicet gratia illa efficax et *actualis omissio* actus salutaris non sunt simul compossibiles in eodem homine; quamvis gratia efficax et *potentia ad omittendum* actum revera sint compossibiles in eodem homine. *Sed* ipsa potentia omittendi actum omnino deest; saltem potentia plena et completa. Nam illa potentia non habetur plene et complete nisi per novam praedeterminationem physicam ad materiale peccati.

Respondent 2.°, voluntatem sub gratia efficaci manere liberam quia Deus praedeterminat non solum ad actum, sed ad actum libere ponendum. *Sed* hoc est quod quaeritur, quomodo possint haec duo simul componi: ex una parte praedeterminatio ad unum absoluta et irresistibilis, et ex alia parte

pracdeterminatio ad actum qui ita ponatur ut possit revera non poni.

Respondent 3.°, haec duo bene componi ideo quia sub gratia efficaci voluntas adhuc agat sub iudicio indifferenti, seu cum indifferentia obiectiva, quae sufficit ad salvandam libertatem. *Sed,* quamvis sine iudicio indifferenti non possit dari libertas, probandum esset cum iudicio indifferenti dari semper et necessario libertatem; haec enim videtur frustrari per praedeterminationem physicam, quae inducat infrustrabiliter ad unum voluntatem adhuc non determinatam.

Respondent 4.°, ibi adesse mysterium aliquod, rationi impervium, sed pie credendum. *Sed* mysterium probari deberet ex fontibus revelationis. Praeterea ostendendum est illud potius quam mysterium non esse contradictionem. Ideo Bellarminus dicebat: "multi non capiunt, inter quos me esse fateor, quemadmodum... non repugnet Concilio Tridentino, et non evertat liberum arbitrium". Et. S.Alphonsus M." de Ligorio: "Intelligi non posse videtur, quomodo per praedeterminatiotnem physicam, gratiae efficacia cum voluntatis humanae libertate perfecte possit conciliari" e.

321. 2) *Contra systema praedeterminationis moralis.* In hoc systemate gratia efficax talis est naturae in seipsa, ut antecedenter ad omnem determinationem voluntatis praevisam, moraliter repugnet quod voluntas non consentiat. Iam vero illa repugnafitia, vel supponit moralem tantum connexionem cum actu, vel connexionem absolutam et infallibilem: si secundum, non salvatur libertas, ut diximus de systemate praecedenti; si primum, non salvatur vera efficacia gratiae.

322. 3) *Contra systema condeterminationwn.* Decretum condeterminans est infrustrabiliter connexum cum actu salutari, est essentialiter necessarium ad illum actum, et revera non est in potestate hominis. Atqui tale decretum tollit libertatem. Ergo systema hoc admitti nequit.

323. 4) *Contra systema delectationis victricis.* In hoc systemate delectatio victrix est infallibiliter connexa cum actu salutari antecedenter ad omnem liberam determinationem voluntatis. Ergo perit libertas.

Praeterea, si delectatio victrix absolute necessaria est ad eliciendum actum salutarem, delectationi non victrici aliquid

e Cf. Meyer, *Hist, controv. de div. gratiae auxiliis* 1,783; F.Ce»EcEda, *Recurso a las actas del Tridentino en la lucha "de auxiliis"*: EstEcl 14 (1935) 257-269. Cf. S.Axphonsum de Lig., *Do modo quo gratia operatur* η.IOυ. Ampliorem refutationem praedeterminationis physicae vide apud Lange, 586-597; Beraza, 536-559.

deest quod absolute requiritur ut potentia voluntatis ad actum censeatur vere completa. Atqui tunc non salvatur conceptus gratiae vere sufficientis. Ergo etiam ex hoc capite reici debet hoc systema.

324. Scholion. *Systema sorbanico-alphonsianwn.* Distinguit inter opera difficiliora et faciliora. Ad illa requirit gratiam efficacem ab intrinseco, physice vel moraliter connexam cum actu salutari, iuxta diversum modum opinandi inter hos auctores. Haec gratia efficax infallibiliter obtinetur per orationem (ad quam gratia efficax non requiritur); et datur his qui bene utuntur gratia sufficiente, quae non solum dat posse, sed etiam operari (relate ad opera faciliora). Hoc systema defendunt, praeter auctores sorbonicos citatos supra n.296, S.Alphonsus M." de Ligorio, quem sequuntur tum *sodales C.SS.R.,* tum alii auctores, ut KaTschthaler 7. Alii vero, ut Marin-Sola, Muniz, admittunt praemotiones physicas alias fallibiles ad actus bonos faciles et alias infallibiles ad actus difficiles et ad perseverandum in facilibus, ita ut quantum ad illas practice (non verbis) cum systemate alphonsiano et quoad has cum banneziano conveniant 8. Alii reicientes et praemotionem physicam et scientiam mediam loquunttur uno vel alio modo de motione divina plus minus valida ad bonum supernaturale in genere, ita vero ut specificatio et determinatio actus sit ab homine: sic Pecci, Parente, Piolanti... ®.

’ S.Alphonsus de Lig., *Dc magno orationis m'edio* pars altera, c.4. Cf. J.L.Janssens, *S.Alphonsi doctrina dc influxu Dei tu deliberatam voluntatis creatae activitatem* (1920); J.R.Raus, *La doctrine de S.Alphonse sur la vocation et la grâce* (1926); J.Herrmann. *De divina gratia* 502-755; Lange, 611; J.H.Hidalgo, C.SS.R., *Doctrina Alfonsiana acerca de la acciôn de la gracia actual y suficicnte* (Turin 1955); J.KatschthalEr, *De gratia* 143.

8 I?.Marîn-Sola, O.P., *El sistema tomista sobre la mociôn divina:* CiencTom 32 (1925) 5-54; 33 (1926) 5-74.321-397; cf. R.Garrigou Lagrange, O.P., RevThom (1925-1926); Lange, Schol 1 (1926) 533-566; I'.Zigon, EphThL 8 (1931) 17-44.225-237. Eam opinionem ample excoluit I·'.Muniz, O.P., jwme *Tcologica de Santo Tomâs de Aquino:* B.A.C. t.l (Madrid 1947) 979-1055; t.6 (1956) 767-781: cf. Sagüès, EstEcl 22 (1948) 699-749, eamque extollit et re manifeste profitetur J.Valbuena, O.P., *Sunia Tcolôgica...* t.3: B.A.C. (Madrid) 1164-1183. Quoad rem eam sequuntur J.Maritain, *Court traité de l'éxistcnce et de réxistant* (Paris 1947) ac Ch.Journet, *Entretiens sur la grâce* (Bruges 1959) 42-52, et eam laudat G.Bavaud, *La doctrine du P.Marin-Sola sur la grâce est-elle une concession au mJolinismc?:* RevThom 58 (1958) 473-483, dum eandem reiciunt M.J.Nicolas, *Simples réflexions sur la doctrine thomiste de la grâce:* RevThom 58 (1958) 644; J.H.Nicolas, O.P., *La permission du péché:* RevThom 60 (1960) 30-37.

° Cf. J.StuflEr, S.I., *De Deo operante* (Oeniponti 1923) n.6s (de opinione J.Pecci): P.FarEnte, *Amthropologia supernaturalis* (Torino 1946) 144ss; A.Piolanti, *Natura e gracia* (Roma 1958); I.BonEtti, C.P.S., *Il concorso divino prédéterminante:* DivThom (Pi) 27 (1950) 31-45. Horum vero sententiae non accensendi sunt simpliciter L.Rasolo, S.I., *Dilemme du concours divin: Primat de résence ou primat de l'éxistencef* (Roma 1956); T.Papagni, O.P., *La mente di S.Tommaso intorno alla mosionc divina nielle creature* (Benevento 1902> utpote qui scientiam mediam ille explicite et hic quoad rtm defendant.

Hoc systema sufficienter salvat libertatem eo quod gratia efficax est tandem in manu hominis. Hinc etiam sufficienter explicat efficaciam gratiae ad opera difficiliora. Sed relate ad opera faciliora Deus tenetur dare gratias illas sufficientes modo caeco et improvido. Cum enim illas dat gratias, nescit utrum secuturus sit consensus, an dissensus voluntatis. Nam id cognoscere nequit in ipsis gratiis (quae ex sua natura non connectuntur infallibiliter cum actu), neque in ipso actu voluntatis (quia ille actus non potest a Deo videri ut absolute futurus ante decretum dandi illas gratias). Ideo ipsi defensores huius systematis dicunt ibi adesse "nodum mysterii" [10].

Thesis 34. Efficacia gratiae eiusque cum libertate concordia bene explicatur ideo quia homini a Deo talis datur gratia, qualem novit esse congruam cui homo consentiat.

Beraza, 597-642; Lance, 626-658; Lercher-Lakner, 347.352-356.

325. Notiones. Agitur in hac thesi de *Congruismo,* seu *Molinismo.* Molinismus dicitur, quia Molina primus redegit in aliquod systema ideas quae hinc inde iam efferebantur. Vocatur vero Congruismus quia efficaciam gratiae explicat per quandam congruitatem ipsius gratiae relate ad actum salutarem. Nomen desumptum est a S.Augustino dicente: "Verum est ergo: multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui *congruenter* vocati ; illi autem qui non *congruebant* neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est: non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo iis vocari aptum est, ut sequantur" (R 1573). Congruismus elaboratus est maxime a Bellarmino et Suârez.

Congruismus et Molinismus *coincidunt,* negative in eo quod efficaciam gratiae nolint explicare per gratiam aliquam ab intrinseco efficacem; positive autem in eo quod, ad illam efficaciam explicandam eandemque cum libertate conciliandam, adhibeant quandam scientiam divinam de futuribilibus,

[10] Novam solutionem recenter proposuit J.B.Manyâ, *La cooperaciôn dc Dios al acto libre de la criatura. Correcciôn y vatoraciôn de los sistemas clàsicos, tomismo y molinismo:* RevEspT 4 (1944) 345-365. In hare sententia, motio Dei est indifferens, sed simul determinans actum creaturae. Huic autem solutioni opponitur, quomodo consociari possint haec duo, nimirum, *motio indifferens ac simul determinansf* Auctor respondet nos id ignorare, cum haec consociatio sit verum mysterium (p.353). Igitur tandem nihil solvit, cum contendat explicare mysterium per aliud mysterium. Eandem doctrinam late evolvit in opere *Theologumena.* I. *De Deo coopérante* (1946).

quae antecedat quodlibet divinum decretum absolutum, scilicet *scientiam mediam.*

Differunt vero inter se Congruismus et Molinismus in quaestione de praedestinatione antecedente (Congruismus) vel consequente (Molinismus); et in quaestione de praedefinitionibus formalibus (Congruismus) vel virtualibus (Molinismus purus). Nullo vero modo in quaestione de natura gratiae efficacis.

326. Expositio systematis. 1) *Gratia non est efficax ab intrinseco.* Si gratia attendatur tantum intrinsece et physice in sua natura, nulla gratia est infallibiliter connexa cum actu salutari. Unde in illa consideratione gratia efficax adhuc non differt a gratia vere sufficiente; sed omnes gratiae, natura sua, sunt vere sufficientes. Si quae gratia sit praeterea efficax in actu primo, hoc habet aliunde, ac proinde extrinsece. Secus non videtur sufficienter salvari libertas.

2) Sed omnino retinenda est *efficacia gratiae in actu primo.* Antecedenter ad liberam determinationem voluntatis *absolute* futuram, gratia efficax iam habet infallibilem connexionem cum actu salutari. Proinde in hoc signo gratia efficax iam differt a gratia quae tantum sit vere sufficiens.

3) Hinc efficacia gratiae explicanda est per aliquod elementum, quod intercedat inter conceptum gratiae praecise sumptum et ipsam determinationem voluntatis absolute futuram. Hoc autem elementum est *scientia media,* seu scientia divina de futuribilibus antecedenter ad omne decretum absolutum voluntatis divinae circa actum ponendum. Deus scilicet per illam scientiam mediam scit quid facturus esset hic homo, si ei daretur in determinatis adiunctis haec concreta gratia sufficiens. Scit nempe hunc hominem, si haberet hanc gratiam, certo cooperaturum cum ea; si vero haberet illam aliam gratiam, certo non cooperaturum.

4) In hoc signo scientiae mediae iam infallibiliter verum est:

a) Si Petro daretur haec gratia, Petrus cooperaretur, et gratia haberet suum effectum: esset gratia efficax.

b) Si Paulo daretur haec eadem gratia, Paulus non cooperaretur, et gratia non haberet suum effectum: gratia esset pure sufficiens.

In hoc ergo signo gratia illa pro Petro iam habet *infallibilem connexionem* cum actu salutari, independenter et antecedenter ad liberam determinationem voluntatis *absolute* futuram et praevisam. Haec est connexio *obiectiva;* quae non

consistit formaliter in ipsa scientia Dei, sed antecedit hanc scientiam mediam, sicut obiectum cognitum antecedit cognitionem ipsius.

5) Posita illa infallibili connexione obiectiva, quam haec determinata gratia in his adiunctis data huic homini habet de facto cum actu salutari, Deus illam connexionem infallibiliter cognoscit per scientiam mediam, non quidem ut futuram, sed tantum ut futuribilem. Hinc habetur nova quaedam connexio infallibilis huius gratiae cum actu salutari, antecedenter etiam ad liberam determinationem voluntatis *absolute* futuram et praevisam. Haec connexio est *cognoscitiva.*

6) Tandem Deus absolute decernit dare huic homini hanc gratiam in his adiunctis, praedefiniens et intendens hunc actum salutarem. Hinc nova connexio infallibilis huius gratiae cum actu salutari. Quae connexio est *affectiva.*

Hoc divinum decretum dupliciter concipi potest, iuxta diversitatem Congruismi a Molinismo puro:

a) *Iuxta Congruismum:* Deus absolute decernit ut Petrus eliciat hunc actum salutarem per hanc determinatam gratiam, quam per scientiam mediam novit congruere huic homini ad hunc actum faciendum, seu quam novit per eandem scientiam obiective et cognoscitive connexam infallibiliter cum hoc actu, si huic homini in his adiunctis daretur. Haec vocatur *praedefinitio formalis,* quia est decretum Dei absolutum, quod fertur immediate et formaliter in ipsum actum faciendum.

b) *Iuxta Molinismum purum:* Deus absolute decernit ut Petro detur in his adiunctis haec gratia quam per scientiam mediam novit congruere huic homini ad hunc actum eliciendum (seu quam novit per eandem scientiam obiective et cognoscitive connexam infallibiliter cum hoc actu salutari si huic homini daretur), volens et intendens ut hic actus salutaris simpliciter eliciatur ab hoc homine. Haec vocatur *praedefinitio virtualis,* quia est decretum Dei absolutum, quod fertur immediate et formaliter in gratiam dandam, et tantum virtualiter in ipsum actum faciendum per illam gratiam.

7) Sic ergo explicatur, quomodo gratia, quae natura sua nondum erat efficax, *sit iam efficax in actu primo.* Antecedenter enim ad liberam determinationem voluntatis *absolute* futuram et praevisam, gratia illa iam habet infallibilem connexionem cum actu salutari. Quae infallibilis connexio est triplex:

a) *obiectiva:* ex futuritione *condicionata* consensus voluntatis sub illa gratia intrinsece non praedeterminante.

b) *cognoscitiva:* ex scientia media, qua Deus novit illum consensum voluntatis sub hac gratia *condicionate* futurum.

c) *affectiva:* ex decreto divino *absoluto,* praedefiniente, aut illum consensum sub hac gratia praevisa efficaci (Congruismus), aut hanc gratiam, per scientiam mediam praevisam *condicionate* efficacem, ex benevola intentione ut sub hac gratia ille consensus de facto eliciatur (Molinismus).

Prima et secunda connexio habentur in ordine hypothetico, tertia autem in ordine absolute futuro. Unde *in ordine absolute futuro* antecedenter ad liberam determinationem voluntatis gratia iam est infallibiliter connexa cum actu salutari, estque proinde efficax in actu primo.

8) Attamen, sic explicata efficacia gratiae in actu primo, optime *salvatur libertas.* Voluntas enim nihil recipit intrinsece in seipsa, quod illam praedeterminet physice aut moraliter ad actum salutarem eliciendum; ne quidem ante illam liberam determinationem voluntatis datur aliquod decretum divimum absolutum, quod illam praedeterminet ad actum. Sed ipsa, sua utens libertate sub gratia, sese determinat ad id ad quod excitabatur et movebatur per gratiam.

9) Haec gratia bene dici potest *congrua,* quia in his adiunctis congruit, accommodatur, aptatur huic voluntati libere consentienti, ac proinde etiam actui salutari. Unde differentia gratiae efficacis a gratia sufficiente, tota est in congruitate extrinseca ipsi gratiae. Gratia efficax nihil aliud est, nisi gratia vere sufficiens, sub qua Deus scit hominem cooperaturum si ipsi daretur, quamque Deus absolute decernit dare volens actum illum poni. Gratia autem mere sufficiens nihil aliud est, nisi gratia vere sufficiens, sub qua Deus scit hominem non cooperaturum si ipsi daretur, quam tamen Deus dat volens ut homo cooperetur.

10) *Signa ergo rationis* distinguimus haec:

a) *Signum scientiae simplicis intelligentiae:* Omnes gratiae aequaliter sunt vere sufficientes; nulla est pure sufficiens, nulla efficax. Consideratur gratia tantum in sua intrinseca natura. Sic considerata, quaelibet gratia habet efficaciam virtutis, nulla adhuc efficaciam connexionis.

b) *Signum scientiae mediae:* Cum illis gratiis vere sufficientibus hic homo in his adiunctis de facto cooperaretur, si ipsi hae gratiae darentur. Cur vero hic cooperaretur his gratiis, ille autem resisteret eisdem gratiis, explicatur ex libera determinatione voluntatis condicionate futura. Iam ergo non omnes gratiae sunt aequales; aliae enim connecterentur cum hoc actu salutari, aliae non connecterentur. Obiective ergo

quaedam gratiae essent efficaces, non quidem ab intrinseco, sed ab extrinseco; sicut quaedam gratiae essent obiective mere sufficientes ab extrinseco, non ab intrinseco. Hoc autem quod esset obiective, a Deo cognoscitur.

c) *Signum praedefinitionis:* Deus absolute decernit dare illas gratias, quas praevidit efficaces, si darentur illi homini in illis adiunctis, aut absolute decernit ut eliciantur illi actus salutares, quos praevidit connexos cum illis gratiis, si darentur. Hoc autem decretum divinum, quocumque modo concipiatur, effert divinam voluntatem absolutam quae pro tali homine est vera praedilectio. Posset enim decretum ferri non in gratiam condicionate praevisam efficacem, aut in actum salutarem condicionate praevisum connexionem habentem cum hac gratia; sed ferri in gratiam condicionate praevisam ut mere sufficientem, aut in omissionem actus salutaris condicionate praevisi ut connexionem obiectivam non habentis cum hac gratia. Decretum ergo divinum continet veram voluntatem absolutam Dei, efficaciter intendentis hunc actum et hanc gratiam prae aliis [1].

Valor theologicus. *Hoc systema defendimus ut probabilius.*

327. Probatur. Systema molinisticum vel congruisticum praeferendum est, si ceterae solutiones sint insufficientes, si concordiam utriusque elementi problematis bene explicet (gratiae efficacis in actu primo et libertatis sub motione illius gratiae), si contra nullam aliam veritatem offendat. Atqui ita est. Ergo admittendum est systema molinisticum.

Min. per partes declaratur:

a) Ex dictis, cetera systemata non bene explicant aut infallibilitatem gratiae aut libertatem humanam. Ergo non obtinent id quod intenditur.

b) Constat ex ipsa expositione solutionis molinisticae,

[1] Ad pleniorem cognitionem molinismi consulenda sunt: L. Molina, *Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, prardestmat^nr et reprobatione concordia* (1588); *Commentaria in primam partem D.Thomae* (1592); L.Lessius, *Dc gratia efficaci, decretis divitiis, libertate arbitrii et praescientia Dei condieionata, disputatio apologetica...* (1610); R.BEllarminus, *Dc gratia et libero arbitrio libri sex;* F.SuârEz, *Opusculum dc concursu, motione ct auxilio Dei; De gratia* 1.3-5; M.Limbourg, plura apud ZkathTh 1-4 (1877-1880); H.QuiLLiET, *Congruisme:* DTC 3,1120-1138; E·VanstebnbergiiE, *Molinisme:* DTC 12,2094-2187; F.StegmOllEr, *Gcschichte des Molinismus* (Münster i.W. 1935); In., *Gnadc:* LThK 4 (I960) 1002-1009; S.Gonzalez, *Un tratado inédito de Suârez sobre la ciencia media:* MiscCom 9 (1948) 59-132; E.Elordury, *Suâres en las controversias sobre la gracia:* ArchTG 11 (1948) 131-192; J.Rabeneck, S.I., *Die Heilslehre Ludwig Molinas:* Schol 33 (1958) 31-62. R.Mengis, *Der Hcilswille Gottcs* (Luzern 1955), re, etsi non verbis, molinismum quoad distributionem gratiarum sequi videtur.

quomodo ipsa et explicet triplicem infallibilitatem et servet libertatem.

c) Solutio molinistica non offendit contra ullam aliam veritatem. Etenim:

1) Gratiam pure sufficientem tuetur *vere sufficientem,* cum intrinsece spectata gratia efficax et gratia sufficiens eadem sit; gratia enim illa redditur pure sufficiens ex dissensu voluntatis condicionate futuro. Ideoque, simul patet quam seria sit *voluntas Dei salvifica universalis.*

2) *Servat dominium Dei in creaturas liberas.* Nam Deus, non solum creat et conservat voluntatem, ac cum ea ad omnes actus concurrit, sed etiam influit in ipsum exercitium libertatis, quatenus ductus scientia media, decernit liberum arbitrium in certis adiunctis collocare, et absolute auxilium et actum praedefinit. Deo autem nunquam deerit moduc assequendi quidquid consequi velit. Ceterum, semel ac creaturam liberam ipse libere creare decrevit, nequit sibi contradicere denegans libertatis exercitium. Sed praeterea actus bonus de facto exsistens, totus quantus pendet a libero decreto Dei, ipsum praedefiniente, cum posset illum non praedefinire.

3) *Servat gratuitatem gratiae etiam qua efficacis,* cum homo nullatenus potuerit mereri ut eligeretur a Deo prima gratia praevisa efficax prae gratia praevisa pure sufficiente. Ergo tandem tota discretio venit a Deo; ac proinde collatio gratiae efficacis, perseverantia finalis, praedestinatio sunt verum Dei beneficium.

4) *Servat mysterium electionis gratiae efficacis prae pure sufficiente,* cum haec tandem electio unice pendeat a mysteriosa dilectione Dei, qui hunc ordinem prae alio liberrime elegit. Gratis autem asseritur, mysterium esse reponendum in ipsa concordia libertatis cum gratia efficaci.

328. Obiectiones. 1. Ex 1 Cor 4,7: *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Unde arguitur: Solus Deus discernit consentientem a non consentiente. Atqui in sententia molinistica, non Deus, sed ipse homo consentiens se discernit a non consentiente. Ergo haec sententia adversatur sacrae Scripturae.

Dist. mai. Solus Deus discernit formaliter, *nego mai.;* efficienter, *subdist.:* in actu primo, *conc.;* in actu secundo, *iterum dist.:* tanq.tam causa principalis, *conc.;* tanquam causa unica, *nego. Contradist. min.*

In primis, textus paulinus loquitur de donis naturalibus, non de auxiliis gratiae ad eliciendos actus salutares. Scilicet, scopus Apostoli est redarguere superbos duces factionum, asserens eos nihil habere quo a ceteris discernantur; quaecumque enim habent, a Deo acceperunt. Attamen, verum est quod inde ab Augustino, in con-

trovcrsia pelagiana, hic locus extenditur etiam ad dona supematuralia et profertur vel maxime ad probandam necessitatem et gratuitatem gratiae. Hisce ergo praemissis, explico distinctionem.

Duplex distinguenda est discretio, *formalis* et *efficiens,* seu forma inhaerens qua alius ab alio discernitur, ct causa efficiens hanc formam. Nunc vero, consensus est forma interna qua consentiens distinguitur a non consentiente, sicuti gratia habitualis est forma interna discernens iustum a peccatore. Hoc autem modo, nequit Deus discernere hominem ab homine.

Porro, causa efficiens hanc formam sive discretionem, spectari potest *i» actu primo* et *in actu secundo.* Iam vero, solus Deus discernit consentientem a non consentiente in actu primo, cum solus ille conferat auxilium praevisum efficax, ct quidem cum intentione consensus. Sed in actu secundo, discretio etiam homini tribuenda est, cum ipse ita libere assentiatur vocationi divinae ut etiam dissentire possit. Unde, ex definitione tridentina (D 814), tenendum omnino est, hominem dum gratiae consentit, quodammodo se efficienter discernere a non consentiente. Itaque, et Deus et homo efficiunt consensum salutarem ; nec solus Deus, nec solus homo, sed homo gratia ornatus; Deus autem tanquam *causa principalis,* quatenus Ipse et decrevit auxilium praevisum efficax et simul cum voluntate operatur consensum ; homo vero tanquam *causa secundaria,* elevata et roborata auxilio divinae gratiae.

2. Ex Phil 2,13 : *Detis est enim qui operatur in vobis et velle et perficere.* Hinc arguitur: Deus non solum dat posse, sed etiam ipsum velle. Atqui in sententia molinistica, Deus dat tantum posse, id est, gratiam ex se indifferentem, minime vero ipsum velle. Ergo contradicit Apostolo.

Dist. mai. Deus dat ipsum velle, quatenus *a)* dat auxilium, quod praebet vires physicas et morales, sine quibus actus salutaris effici non posset ; *b)* et quidem auxilium praevisum efficax ; *c)* et insuper cooperatur cum ipsa voluntate ad agendum, *conc. mai.;* quatenus Deus praedeterminat voluntatem, *nego mai. Contradist. min.*

3. Ex Esth 13,9: *Non est qui possit tuae resistere voluntati.* Et ex Rom 9,21: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa...* Inde arguitur: Deo nemo resistere valet, ita ut omnes homines sint in manu Dei sicut lutum in manu figuli. Atqui haec nequeunt explicari in sententia molinistica. Ergo haec sententia reicienda est.

Conc. mai. et *nego min.* Sacra eloquia testantur infallibilitatem providentiae et gratiae divinae, salva hominis libertate; non autem explicant num haec efficacia petenda sit ab intrinseco ipsius gratiae, an ab extrinseco. Nos autem satis probavimus id ab extrinseco esse repetendum.

4. Ex Arausicano, cn.4 (D 177): "Si quis... voluntatem nostram Deum exspectare contendit..., resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti : Praeparatur voluntas a Domino". Unde : Deus nequit exspectare nostram voluntatem, sed potius ipse praeparat illam. Atqui in doctrina molinistica Deus exspectat nostram voluntatem, quatenus attendit consensum condioionate futurum, cognitum per scientiam mediam. Ergo doctrina molinistica pugnat cum definitione arausicana.

Antequam respondeamus difficultati, *praenota* canonem hunc scriptum fuisse contra semipelagianos, docentes Deum exspectare conatum naturalem voluntatis humanae, et huiusmodi conatum esse rationem propter quam Deus confert gratiam. Hinc iam apparet

quam longe differat doctrina molinistica a doctrina reprobata in Concilio Arausicano.

His positis, *dist. mai.* Deus nequit exspectare conatum naturalem voluntatis, *cane, mai.;* conatum praestitum auxilio gratiae, *subdist.:* nequit proprie exspectare, quasi voluntas divina suspensa maneret exspectans determinationem voluntatis, *conc.;* nequit improprie exspectare, quatenus confert gratias, praelucente scientia media, *iterum dist.:* et ita quidem ut determinatio voluntatis condicionale futura non sit ratio collationis gratiae, *conc.;* sit ratio collationis gratiae, *nego. Contradist. min.*

5. Iuxta sanctos Patres, non est in nostra potestate reddere gratiam efficacem vel inefficacem. Atqui iuxta molinistas, hoc est in nostra manu, ratione consensus conditionate futuri. Ergo haec doctrina contraria est Patribus.

Dist. mai. Iuxta Patres, non est in nostra potestate ut gratiae, cui de facto consentimus, possimus dissentire, *nego mai.;* non est in nostra potestate habere gratiam efficacem prae inefficaci, *conc. mai. Contradist. min.* Iuxta molinistas, est in nostra manu ut gratiae acceptae consentiamus vel dissentiamus, *conc. min.;* accipere gratiam efficacem prae inefficaci, *nego min.*

6. S.Augustinus, in opusculis *De praedestinatione sanctorum* et *De dono perseverantiae* docet Deum praedestinasse omnia opera bona, atque ideo illa praescire quia ipsa praedestinavit; insuper, ibidem et alibi, tradit gratiam esse omnipotentem et insuperabilem. Atqui haec nequeunt componi cum gratia intrinsece indifferenti. Ergo haec gratia reicienda est.

Conc. mai. et *nego min.* His enim tantum docet S.Augustinus factum infallibilitatis gratiae, minime vero modum huius infallibilitatis. Ceterum, dum S.Augustinus innuit modum huius infallibilitatis, nec bannezianus est nec molinisticus, sed potius ad modum augustiniensium '.

7. Deus, utpote causa prima, est dominus absolutus eorum omnium quae sunt et fiunt. Atqui si voluntas non praedeterminatur physice a Deo, sed ipsa indifferenter agit, Deus non est dominus absolutus actum liberorum. Ergo admittendus est bannezianismus, reiciendus molinismus.

Dist. mai. Deus est dominus absolutus, quatenus creat, conservat, datque creaturis facultatem agendi, cum ipsis cooperatur, cisque dat gratiam praevisam efficacem prae alia, *conc. mai.;* quatenus physice praedeterminat creaturas, *nego mai. Contradist. min.* Deus non esset dominus absolutus actuum liberorum per praemotionem physicam, *conc. min.;* per creationem, conservationem, concursum atque donationem gratiae praevisae efficacis, prae alia, *nego min.*

Dominium Dei absolutum exigit re vera ut Deus possit dirigere voluntatem humanam modo quo Ipse voluerit; sed minime exigit ut per praemotionem physicam evertat liberum arbitrium, cum aliter ipse Deus sibi contradiceret, donans hominem voluntatem indifferentem et simul illam determinans ad unum.

8. Voluntas, antequam agat, est in potentia ad actum et indif-

2 Ceterum cf. J.A.de Aldama, S.I., *Un parccer infdito de Suâres sobre la doctrina agustiniana de la gracia eficas:* EstEcl 22 (1948) 495-505; Id., *Un Parecer inedito del P.Gabriel Vasques sobre la doctrina agustiniana de la gracia eficas:* EstEcl 23 (1949) 515-520; C.CrEvola, S.I., *La interprctaciôn dada a San Agustin en las disputas "de auxiliis":* ArchTG 13 (1950) 5-171; Id., *Concurso divino* v *predcterminnciôn fisica segùn San Agustin en las disputas "de auxiliis":* ArchTG 14 (1951) 41-127.

ferens ad agendum vel non agendum. Ergo debet determinari ad actum praemotione Dei.

Dist. antec. Voluntas est in potentia et indifferentia activa, quatenus, proposito obiecto, seipsam potest determinare ad agendum, *conc. antec.;* in potentia et indifferentia passiva, quae indigeat praevia determinatione, *nego antec. Dist. cons.* Si esset tantum potentia passiva, *conc. cons.;* si sit activa, *nego cons.*

Censemus banc indifferentiam activam esse de essentia libertatis humanae, ita ut, ipsa denegata, evertatur liberum arbitrium. Concedimus autem voluntatem esse potentiam passivam, quatenus per cognitionem praeviam determinatur ad volendum indeliberate, et quatenus recipit in se ipsa actum liberum, a quo perficitur. Sed ubi voluntas per motus indeliberatos constituitur in actu primo proximo, ipsa est active indifferens ad agendum vel non agendum. Deus ergo movet voluntatem per gratiam excitantem, sed nullatenus eam praedeterminat.

9. Obiectiones, quae impetunt scientiam mediam, quae constituit ipsum fundamentum systematis molinistici sive congruistici, iam praeoccupatae sunt in tractatu *De Deo Uno* '.

CAPUT IV

De fructibus gratiae

P.Lombardus, *Sent. 2,27;* S.Th., 1 2 q.114; S.BonavEntura, *In 2 Sent, d.27* a.2 q.1-3; Scorus, *In 2 Sent,* d.27; Aegidius Romanus, *In libros Sententiarum* 2,27; Vega, *Opusculum de iustificatione, gratia ct meritis; Tridentini decreti dc iutificationc expositio ct defensio...* 1.15; Bellarminus, *De iustificatione* 1.5; Suarez, *De gratia* 1.12; SalmantiCENSES, *Cursus theologicus* tr.16 d.1-ò: J.L.Berti, *De theologicis disciplinis* 1 s.9 c.6-8; J.Rivière, *Mérite:* DTC 10,574-785; P.Lumbreras, O.P., *Dc Gratia* (1947).

329. Fructus gratiae, tum actualis, tum praesertim habitualis, alii sunt *physici,* alii *morales.* P'ructus sive effectus physici gratiae sunt actus salutares, ad quos eliciendos gratia confert vires, non solum morales, sed etiam physica. De his autem iam satis diximus. Sed praeterea, his actibus salutaribus, ex gratia factis, competit causalitas quaedam moralis, quatenus valent impetrare, satisfacere et mereri coram Deo. Quare, *impetratio, satisfactio* et *meritum* recte appellantur fructus morales gratiae. Nunc vero, cum de oratione et satisfactione alibi agatur, hic tantum venit dicendum de merito.

Igitur, circa meritum haec quinque sunt investiganda: *conceptus meriti, eius exsistentia, obiectum, condiciones, reviviscentia.*

• SThS, 2,1,172ss.

ARTICULUS I

De CONCEPTU MERITI

Beraza, 973-983; Lercher-Lakner, HOss.

330. **Notio meriti.** Meritum, in genere spectatum, si *abstracte* sumatur, denotat *illam proprietatem actuum humanorum, vi cuius sunt praemio vel poena digni.* Etenim actus bonus, factus in obsequium alterius, meretur praemium; actus vero malus meretur poenam. Hinc non solum de opere bono, sed etiam de malo, quandoque dicitur meritum, etsi praevaluerit usus nominis meriti solum pro opere bono; de opere malo dicitur demeritum. Unde meritum, si *concrete* accipiatur, dicitur *opus bonum, praemio dignum.*

De ratione meriti est ut opus illud ordinetur in obsequium personae superioris, aut saltem aequalis; nam si superior aliquid praestet in favorem inferioris, illud nominatur gratia potius quam meritum.

Insuper meritum differt ab impetratione et satisfactione. Etenim *meritum* movet per modum obsequii; *impetratio* vero per modum humilis confessionis propriae indigentiae et implorationis misericordiae; *satisfactio* denique per modum compensationis propter offensam alteri illatam. Unde, sicut impetratio arguit indigentiam, ita satisfactio supponit offensam; ab his autem meritum praescindit.

331. **Divisiones meriti.** Meritum dividitur: 1) *In meritum apud homines* et *meritum apud Deum,* prout persona in cuius obsequium fit opus bonum sit homo vel Deus. Nos agimus de merito apud Deum. Quod rursus dividitur:

2) *In meritum naturale* et *meritum supernaturale.* Primum convenit operibus, quae solis naturae viribus perficiuntur, et importat praemium ordinis naturalis. Aliud vero convenit operibus ex gratia factis, et importat praemium ordinis supernaturalis. Nos praetermittimus meritum naturale, et tantum attingimus meritum supernaturale: quod etiam solet appellari meritum theologicum. Itaque *meritum theologicum* dicitur opus bonum, ex gratia factum, quod coram Deo dignum est praemio supernaturali.

3) *In meritum de condigno* (meritum perfectum) et *meritum de congruo* (meritum imperfectum). Haec meriti divisio adhibetur iam saec.XII ab Alano de Lille et saec.XIII a Gulielmo d'Auvergne.[1]

1 Cf. J.Rivière: DTC 10,687; *Sur Vorigine des formules ecclésiastiques de*

Meritum de condigno tunc adest cum opus habet aequalitatem cum praemio, ita ut, accedente promissione illius in cuius obsequium fit, merces debeatur quodam modo ex iustitia (1.2 q.114 a.3) 2.

a) Si haec aequalitas sit *arithmetica,* seu quoad quantitatem rei ad rem, nulla habita ratione personarum, tunc praemium debetur ex rigore iustitiae: ita v.gr. operario, intercedente pactione, debetur salarium.

b) Si vero haec aequalitas sit *geometrica,* seu quoad proportionem, aequalitas videlicet quae, praeter rerum, etiam personarum habet rationem, ita ut tale praemium conferre respectu praemiantis non sit maius aut difficilius quam est respectu merentis tale obsequium praestare, tunc praemium debetur ex iustitia, at non ex toto rigore iustitiae. Ita debetur verbi gratia vita aeterna propter opera bona iustorum.

Meritum de congruo adest cum opus non habet aequalitatem cum praemio; atque ideo praemium non debetur ex iustitia, sed ex quadam decentia, ob liberalitatem remunerantis. Hoc autem meritum duplex est:

a) *Meritum de congruo infallibili,* cum accedit divina promissio, ita ut infallibiliter detur retributio, non solum ex decentia, sed etiam ex fidelitate. Hac ratione meretur iustificationem peccator qui elicit actum *perfectae caritatis.*

b) *De congruo fallibili,* cum talis promissio non exsistit. Huiusmodi sunt actus salutares, remote disponentes ad iustificationem.

332. Quaestiones controversae. 1) In ipsa definitione meriti de condigno, ut diximus debet intercedere *promissio* ad hoc ut exsurgat huiusmodi meritum. Sed distinguendum est meritum apud hominem et apud Deum.

In humanis non exsurgit meritum in actu secundo, nisi accedat promissio, externe manifestata, acceptandi tale opus in ordine ad mercedem.

In merito theologico dicendum est de facto intercedere sollemnem et multiplicem promissionem, a Deo factam, remunerandi opera bona iustorum. Sed quaestio est undenam exsurgat haec condignitas operum iustorum respectu vitae aeternae. Scilicet quaeritur: *a)* num opus meritorium iustorum *in actu*

condigno et de congruo: BullLittEccl 28 (1927) 75-83. Ceterum, ad ampliorem cognitionem horum conceptuum de condigno et de congruo, cf. H.Quilliet, *Congruo (de)...:* DTC 3,1138-1152.

2 Mentem divi Thomae circa meritum accurate exposuit P.de Letter, S.I., *De ratione meriti secundum Sanctum Thomam* (Romae 1939); Id., *Merit and Prayer in the Life of Grace:* Thom 19 (1956) 446-480; Id., *Merit of Congruity:* Bigdr 18 (1957) 262-269. De mente S.Bonaventurae cf. C.Ferrado, O.F.M., *Doctrina de merito apud S.Bonaventuram* (Romae 1957).

primo, id est, antecedenter ad promissionem divinam, iam sit condignum vitae aeternae; *b)* quaenam promissio divina requiratur ad hoc ut opus salutare iustorum evadat meritorium vitae aeternae *in actu secundo.*

Quoad primum, Scotus censuit totam condignitatem vitae aeternae derivari ex *sola* promissione divina. Huic autem sententiae adversantur ceteri scholastici, tum quia tenent opera iustorum ratione gratiae qua fiunt, habere quandam proportionem ad vitam aeternam, tum quia opinio Scoti evertit rationem meriti de condigno, cum in hac hypothesi nunquam adesset condigna retributio, sed potius liberalis donatio ex promissione facta [3].

Quoad alterum, tenemus non requiri promissionem *formalem,* quae ceterum de facto datur; sed sufficere divinam illam ordinationem, qua actus salutares iustorum referuntur ad mercedem vitae aeternae, eo quod ope divinae gratiae eliciantur. Igitur haec divina ordinatio inseparabiliter coniuncta est cum collatione gratiae, et haberi potest tanquam promissio quaedam *virtualis* [4].

2) Diximus pariter in ipsa definitione meriti de condigno, *praemium deberi ex iustitia.* At, quo genere iustitiae retribuit Deus iustis bene merentibus?

Iuxta omnes theologos, Deus retribuit *ex iustitia distributiva.* Deus enim, in praemiis distribuendis, semper servat proportionem secundum inaequalitatem meritorum.

Insuper, iuxta plures theologos, Deus etiam retribuit *ex iustitia commutativa,* quatenus servat aequalitatem inter meritum et mercedem.

Attamen negandum est Deum retribuere *secundum rigorem iustitiae commutativae,* cum tandem merita omnia iustorum fundentur in gratia, quam homo gratis accipit a Deo, iuxta illa quae proferuntur in *Indiculo,* c.9 (D 141): "Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus". Cf. etiam Tridentinum (D 810).

3 Cf. Suarez, *De gratia* 12,17,2-3 et 6. De mente Scoti cf. W. Dettloff, O.F.M., *Die Lehrc der Acceptatio Divina bei Johannes Duns Skotus mit besonderer Bcrücksichtigung der Rechtfertigungslehre* (Wérl Wesf. 1954).
4 Oppositam sententiam tuetur Suarez, *De gratia* 12,17-18.

ARTICULUS II

De exsistentia meriti

Thesis 35. Iustus, bonis operibus, ex gratia factis, vere meretur apud Deum.

S.Th., 1.2 q.114 a.1-3; Beraza, 1015-1025; Lange, 698-713; Lercher-Lakner, 113ss.

333. Notiones. Iustus. id est, homo viator, ornatus gratia sanctificante aliisque donis iustificationis. Ex natura rei intelligitur adultus seu capax libere operandi.

Bonis operibus, seu actibus humanis, moraliter bonis ac libere positis, cum auxilio gratiae. Sufficit ut *saltem aliquibus* his actibus mereatur; non enim ingredimur quaestionem utrum *omnia* opera iustorum dicenda sint meritoria.

VERE MERETUR, hoc est, de condigno, quin obiecta huius meriti determinemus.

334. Adversarii. 1) Lutherus denegavit omne meritum, cum, iuxta ipsum, omnia opera iustorum sint peccata (D 771s). Melanchton hunc errorem mitigavit; loquitur enim de operibus sanctis, divinis, meritoriis. Tandem *recentiores protestantes,* etsi vocem impugnent, videntur aliquod meritum admittere[1].

2) In multis etiam errarunt circa meritum Baius (D 1001-1018), Iansenius (D 1094), Morinos (D 1260).

335. Doctrina Ecclesiae. Exsistentiam meriti profitentur *Indiculus,* c.9 (D 141), *Arausicanum,* cn.18 (D 191), *Lateranense IV* (D 430), *Florentinum* (D 714).

Doctrina de merito bonorum operum ample exposuit *Tridentinum,* s.6 c.16 (D 809), et cn.32 (D 842): "Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, non vere mereri...

[1] Cf. I.A.Möhler, *Symbolik* (1913) 203-313. Sed de facto iuxta alios protestantes, opera etiam iusti sunt inutilia ad salutem: cf. Bower, *Du protestantisme...* 149; et pro iis unum ex praecipuis elementis separationis a catholicis est insistentia nostra in vi meritoria operum iusti, ut ait R.Mehl, *Du catholicisme romain...* 75. Iuxta Barth, sanctificatio (distincta a iustificatione) quam iustus obtinet per caritatem in bonis operibus est opus solius Dei et caritas ac bona opera iusti illam testantur, non vero efficiunt: cf. Bouillard, *o.c., 2* p.79-91. Ceterum multo ante quam Lutherus denegaret quodlibet meritum operibus iusti, non pauci praedicatores germanici in fine Aevi Medii valde efferebant defectus operum bonorum etiam iustorum quin vero eis meritum negarent: cf. A.Zumkeller, O.E.S.A., *Das Ungenügen der menschlichen Werke bei den Deutschen Predigern des Spatmittelalters:* ZkathTh 81 (1959) 265-305.

a.s.". In hoc textu vox *vere* denotat meritum de condigno: tum quia verbum ipsum nullum alium meritum significare potest nisi proprium et perfectum; tum ex comparatione cum c.8 (D 801), ubi certe non negatur meritum de congruo; tum quia termini usurpati in c.16 designant veram iustitiam; tum quia, teste Pallavicini[2], haec erat mens Patrum. Qui tamen vocem *de condigno* noluerunt adhibere, eo quod non una esset theologorum sententia circa ca quae requiruntur ad meritum condignum [3].

336. Valor dogmaticus. 1) lustum *vere mereri est* veritas *de fide divina et catholica definita.* 2) lustum *de condigno* mereri, est *saltem theologice certum,* ex Tridentino.

337. Probatur ex sacra Scriptura. Sacrae Litterae exhibent vitam aeternam tanquam mercedem, bravium, coronam, retributionem sive renumerationem pro bonis operibus iustorum; et iusti vicissim praedicantur digni vita aeterna, ad quam dicuntur ius habere, ita ut adsit nexus causalis et proportio quaedam inter eorum opera et praemium. Atqui hoc significat iustos, bonis operibus, ex gratia factis, vere seu condigne mereri. Ergo iustus, bonis operibus, vere seu condigne meretur vitam aeternam.

Mai.: Vita aeterna dicitur *merces* (Mt 5,12; 20,8; 1 Cor 3,8), *bravium* seu praemium certantibus propositum (1 Cor 9,24), *corona,* eo quod in ludis stadiorum (unde metaphora educitur) praemium propositum soleret esse corona ex lauro (2 Tim 4,8; cf. 2 Tim 2,5; Apoc 2,10; lac 1,12), *retributio* sive *remuneration* pro bonis operibus (Coi 3,23-4; Hebr 10, 35). Ipsi iusti, ratione operum bonorum, dicuntur *digni vita aeterna* (2 Thess 1,5; cf. Lc 20,35; Apoc 3,4), *ius habere respectu vitae aeternae* (2 Tim 4,8; cf. Hebr 6,10); atque *nexus causalis* apponitur inter opera et praemium (Mt 25,34; Apoc 7,14), ita ut praemium servet *quondam proportionem* cum bonis operibus (Mt 16,27; cf. 1 Cor 3,8; 2 Cor 9,6)[3*]

Min.: Nam *a)* opera iustorum habent valorem quendam meritorium in actu primo, ut constat ex eorum *causalitate, dignitate, mercede,* etc.; *b)* accedit promissio divina, teste lac 1,12: *repromisit Deus,* et Hebr 6,12: *hereditabunt promissiones; c)* hinc exsurgit titulus veri iuris ad praemium *(corona, bravium, retributio); d)* attamen praemium superat quodammodo opera praestita (2 Cor 4,17; Rom 8,18).

3 Pallavicini, *Historia concilii Tridentini* 8,4.
« Cf. CTr 5,280 et 381; J.Rivière: DTC 10,735-761.
■· Cf. et M.F.Brrrouard, *Lc mérite dans les Evangiles synoptiques:* 1st 3 (56) 191-209.

338. Probatur ex traditione. *Patres,* prementes vestigia sacrae Scripturae, agnoscunt homines iustos mereri vitam aeternam. Et quidem ex eorum modo loquendi, quatenus adhibent verba *stipendium, corona, iustus iudex,* etc., eruitur eos intelligere verum meritum, seu de condigno. Simul autem excludunt *strictam* iustitiam, eo quod merces superet meritum. Ita S.Ignatius Ant.: "Placete illi, cui militatis, a quo et stipendia fertis"... (R 68). S.Iustinus: "Poenas et supplicia et bonas remunerationes secundum meritum actionum cuiusque reddi per prophetas edocti, et verum manifestamus" (R 123). S.Theophilus Ant.: "Cum mortalitatem deposueris et immortalitatem indueris, tunc Deum pro meritis videbis" (R 173). Tertullianus: "Bonum factum Deum habet debitorem, sicuti et malum, quia iudex omnis remunerator est causae" (R 311).

Et quidem Tertullianus obtinet momentum singulare in hac re. Asserit enim Rivière, Tertullianum induxisse primum *vocem* ipsam meriti, ad significandam doctrinam revelatam; minime vero admitti potest id quod affirmat A.Harnack, nimirum ipsum induxisse etiam ipsam *doctrinam* meriti[4], ut patet ex argumento Scripturae et ex Patribus antiquioribus Tertulliano.

Post Tertullianum, eandem doctrinam tradunt S.Cyprianus (R 564 599), S.Cyrillus Hieros. (R 836), S.Basilius (R 966), S.Ambrosius (R 1247), S.Hieronymus (R 1383), S.Augustinus (R 1477 1502 1937 1449 1453 1498 1575 1807), S.Prosper (R 2045), S.Gregorius M. (R 2316 2326)[5].

339. Ratio theologica. Argumentum innuit divus Thomas (1.2 q.114 a.1-3). *Primo,* ostendit in genere (a.1) hominem posse aliquid mereri coram Deo. Nam homo se ipsum movet ad agendum per liberum arbitrium; ergo, sicut obedientiam, ita inobedientiam praestare potest. Unde, dum obedit Deo, Ipsi obsequium praestat, atque rationem meriti habet.

Deinde affirmat (a.2) hominem tantum posse mereri vitam aeternam cum auxilio gratiae; aliter enim vita aeterna excedit proportionem naturae.

Tandem demonstrat (a.3) hominem, operibus ex gratia factis, posse mereri de condigno vitam aeternam. Nam, me-

4 A.Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*[4] 2,179s; Rivière: DTC 10,620.
5 Bene exponit argumentum traditionis patristicae J.Rivière: DTC 10,612-661. De exsistentia meriti ad praesentiam gratiarum mysticarum, cf. Alphonsum a S.Ioseph, C.D., *La existencia del mérito durante la unión extática:* RevEspir 7 (1948) 151-163.

diante gratia, opera iustorum iam proportionantur excellentiae vitae aeternae.

340. Obiectiones. 1. Ex Rom 8,18 et 2 Cor 4,17, ubi dicitur: *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam,* co quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.* Ergo opera bona iustorum non sunt condigna vitae aeternae.

Dist. cons. Non sunt condigna condignitate *quantitativa, conc. cons.;* condignitate *proportionis, nego cons.*

Ut supra exposuimus, duplex adest condignitas sive aequalitas inter meritum et praemium, quantitatis (arithmeticae) et proportionis (geometricae). Iam vero, *secundum aequalitatem quantitatis* non possumus tnereri vitam aeternam, cum quantitas actus virtutis nequeat unquam aequare praeminum gloriae; sed ratione gratiae, quae est semen gloriae, utique possumus mereri *secundum aequalitatem proportionis.* Igitur textus, qui obiciuntur, agunt de aequalitate quantitativa, et asserunt brevem durationcm passionum huius vitae non posse comparari cum duratione gloriae aeternae; textus vero, quos protulimus ad thesim probandam, loquuntur de aequalitate proportionis.

2. Ex Rom 6,23: *Gratia autem Dei, vita aeterna,* id est, vita aeterna est Dei gratia, seu datur ex misericordia. Ergo nulla adest condignitas, ne proportionis quidem, inter opera bona et praemium.

Dist. antec. Vita aeterna est gratia Dei, seu datur ex misericordia, *radicaliter,* quatenus gratia, quae ex misericordia et gratuito confertur, praecedit merita hominis, *conc. antec.;* est gratia Dei, seu datur ex misericordia, *formaliter, nego antec.* Cf. *Indiculum,* c.9, et *Tr'dentinum,* s.6 c.16 (D 141 810).

3. Si vita aeterna daretur propter merita, posset homo gloriari quod salvus fiat suis meritis. Atqui haec adversantur verbis Apostoli ad Eph 2,8. Ergo homo nequit mereri vitam aeternam.

Dist. antec. Posset gloriari quod fiat salvus suis meritis tanquam ex gratia factis, *conc. antec.;* tanquam propria virtute factis, *'nego antec.*

4. Vita aeterna debetur iustis tanquam hereditas. Atqui hereditas non datur propter merita. Ergo iusti nec merentur vitam aeternam.

Dist. mai. Vita aeterna debetur iustis tanquam hereditas, et suppositis bonis operibus, etiam tanquam praemium, *conc. mai.;* debetur unice tanquam hereditas, *subdist.:* gloria illa quae respondet gratiae per sacramentum baptismi ex opere operato tantum acceptae, *conc.;* aliter, *nego.*

Vita aeterna datur iustis ex duplici titulo: ex titulo *hereditatis,* quia sunt filii Dei adoptivi, et titulo *praemii,* propter merita bonorum operum. Hi autem duo tituli possunt ab invicem separari, vel etiam simul exsistere. Ita v.c. qui baptizantur et moriuntur ante usum rationis, obtinent gloriam solo titulo hereditatis. His vero, qui adulti in statu gratiae moriuntur, gloria datur, tum titulo hereditatis, quia tandem gloria fundatur in gratia adoptionis, tum etiam titulo praemii, quia iustus bonis operibus verum obsequium Deo exhibuit.

5. Omnia opera bona iam debentur Deo aliis titulis, v.gr. gratitudinis, obedientiae, etc. Atqui nemo meretur apud alterum per

haec quae illi aliunde debentur. Ergo opera bona iustorum non sunt meritoria apud Deum.

Conc. mai. Dist. min. Nemo meretur apud homines per ea quae aliunde ipsis debentur, *trans, min.,* cum etiam inter homines ratio debiti non semper evertat rationem meriti; nemo meretur apud Deum per opera quae Ipsi aliunde debentur, *nego min.*

Ratio meriti moralis fundatur in eo quod libere praestet ea quae Deus praecepit vel quomodocumque Deo debentur. Etenim "Deus ex bonis nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, id est manifestationem suae bonitatis, quod etiam ex suis operibus quaerit; ex hoc autem quod Eum colimus, nihil Ei accrescit, sed nobis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid Ei accrescat, sed in quantum propter Eius gloriam operamur" (1.2 q.U4 a.1 ad 2).

6. Si homo mereretur vitam aeternam, eo ipso derogaret meritis Christi, quae haberentur velut insufficientia. Ergo repugnat quod homo mereatur.

Nego antec. Nam doctrina dc meritis bonorum operum, non solum non arguit insufficientiam meritorum Christi sed insuper ostendit eorum superabundantiam, cum ipsa effecerint ut nostra opera habeant virtutem merendi vitam aeternam, quam Christus nobis acquisivit sanguine suo. Cf. *Tridcntinum,* s.6 c.16 (D 809)

ARTICULUS III

De OBIECTO MERITI

Bkraza, 1026-1052; Lmrchkr-Laknïr, 118s; EangK, 714-720.

341. Dona supernaturalia, quae evadere possent obiectum meriti, sunt triplicis generis:

1) *Dona gratiae actualis,* id est, prima gratia et subséquentes gratiae actuales, praesertim gratia efficax.

2) *Donet gratiae habitualis,* hoc est, prima iustificatio, ipsius augmentum, reparatio, perseverantia finalis.

3) *Dona, gloriae,* seu prima gloria essentialis, eiusdem augmentum, gloria accidentalis.

Nunc vero, cum homo concipiatur haec omnia mereri posse, tum *pro se ipso,* tum *pro aliis,* et quidem *de condigno* vel *de congruo,* haec singillatim veniunt explicanda.

I. Quid homo mereri possit pro se ipso?

342. A. De condigno:

Definivit Tridentinum, s.6 cn.32 (D 842), hominem iustificatum vere (seu condigne) posse "mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gra-

e Cf. Bel i.arminum, *De iustificatione* 5,5.

tia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum". Tria ergo potest sibi mereri de condigno:

1) *Vitam aeternam et ipsius vitae aeternae consecutionem.* Haec autem non sunt duo praemia, sed unum idemque, nimirum, aeterna beatitudo. Sed Tridentinum hanc duplicem formulam adhibuit, ut significaret iustum bonis operibus acquirere verum ius ad vitam aeternam, solutionem vero huius iuris pendere ab hac condicione: quod homo moriatur in statu gratiae. Ceterum iam vidimus, quomodo efferant fontes revelationis vitam aeternam tanquam obiectum meriti de condigno. Cf. 1.2 q.114 a.2s.

2) *Augmentum gratiae sanctificantis.* Quod quidem valet etiam de virtutibus infusis et de ceteris donis iustificationis. Cf. 1.2 q.114 a.8.

3) *Augmentum gloriae.* Hoc saltem gloriae augmentum efferunt fontes revelationis, dum tradunt iustum vere mereri vitam aeternam. Cf. 1.2 q.114 a.3.

Disputant theologi num *prima gloria* possit evadere obiectum meriti condigni, pro illis adultis qui justificantur per contritionem perfectam, ante susceptionem actualem baptismi vel paenitentiae. Negant Luco, Ripalda aliique\ eo quod ille adultus primam gloriam mereretur *a)* aut per actum qui antecedit infusionem gratiae, *b)* aut per actum qui subsequitur infusionem gratiae, *c)* aut per actum qui simul exsistit cum infusione gratiae. Non *a),* quia time deest status gratiae; non *b),* quia tunc iam meretur augmentum gratiae et gloriae; nec *c),* quia actus ille nondum procedit ex gratia. His vero reponunt alii theologi, ut D.Soto, Cano, Suârez, Vâzquez, quod, concessis *a)* et *b)* videatur sufficere ad meritum condignum primae gloriae, ut gratia, praesentia sua, dignificet actum illum, etsi actus ipse ex ipsa gratia nondum physice profluat 23

343. B. De congruo:

1) *Peccator,* adiutus Dei auxilio, potest mereri de congruo gratias actuales, etiam efficaces; immo, iuxta sententiam communiorem, potest etiam mereri de congruo primam gratiam habitualem s.

2) *Justus,* praeter gratias actuales efficaces, etiam mereri potest de congruo fallibili perseverantiam finalem. Dis-

1 Luco, *De Incarnatione* d.6 s.3 n.59; Ripalda, *De ente supernatural!* d.89 s.1; Carleton, *De gratia* d.126 s.9 n.5.

3 D.Soto, *In 4* dist.14 q.2 a.6; Cano, *Rclectio de paenitentia* p.1; Suârez, *Dc gratia* 12.28; Vâzquez, *In 1.2* d.219 c.2; Pxscn, *Praelectiones dogmaticae* 5,420-422; Tepe, *De gratia* 516-518; WircEburgEnses, *De gratia* 7,454-458.

3 Billuart, *De gratia* dis.8 a.5; Valencia, *In 1.2* d.8 q.6.

sentiunt autem theologi, num etiam mereri possit de congruo reparationem post lapsum. Id aperte denegat S. Thomas (1.2 q.114 a.7); affirmant vero S. Bonaventura, Scotus, Bellarminus, Suârez de congruo fallibili[4].

C. Nullo merito:

Primam gratiam actualem nemo sibi mereri potest ulla ratione; gratis enim datur, et eam necessario supponit quodlibet meritum. Cf. 1.2 a.114 q.4-5.

II. Quid homo mereri valeat pro aliis?

344. 1) *De condigno* nemo quamvis maxime iustus, potest quidquam pro aliis mereri; hoc enim est privilegium Christi Domini. Cf. 1.2 q.114 a.6. De B. Maria Virgine disputant theologi.

2) *De congruo* potest iustus pro aliis mereri, quidquid de congruo meretur pro se ipso. Insuper potest alteri mereri primam gratiam actualem, quam sibi mereri non valet[5].

ARTICULUS IV

De condicionibus meriti

Beraza, 984-1014; Lance, 721-728.

345. Suppositis iam ex parte Dei illis quae diximus in *articulo I* circa *ordinationem et promissionem divinam,* condiciones ad rite merendum respiciunt aliae personam merentis, aliae ipsum opus meritorium.

I. Ex parte personae merentis.

Ex parte personae merentis, duplex requiritur condicio pro quolibet merito, tam de condigno quam de congruo, scilicet, ut sit *viator* et *libere agat.* Sed praeterea, ad merendum de condigno, exigitur ut sit *iustus* seu versetur in statu gratiae.

1) *Viator.* Status viae est tempus vitae, usque ad momentum mortis. Tempus merendi morte finiri, seu statim post mortem dari retributionem, demonstratur in tractatu de Novissimis[1]. Possunt conferri Concilium Lugdunense II (D 464) et Constitutio Benedicti XII (D 530).

* Cf. Suârez, *De gratia* 12,38,7.

° Cf. S.Tn., 1.2 q.114 a.6; Suârez, *De gratia* 12,25,5. De historia doctrinae meriti pro aliis cf. J.Czerny, *Das übcrnatürliche Verdicnst fiir andere* (Freiburg Schw. 1957).

1 Cf. SThS t.4 tr.6 th.1.

2) *Libertas.* Requiritur libertas, non solum a coactione seu extrinseca, sed etiam a necessitate seu a determinatione intrinseca ad unum. Id docuit Ecclesia dum damnavit tertiam propositionem lansenii (D 1094); idque facile constat, tum ex fontibus revelationis, tum ex ipsa rei natura.

3) *Status gratiae.* Id requiri ad meritum de condigno patet *ex verbis Christi,* Io 15,4-5 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in Me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in Me, et Ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine Me nihil potestis facere.* Id etiam aperte *docuit Tridentinum,* s.6 c.16 (D 809): "Cum enim ille ipse Christus lesus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt"... Etiam *damnavit* Pius V nonnullas propositiones baianas, quae huic doctrinae adversantur (D 1012-1018).

Igitur, gratia sanctificans influit in meritum, et negative, et positive, et effective. Influit enim *negative,* quatenus removet peccatum, quod impedit vitam aeternam; influit *positive,* quatenus confert dignitatem filiorum Dei ; influit denique *effective,* quatenus, ope *virtutum,* efficit actus salutares. Hinc exsurgit aequalitas proportionis inter opera bona iustorum et vitam aeternam ; nam gratia est veluti semen respectu gloriae. Atque haec est ratio cur non requiratur status gratiae ad meritum de congruo, nimirum, quia huiusmodi meritum non habet tanquam obiectum immediatum praemium vitae aeternae, sed alia dona supernaturalia.

II. Ex parte operis.

346. Ex parte operis, ut hoc evadat meritorium de congruo vel de condigno, exigitur duplex condicio: *honestas* et *supernaturalitas* operis.

1) *Honestas,* seu bonitas moralis, tam ex obiecto quam ex fine vel intentione agentis. Nam opus malum nequit esse Deo obsequiosum et praemio dignum. Huius condicionis meminit Tridentinum, cum, praemissis verbis Apostoli 1 Cor 15,58 et Hebr 6,10 et 10,35, pergit: "Atque ideo *bene operantibus* usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum lesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius

Dei promissione *bonis ipsorum operibus* et meritis fideliter reddenda" (D 809).

Quid autem de operibus indifferentibus? Opera indifferentia, si exsistant in individuo, nec praemium nec poenam merentur.

2) *Supernaturalitas,* et quidem entitativa, quatenus actus fiat ex gratia. Cum enim actus debeat servare quandam proportionem cum fine supernaturali, eo ipso et actus supernaturalis esse debet[2].

Ceterum, non requiritur ut opus sit *difficile.* Nam fontes revelationis et magisterium ecclesiasticum tribuunt vim merendi quibuslibet actibus bonis iustorum. Nec demonstratur esse necessarium ut opus referatur *speciali intentione actuali* ad Deum fide cognitum et propter se dilectum. Potius enim suadent oppositum, tum sacra Scriptura, dum promittit vitam aeternam propter diversas virtutes (Mt 5,3; 19,16; 25,34, etc.), tum Tridentinum, s.6 c.16 (D 809), quod nihil aliud videtur exigere nisi ut opus sit honestum et supernaturale[3].

ARTICULUS V

De REVIVISCENTIA MERITORUM

347. Circa reviviscentiam meritorum duo veniunt explicanda:

1) *Factum reviviscentia^,* hoc est, num merita condigna gratiae et gloriae, quae iustus per peccatum amisit, reviviscant sive redeant, cum peccator de novo iustificatur per paenitentiam.

2) *Gradus vel mensura huius reviviscentiae,* id est, utrum reviviscant quoad totum praemium, an quoad partem illius tantum.

Primum in sequenti thesi, aliud in *scholio* inquirimus [1].

a Cf. ceterum J.C.Martînez, S I., *Sudres y la sobrertituralidad del mérita:* ArchTG 2 (1939) 71-127.

•Plura de hac quaestione apud Beraza, 991-1001; Lance, 725ss.

1 Cf. Scotum, 0/>wj *oxoniensc 4,* d.22 q.unica, n.6-13; SitArez, *Relectio dc meritis mortificatis ct per poenitentiam reparatis* (ed. Vivès, 11.435-513); J.Scheller. *Wicdcrauflcbcn der durch cine Sûnde ertodteten Vcrdienstc:* ZkathTh 15 (1891) 19s; I.B.UmbErc S.I., *Pius XI iiber das Wiederaufleben der Vcrdienstc und der Gnadc:* ZkatnTh 10 (1925) 298-302; L-Teixidor, S.I., *De doctrina circa reviviscentiam meritorum m'aximc digna quae ab omnibus fidelibus cognoscatur:* AnalSacraTarrac 6 (1930) 7-34; R.Marino, S.I., *La reviviscenda dei meriti secondo la dottrina del Dottore Angelico:* Greg 13 (1932) 75-108; J.E.ReguEro, *Algo mds sobre la reviviscenda de los méritas:* Burg 2 (1961) 385-398 (ubi proponitur doctrina K.Rahner dc tota re).

Thesis 36. Merita mortifioata reviviscunt.

S.Th., 3 q.89 a.5; Beraza, 1053ss; Lercher-Lakner, 120s.

348. **Notiones.** Merita, intellige condigna gratiae et gloriae. Haec enim duo, gratia et gloria, sese invicem correspondent, ita ut in hac providentia nemo acceptetur ad gloriam quin sit intrinsece Deo acceptus per gratiam iustificationis.

Mortificata, seu quae non exserunt virtutem suam perducendi ad vitam aeternam, propter peccatum mortale. Per hoc enim amittitur gratia iustificationis, et ipsum impedit quominus gloria obtineatur.

Agimus ergo de operibus bonis, quae facta sunt in statu gratiae, ac proinde fuerunt meritoria; quaeque tamen, propter peccatum, amiserunt capacitatem obtinendi praemium.

Reviviscunt, seu iterum redeunt, semel remisso peccato per paenitentiam; ita ut denuo habeant virtutem perducendi ad vitam aeternam.

Hinc, opera nostra sunt:

a) *mortua:* si fiunt a peccatore;

b) *viva:* si fiunt a iusto;

c) *mortificata:* si fiunt a iusto, qui postea peccavit graviter;

d) *rediviva:* si fuerunt mortificata et amissa gratia iterum recuperatur.

349. **Valor dogmaticus.** Haec doctrina est adeo *certa,* ut sine temeritate negari non possit; ut patet ex communi consensu theologorum 2.

350. **Probatur.** 1) Ex *Tridentino,* s.6 c.16 et cn.32 (D 809 842), iuxta quod, "nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam vere censeantur". Ideo: "Si quis dixerit... ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et lesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserint) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a.s.".

Unde, iuxta Tridentinum, bona opera perducunt iustum in vitam aeternam, si gaudeant his tribus condicionibus:

* Cf. Suarez, *Relectio de meritis...* d.1 s.2 n.2 ct 9; Luco, *De poenitentia* d.10 a.1; Teixidor: AnalSacraTarrac 6 (1910) 9-10.

a) sint hominis iusti; *b)* sint supernaturalia ("in Deo facta", "per Dei gratiam et Iesu Christi meritum"); *c)* homo decedat in statu gratiae. Atqui haec tria conveniunt meritis mortificatis, semel remisso peccato, si homo in gratia decedat. Ergo, iuxta Tridentinum, merita mortificata reviviscunt[3].

Mai. constat ex verbis allatis.

Min. patet ex sola consideratione terminorum. Nec exigit Tridentinum ut homo nunquam gratiam amiserit; contra, nihil aliud requirit quam tres condiciones appositas, quae etiam dantur in eo qui peccavit, sed, peccato remisso, iam decedit in statu gratiae.

2) Ex Pio XI, qui aperte tradit doctrinam de reviviscentia meritorum, nec illam restringit ad Iubilaeum illius anni: "Quicumque enim paenitendo Apostolicae Sedis salutaria iussa, Iubilaeo magno vertente, perficiunt, iidem..., eam, quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt" (D 2193).

3) *Ex conceptu meriti mortificati* qualiter evolvitur a S.Thoma (3 q.89 a.5): Opera non "habent vim perducendi in vitam aeternam..., solum secundum quod actu exsistunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur; quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit... Sed quod isti, qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditur indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per paenitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata. Unde restat, quod opera prius mortificata per paenitentiam recuperent efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam; quod est ea reviviscere. Et ita patet, quod opera mortificata per paenitentiam reviviscunt".

Itaque, eatenus merita mortificata nequeunt perducere hominem in vitam aeternam, quatenus per peccata homo factus est indignus regno caelorum. Atqui huiusmodi impedimentum evanescit per paenitentiam. Ergo merita mortificata, semel remisso peccato, reviviscunt.

* Ex *fontibus revelationis* videtur thesis non posse efficaciter demonstrari. Nam a) verba Ezechielis (18,21; 33,12) non proferuntur dc recuperatione bonorum, quae per peccatum fuerint amissa; *b)* loca Pauli ad Gal 3,4 et ad Hebr 6,-10, etsi respiciant merita olim acquisita, non satis constat interpretanda· esse de fidelibus lapsis; c) parabola filii prodigi (Lc 15,11-32) ostendit restitui omnia bona per peccatum amissa; sed non constat illa bona fuisse acquisita proprio ipsius ingenio. Ideo *ex sacra Scriptura* non potest erui firmum argumentum. Sed neque *ex dictis Patrum,* v.gr. S.Hieronymi, Chrysostomi, S.Epiphanii, cum haec non videantur posse aliter intelligi ac ipsa parabola filii prodigi.

Attamen agnoscendum est, hanc meritorum reviviscentiam deberi misericordiae divinae, quatenus Deus peccatorem ad paenitentiam misericorditer adducit, nec exigit ad praemium bonorum operum perpetuam in statu gratiae perseverantiam. Sed simul notandum est, merita rediviva coronari eodem titulo iustitiae ac si numquam fuerint mortificata.

351. Scholion. *De mensura reviviscentiae.* Semel demonstrato facto reviviscentiae meritorum, quaeritur de mensura seu gradu huius reviviscentiae; nimirum, utrum, obice per paenitentiam sublato, paenitens recuperet ius ad totam illam mercedem quam ante lapsum fuerat promeritus. Qua in re, dantur *tres theologorum sententiae:*

Prima sententia tenet peccatorem, de novo iustificatum, non esse recepturum aliud praemium essentiale, nisi illud quod debetur conversioni secundum praesentem dispositionem; ita tamen ut hoc praemium donetur et titulo conversionis, et titulo priorum meritorum. Haec docuit Banez, que asserit eandem fuisse sententiam antiquorum usque ad tempora Francisci Vitoria. Huic sententiae banneziamae adhaesit recenter Billot. Igitur Bâiïez, etiam agnoscens duritiem suae opinionis, eam defendit his verbis: "Si homo moriatur statim postquam merita reviviscunt per paenitentiam, non recipiet maiorem glorian essentialem quam respondeat merito praesentis dispositionis... Si autem in minori dispositione resurgat quam antea erat, recipiet praemium essentiale in minori quantitate quam antea erat recepturus, recipiet tamen illud pluribus titulis plurium meritorum" 4.

Altera sententia, quam sequuntur plures thomistae, docet merita reviviscere etiam ad praemium essentiale, etsi non ad totum praemium, sed tantum ad praemium proportionatum dispositionibus habitis tempore conversionis. Haec autem proportio diversimode computatur a diversis auctoribus 8.

Tertia sententia, quam nos eligimus tanquam probabiliorem, asserit merita reviviscere ad totum praemium, ita ut paenitens, decedens statim post conversionem, recipiat, et praemium actuale suae dispositionis ad conversionem, et totum praemium quod ipsi debebatur propter bona opera olim facta. Hanc doctrinam propugnant Lombardos, Albertus M., Sco-

* BÀNlZ, *In 2.2* q.24 a.6 dub.6 conci.3; Billot, *Dc sacramentis* 2 (Romae 1908) 111ss.

' Cf. v.c. D.Soto, *In 4* d.16 q.2 a.2 et 5; Gotti, *Dc poenitentia* q.3 dub.5; Alvarez, *De auxiliis* d.61 n.6; Lbdesma, p.1 q.30 n.2; Valencia, *In 3* d.7 q.6 punct.1 ct 3.

rus cum *scotistis,* Cano, Suarez, Vâzquez, Lugo ac communiter *theologi Societatis lesu, Salmanticenses,* etc.[6]

352. *Sententia tenenda.* Si examini subiciantur hae sententiae, facile apparet, *primam* videri evertere ipsum factum reviviscentiae; *alteram* servare huiusmodi factum, sed illud arbitrarie restringere absque sufficienti fundamento; *tertiam* vero magis consonare cum argumentis allatis in thesi praecedenti.

Nam, in primis, *Tridentinum* nullam restrictionem apponit; sed, suppositis illis tribus condicionibus, affirmat simpliciter iustis deberi suam mercedem. Quod quidem confirmatur ex aliis verbis ipsius Tridentini, s.6 c.16 (D 809): "Hac igitur ratione justificatis hominibus, *sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint,* proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino".

Praeterea, *Pius XI* explicite testatur quod quicumque perfecerint iussa salutaria Jubilaei, "eam, quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam *ex integro reparant ac recuperant"* (D 2193).

Denique, ipsa ratione reviviscentiae id ipsum postulat. Etenim merita reviviscere significat illa recuperare suam priorem efficaciam, quae per peccatum impediebatur. Atqui pristina illa efficacia erat ad totum praemium. Ergo et efficacia, quae per reviviscentiam restituitur, ad totum praemium extendenda est.

[6] Lombardus, 4 *Sent.* dist.14,1; Albertus Magnus, *In 4* d.14 a.21s; Scotus, *In 4* dist.22 a.2 n.9; Cano, teste Bânez loco citato; SlIarEz, *Relectio dc meritis;* Vâzquez, *In 1.2* d.221; Luco, *De pacn'itentia* d.11 s.2; Salmanticenses, tr.16 d.S (dc merito).

TRACTATUS IV

De virtutibus infusis

Auctobe

P.Iosepho A. de Aldama, S.I.

INTRODUCTIO

Vidimus in tractatu de gratia justificationem peccatoris fieri per veram internam renovationem et sanctificationem, quae causatur in anima per dona supernaturalia a Deo infusa; scilicet per donum increatum Sancti Spiritus, seu totius Trinitatis inhabitantis, et per donum creatum gratiae sanctificantis. Haec gratia sanctificans est quasi nova natura, novum scilicet principium ultimum et radicale totius vitae supernaturalis in homine iustificato. Sed sicuti in vita naturali adiunguntur naturae facultates et potentiae, quae sunt principia proxima operationum vitalium, sic etiam in nova vita supernatural! gratiae sanctificanti adiunguntur virtutes, principia proxima novarum operationum supernaturalium.

De his ergo virtutibus nunc nobis agendum est. Et quidem primum de virtutibus in seipsis, deinde de earum actibus. Posita autem generali tractatione de virtutibus infusis, investigationem circa actus virtutum ad virtutes theologicas restringemus, utpote quae maiorem considerationem dogmaticam mereantur.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Aubert, R., *Le problème de l'acte de foi'* (Louvain 1950).

Beraza, B., *Tractatus de virtutibus infusis* (Bilbao 1929).

Bπ,εοτ, L., *De virtutibus infusis* (Romae 1905).

Harent, S., *Foi:* DTC 6,55-514.

— *Infidèles (salut des):* DTC 7,1726-1930.

— *Espérance:* DTC 5,605-676.

Lennerz, H., *De virtutibus theologicis* (Romae 1947).

Lugo, *De virtute fidei divinae* (ed. Vivès, Parisiis 1868).

Pesch, C., *De virtutibus in genere. De virtutibus theologicis* (Friburgi 1922).

Ripalda, *De fide divina, de spe divina, de caritate divina* (ed. Palmé, Parisiis 1871).

Salmanticenses, *In 2.2* (ed. Palmé, vol.11-12, Parisiis 1879).

SuArez, *De fide, spe et caritate* (ed. Vives, vol.12, Parisiis 1858).

LIBER I

De virtutibus infusis in seipsis

1. Duas quaestiones maxime tractabimus: prima est exsistentia et natura virtutum; secunda augmentum et diminutio earum. Quibus adiungemus brevem tractationem de donis Spiritus Sancti in genere.

CAPUT I

De exsistentia et natura virtutum infusarum

Thesis 1. In iustificatione infunduntur tres virtutes theologicae; infunduntur quoque virtutes morales.

S.Th., 1.2 q.62 a.1-3; q.61 a.2; Lxnnîrz, 560-630; Bbraza, 1-50.

2. Notiones. Virtus definitur habitus operativus bonus.

Explicatur: a) *Habitus* est qualitas permanens, difficile mobilis, qua bene vel male disponitur subiectum sive in ordine ad se, sive in ordine ad aliud. Dicitur: qualitas (affectio quaedam accidentalis, qua quis taliter se habet), permanens (sic differt ab actu, qui transit), difficile mobilis (sic differt a dispositione, quae est facile mobilis), bene vel male (quia habitus potest esse bonus, qui vocatur virtus, et malus, qui vocatur vitium), ad se vel ad aliud (quia habitus potest perficere immediate ipsum subiectum, et vocatur habitus entitativus, vel immediate potentiam subiecti, et vocatur habitus operativus)[1]. De his omnibus cf. 1.2 q.49.

b) *Operativus,* id est immediate afficiens non subiectum, sed potentiam activam ut talem, ac proinde ex sua natura importans ordinem ad actum.

c) *Bonus,* id est ordinatus ad actum moraliter bonum.

3. *Nota* in hac definitione distinguendum esse id quod

[1] Cf. M.T,imrourg, *Vom Wescn des nat-iirlichcn und des iibcrnaHirlichen Habitus:* ZkathTh 9 (1895) 643-669.

traditionale est, ab his quae ad ulteriorem scholasticorum elaborationem pertinent. Traditionalis omnino est in virtute idea cuiusdam principii permanentis actuum bonorum. Notio vero scientifica habitus, quae ab aristotelismo mutuata est, optimam refert explicationem dogmatis, sed ab ipso distinguitur. Elementa illa traditionalia satis apparent in prioribus definitionibus virtutis. Qua in re *duae historicae tendentiae* apparent in antiquitate christiana.

Prima, quae a S.Augustino originem ducit, optime effertur in definitione Magistri Sententiarum: *bona qualitas mentis, qua recte vivitur et qua nullus male utitur, quam Deus sohis in homine operatur.* Haec definitio, quae ex variis locis S.Augustini conflatur[2], remansit in scholastica. Sic eam efferunt Petrus Pictaviensis, Magister Martinus, Praepositinus, alii. Eius explicationem vide apud S.Thomam, 1.2 q.55 a.4.

Secunda tendentia, ab Aristotele per Boetium originem ducens[3], sic effertur ab Abaelardo: *virtus est habitus animi optimus*[4] Haec definitio, paucis aliquando mutata (habitus bene constitutae mentis, vel bene dispositae mentis), permansit etiam in scholastica. Eam afferunt Algerus, Gandulphus, Alanus de Insulis, Simon Tomacensis, Rolandus Cremonensis, alii.

Harum duarum definitionum, prima habet prae oculis potius virtutes infusas, secunda vero virtutes acquisitas[5]. Utramque tendentiam apte coniungunt Gulielmus Altissiodorensis, S.Bonaventura et S.Thomas [6].

4. Infunduntur, scilicet a Deo immediate producuntur. Ratione huius originis virtutes dividuntur in *acquisitas* et *infusas.* Illae ipso usu potentiae ex repetitione actuum oriuntur; hae non nisi operatione divina. Hae autem dicuntur *infusae per se,* si aliter oriri nequeunt; *infusae per accidens,* si, quamvis oriri possent ex repetitione actuum, de facto a Deo infunduntur.

VirItis acquisita ex ipso modo quo oritur, scilicet ex potentia, supponit exsistere potentiam; unde non dat posse operari, sed facilius operari. *Virtus infusa* dat ipsum posse operari, elevando potentiam naturalem ad hoc ut possit elicere actus

2 *Sent. 2 d.27* c.5 Cf. S.Augustinum, *De libero arbitrio* 2,18,50; 2,19; *Retractationes* 1.6: ML 32,1267.598.

3 *hi Categorias Aristotelis* 3: ML 64,242.

4 *Dialogus inter philosophum iudaeum et Christianum:* ML 178,1651.

• De his ominibus, cf. O.Lottin, *Les premières définitions et classifications des vertus au Moyen Age:* RevScFhTh 18 (1929) 369-407; postea in *Psychologie ct Morale aux XII· et XH1· siècles* (Louvain 1949) 3 n.11; A.LandgraF, *Dogmcngcschichte dcr Frühscholastik* 1,1 (Regensburg 1952) 161-167. Breviter A. Michel, *Vertu:* DTC 15,2748-2753.

• S.Bonaventura. *In 2 d.27* dub.3 *(Opera* 2,671s); S.Thomas 1.2 q.56.

entitative supernaturales, quod sola non poterat; utrum det etiam facilitatem, disputant theologi. Unde virtus acquisita et virtus infusa non conveniunt univoce. Utraque est principium operandi; sed virtus infusa magis assimilatur potentiae.

Dicimus in thesi virtutes infundi a Deo, id est exsistere aliquas virtutes infusas per se. Dicimus autem has virtutes infundi in iustificatione, id est in connexione cum iustificatione, praescindendo interim ab ulteriore quaestione disputata, de qua in scholio.

5. Theologicae et morales dicuntur virtutes ratione obiecti: prout immediate respiciant ipsum Deum (in obiecto formali aut motivo, et in obiecto materiali principali), vel honestatem creatam actus.

Virtutes *morales* revocantur ad quatuor *cardinales.* De hac divisione cf. S.Thomam, 1.2 q.62 a.2. Nota tamen virtutem aliter dici moralem per oppositionem ad virtutem *intellectualem,* scilicet ratione subiecti, quod potest esse aut appetitus aut intellectus (cf. 1.2 q.58 a.3).

Virtutes *theologicae* ordinant directe ad finem supennaturalem; virtutes *morales* (id est non theologicae) ordinant directe ad ea quae sunt ad finem supernaturalem.

Dicimus ergo a Deo infundi tres illas entitates, seu dona, quae in fontibus revelationis vocantur fides, spes, caritas; quaeque a theologis vocantur virtutes theologicae. Infundi quoque alias virtutes morales.

pars 1.": virtutes theologicae

6. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Tridentinum* s.6 c.7 (D 800): "caritas... diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur atque ipsis inhaeret; unde in iustificatione... haec omnia simul infusa accipit homo... fidem, spem, caritatem". Ibi non agitur de actibus, sed de entitatibus quibusdam permanentibus, ut maxime constat ex voce *inhaerere,* prout expresse affirmatur in Actis '. Unde, iuxta hu-nc textum, infunduntur in iustificatione tanquam dona permanentia fides, spes et caritas; haec ultima, saltem tanquam indistincta a gratia, cum de hac distinctione noluerit Concilium aliquid definire. Quod valet etiam de canone 11 (D 821).

Conc. Vaticanum s.3 c.3 (D 1789) definit fidem tanquam virtutem supernaturalem. Loquitur autem de habitu, non de actu [8].

7 Cf. DTC 15.2763s; LennERZ, 589-599, ubi afferuntur diversa schemata.
8 Cf. CL 7,178s ad emendationes 58 et 60

7. Notanda praeterea sunt documenta, quae respiciunt *controversiam de virtutibus infusis in parvulis.* Haec vero sunt:

a) Innocentius III, epistola ad Imbertum Arelatensem (D 410). Nonnulli Doctores tunc temporis (initio saec.XIII) iam tenebant virtutes infundi per baptismum etiam parvulis (de adultis nulla erat controversia), quamvis hi eas haberent "quoad habitum, non quoad usum". Revera problema hoc, quod de fide speciatim propter eius necessitatem suscitatum fuerat, sic a quibusdam theologis solvebatur saec. XII, ut referunt Magister Sententiarum, Radulphus Ardens et allii [9]. Sed post epistolam Innocentai III, iam toto saec.XIII, haec solutio fit communis inter theologos.

b) *Conc. Viennense* (D 483) initio saec.XIV. Infusio virtutum etiam in baptismo parvulorum sancitur a Concilio ut sententia probabilior. Decisio haec conciliaris lata est occasione propositionis cuiusdam, quae tribuebatur Olivi, scilicet: "parvuli in baptismo nec gratiam nec virtutes accipiunt" [10].

8. Valor dogmaticus, *a)* Fidem, spem et caritatem infundi ut dona quaedam permanentia, est *de fide divina et catholica definita, b)* Infundi ut habitus stricto sensu, est *communis et optima explicatio theologorum.*

9. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Fides, spes, caritas efformant in Scriptura *unitatem quondam,* in qua nititur tota vita Christiana: 1 Cor 13,13: *fides, spes, caritas; tria haec;* 1 Thess 1,3: *memores operis fidei vestrae* (id est exsecutionis fidei per opera), *et laboris et caritatis* (id est laboris quem praestat caritas), *et sustinentiae spei* (id est patientiae in qua exercetur spes) ; 1 Thess 5,8 : *induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis.* (Cf. praeterea 2 Tim 2,22; Coi 1,4s; Eph 1,15.18; Rom 5,1-5; Gal 5,5s ; Hebr 6,10-12; 10, 22-24 [scilicet eo consilio ut excitemur ad caritatem] ; 1 Petr I,3-8; lud 20.)

b) Sunt *dona permanentia* in christianis. Sic dicuntur manere (1 Cor 13,13), efformare quasi armaturam Christianam ad pugnandum contra inimicos vitae supernaturalis (1 Thess 5,8), esse fundamentum totius huius vitae (Rom 5,1-5; 1 Petr 1,3-8).

9 Cf. A.Landgraf, *Dogmcngcschichte* 1,1,202-219; *Kiiedcrstaufc und Glaubc in der Friihscholastik·.* Greg 9 (1928) 337-372.497-543.

10 F.Ehrus, *Zur Vorgcschichte des Concils voit Vienne·.* ArchL'ttKirchMA 2 (1886) 369.395s; E.Muf.llEr, *Das Konsil von Vienne* (Munster 1934) 385; J.LKCI.ERC2, *Vienne (Concile de):* DTC 15,2977s.

c) Sunt *principia actuum* bonorum, in quibus haec vita exercetur.

d) Sunt a Deo *infusa* (Gal 5,5), utpote intime connexa cum nova vita a Christo allata fidelibus.

10. Probatur ex traditione. 1. *SS.Patres:*

a) Connumerant *fidem, spem, caritatem* (R 72 1216 1469 2324). S.Augustinus librum scripsit *Enchiridion de fide, spe et caritate,* quae sunt "illa tria per quae diximus colendum Deum" 11.

b) Haec dona intelligent *permanentia:* "In sanctorum cordibus Spiritus Sanctus iuxta quasdam virtutes semper permanet" (S.Gregorius M.: R 2324); "hoc [scilicet fidem, spem, caritatem], auferre non potest inimicus nisi volenti" (S.Augustinus: R 1469).

c) Haec dona accipiuntur a fidelibus, *dantur a Deo* (R 1216 1469).

11. 2. *In primaeva scholastica* habita est controversia de infusione virtutum in baptismo parvulorum. Quae controversia ex una parte supponebat doctrinam iam acquisitam de infusione virtutum in adultis, et ex alia parte clarius evolvebat conceptum virtutis, donec saec.XIII facta est communis sententia quae tenebat infusionem etiam pro parvulis.

3. *A saec.XIII* nulla datur dubitatio inter theologos de infusione harum virtutum, quae iam vocantur *theologicae* (cf. D 530). Denominatio virtutis theologicae non videtur apparere ante Magistrum Martinum et Stephanum Langton. Antea vocabantur *catholicae* (Petrus Cantor), *principales* (Rolandus), *praecipuae* secundum theologos (Petrus Pictaviensis), etc.12

12. Ratio theologica, *a)* Quia tendentia in finem supernaturalem peragenda erat actibus humanis, necessarium fuit ut essent in homine principia supernaturalia correspondentia; quae congruum est ut essent permanentia, cum pertineant ad quandam evolutionem vitae humanae.

b) Haec autem principia distingui debent a gratia sanctificante, quae est ad modum naturae et principii ultimi ac radicalis.

c) Potentiae vero humanae sic elevandae, sunt intellectus et voluntas. Ergo ad elevandum intellectum ponenda erat *fides.* Sed quia "ad appetitum duo pertinent, scilicet motus in

u *Enchiridion* 6,8: MI, 40,233.

° Cf. O.tomH, *Les Crémières définitions et classifications des vertus au Moyen Aoc·.* RevScPliTh 18 (1029) 374 tn nota.

finem et conformatio ad finem per amorem, duae aliae virtutes ponendae erant in voluntate, scilicet *spes* et *caritas*" (1.2 q.62 a.3).

PARS 2.ª: VIRTUTES MORALES

13. Adversarii. Scotus et *Scotistae* in genere, Durandus et Henricus Gandavensis, *Nominalistae* negant virtutes morales infusas[13]. Recenter adhuc P. De Vooght [14], et P. Lottin [15].

Valor theologicus. *Communior et probabilior.*

14. Probatur 1.° *a)* Haec sententia videtur conformior traditioni. Nam *SS.Patres* loquuntur de quatuor virtutibus cardinalibus (sic iam S.Ambrosius) [16] in connexione cum nova vita Christiana, quae supernaturalis est et ad finem supernaturalem perducit. Sic S.Hieronymus vocat eas quadrigam aurigae Christi et ornamentum animae[17]; S.Augustinus dicit eas nobis a Deo donari (R 1476), eisdem uti Christum habitantem in nobis per fidem (R 1849); Iulianus Pomerius appellat eas dona Dei, quae dantur iis qui ex fide vivunt[18]; S.Prosper contra Cassianum probat virtutes esse a Deo, nec inesse peccatoribus[19]; S.Gregorius M. eas simul cum virtutibus theologicis habet tanquam fundamentum totius aedificii spiritualis [20].

b) Tempore posteriore *controversia de infusione virtutum parvulis* videtur agere non solum de theologicis, sed etiam de moralibus; sic suadet textus Innocentii III, in quo sermo est de fide, caritate aliisque virtutibus (D 410), quae vox ad solam spem male applicaretur. Ceterum hoc tempore doctrina de virtutibus moralibus infusis ita habebatur certa et traditionalis, ut ne quidem disputaretur de ea[21].

c) Quae traditio bene cohaeret cum modo loquendi *S.Pauli* de virtutibus Christianorum (cf. Eph 6,14s; 2 Tim 1,7 etc.) et *S.Petri* (cf. 2 Petr 1,3-8), immo et Sap 8,7.

15. Probatur 2.° Eiusdem ordinis esse debet ordinatio ad finem et ad media. Sed ordinatio ad finem supernaturalem fit per virtutes infusas theologicas. Ergo etiam ordinatio ad

[13] Cf. Mastrium, *In 3* d.7 q.2.
[14] *Y a-t-il des vertus morales infuses?:* EphThLov 10 (1933) 232-242.
[15] *Principes de Morale* 2,220-225.
[16] *De Paradiso* 3,14,18: ML 14,280-282.
[17] *Epist.* 52,14: ML 22,538.
[18] *De vita contemplativa* 3,18,3: ML 59,507.
[19] *Contra Collatorem* 13: ML 51,247-251.
[20] *In Ezechielem* hom.10.17s: ML 76,1067-1069.
[21] Cf. O.Lottin, *Principes de Morale* 2,215

media oportet ut fiat per virtutes infusas morales (cf. 1.2 q.63 a.3)[22].

16. Objectiones. 1. Caritas sufficienter dirigit omnes actus humanos ad finem supernaturalem modo supernatural! obtinendum. Ergo non est necesse ponere alias virtutes morales infusas. Ergo non dantur.

Dist. antec. Et ita actus virtutum moralium possent absolute fieri, *conc. antec.;* possent fieri cum debita proportione exsistente in actu primo, *nego antec.*

Ordo autem supcrnaturalis exigit ut sit omni ex parte perfectus ad analogiam ordinis naturalis.

2. Gratia sanctificans elevat omnem nostrum actum bonum in finem supernaturalem. Ergo non requiruntur novae virtutes morales infusae.

Dist. antec. Elevat ultimo et radicaliter per modum naturae, *conc. antec.;* elevat proxime et immediate, *nego antec.*

Nota bene in his rcalitatibus supernaturalibus non quaeri quid *absolute* fieri potuisset, sed quid *dc facto* Deus *fecerit.*

17. Scholion 1. *De momento infusionis virtutum. a)* In hac rc alia certa sunt, alia disputata. *Certum est* caritatem nunquam infundi nisi simul cum infusione gratiae sanctificantis, cum inter haec duo dona intima detur et indissolubilis connexio, quae in natura caritatis fundatur. *Certum quoque est* virtutes morales non infundi ante gratiam, quia intime connectuntur cum caritate (1.2 q.65 a.1-3). *Certum denique est* parvulis omnes virtutes infundi simul cum gratia.

Disputatur tantum de prima infusione fidei et spei in adultis. Et quidem non agitur de adulto, qui iam semel iustificatus gratiam amisit et caritatem, non vero fidem et spem; sed de adulto qui nunquam justificatus est, ac proinde adhuc habet peccatum originale. Ille autem adultus ante justificationem debet facere actus supernaturales fidei ct spei (D 798). Similis casus habetur in adulto, qui fidem vel spem amisit, et denuo debet iustificari.

b) *Triplex* datur theologorum *sententia:*

1." Fides et spes infunduntur illi adulto ante ipsam iustificationem, cum actum fidei et spei elicit. Sic Caietanus, Medina, Suarez, Valentia, Tanner, Vâzquez, Salas, Coninck, Torres, Schiffini, Diekamp.

2." Fides et spes infunduntur semper in ipsa iustificatione, nunquam antea. Sic Magister Sententiarum, S.Thomas (1.2 q.64 a.4), S.Bonaventura, S.Albertus M., Scotus, Vega, Lugo, Ripalda, Mazzella, Lahousse, Pesch, Beraza, Billot, Lcnnerz, alii.

3.' Sententia est intermedia. Scilicet, quamvis generaliter sentiat cum auctoribus secundae sententiae, tamen admittit aliquam exceptionem, id est casum alicuius baptizat! cum obice, qui sine gratia recipit characterem simul cum habitibus fidei et spei. Sic Sotus, Aragon.

c) *Communior et probabilior est secunda sententia.* Quae valde commendatur verbis Conc. Tridentini s.6 c.7 (D 799s). Nam iuxta Tridentinum adultis in baptismo conferuntur simul gratia et virtutes. Atqui in sententia opposita hoc *nunquam* obtineret. Nam ante iusti-23

23 De tota liac quaestione vide O.I.OTT1N, *PsycholOffie ct Morale aux* XI7· *et XlII" siècles* 3 n.11.

ficationem debuerunt iam elicere, secundum ipsum Tridentinum (D 798), actus fidei et spei. Proinde in illo momento reciperent semper habitus. Ergo nunquam simul cum gratia in ipsa iustificatione".

18. Scholion 2. *De numero virtutum,* a) *Virtutes theologicae tres* connumerantur, ut ex tota traditione theologica in sacra Scriptura fundata, satis constat. Ex eadem traditione constare videtur esse *tantum tres* virtutes theologicas. Unde minus apte loquuntur recentiores quidam, qui religionem inter virtutes theologicas connumerant. Ratio autem est, quod religio non habet tanquam obiectum formale aut motivum aliquid incrcatum et divinum, sed aliquid creatum; scilicet honestatem quae relucet in dando Deo cultum debitum (cf. 2.2 q.81 a.5). A qua consideratione traditional! non est ratio cogens ut recedamus.

b) *Virtutes morales* plures sunt, sed apte reducuntur ad quatuor cardinales; quae non solum in philosophia gentilium, sed in sacra Scriptura (Sap 8,7) et in SS.Patribus et in theologia tota enumerantur. Quomodo autem intelligenda sit reductio aliarum virtutum ad has quatuor, explicat S.Thomas, 1.2 q.61 a.3 et in 2.2, cum de singulis virtutibus cardinalibus agit".

19. Scholion 3. *De facilitate ad actus supernaturales.* Virtutum naturalium proprium est, dare facilitatem ad operandum. Sed cum de virtutibus infusis agitur, communius tenent theologi has virtutes dare tantum posse, non vero facilius posse. Quod quidem ex ipsa experientia constare videtur.

Ex alia autem parte, *factum* etiam experientiae est, homines iustos veram habere et maiorem facilitatem ad exercendos actus supernaturales cum illos saepe exercuerunt. *Unde ergo illa facilitas oriturf*

Pro huius problematis solutione non una est theologorum sententia. *Alii* enim *tenent,* facilitatem illam explicari per auxilia divina transeuntia, quibus virtutum exercitium in dies iucundius et suavius redditur, ex speciali Dei providentia erga iustos. *Alii idem explicant* ideo quod Deus ex eadem speciali providentia non tam auxilia positiva confert, quam removet impedimenta virtutum. *Alii propugnant* generari in iustis, ex repetitione actuum supernaturalium, novum quondam habitum supernaturalem, qui dat illam facilitatem.

Probabilius dicendum zndetur, facilitatem illam oriri ex habitu naturali, qui in iustis generatur ex repetitione actuum supernaturalium. Sane actus a virtute infusa elicitus non solum est supernaturalis, sed etiam vitalis. Iam vero, in quantum vitalis nihil differt ab aliis actibus vitalibus qui sint naturales. Atqui actus vitales naturales habent vim effectivam ad generandum in potentia habitum facilitatis. Ergo eadem vis tribuenda quoque est actui vitali supernatural!. Actus ergo supernaturales, eliciti a virtute infusa, ex sua repetitione generant novum quandam habitum facilitatis. Hic tamen habitus non videtur esse supernaturalis, sed naturalis, cum oriatur ex actibus illis non ut supernaturales sunt, sed ut vitales.

Hac sententia posita, *bene* etiam *explicatur* quomodo, amissa per peccatum virtute infusa, remaneat acquisita facilitas ad actus eliciendos illius virtutis. Non enim amittitur habitus naturalis generatus ex repetitione actuum supernaturalium.

» Cf. Micjntl, *Vertu·.* DTC 15.278«s.
** Cf. O.Lottin, *Psychologie ct Morale any XI]· et XII]· siècle]* 3 ιι.Π.

Obicitur tamen contra praedictam solutionem: habitus generatus a repetitione actuum debet inclinare ad actus, qui habeant idem obiectum formale. Atqui actus supernaturales habent obiectum formale supernaturale. Ergo habitus generatus ab ipsis debet habere etiam obiectum supernaturale. Ergo debet esse supernaturalis, non naturalis. *Respondetur,* iuxta doctrinam postea tradendam, negando suppositum. Actus enim naturalis et supernaturalis, quamvis differant entitative, non tamen necessario differunt in obiecto formali ·.

20. Scholion 4. *De medio virtutum.* Definierat Aristoteles virtutem "habitum electivum in medietate exsistentem" ". Haec autem medii conceptio in virtutibus apparet etiam inter SS.Patres v.gr. in Ps.Basilio", et originem praebuit adagio: "in medio consistit virtus".

Dicitur ergo virtus medium efficere, non ideo quia ipsa necessario sit inter duo extrema vitiosa (hoc enim non semper contingit), sed ideo quia eius obiectum sit semper inter excessum et defectum in materia circa quam versatur virtus. Medium vero intelligitur non *medium rei* (quod tantum obtinet in iustitia), sed *medium rationis,* id est medium quod a recta ratione ponitur.

Sic omnes virtutes morales dicuntur consistere in medio, per conformitatcm ad rationem regulantem et mensurantem actus humanos.

Dixi virtutes morales; quia virtutes theologicae non consistunt in medio. Ratio vero est, quia in materia earum impossibile est peccare per excessum. Nec obiciatur in contrarium spes, in qua peccari possit per praesumptionem et per desperationem. Praesumptio enim non est excessus in sperando Muae Deus promisit, sed vitium in sperando quae non promisit. Sicut ergo de ratione virtutis moralis est medium, sic de ratione virtutis theologicae est adhaerere Deo super omnia (cf. 1.2 q.64)38.

21. Scholion 5. *De virtute formata et informi.* Virtus informis vel formata dicitur a theologis, prout non sit vel sit coniuncta cum caritate. Caritas est enim forma virtutum. Idque non ideo quia caritas eis tribuat esse virtutis aut esse virtutis supernaturalis, sed ideo quia tribuit eis vim faciendi actus meritorios vitae aeternae, actus earum ad finem ultimum supernaturalem ordinando. Qualis debeat esse haec ordinatio, disputatur a theologis. Non autem requiritur ordinatio actualis aut virtualis ita ut actus caritatis influat in actus aliarum virtutum, sed sufficit probabilius ordinatio habitualis. De hac quaestione cf. 2.2 q.23 a.8".31

" Cf. Bbraza, 178-196; Michel, Frrtu: DTC 15,2767s; LerchRr-Lakner 133ss. In contrarium MazzElla. *De virtutibus infusis* 72-37.

31 *Ethica ad Nicomaehum* 2,6.

" Ps.Basilius, *In Isaiam* 5,174: MG 30,410.

=» Cf. Beraza, 89-103.

20 Cf. Pesch, 632-650; Beraza, 1260-1278; V.Urmasowicz, *Dc formatione virtutum a caritatc seu de caritate qua forma virtutum! secundum doctrinam S.Thomae Aquinatis* (Vilnac 1931); E.van Roby, *De caritate forma virtutum:* EphThLov 1 (1924) 43-65; R.M.Schultes, *De caritate ut forma virtutum:* DivThom (Pi) 31 (1928) 5-28; J.Farces Ct M.V1LLER, *La charité chea les Pires:* DSpir 2,557-564.

CAPUT II

De augmento et diminutione virtutum infusarum

Thesis 2. Virtutes infusae augentur intrinsece.

S.Th., 1.2 q.66 a.1-2; Suarez, *De gratia* 11,8; Beraza, 111-130; Mazzella, 120-148.

22. Notiones. Augentur, scilicet fiunt intensiores, non enim agitur de quantitate, sed de qualitatibus.

Intrinsece. Duplex concipi potest augmentum virtutum:

a) *Extrinsecum,* seu externum: quo ipsa virtus non crescit, sed ad plura obiecta materialia extenditur (augmentum extensivum, seu ex parte obiecti), aut maiorem acquirit facilitatem et immobilitatem in agendo (augmentum perfectivum, seu ex parte subiecti).

b) *Intrinsecum,* seu internum (intensivum), seu ex parte virtutis: quo ipsa virtus crescit.

Defendimus ergo exsistentiam augmenti virtutum infusarum, et quidem augmenti intrinseci, nihil interim dicentes de natura huius augmenti.

23. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Tridentinum* s.6 c.10 (D 803) aequiparat augmentum iustitiae augmento fidei, spei et caritatis. Iustitia, de qua agitur, non est nisi iustificatio, de qua in c.7 (D 799s); unde etiam fides, spes, caritas intelligendae sunt virtutes, non actus.

Valor dogmaticus, *a)* Augmentum virtutum theologicarum *videtur de fide divina et catholica,* sicut diximus cum de exsistentia harum virtutum agebamus; eadem enim est ratio. Sunt tamen auctores, qui teneant illud esse tantum theologice certum.[1]

b) Augmentum esse intrinsecum, est *saltem theologice certum,* cum videantur aliter non posse salvari verba Concilii.

c) Idem valere de virtutibus moralibus, est *probabilius.*

24. Probatur ex sacra Scriptura. S.Paulus loquitur de augmento fidei (2 Cor 10,15), spei (Rom 15,13), caritatis (Phil 4,9). Atqui haec vix possunt intelligi de actibus, sed de ipsis virtutibus intelligenda sunt. Ergo virtutes augentur.

Min: Quia sermo est de aliqua dispositione permanente in progressu vitae spiritualis.

25. Probatur ex traditione. Loquuntur SS.Patres de progressu spirituali in virtutibus (R 955); describunt exordia

1 Cf. M.Viller, *Accroissement des vertus:* DSpir 1,137s.

virtutum, provectus, perfectionem (R 2328); dicunt unum alio esse sanctiorem (v.gr. S.Augustinus [2]); explicant in caelo multas esse mansiones, quae paratae sunt virtutibus (v.gr. S.Augustinus, S.Hieronymus [3]); affirmant sanctos semper crescere posse (v.gr. S.Prosper [4]).

26. Ratio theologica. Gratia sanctificans per bona opera crescere potest, et quidem intrinsece. Atqui eadem est ratio pro virtutibus infusis. Ergo virtutes infusae crescunt intrinsece.

Mai.: Sic v.gr. in Tridentino s.6 cn.24 (D 834)).

Min.: Virtutes dantur ad complementum gratiae tanquam principia proxima bonorum operum.

27. Scholion 1. *De natura augmenti in virtutibus.* Disputatur inter theologos quomodo crescant virtutes, ex diverso modo concipiendi augmentum habituum in metaphysica.

Alii tenent virtutes crescere per maiorem radicationem in subiecto. Virtutis enim, cum accidens sit, totum esse est inhaerere; unde eius augmentum erit maior inhacsio. Scilicet virtus reducit potentiam ad maiorem unitatem in operando, quae de se ad plures formas contrarias aperta erat; subicit ergo sibi potentiam, ipsam magis determinando ad actum bonum. Unde crescere in virtute est subiectum magis participare virtutis. Sic communiter thomistae.

Alii tenent virtutes crescere per additionem graduum. Scilicet ipsa virtus in sua essentia habet aliquam latitudinem, iuxta quam potest inhaerere aut secundum se totam aut secundum aliquam sui partem. Hae partes, utique qualitativae, vocantur gradus. Sic 'S.Bouaventura, Scotus et theologi S.I. communius.

Melius dicitur utramque solutionem non solum non opponi inter se, sed mutuo sese compleri, ut dixit Suarez [5].

28. Scholion 2. *De causa huius augmenti.* Hoc augmentum fit tum ex opere operato, tum ex opere operantis. Sed cum agitur de augmento ex opere operantis magna est *theologorum disputatio* ad illud explicai.dum.

Huius disputationis *causa* in eo sita esse videtur, quod actus virtutis dupliciter considerari possit relate ad eius augmentum: Primo, ratione meriti; actus enim meretur sicut augmentum gratiae, augmentum etiam ipsius virtutis. Secundo, ratione physicae dispositionis in subiccto efficiendae ad hoc ut nova forma (scilicet novus gradus virtutis) infundi possit.

Sunt ergo auctores, in quibus praevalet consideratio meriti, seu dispositionis moralis. Hi docent per quemlibet actum meritorium (sive intensior sit gradu virtutis praeexsistente sive remissior), augeri virtutem; et quidem tunc cum actus ponitur. Sic Suarez, Vâzquez, Tanner, Arriaga, Becanus, Ripalda, Mastrius, Van Noort, Pesch, Mazzella, Beraza, Lange et plures alii.

Alii auctores, in quibus praevalet consideratio dispositionis phy-

2 In *loannis Evangelium* 67,2: MI, 35,1812.
3 *etdversus lovinianum* 2,28: MI, 23,324.
4 *Epigramma 27:* MU 51,507.
5 *Disputationes Metaphysicae* 46 s.3 n.3. Plura de bis opinionibus apud Urrâbvru, *Ontologia* 947-952.

sicae, distinguunt duplicem seriem actuum: alios intensiores, alios remissos, relate ad virtutem quae in subiecto praeexsistit. Actus ergo intensior, inquiunt, semper producit augmentum virtutis tunc cum ponitur. Actus vero remissus, quamvis augmentum mereatur, illud tamen non obtinet de facto nisi cum actus alius intensior ponitur; tunc quidem novum augmentum virtutis debetur et actui intensiori et actibus remissis praecedentibus, duplici titulo. Ratio huius sententiae est, quia dispositio nequit esse minor quam forma ad quam disponit. Sic S.Thomas et thomistae communiter.

Sed iis ultimis auctoribus *manet adhuc quaestio solvenda.* Potest enim dari casus, in quo novus actus intensior non fiat, cum tamen plurimi actus remissi facti sint. Hi actus remissi meruerunt augmentum, quod ex defectu dispositionis physicae obtentum non est. Quando ergo obtinebitur? *Respondent alii* (Bâtiez, Sylvius, Contenson) augmentum hoc de facto non dari, gloriam autem respondentem ultimae caritati habere valorem praemii duplicis, et pro ipsa et pro illis actibus remissis. *Alii vero* (Io. a S.Thoma, Salmanticenses) putant fieri post mortem aliquem actum caritatis intensiorem quo dispositio necessaria ponatur; ita tamen ut actus ille sit tantum dispositivus, nequaquam meritorius.

Dicendum ergo videtur cum auctoribus prioris sententiae: *a)* virtutes infusas augeri per actus etiam remissiores gradu praeexsistente virtutis; *b)* hoc augmentum nullatenus differri, sed eo momento dari in quo actus remissior elicitur.

Probatur haec sententia quoad utrumque. *a)* Revera Conc. Tridentinum affirmat simpliciter, iustum "per observationem mandatorum" in iustitia crescere (D 803), nec aliam assignat condicionem augmenti nisi quod bona opera fiant ab ipso in unione cum gratia Christi (D 809), seu "per Dei gratiam et lesu Christi meritum" (D 842). Atqui haec omnia habentur etiam in operibus remissis iustorum. Ergo virtutes augentur etiam per actus remissos, *b)* Deus promisit augmentum gratiae et virtutum, si illa bona opera a iusto fiant. Atqui promissio divina condicionata debet impleri eo ipso quod condicio posita venificatur. Ergo posito actu bono, etiam remisso, augmentum illud statim obtinendum est.

Nota tandem, hoc virtutis augmentum non eo modo fieri, quod actus elicitus illud producat per quandam physicam efficientiam. Sed influxus ille actuum in augmentum virtutis intelligendus est per modum causalitatis moralis, et quidem per causalitatem meritoriam, ut satis constare videtur ex modo quo loquitur Tridentinum. Quod quidem meritum intelligimus meritum de condigno, non solum de congruo '.

29. Scholion 3. *De connexione inter augmentum virtutum et augmentum gratiae.* Non una est theologorum sententia.

Prima tenet, virtutes augeri simul cum gratia; ita ut crescente gratia crescant; illa vero non crescente aut etiam absente, non crescant. 'Sic Ripalda, Mazzella, Lahousse, Pesch, Beraza, Lennerz.

Secunda tenet, virtutes augeri simul cum gratia, si haec adest; ipsa vero absente, virtutes crescere per proprios actus. Sic Bâüez, Suarez, Valentia, Tanner, Coninck, Hurtado, Schiffini.

" Ct. Th.DSmak, *L'accroissement des vertus dan's saint Thomas et dans l'Ecole Thomiste'.* DSpir 1,138-156; F.de Lanversin, *Accroissement des vertus d'après Sudrez:* DSpir 1,156-166; Mazzella, 149-182.

Tertia tenet, virtutes fidei et spei augeri tantum per proprios actus. Sic Vitoria, Soto, Aragon, Vazquez, Torres.

Prima sententia videtur omnino probabilior et tenenda. Concilium enim Tridentinum videtur aequiparare augmentum justificationis augmento virtutum infusarum. Ergo crescente gratia, crescunt etiam virtutes; gratia vero non crescente, aut absente, nec virtutes crescere dicendae sunt '.

30. Scholion 4. *De diminutione virtutum.* Sicut distinximus in thesi augmentum intrinsecum et extrinsecum, ita similiter de diminutione virtutum loquendum est.

Diminutio extrinseca, seu impropria, est remissio facilitatis in operando et fervoris actualis virtutis. Hanc diminutionem dari, est factum experientiae. Causatur autem per peccata venialia; quia qui "consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subicere, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subiciat ordini ultimi finis" (1.2 q.88 a.3). Causatur etiam per cessationem ab exercitio actuum illius virtutis; cum facilitas illa, ex dictis, oriatur ab habitu naturali, habitus autem naturales semper diminuantur et etiam corrumpantur ex cessatione actuum (2.2 q.24 a.10; 1.2 q.53 a.3). Hinc est, quod ex una parte Patres et doctores ascetici hortentur fideles ut peccata venialia vitent, ne in mortalia labantur; et ex alia parte urgeant exercitium omnium virtutum, ut harum et caritatis perfectio obtineatur.

Diminutio intrinseca, seu propria, tunc habetur, cum ipsa intensitas habitus virtutis remittitur, vel tollitur augmentum internum ipsius. Haec quidem, ex suo conceptu, non repugnat. Causari autem nequit nisi a Deo, cum agatur de habitibus a solo Deo infusis; qui proinde a solo Deo pendent in esse, in augmento et in diminutione. Tota ergo quaestio ad hoc reducitur: utrum aliqua sit causa ex parte hominis, propter quam Deus habitum virtutis aliquando remissiorem faciat. Et sane causa unica esse potest peccatum hominis. Peccatum vero intelligi potest mortale et veniale. Atqui per neutrum Deus diminuit virtutes infusas. Non per peccatum mortale: per illud quidem caritas non minuitur, sed destruitur (sicut etiam virtutes morales infusae); fides vero et spes destruuntur etiam, si agatur de peccato, infidelitatis vel desperationis. Quaestio ergo unica esset haec: utrum propter alia peccata praeter infidelitatem et desperationem, minuat Deus habitus fidei et spei. Hoc autem non habetur. Si enim illa peccata minuere possent has virtutes, possent quoque eas destruere; cum interna perfectio illarum virtutum sit finita, adeoque per plura peccata ipsas diminuentia finem aliquando inveniret. Quod ultimum argumentum eodem modo valet de peccato veniali. Ergo nulla est in peccato ratio propter quam Deus habitus virtutum remissiores efficiat.

Et haec est communis et certa theologorum sententia, contra Dionysium Carthusianum aliter sentientem de venialibus'.

31. Scholion 5. *De duratione virtutum.* Quaestio de duratione virtutum diversimode solvitur, prout agatur de via vel de termino.

a) *In via.* Quia virtutes infusae producuntur immediate a solo Deo, ab Ipso solo destrui possunt. Ipse vero eas non destruet, nisi impedimentum ipsis ab homine ponatur. H°G autem impedimentum

1 Cf. Beraza, 123-130: LennErz, 639s.
• Cf. Lennerz, 642sst Ma3Zïj.i.a, 242-256,

est peccatum mortale; non tamen eodem modo pro singulis virtutibus.

Caritas amittitur per quodlibet peccatum mortale. Nam per quodlibet peccatum mortale amittitur gratia justificationis (D 808 837). Atqui cum hac gratia arctissime conjungitur caritas, ita ut simul semper stent et simul cadant. Ergo per quodlibct peccatum mortale amittitur caritas. Minor conceditur ab omnibus theologis, etsi naturam illius connexionis non omnes uno modo explicent. Nostra enim nunc non interest quaestio de reali distinctione aut indistinctione gratiae et caritatis, aut quaestio de possibili separatione unius ab alia per potentiam Dei absolutam, sed unice factum non separationis.

Virtutes morales infusae amittuntur etiam per quodlibet peccatum mortale quia similem connexionem habent cum gratia. Ratio illius connexionis in eo esse videtur, quod virtutes morales dentur tanquam media quibus homo in finem ultimum supernaturalem tendat; haec vero tendentia impossibilis est sine gratia et caritate. Cf. 1.2 q.65 a.2s.

Fides amittitur per peccatum infidelitatis, ut docetur a Tridentino (D 808); non tamen per quodlibct aliud peccatum mortale, ut ab eodem Concilio definitur (D 808 838). Compossibilis ergo est status peccati cum habitu fidei; qui habitus intelligi debet in Tridentino idem ipse habitus, qui aderat ante peccatum, quique "remanet" in peccatore °. Hinc ulterius quaeritur a Theologis, quaenam sit connexio habitus fidei cum gratia. Qua in re melius dicitur, connexionem gratiae cum omnibus virtutibus infusis, etiam cum fide et spe, esse ex natura rei. Exsistere tamen quandam specialem Dei ordinationem, secundum quam virtus fidei in peccatore remanet, nisi peccaverit peccato infidelitatis. Quod fit, ut manente in peccatore vitae supernaturalis germine, facilius iterum ad Deum convertatur. Similia, proportione servata, valent de spe.

Spes quoque non amittitur per quodlibet peccatum mortale. Quod ex paritate rationis cum fide communiter tenetur a theologis. Amittitur vero per peccatum desperationis, quod directe spei opponitur. Amittitur praeterea per peccatum infidelitatis, quia per ipsum deficit fides, quae spei necessarium fundamentum est. Utrum amittatur etiam per peccatum praesumptionis, disputatur a theologis, et melius negatur; praesumptio enim per se non opponitur directe spei, sed debito et ordinato sperandi modo '°.

b) *In termino.* Habitum caritatis manere in *beatis,* patet; vita enim caelestis est maxime vita caritatis. E contrario, habitum fidei in ipsis non manere, communissima fert theologorum sententia. Esset quippe inutilis, cum in actum prodire non posset, certo quoad obiectum principale, probabilius etiam quoad obiectum secundarium. Idem dicendum est de habitu spei, proprie dictae quae supponit obiectum bonum, absens, possibile, sed difficile. Quodsi quidam theologi opponant actus amoris concupiscentiae erga Deum a beatis elicitos, dicendum est actum spei non esse purum amorem concupiscentiae, sed desiderium fiduciale ut postea videbimus, illosque actus probabilius elici ab habitu caritatis'l.

In damnatis nulla manet virtus infusa, quae esset penitus inutilis. Omnes autem manent *in animabas purgatorio detentis*™.

» Cf. LennErz, 651.
Cf, Lennbhz, 646-660; Mazzeua. 183-241.
▮' Cf. A.Michel, *Gloria* PTC 4,1422ss.
12 Çf. Lennerz, 601-609,

CAPUT III

De donis Spiritus Sancti

Thesis 3. In adiutorium virtutum infunduntur quoque dona Spiritus Sancti, septem scilicet habitus, a virtutibus realiter distincti.

S.Th., 1.2 q.68; J.A. de Aldama, *Los dones del Espiritu Santo. Problcnïas y controversias en la actual tcologia dc los d-ones:* RevEspT 9 (1949) 3-30.

32. Dona Spiritus Sancti dicuntur *in genere* omnia dona creata, quae infunduntur in iustifiçatione. Sic v.gr. Conc. Tridentinum s.6 c.7 (D 799) loquitur de voluntaria susceptione gratiae et donorum[1]. Sed *in specie el proprie* vocantur dona Spiritus Sancti illa, quae sub nomine "spiritus" enumerat Isaias 11,2 loquendo de Christo. De his agimus in thesi, et affirmamus:

a) Exsistentiam donorum in fidelibus.
b) Entitatem eorum physicam et permanentem.
c) Numerum septenarium donorum.
d) Eorum distinctionem realem a virtutibus.

PARS 1.a: EXSISTUNT DONA SPIRITUS SANCTI IN FIDELIBUS

33. **Notiones.** In Fidelibus, scilicet in iis qui iustificati sunt, praescindendo nunc a momento in quo infundantur.

Exsistunt dona, scilicet tanquam aliquid saltem ratione distinctum a virtutibus.

Valor dogmaticus. Prout iacet, thesis dicenda est *de fide divina et catholica;* cum satis affirmetur in liturgia et in magisterio ordinario, ut videbimus.

34. **Probatur ex sacra Scriptura.** Is 11,2. In hoc textu agitur de Messia. Sed ab antiquitate christiana hic textus cum sanctificatione fidelium per Spiritum Septiformem coniungitur [5].

Dicitur ab aliquibus textum intelligi de fidelibus in sensu consequenti [8]; sed melius dicitur sic intelligi in sensu pleniori,

[1] Cf. J.A. de Aldama, *iHablô cl Concilio Tridcntino dc los dones del Espiritu Santo?:* EstEcI 20 (1946) 241-244.

[5] Cf. J. Tovzard, *Isaiac 11,2-3 et les dons du Saint-Sprit:* RevBihi 8 (1899) 249-266; A. Mitterer, *Dic sicbcn Gabon des hl.Gcistcs nach dor Vdterlchre:* ZkathTh 49 (1925) 529-566; K. SchluEtz, *Isaias 11,2 in dcr ersten vier christlichen Jahrhundcrtcn* (München 1923); J. de Blic, *Pour l'histoire des dons du Saint-Esprit avant saint Thomas:* RevAscMyst 22 (1946) 117-180, qui nimis negativus videtur.

[8] Cf. A. Vaccari, *Spiritus septiformis ey lstrio 11* VerDom 11 (1931) 133.

quatenus ex una parte ibi describitur abundantissima copia divitiarum supernaturalium quae adveniunt Messiae, sed ex alia parte constat ex Scriptura Messiam esse in vita supernaturali vitem palmitum et caput membrorum, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.

35. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* saepe loquuntur de "Spiritu septiformi", de "virtute septemplici S.Spiritus", de "septiformi munere", de "dono Spiritus septiformis", de "septiformi Spiritus gratia", de "hebdomada Spiritus Sancti", de "Sancti Spiritus virtute septemplicis gratiae" et similibus [4].

b) Haec doctrina SS.Patrum saeculis XII-XIII *a theologis* elaboratur, et intrat definitivo modo in theologiam per S.Thomam, S.Albertum M., S.Bonaventuram [5].

c) Sacra *Liturgia* saepe loquitur de "Spiritu septiformi" et de "sacro septenario", quod docet fideles ut petant a Deo.

d) *Catechismi* communiter loquuntur de septem donis Spiritus Sancti. Sic Catechismi S.Petri Canisii, S.Roberti Bellarmini, P.Ripalda, P.Astete, S.Pii X, Card.Gasparri et alia.

e) Leo XIII aperte docet exsistentiam donorum: "Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tanquam facultates agenti, opus plane est septenis illis, quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis" [6].

PARS 2.ª: DONA SUNT HABITUS

36. Notiones. Habitus intelligimus hic saltem lato sensu: id est, sunt entitates physicae non transeuntes, sicut actus, sed permanentes. Quod vero sint habitus stricto sensu, est optima explicatio theologica.

4 Cf. MxttkrEr. *l.c.;* C.van DiErdE, *Doctrina S.Augustini circa dona Spiritus Sancti cx textu Isaiae 11,3* CWoirzburg 1945); F.FAVetshoff, *Die Lehre Gregors des Grosscn über dic Gabon des hl.Geistes* (Münster 1940).

6 Cf. B.Lavaud, *Les dons du Saint-Esprit d'après Albert-le-Grand:* RevThom 36 (1931) 386-389; J.BonnEFOY, *Le Saint Esprit ct ses dons selon saint Bonaventure* (Paris 1929); I.OmaEciiEverrîa, *Teologfa mistica dc S.Buenaventura* (Obras de San Buenaventura, ed. B.A.C.) 4.29-41; O.Lottin, *Psychologie et Morale* 3.327-456. Dc S.Thoma vide quae infra citantur.

• *Encycl. "Divinum illud* »«««": ASS 29,654. Disputatur de valore huius documenti. Sine dubio non agitur de aliqua definitione ex cathedra, ut videtur supponere Paquet, *Disputationes theologicae. De reparatione* (Quebec 1921) 420s; sed neque agitur de aliquo documento mere paraenetico, ut inter alios tenet De Blic, *l.c.,* 179. Melius dicitur cum P.de Guibf.rt *(Les don's du Saint-Esprit. La question' théologique:* RevAscMyst 14 (1933] 14), encyclicam constituere verum exercitium magisterii ordinarii Summi Pontificis, cutn intendat "ut fides excitetur vigeatque ac pietas augeatur" (ASS 29.645).

Valor dogmaticus. *Certa in theologia.*

37. Probatur ex consensu theologorum. Quamvis in initiis scholasticae quaedam exstiterunt de hac re vacillationes, tamen ubi primum incepit elaboratio theologica donorum, habita sunt dona tanquam principia actuum, uno vel alio modo connexa cum virtutibus. Hoc autem non solum verum est in his qui distinctionem tantum rationis admittebant inter dona et virtutes, sed etiam in aliis, qui, distinctionem realem defendentes, investigabant praecipue formalem rationem huius distinctionis. Nec in hoc consensu theologorum excipiendus est Vâzquez, ut quidam dixerunt. Eius enim sententia tenet (et quidem dubitative), dona non esse habitus diversos ab habitibus virtutum, sed hos ipsos prout speciales actus eliciunt 7.

PARS 3.a: DONA SPIRITUS SANCTI SUNT SEPTEM

38. Notiones. Septem *dicimus* esse dona, nec plura nec pauciora.

Adversarii. Numerum septenarium non esse stricto sensu sumendum, affirmarunt plures theologi. Vel quia significat tantum plenitudinem (ut v.gr. A lapide, Estius 8,* alii); vel quia est tantum bonum schema ad omnes impulsus Spiritus Sancti comprehendendos (ut videtur sensisse De Guibert) 8; vel quia totus hic numerus septenarius fundatur in symbolisme numerico 10.

Valor theologicus. *Probabilior.*

39. Probatur. Numerus septenarius donorum *a)* fundatur in S.Scriptura, *b)* nequit intelligi ut merum schema pro apta classificatione, *c)* et stricto sensu accipi potest etiamsi significet plenitudinem. Ergo stricto sensu accipiendus est.

Antec.: a) Multum disputatum est de numero septenario *in Isaia* 11,2. Quamvis enim appareant in illo textu septem dona in versione septuagintavirali et in omnibus aliis, non tamen habentur nisi sex in textu masoretico, in quo repetitur bis *timor Dei*Xl. Problema iam positum est saec.XVI-XVII. Affirmatum quidem est numerum septenarium in SS.Patribus pendere unice a versione septuagintavirali, sine

’ *In 1.2* d.89 c.2.

8 AlapiDR, *In Isaiant IIt2;* Estius, *In 3* d.34,1.

v *Les dens du Saint-Esprit. La question théologique:* RevAscMyst 14 (1933) 15s.

De hoc symbolismo, cf. Schluetz, *l.c.,* 54-81. Numerum donorum adhiberi a SS.Patribus independênter et antecedenter ard hos symbolismos, constat ex Schlurtz, 157ss.

” Cf. Schluetz, 2-18.

ullo fundamento in textu originali hebraico[12]. Hoc ultimum dici nequit. Ecclesia enim syra, ut constat ex S.Ephraem et Aphraate[13], loquitur de numero septenario donorum; cum autem uteretur versione independente a septuagintavirali, concludendum est traditionem exstitisse aliquam, quae numerum septenarium coniungeret cum Isaia 11,2, quaeque esset independens ab illa versione graeca.

Hoc ergo posito, tentatae sunt variae explicationes ad inveniendum numerum septenarium etiam in hebraico. Sic pro aliquibus idem verbum hebraicum usurpabatur in duplici sensu, pro pietate scilicet et pro timore Dei (sic v.gr. Estius, Tanner, G.Alvarez; recenter Knabenbauer[14], alii). Pro aliis corrigendus esset textus masoreticus (sic Leo de Castro, et recenter Linder[15] et alii).

P. Vaccari, Patrum syrorum vestigia premens, solutionem quandam altius investigavit atque expolivit, quae valde commendari videtur. Supposito ex una parte facto, quod diximus, numerum scilicet septenarium traditionaliter coniungi cum textu Isaiae; et ex alia, inverosimile omnino esse, Prophetam, plenitudinem affirmare cupientem, sex tantum et non septem affirmasse dona (cum septenarius ad efferendam plenitudinem, praecipue sacram, solemnis sit in usu biblico); bene distinguuntur in Is 11,2, praeter tria paria donorum (sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis), donum illud quasi fundamentale quod initio exprimitur illis verbis: "requiescet super Eum Spiritus Domini". Fere sicut candelabrum sanctuarii *septem lampades* sustinens (numerus autem hic urgebatur valde), non erat nisi unus scapus unde ter bini rami procedebant. Cf. Ex 25,31-37; 37,17-23 ie.

Concludendum ergo est, numerum septenarium probabilius pertinere ad textum originalem Isaiae.

b) Numerus septenarius *non est aptum schema* classificationis, sicut decalogus pro mandatis divinis. Disparitas est maxima, cum in decalogo agatur de propositionibus logicis logice ordinandis et classificandis; sed in donis agitur de entitatibus physicis, realiter distinctis ac propriis nominibus designatis.

c) Quod numerus septenarius significet *plenitudinem*

33 Cf. Ceuppens, *De donis Spiritus Sancti apud Isaiam*. Ang 5 (1928) S87.
13 *Aphrahat's des persischen Weisen Hontilien* (trad. G.Bert), in TU 3,3-4. Cf. homil. par.8 pag.8: "...nisi Spiritus Dei, qui requiescet super Christum cum *septem* suis donis? Ut dicit Propheta Isaias..."
14 *Commentarius in Isaiam Prophetam* (Taris 1923) 301.
» In ZkathTh 57 (1933) 444s.
w A.Vaccari, *Spiritus septiformis ex Isaia 11,2:* VerDom 11 (1931) 131 133.

non obstat. Plenitudo enim haec dupliciter intelligi potest: vel ita ut "septem dona" significent omnia dona quin aliquid intelligatur dici de numero ipso, vel ita ut "septem dona" significent omnia dona quae exsistunt, quasi ad illa septem capita quaecumque possent concipi Spiritus Sancti dona reducantur. Sic dici potest septem sacramenta continere plenitudinem gratiarum quae Deus confert ex opere operato, quin negetur strictus numerus septenarius sacramentorum.

S.Thomas exponit numerum donorum in 1.2 q.68 a.4[37].

PARS 4?: DONA REALITER DIFFERUNT A VIRTUTIBUS

40. Notiones. Problema dc distinctione donorum a virtutibus est classicum in theologia donorum. Haec fere est historia sententiarum:

a) Saec.XII praevalet distinctio rationis. Sic Hugo a S.Victore, ut videtur, Magister Sententiarum, Gandulphus Bononiensis, Petrus Pictaviensis, Praepositinus, Godofridus Pictaviensis, Gulielmus Parisiensis. Affirmatur autem distinctio realis a *Summa Sententiarum,* Ioannb Saeisburiensi, Stephano Langton, et maxime a Philippo Cancellario [38].

b) Saec.XIII-XIV omnino praevalet realis distinctio in *Summa* Alexandri Halensis, S.Alberto M., S.Bonaventura, S.Thoma, Henrico Gandavensi, Richardo a Mediavilla, etc. Sed S'Uotus iterum defendit distinctionem rationis; Durandus autem putat distinctionem realcm non sufficienter probari. Eandem distinctionem negant postea *Nominales*™.

c) Saec.XVI-XVH quaestio haec disputatur a theologis, negantibus realem distinctionem *Scotistis* et aliis nonnullis, eam vero affirmante longe maiore theologorum numero[20].

d) Recenter tenent distinctionem realem Beraza, Lange, Lercher, Muncunill, Billot, Van der Meersch et plures[?0]

37 Cf. etiam IoannEs a S.Thoma, *In 1.2* d.18 a.7 n.I-XXIX.

" Cf? Lottin, *Les dons du Saint-Esprit ches les théologiens depiris P.Lombard jusqu'à Saini Thomas d'Aquin:* RcchThAncMéd 1 (1929) 41-97; *Les classifications des dons du Saint-Esprit au XII· et au XIII· siècles:* RcvAscMyst 11 (1930) 269-285; M.CaliEro, *1 doni dello Spirito Santo secondo San Bernardo:* DivThom (Pi) 57-59 (1944-46) 267-290.

10 Cf. K.BoEckl, *Die sieben Gabon des hl.Geistes in Hirer Bcdeutung fur die Mystik nach der Théologie des 13 und 14. Jahrhunderts* (Freiburg 1931); Th.Abril, *Die Gabcn des hl.Geistes in der Mystik des Johannes Taulers:* ZAscMyst 2 (1927) 254-264. Vide etiam quae in nota 5 citata sunt. Pro S.Thoma, cf, O.Lottin, *Psychologie et Morale aux XII· et XIII· siècles* 3 n.16; P.OlcesE, *De donis Sancti Spiritus iuxta mentem Aquinatis* (Genova 1904); LUdE, *De organismo septem' donorum Spiritus Sancti secundum mentem S.Thomae:* ViencTom 38 (1928,11) 289-299.

at' Cf. J.A.dr Aldama, *La distinciôn entre las virtudes y doues del Espiritu Santo en los siglos XVI y XVII:* Greg 16 (1935) 562-576,

alii 21; eam vero negant nonnulli, inter quos Pesch, Lottin, alii [22].

41. Valor theologicus. *Communior et probabilior.*

Probatur. Si attendatur primaeva traditio theologica dona superadduntur virtutibus ad earum imperfectionem superandam. Atqui hoc probat dona esse distincta realiter a virtutibus. Ergo dona realiter differunt a virtutibus.

Mai.: In traditione theologica usque ad S.Thomam datur constans progressus in formulis, quibus theologi conantur explicare relationem inter dona et virtutes:

1) Dona dantur *in adiutorium virtutum.*

2) Adiutorium, quod praestant dona virtutibus, in eo est, quod dona dantur *ad actus altiores.*

3) Actus donorum altiores sunt actibus virtutum, *ratione modi* quo fiunt.

4) Modus est diversus ideo quia dona perficiunt ad agendum *ultra modum humanum.*

5) Modus autem suprahumanus in eo est, quod per dona homo fit *prompte mobilis* ab inspiratione divina [23].

Haec autem ultima formula, quae a S.Thoma introducitur, ita mansit in theologia uno vel alio modo, ut ab ipso Leone XIII usurpetur: "Horum [donorum] beneficio instruitur animus et munitur, ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur" [24].

Iam vero in his omnibus apparet conatus supplendi per dona quod in virtutibus imperfectum est [25].

42. Scholion 1. *De effectu formali donorum.* Cum dicitur homo per dona fieri docilis ut ab Spiritu Sancto agatur, non intelligitur sola actio Spiritus Sancti, sed Ipsius regulatio actuum humanorum. Horum enim regula est ratio, quae per supernaturalem prudentiam perficitur ut possit esse norma actionum in ordine supernaturali. Ut autem vires appetitivae dociles fiant huic dictamini ra-

21 Cf. Beraza, *De gratia* 916-922; H.Lange, *De gratia* 460; L.Lercher, *Institutiones theologiae dogmaticae* 1.ª ed., 4,149; 2.ª ed., 4,177; J.Muncunill, *De gratia* 746s; L.Billot, *De virtutibus infusis* 185; J.van der Meersch, *Tractatus de divina gratia* 249.

22 Cf. Pesch, *Praelectiones dogmaticae* 8,114; O.Lottin, *Principes de Morale* 2.236-240.

23 Pro explicatione formulae S.Thomae, cf. J.de Guibert, *Dons du Saint-Esprit et mode d'agir "ultra humain" d'après Saint Thomas:* RevAscMyst 3 (1922) 394-411, denuo editus in *Les doublets de Saint Thomas d'Aquin* (Paris 1926) 1001-25; in contrarium R.Garrigou-Lagrange. *Le mode suprahumain des dons du Saint-Esprit:* VieSpir 8 (1922) 124-136, denuo editus in *Perfection chrétienne et contemplation* 2,45-67. Vida etiam Gabriel de S.M. Magdalena, *Le "double mode" des dons du Saint-Esprit:* EtCarm 19 (1934) 215-232. Nunc novam investigationem formularum S.Thomae instituit A.San Cristóbal-Sebastián. *Las dos exposiciones de Santo Tomás de Aquino acerca de los dones del Espíritu Santo:* RevEspT 12 (1952) 339-371.

24 *Encycl. "Divinum illud munus":* ASS 29,654.

25 Pro explicatione harum imperfectionum, cf. I.Menéndez-Reigada, *Necesidad de los dones del Espíritu Santo:* CiencTom 59 (1940) 262-284.

tionis, perficiuntur supernaturaliter a virtutibus moralibus (non intellectualibus). Sed praeterea datur in ordine supernatural! altior regula nostrorum actuum, quae est Spiritus Sanctus inhabitans, cui coniungimur per virtutes theologicas maxime vero per caritatem. Ut ergo omnes vires animae, appetitivae et rationales, huic altiori regulae prompte obcdiant (non transitorio sed permanenti modo), ponuntur novi habitus, scilicet dona Spiritus Sancti.

Hinc etiam patet dona esse quidem habitus operatives in oppositione ad habitus entitativos, quia perficiunt facultates immediate in ordine ad operationem; habere tamen potius quandam rationem passivitatis, in quantum facultates reddunt magis accommodatas ad actionem superiorem Spiritus Sancti. Cf. 1.2 q.68 a.8.

43. Scholion 2. *De momento infusionis donorum.* Dona connectuntur cum caritate ac proinde infunduntur in ipsa iustificatione. Nec ab hac S.Thomae (1.2 q.68 a.5) et omnium theologorum sententia recedendum est ideo quia in confirmatione invocetur expresse Spiritus septiformis supra confirmandos. Hoc enim saepe alias habetur in Liturgia, v.gr. in ordinatione presbyteri, immo etiam subdiaconi

44. Scholion 3. *De necessitate donorum.* Dona esse necessaria ut organismus supernaturalis perfectus sit, patet eo ipso quod eorum exsistentia probata est. Disputatur vero a theologis, utrum actuatio donorum necessaria sit in omni actu meritorio, occasione textus S.Thomae in 1.2 q.68 a.2 1. In qua re melius dicitur, actuationem donorum non esse necessariam in omni actu bono, sed tantum in actibus perfectis

45. Scholion 4. *De particulari relatione inter singula dona et virtutes.* Diximus, cum traditional! theologorum doctrina, dona infundi ad tollendam connaturalem virtutum, etiam supernaturalium, imperfectionem. Hinc est quod singula dona pro singulis virtutibus dentur. S.Thomas hanc relationem ita explicat:

1) Virtuti *fidei* correspondent donum *intellectus* et donum *scientiae* (2.2 q.8 et 9).
2) Virtuti *spei* correspondet donum *timoris* (2.2 q.19).
3) Virtuti *caritatis* correspondet donum *sapientiae* (2.2 q.45).
4) Virtuti *prudentiae* correspondet donum *consilii* (2.2 q.52).
5) Virtuti *iustitiae* correspondet donum *pietatis* (2.2 q.121).
6) Virtuti *fortitudinis* correspondet donum *fortitudinis* (2.2 q.139).
7) Virtuti *temperantiae* nullum apponit donum correspondens in 2.2; vide tamen 1.2 q.68 a.4.

Cf. J.B.UmbKkc, *Confirmatione baptismus perficitur:* EldiThLov 1 (1924) 514-517, qui putat dona Spiritus Sancti non in baptismo, sed in confirmatione infundi.

31 Cf. Garoeii., *Dons du Saint-Esprit:* DTC 4,1779s; I.MenîndBz-Reicada, *Ncccsidad de los dories del Espiritu Santo:* CicncTom 59 (1940) 257-284,505-528: 60 (1941) 5.34; A.Gazzana, *Sulla ncccssità dei dont dello Spirito Sonto per tutti gli atti sopranaturali del giusto:* Greg 22 (1941) 215-230; M.Ferrero, *Naturalisa dc los doncs:* RevEspT 5 (1945) 582-590.

38 De singulis donis breviter Lercuer-LaknEr, 4,1,179.

LIBER II

De fide

Quae de virtute fidei speciatim tractanda sunt, ex his quae de actu fidei tractabimus sufficienter patebunt. Ad ipsum vero actum theologice investigandum, sequemur maxime Conc.Vaticanum s.3 c.3, in quo, etsi non omnia contineantur, quae ad tractatum theologicum plenum pertinent, praecipua certe sunt, quae ex aliis documentis Ecclesiae suis in locis complebimus.

CAPUT I

De natura actus fidei

46. Praecipuum elementum ad describendam naturam actus fidei ponitur a Concilio *assensus propter auctoritatem Dei revelantis.* Quod quidem elementum essentiale ex una parte supponit actum esse intellectualem, sicut Ecclesia catholica semper tenuit, et ex alia plura involvit *consectaria* pro determinanda melius natura ipsius fidei. Sed quia actus fidei est in ordine tendentiae nostrae in finem supernaturalem, non potest non esse *supernaturalis.* Hinc via patebit ad analysim actus fidei instituendam.

ARTICULUS I

Assensus propter auctoritatem

Thesis 4. Actus fidei est actus intellectus assentientis.

S.Th., 2.2 q.4 a.1-2; q.2 a.1; EsssCTz, lOfi-116.141-143; Pssch, 124-135.

47. Notiones. Actus fidei, ut videbimus, est actus psychologice complexus, in quo suas habent partes et intellectus et voluntas. Affirmamus ergo in thesi hunc actum *elici* ab intellectu, id est a facultate superiore cognoscitiva (non a vo-

luntate, neque a quodam sensu religioso); praescindendo nunc ab ulteriore quaestione de possibili influxu aliarum facultatum in positionem huius actus intellectualis. De facto ille actus, elicitus ab intellectu, essentialiter imperari debet a voluntate libera.

48. Intellectus assentientis. Intellectus dupliciter tendit in verum. *Primo modo* apprehendendo verum, sive haec apprehensio sit simplex (si obiectum eius est una tantum idea), sive sit iudicativa seu comparativa (si eius obiectum sunt duae ideae, quarum identitas vel diversitas perspicitur). *Secundo modo* assentiendo seu affirmando conformitatem vel difformitatem inter obiectum et praedicatum. Dicimus ergo actum fidei non esse formaliter actum apprehendendi aut perspiciendi aliquam veritatem, sed actum indicandi illam esse veram (postquam, ut patet, terminorum praecessit apprehensio).

49. Fides, de qua agimus, est illa fides, cui in revelatione tribuitur iustificatio; non quidem ipsi soli, sed prout est fundamentum et radix totius vitae religiosae supernaturalis. Negandum enim non est, in fontibus revelationis vocem *fides* usurpari etiam in aliis sensibus; v.gr. pro fide miraculorum (Mt 17,20), vel pro conscientia (Rom 14,22) etc.

50. Adversarii. 1. *Protestantes.* Tres periodi distinguendae sunt in evolutione protestantica conceptus fidei:

a) *Protestantes veteres.* Pro ipsis iustificatio non est nisi subiectiva fiducialis appropriatio, quam homo sibi facit iustitiae Christi. Hanc vocabant fidem fiducialem et specialem. Est fiducia (proinde procedit a voluntate), non assensus. In ipsa, quae est personalis et intenna quaedam experientia religiosa, invenitur radix cognitionum religiosarum; sic assensus datur quidem in religione, sed sequitur fiduciam, quae unica est fides iustificans.

b) *Protestantes posteriores.* Schleiermacher (f 1834) posuit fidem esse religiosum quendam sensum dependentiae erga Deitatem. Rischl (f 1889) vero, apprehensionem quamdam realitatis extramundanae, ortam ex intima subiectiva experientia Christi. Hi auctores maximum influxum exercuerunt usque ad nostra tempora.

c) *Schola Theologiae Dialecticae,* a K.BarTh nostris diebus fundata, intendit sese opponere "experientiae religiosae", sicque redire ad primaevum protestantismum, quem unice orthodoxum agnoscit. Deus semper manet ignotus, cum verba

nostra et conceptus nequeant exprimere "Verbum Dei". Ideo fidem definit "reverentiam ante incognitum Dei"

51. 2. *Modernistae.* Fides est *sensus* quidam intimus, qui ex indigentia divini oritur in nobis. Haec indigentia divini latet in subconscientia; ipsa autem coram Incognoscibili, nullo praecedente iudicio, commovet peculiarem sensum, qui hominem quodammodo cum Deo coniungit. Haec est fides. Quae deinde debet *cogitari* (et tunc subintrat elementum intellectuale); quia per fidem Deus se sistit homini confuse; unde homo debet postea analysim facere, ut clare exsurgat Deus 23

3. *Antiintellectualistae* hodierni negant relationem maxime vitalem et personalem, qualis est adhaesio hominis in Deum per fidem, posse valide exprimi per formulas abstractas, nec admittunt sensum religiosum invenire umquam posse genuinam expressionem in categoriis intellectualibus quae ab Ecclesiae auctoritate in definitionibus dogmaticis imponantur. Similiter sentiunt *Exsistentialistae* non pauci, qui praeterea, tenentes realitatem omnem ipsamque humanitatem esse in evolutione perpetua, acriter repugnant conceptioni immutabili veritatum quibus adhaerere teneamus.

52. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Tridentinum* s.6 c.6 (D 798). Actus fidei ibi descriptus (qui sine dubio est actus fidei justificantis) versatur circa vera et revelata, quae affirmat; praeterea antecedit motum fiducialem voluntatis. In cn.12 (D 822) expresse damnatur fides fiducialis protestantiums.

Conc. Vaticanum s.3 c.3 (D 1789 1792). Etiam ibi actus fidei versatur circa verum, quod affirmat. Eodem modo in cn.2 (D 1811) et in cn.5 (D 1814), ubi vocatur assensus. Iuxta c.4 (D 1795), pertinet ad ordinem cognitionis sive in principio, sive in obiecto; in quibus comparatur rationi4.

S.Pius X in *Encyclica "Pascendi"* (D 2078) damnat doctrinam sensus religiosi. In *Iuramento antimodernistico* (D 2145) docet praeterea fidem esse assensum intellectus.

Valor dogmaticus. Fidem esse actum intellectus, est *de fide divina et catholica definitum;* esse assensum intellectualem, est *saltem implicite definitum.*

1 Cf. A.Landgraf, *Glaube:* I/ΓK 4,525-527; L.MalBvez, *Théologie dialectique, théologie catholique et théologie naturelle:* RechScRel 28 (1938) 385-429.527-569; G.RapEau, *Bulletin de théologie protestante allemande:* RcvScPhTh *26* (1937) 140-167.

2 Pro Modernisais, cf. *Encycl. "Pascendi"* (D 2071s). Pro aliis, R.Aubert, *Questioni attuali intorno all'atto di fede:* Problemi e orientamenti di Teologia Dotnmatica 2,673-675.

3 Cf. R.Aubert, *Le problém'e de l'acte de foi* 73-87.

‹ Cf. Aubert, 157-176.185-191.

53. Probatur ex sacra Scriptura. Nolandum est "credere" in Scriptura saepissime continere ideam cuiusdam totalis adhaesionis Deo revelanti. Sed haec adhaesio est verus assensus, cui adiumgitur animae devotio 5. Unde unum alii nullo modo opponitur.

Apud *S.Ioannem* fides justificans habet tanquam obiectum facta, vel id quod revelatum est, vel id quod praedicatum est (non solum promissa), cui obiecto est adhaerendum. Atqui talis fides est actus intellectus assentientis. Ergo fides est actus intellectus assentientis.

Mai.: Obiectum fidei est divina origo Christi et missionis Eius (16,27; 17,8), messianitatis Christi (1,49s), messianitas et filiatio divina (20,31 ; 8,24ss), attributa Christi (20,25.29), verba Christi (3,1 lss; 5,38; 6,68s; 8,45). Ergo fides habet tanquam obiectum facta et dicta revelata et praedicata.

Min. patet, quia facultas quae versatur circa verum affirmandum est intellectus prout assentiens.

54. *Ex loco classico Hebr* 11,1 °, *a)* Contextus: Pars epistolae paraenetica (10,19-13,17) tota agit de fide et perseverantia. Motiva autem huius perseverantiae in fide haec sunt: Mediator (10,19-25), poenae vitandae (10,26-31), praemia merenda (10,32-39), eximia maiorum exempla (c.1 1). Unde exhortatio ad patientiam propter exemplum Christi (12,1-3), et ad alias virtutes (12,4-13,17). Epilogus (13,18-25). In hoc ergo idearum complexu, contextus immediatus talis est:

Recordamini diei vestrae illuminationis... (10,32-35) et remunerationum (v.35).

Quae quia adhuc non adsunt, sustinete in patientia (v.36); veniet enim Dominus ad remunerandum (v.37).

Interea vita vestra debet esse vita fidei, qua iustus vivit (v.38).

Quod (si iustus), si vos, ex metu et timore fidem deseritis, Deus non approbabit vos, seu non complacebit sibi in vobis (v.38).

e Cf. J.Huby, *La connaissance de foi dans S.Jean:* RechScRel 21 (1931) 385-421; denuo editur in *Le discours de Jésus après la Cène* (Paris 1932) 146-191; F.PraT, *La théologie de Saint Paul*l2 536-544. Dc frde N.Testamento, cf. etiam A.Merk, *Iustus cx fide vivit:* VerDom 3 (1923) 193-198.231-237.257-264; A.Decourtay, *I.a conception johannique dc la foi:* NouvRcvTh 81 (1959) 561-576; O.Kuss, *Dcr Glaube nach den paulinischcn Hauptbriefen:* ThGl 46 (1956) 1-26; necnon plures tractationes in *Lumière et Pie* 22 (1955).
• Cf. F.Prat, *La théologie de Saint Paul* 1,460-463; J.M.Bover, *Tcologla de San Pablo* (Madrid B.A.C., 1946) 841-851; M.A.Mathis, *The pauline* πιστι - ὑπόστ^σi *according to Hebr 11,1* (Washington 1920), de quo ultimo libro vide Bibl 2 (1921) 252-255; 3 (1922) 79-89. De textu S.Pauli ad Hebraeos, cf. S.Thomam, 2.2 q.4 a.1, et M.M.Schumpp^ *Der Glaubcnsbcgriff dos Hcbraerbriefcs und seine Deutung durch den hl.Thomas von Aquin:* DivTh(Fr) 11 (1933) 397-410, Vide tandem Zoreli., *Hovi Testamenti Lexicon graccum* ad verb<r textus,

Ideo non debetis fidem deserere, sed ex fide vivere (v.39).

Haec ergo fides, qua vivere debetis ut placeatis Deo, est... (11,1).

b) Textus potest legi dupliciter, etsi sensus semper est idem:

ἐλπιζομένων ὑπόστασι πραγμάτων—ἐλεγχο οὐ βλεπομένων
ἐλπιζομένων ὑπόστασι —πραγμάτων ἐλεγχο οὐ βλεπομένων

Datur parallelismus inter:

ἐλπιζομένων et οὐ βλεπομένων ex Una parte:
ὑπ^στασ' et ἐλεγχο ex alia.

Tη prima agitur de rebus quae sperantur (quae nondum habentur) et quae non videntur (quae supernaturalia sunt). In secunda ἐλεγχο clare significat argumentum, probationem, vel actum probandi; quae omnia ad intellectum pertinent. Hinc ὑπόστασι ex parallelismo eundem sensum intellectualem habet, qui ex sola voce certo convinci non posset. Etymologice enim significat substantiam, seu fundamentum; hinc realitatem, obiectum; unde etiam firmam fiduciam, convictionem.

Unde fides est:

rerum, quae sperantur, realitas:

scilicet per ipsam fit in nobis exsistens id quod adhuc non exsistit in re (sic maxime PP.Graeci);

rerum quae non videntur, probatio:

scilicet per ipsam ea pro veris et certis demonstrantur, qua alioquin sensu et ratione cognosci nequeunt.

c) Argumentum: in hac definitione agitur de fide necessaria ad salutem. Atqui describitur tanquam actus intellectualis. Ergo fides est actus intellectus.

Mai: cf. 10,36.39; 11,6...

Min.: ex analyst facta verborum in parallelismo; praeterea ex contextu subsequent!, nam in toto capite 11 agitur de fide intellectuali (3,6.7), cui aliquando adiungitur spes (v.ll) ratione obiecti crediti.

55. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres:* iuxta ipsos fides est "animae liberae rationalis assensio" (R 421), "dogmatica assensio animae" (R 820), "sustentaculum inevidentiae earum rerum quae sperantur" (R 1057), "visio eorum quae non videntur", quae deducit ad eam persuasionem quam habent ea quae videntur (R 1223), "cum assensione cogitare" (R 1980), "voluntaria animae assensio, vel latentis rei contemplatio, vel m id, quod vere est, defixa cogitatio et compre-

hensio invisibilium" (R 2144). Similiter exponunt et explicant veritates, quae obiectum fidei sunt.

b) *In primaeva Scholastica:* ab Abaei.ardo fides definitur: "existimatio rerum non apparentium"'. Ab Hugone A S.Victore: voluntaria "certitudo animi de rebus absentibus supra rationem et infra scientiam constituta"'8.* Ex 'nota quadam marginali Magistri Sententiarum introducta est in Scholastica definitio citata S.Augustini: "credere est cum assensione cogitare". Deinde tam definitio Nugonis quam definitio augustiniana explicantur a magnis scholasticis '. Proprium autem S.Thomae fuit, fidem introducere in conceptione aristotelica diversorum statuum mentis 10.

56. Obiectiones. 1. Actns fidei est meritorius. Atqui actus meritorius non est nisi a voluntate. Ergo actus fidei est a voluntate.

Conc. mai. Dist. min. A voluntate vel eliciente vel imperante actum, *conc. min.;* tantum a voluntate eliciente actum, *nego min. Pariter dist. cons.* Ergo actus fidei est a voluntate imperante, *conc. cons.;* a voluntate eliciente, *nego cons.*

2. Tribuere intellectui actum fidei est facere vivisectionem in vita religiosa. Ergo ei tribuendus non est.

Dist. antec. Tribuere soli intellectui, *trans, antec.;* tribuere intellectui ut elicienti assensum et simul voluntati ut imperanti, *nego antec.*

Thesis 5. Actus fidei est assensus propter auctoritatem Dei revelantis.

S.Th., 2.2 q.1 a.1; LensErz, 117-140; PtsCH, 196-230; Beraza, 468-508.

57. Nexus. Cum actus fidei sit aliquis assensus intellectualis, quaerimus quid specificet illum inter varios assensus intellectuales. Formula theseos duo continet; actus enim fidei primum est aliqua tendentia intellectualis, quae dicitur *credere* (et ut talis, motivum specificans est *auctoritas loquentis,* seu auctoritas testis): sed praeterea actus fidei non est quaecumque fides, sed fides *divina* (et ut talis, motivum est auctoritas *Dei* loquentis).

58. Notiones. Propter est particula denotans *motivum,* seu id quod intellectum movet, seu determinat, ad assensum. Motivum autem movet prius cognitum. Determinamus ergo nunc motivum actus fidei, praecise et formaliter sumpti; non

7 *Introductio in theologianf* 1,1: ML 178,981.
• *De sacramenlis* 1,10,2: ML 176.330.
• Cf. S.Ai.bertüs M.. *In 3* <1.23 a.8; S.BonavTntura, *In 3* d.23 a.2 q.2; S.Thomas, *In 3* d.23 q.2 a.1 a.8; *2.2* q.2 a.1; *De veritate* q.14 a.1-2.
w Cf. M.D.ChKnü. *La psychologie de la foi dans la théologie du XIII· siècle:* Etudes d'Histoire Littéraire et Doctrinale du XIII· siècle 2 (1932) 163-191.

motiva remota voluntatis imperantis assensum, aut judiciorum credibilitatis et credenditatis.

Assensus propter auctoritatem (loquentis). In hoc differt quaelibet fides ab scientia. Scilicet motivum assensus potest esse duplex: *evidentia rei* (et tunc datur scientia), et *testimonium loquentis* (et tunc datur fides). Dicimus ergo in fide intellectum moveri ad assentiendum ex cognita auctoritate illius qui attestatur veritatem, seu ex auctoritate testis. Dicitur *auctoritas testis* vis quaedam moralis in teste residens, propter quam est fide dignus; quae generatim in eo est quod sciat quae loquitur (sit sciens) et loquatur quod scit (sit verax).

Auctoritas Dei revelantis. In hoc formaliter differt fides divina a qualibet alia fide. Sicut ergo non datur fides humana sine locutione testis humani, sic nec fides divina esse potest sine locutione Dei stricte dicta, id est sine revelatione.

59. Adversarii. *Rationalistae,* qui de fide religiosa loquuntur, sed eam intelligunt rationalem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium.

Semirationalistae, qui fidem dicunt omnem persuasionem de Deo et rebus divinis, etiamsi oriatur ex perspecto intrinseco nexu idearum. Immo ipsam cognitionem naturalem exsistentiae Dei vocant fidem sensu sublimissimo[1].

60. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Vaticanum* s.3 c.3 (D 17889) et cn.2 (D 181 D. Intendit Concilium definire veritatem catholicam contra rationalistas ct semirationalistas, quod attinet notionem ipsam fidei. Docet ergo scientiam religiosam et fidem proprie dictam differre essentialiter. Differre autem in motivo ("propter"). Motivum enim scientiae est intrinseca rerum veritas naturali rationis lumine perspecta; motivum vero fidei est auctoritas Dei revelantis[2].

Juramentum antimodernisticum idem docet: propter Dei auctoritatem summe veracis (D 2145).

61. Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita,* tum quoad differentiam essentialem inter fidem et scientiam, tum quoad determinationem motivi pro fide.

62. Probatur ex sacra Scriptura. Io 3,lis. *a)* Contextus: Nicodemus imperfecta praeparatione, quamvis quadam bona voluntate, venit ad lesum, putans se satis facere si aliquam de Ipso faciat confessionem sine pleno sui obsequio (v.ls). lesus vult ipsum ad plenum obsequium perducere. Ad

' Cf. CL 7,527.
3 Cf. Aubert, 162-164.

hoc ostendit ei non sufficere quae adhuc fecit, sed aliquid maius requiri (scilicet fidem). Quod ut assequatur, proponit ei mysterium nostrae regenerationis (v.3). Hoc autem mysterium in sua ipsa propositione male capitur a Nicodemo (v.4). Hinc lesus iterum proponit illud clarioribus verbis, ne remaneat ambiguitas (v.5-8). Ante talem mysterii propositionem (supposita credibilitate, de qua in v.2), unicus rectus modus procedendi est *fides.* Nicodemus vero, magister in Israel, quaerit *scientiam* de mysterio (v.10). Sed lesus aperte et iterum exigit *fidem* (v.11-13).

b) Unde sic: in textu idem est credere *(non creditis)* et testimonium accipere *(testimonium nostrum non accipitis);* quod testimonium est Christi loquentis *(terrena dixi, loquimur, testamur),* qui sciens et verax est *(quod scimus loquimur et quod vidimus testamur).* Atqui hoc est assentiri propter auctoritatem Dei revelantis. Ergo motivum fidei est auctoritas Dei revelantis.

63. Io 3,31-36. Etiam hic *credere in Filium* (v.36) est *accipere Eius testimonium* (v.33), scientis et veracis (v.32s). Auctoritas Filii, ut testis, est auctoritas ipsius Dei (v.34). Ideo credere est signare quasi sigillo propriae adhaesionis veracitatem Dei. "Sicut cum quis narrat quae ipse solus vidit, si quis dictis eius fidem habeat, ipsa credulitas est signum et sigillum quoddam, quo qui credit confirmat se reputare eum veracem; si enim talem non iudicasset, fidem eius dictis non habuisset" [3].[4]

Locus fere parallelus est in 1 Io 5,9-12. Etiam ibi "credere in Filium Dei" (v.10) est "accipere testimonium Dei" (v.9), "habere testimonium Dei in se" (v.10). Sicut autem in priori textu credens dicebatur signare veracitatem Dei, sic in hoc textu, qui non credit dicitur mendacem facere Deum (v.10), ideo quia non credit testimonio ipsius Dei.

64. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* comparant fidem cum adhaesione, quae homini loquenti praestatur (R 173 562 1303 1321); eam expresse opponunt scientiae (R 417 963 1277); et quidem ideo quia in fide non fit indagatio et inquisitio ipsius obiecti crediti, sicuti fit in scientia (R 1181 2065), sed simpliciter adhaeremus locutioni eius qui scientiam habet de ipso obiecto (R 1466 2197) [4].

b) *In Scholastica,* si excludatur Gulielmus Parisiensis

3 Toletus, *In loannem* 3,31-36.
4 Plura apud Harent, *Foi:* DTC 6,109-115. De sententia S.loannis Chrysostomi, optime E.Boularand, *La venue dc l'homme à la foi d'après saint Jean Chrysostoms* (Roma 1939)' 27-41.

(qui videtur negasse omne motivum intellectuale, reducens omnia ad imperium voluntatis obedientis) °, omnes theologi tenuerunt motivum fidei esse auctoritatem Dei, quam vocabant "primam veritatem", utique in cognoscendo et in dicendo. Quaestio tractatur iam a Magistro Sententiarum c, occasione textus Apostoli *argumentum non apparentium;* ibi autem eam tractant omnes commentatores, lin S.Thoma videnda est praeterea 2.2 q.l a.l, cuius formula "prima veritas" mansit in scholastica posteriore; similiter *De veritate* q.14 a.8. Theologi omnes posteriores tenent, motivum fidei divinae esse "primam veritatem". Hanc tamen formulam ut explicarent, ulteriores quaestiones posuerunt, ut videbimus postea.

65. Ratio theologica. Fides humana est assensus praestitus loquenti propter eius dignitatem, non propter demonstrationem quam facit rerum quas loquitur. Ergo a pari fides divina erit assensus praestitus Deo revelanti propter auctoritatem Eius.

Paritas constat: etsi enim fides divina et fides humana in pluribus differant, in hoc tamen coincidunt, quod utraque est fides. Si ergo psychologica tendentia actus in fide humana est quod sit assensus praestitus propter auctoritatem loquentis, et ideo dicitur fides, eodem modo psychologica tendentia actus in fide divina erit quod sit assensus praestitus propter auctoritatem loquentis, et ideo erit revera fides.

66. Obiectiones. 1. Motivum fidei debet influere ut cognitum in omnes actus fidei. Atqui multi credentes non cognoscunt auctoritatem Dei. Ergo haec non est motivum fidei.

Dist. mai. Ut cognitum cognitione vel explicita vel implicita, *conc. mai.;* cognitione necessario explicita, *nego mai. Contradist. min.*

2. Christus assignat miracula tanquam motivum fidei (lo 14,1 Is). Ergo motivum fidei non est auctoritas Dei revelantis.

Dist. antec. Tanquam motivum mediatum fidei, probans eius credibilitatem, *conc. antec.;* tanquam motivum immediatum ipsius assensus fidei, *nego antec.*

3. Auctoritas Dei revelantis est aliquid extrinsecum homini. Atqui intellectus nequit perfici nisi per aliquid quod sit homini immanens. Ergo intellectus nequit moveri per auctoritatem Dei revelantis.

Dist. mai. Aliquid homini extrinsecum, ei tamen proponens suprema bona quibus intimae hominis tendentiae supra naturalem modum satiari possunt, *conc. mai.;* extrinsecum homini eique simpliciter impertinens, *nego mai. Contradist. min.* Nisi sit homini immanens, quatenus cius tendenliis naturalibus sit consonum, *conc. min.;* quatenus in eius viribus et facultatibus omnino contineatur, *nego min.*

5 *De fide* 1. Cf. EsrssBERCE», *Grund und Geviisshcit des übernstlirlichcn Glaubcn's in der Hoch.und SfàtscholastiJi* (Paderborn 1915) 148.

• *Sententiae* 3 d.24.

4. Fides est actus obedientiae erga Deum (Roni 16,26). Atqui motivum obedientiae non est auctoritas loquentis, sed auctoritas iubentis. Ergo motivum fidei non est auctoritas Dei loquentis.

Dist. mai. Fides adaequate sumpta est actus obedientiae, *conc. mai.;* fides formaliter sumpta, *nega mai. Conc. min. Pariter dist. cons.;* motivum fidei adaequate sumptae non est auctoritas Det loquentis, *conc. cons.;* motivum fidei formaliter sumptae, *nego cons.*

Actus fidei potest considerari formalitcr, prout elicitur ab intellectu, et adaequate, prout imperatur a voluntate efficaciter. Sub unaquaque vero consideratione motivum diversum ipsi assignandum est. Hic agimus tantum de fide formaliter sumpta, prout est assensus intellectualis. Quaerimus ergo motivum intellectuale, movens intellectum ad assensum in linea intellectuali.

5. Si motivum fidei est auctoritas Dei loquentis, eodem modo crederemus Deo et homini. Atqui non eodem modo credimus Deo et homini. Ergo motivum fidei non est auctoritas Dei loquentis.

Dist. mai. Eodem modo, id est in utroque casu crederemus propter auctoritatem loquentis, *conc. mai.;* eodem modo, id est eadem firmitate et adhaesione, *nego mai. Contradist. min.*

Fides, quae Deo praestatur, non est sicut fides, quae homini praestatur. Non ideo quia in hac motivum sit auctoritas loquentis ct in illa non sit tale motivum, sed ideo quia auctoritas Dei loquentis in infinitum superat auctoritatem hominis loquentis.

6. Deus, Supremus Dominus, non sufficienter honoratur, si Ei caece non credimus, sine ulteriore inquisitione, simpliciter propter obsequium erga Ipsum. Atqui si motivum fidei est auctoritas Dei loquentis, Ei non credimus caece et simpliciter propter obsequium erga Ipsum. Ergo motivum fidei non est auctoritas Dei loquentis.

Dist. mai. Si Ei non caece credimus, id est si dicta Ipsius intime non scrutamur ad credendum, *conc. mai.;* si Ei non caece credimus, id est si assensum praestamus propter Ipsius loquentis auctoritatem, *nego mai. Contradist. min.*

67. Corollarium. 1. Ex dictis apparet quomodo per fidem fiat *obsequium Deo.* Credimus enim Ipsi, non exigentes ullam demonstrationem rei quam ad nos loquitur; quod valet maxime cum agitur de credendo mysterio stricte dicto. Haec est *fides auctoritatis,* omnino diversa *a fide scientifica,* qua credimus alicui non propter eius auctoritatem ipsi obsequium facientes, sed propter evidentiam nobis relucentem in eius testimonio quod hic et nunc evidenter nequit esse falsum. Sic credit liistoricus documentis vel iudex reo confitenti crimen. Haec etiam fides auctoritatis, seu fides stricte dicta, essentialiter differt ab assensu qui praestatur *magistro, ut tali.* Cui quidem obsequium aliquod praestatur, non tamen tale quale datur in fide. Discipuli enim est directionem magistri sequi, sed non magistro credere. Magister ducit discipulum rationes ei proponendo, ut ipse tandem intrinsecam rei veritatem, quoad fieri poterit, inveniat et percipiat. Unde discipulus non assentitur magistro propter eius auctoritatem, sed assentitur rationibus a magistro sibi propositis, in quantum hae rationes merentur assensum[1]. Sed in fide assensus datur propter solam auctoritatem loquentis; proinde in quantum haec auctoritas assensum meretur. Ideo est verum obsequium

[1] Cf. L. Billot, *De virtutibus infusis* (Romae 1905) 206; Wilmers, *De fide dwina* 12.

praestitum loquenti. Hoc ergo obsequium intellectus praestamus Deo per fidem nostram; quod ut videbimus, necessario est etiam obsequium voluntatis. Cf. Conc. Vaticanum s.3 c.3 initio (D 1789).

2. Ex alia parte motivum fidei est auctoritas Dei in scipsa considerata; proinde aliquid stricte divinum. Id enim quod movet non est cognitio nostra huius auctoritatis, sed ipsa auctoritas, utique a nobis cognita. Unde haec cognitio non est nisi condicio. Hinc actus fidei est strictissime actus virtutis theologicae et nos *Deo coniungit.*

Ex duplici hac consideratione apparet *valor religiosus actus fidei* pro vita Christiana[8]*

3. Motivum specificat fidem in linea intellectuali. Hinc ex hoc motive, quod in thesi probavimus, *fluunt omnes proprietates actus fidei,* ut videbimus in sequentibus.

68. Scholion 1. *De ulteriore determinatione auctoritatis divinae in motive fidei.*

Quonam sensu "veritas prima" sit motivum fidei investigarunt theologi, distinguentes veritatem primam in essendo (Deitatem), in cognoscendo (omniscientiam) et in dicendo (veraoitatem). Patet auctoritatem testis, ut testis, complecti essentialiter et scientiam et veracitatem; ideo auctoritatem Dei loquentis determinat Vaticanum (D 1789) tanquam illius qui nec falli nec fallere potest. Sed hoc posito, quaesierunt theologi, utrum ad hoc ut habeatur Deus nec falsus nec fallens, *requiratur et sufficiat* semper ac formaliter habere prae oculis Eius scientiam et veracitatcm. In qua quaestione, a communi theologorum sententia affirmativa recedunt Ripalda, Viva, Schiffini.

a) *Ripalda* distinguit pro diversis obiectis creditis sic:

1.° Si credatur aliqua Dei assertio aut testificatio, motivum est scientia et voracitas.

2.° Si credatur aliqua Dei promissio, motivum est fidelitas et omnipotentia.

3.° Si credatur aliquod propositum extentum Dei, motivum est veracitas, constantia et onuiipotentia.

4.° Si credatur aliquod decretum aut indicium internum particulare Dei, motivum est sola veracitas aut sola fidelitas.

Praeterea tenet Ripalda excellentiam Deitatis, ut distinctam ab attributis, sive in eorum consortio sive etiam seorsim ab illis, esse sufficiens motivum fidei; quia divina maiestas seipsa immediate confert auctoritatem testimonio Dei[9].

b) *Viva* tenet scientiam et veracitatem esse universim motivum fidei, etiam cum agitur de promissionibus. In hoc autem ultimo casu, putat addendam esse fidelitatem, nullo modo omnipotentiam[10].

c) *Schiffini* admittit tanquam motivum fidei solas scientiam et veracitatem in locutionibus assertoriis, et addit fidelitatem et omnipotentiam in promissoriis

69. *Haec autem teneri nequeunt.* In his enim sententiis confunduntur fundamentum ontologicum rei testificatae et motivum logicum assensus. Illud enim requiritur ut res simpliciter *exsistat* in rerum natura; hoc autem, ut res hic et nunc possit *credi.* Sive ergo eventus pendeat ab una condicione sive ab alia, sufficit ut Deus de

8 Cf. E.Hocedez, *Valeur religieuse de l'acte de foi:* Greg 15 (1934) 377-408.
9 *De fide* d.2.
10 *De fide* d.1 q.1.
De virtutibus infusis 117.

facto sciat futurum esse et dicat vere quod scit; id est, *sufficiunt* scientia et veracitas. Quae etiam semper *requiruntur,* secus non habemus testimonium stricte dictum, sine quo nequit dari fides. Quodsi quandoque sola dignitas loquentis (lin casu sola Deitas) videatur inducere fidem, ideo est quia ibi subest implicita affirmatio scientiae et veracitatis, quae a tali dignitate quasi per se exiguntur, quacum non componitur mendacium aut levitas in loquendo“.

70. Scholion 2. *De revelatione prout ad motivum fidei pertinente.* Revelatio dicitur interna (vel activa), si 'intelligitur ipse actus divinus decernens communicare aliquid; externa (vel passiva), si intelligitur effectus a Deo immediate ad hoc productus ut sit communicatio illius quod decrevit communicare; completa (vel formalis), quando utrumque designatur.

Revelationem, utique formalem, *aliquo vero sensu requiri* ad motivum fidei patet ex Vaticano (D 1789), ubi docetur fidem respondere revelationi et esse propter auctoritatem Dei revelantis. Sed quaeritur *quomodo requiratur:* utrum scilicet tanquam causa, seu concausa simul cum auctoritate Dei constituens unicum adaequatum motivum fidei, an tanquam condicio necessaria ut auctoritas Dei movere possit intellectum. 'Si primum dicatur, revelatio vere, quamvis non sola, determinabit assensum; si secundum, applicabit tantum nobis auctoritatem Dei ut propter hanc solam assentiamur.

Esse tantum condicionem tenent multi scotistae, ut Mastrius”. Esse verum motivum, quamvis inadaequatum, tenent communius theologi[14] cum S.Thoma *(De veritate* q.14 a.8 ad 16); ita quidem ut revelatio sit elementum materiale, quod per auctoritatem testis, tanquam per elementum formale, determinatur ad formandum motivum.

Hacc communior theologorum sententia probatur. Nam motivum fidei est testimonium, ut tale; id enim quod ex parte obiecti intellectum determinat ad assentiendum sic et non aliter, non est testis solus aut solum esse testificatum, sed esse testificatum praecise a tali teste. Iam vero testimonium, ut tale, constituitur ex locutione tanquam materia et auctoritate testis tanquam forma. Unde motivum fidei adaequatum est auctoritas Dei revelantis simul cum revelatione formali“.

Obici tamen potest: Motivum fidei theologicae debet esse aliquid divinum. Atqui revelatio formalis non est aliquid divinum. Ergo revelatio formalis non est motivum fidei.

Respondeo: dist. mai. Debet esse aliquid divinum aut adaequate, aut saltem in elemento formali ct determinante, *conc. mai.;* etiam in elemento materiali et determinabili, *nego mai. Trans, min.,* est enim divina etiam ipsa ex qua parte continet revelationem activam. *Pariter dist. cons.* Non est motivum adaequatum aut inadaequatum formale et determinans, *conc. cons.;* non est motivum inadaequatum materiale et determinabile, *nego cons.*

” Cf. F.Garcïa Martînez, *A propôsito de una opîniôn singular de Ripalda sobre el obiebo formai de la fc:* MiscCom 2,139-157. Quae in contrarium obici possent, vide apud Beraza, 484-495.

« *De fide* q.2 n.57.

* Cf. Pesch 220.

w Cf. apud Beraza, 503-508, et apud Pesch, 227-220, quae* contra hanc doctrinam afferuntur,

Thesis 6. Actus fidei est assensus essentialiter obscurus, sed certus certitudine 'adhaesionis et infallibilitatis.

S.Th., 2.2 q.1 a.3-5; q.4 ar.S; Lennbkz. 194-217.236-260; PESCH, 394-425.355. 376; Bekaza, 734-779.608-681; HarEnt, 435-469.387-393.

71. Nexus. Quia assensus fidei non est propter intrinsecam veritatem perspectam, sed propter auctoritatem, sequitur illum esse obscurum. Haec tamen obscuritas non obstat summae certitudini ipsius; quod inde sequitur quia actus fidei non est assensus propter cuiuslibet auctoritatem, sed propter auctoritatem *Dei* revelantis.

72. Notiones. Obscurus dicitur assensus in quantum non est evidens. Evidentia proprie et immediate dicitur de obiecto, sicuti certitudo proprie et immediate dicitur de mente cognoscente. Sed in utroque casu notiones hae extenduntur, ita ut dicatur evidentia etiam de mente cognoscente, sicuti dicitur quoque certitudo de ipso obiecto. Hinc *evidentia,* alia est *obiectiva,* quae est clara et necessaria obiecti intelligibilitas; alia est *subiectiva,* quae est clara obiecti perceptio. Ubi utraque evidentia coniungitur, ideo scilicet quia perceptio clara obiecti fundatur in necessaria et obiectiva intelligibilitate ipsius, datur evidentia *formalis;* quae est clara et necessaria obiecti intelligibilitas, quae de facto sic intellectui apparet. Hac evidentia dicimus carere assensum fidei.

Sed evidentia alia est interna, alia externa. *Internam* evidentiam habet aliquis assensus, si affirmat nexum inter subiectum et praedicatum quia intellectui apparet evidens immediate (v.gr. totum est maius sua parte), vel mediate (v.gr. homo est liber quia est intellectualis). *Externam* evidentiam habet assensus, si affirmat nexum inter subiectum et praedicatum quia intellectui apparet evidens non in seipso, neque ex medio intrinsece connexo cum terminis, sed ex medio extrinsece tantum connexo cum eis (v.gr. exsistit Roma quia tot et tales testes mihi hoc dixerunt ubi mentiri non poterant). Assensus est *simpliciter obscurus,* quando caret evidentia sive interna, sive externa.

Essentialiter: est de notione assensus fidei *quod sit obscurus,* ita ut nequeat dari actus fidei qui illam obscuritatem non habeat.

73. Certus dicitur assensus qui gaudet certitudine. *Certitudo* dicitur proprie et immediate de statu mentis cognoscentis, qui firmus est non habens formidinem oppositi. Si ergo talis status mentis datur, et praescinditur a motivis illius, habepius certitudinem *subiectivam.* Sed a parte rei dantur verity-

tes, quae per se exigunt talem assensum firmum ; haec vocatur certitudo *obiectiva.* Vera autem certitudo exsistit, cum utrumque elementum coniungitur. Tunc habetur certitudo *formalis,* quae est assensus firmus mentis propter motivum infallibiliter connexum cum veritate rei. Haec ergo certitudo complectitur elementum subiectivum, quod est in adhaesione firma intellectus; et elementum obiectivum, quod est in infallibilitate huius assensus atque in eius connexione cum veritate. Quae quidem connexio non est solum de facto, sed etiam de iure.

Certitudo adhaesionis designat firmitatem, qua intellectus in assensu adhaeret veritati sine dubitatione vel formidine errandi. Haec firmitas ipsius assensus differt a firmitate voluntatis imperantis assensum firmum.

Certitudo infallibieitatis designat connexionem cum veritate, ratione motivi assensus. Habetur in assensu quando eius motivum excludit possibilitatem erroris. In nostro casu assensus fidei dicitur certus certitudine infallibilitatis, quia nunquam potest esse falsus, eo quod ponitur propter auctoritatem Dei revelantis.

pars 1.a: assensus fidei est essentialiter obscurus

74. Doctrina Ecclesiae, *a)* Obscuritas *essentialis* fidei non docetur explicite a documentis Ecclesiae. *Supponitur* autem in Conc. Vaticano s.3 c.4 (D 1796), ubi sermo est de "velamine fidei", quo contecta manent mysteria etiam post revelationem; quae verba desumuntur ex epistola Pu IX contra Frohschammer (D 1673), et videntur indicare proprium esse fidei, obscuritate quadam contegere obiectum creditum. Formula illa alludit ad 2 Petr 1,19.[1] Obscuritas essentialis fidei *concluditur* etiam ex doctrina Concilii, iuxta quam motivum fidei non est intrinseca veritas obiecti crediti, sed auctoritas Dei revelantis (D 1789).

b) *Specialis* obscuritas fidei in credendis mysteriis *saepe docetur:* D 442 1616 1642 1682 1709.

Valor dogmaticus. Est *saltem theologice certa,* ex dictis; et quidem prout affirmamus obscuritatem aliquam essentialem fidei in oppositione ad scientiam.

75. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* 2 Cor 5,6 (vivimus in regno fidei, non visionis seu aspectus) et 1 Cor 13,12 (cognoscimus nunc per speculum, seu mediate : in aenigmatica cognitione, seu obscure; tunc vero cognoscemus ita ut facies

1 Cf. CI. 7,202.

sit faciei obversa, seu immediate). *Unde sic:* fides opponitur claritati, quae ex visione intellectuali habetur; opponitur claritati cognitionis immediatae; et describitur ut habens in se obscuritatem, quae est essentialis aenigmati (quod est aliquid obscure dictum). Ergo fides est obscura essentialiter.

Nola ex his textibus bene colligi obscuritatem fidei, si comparetur cum claritate visionis beatificae; sed non videtur certo colligi obscuritas fidei, si comparetur cum scientia,

b) Clarius fortasse continet obscuritatem essentialem fidei definitio S.Pauli Hebr 11,1 *argumentum non apparentium.* Ibi enim agitur de aliqua nota essentiali fidei divinae, cum in eius definitione ponatur. Obiectum cius ita describitur, ut sint res "non apparentes", scilicet quae non videntur; seu ex parallelismo, res "quae sperantur". Iam vero res, quae sperantur, absentes sunt, non praesentes, ideoque videri non possunt, ut ipse S.Paulus dicit: *spes autem quae videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* (Rom 8,24). 'iVidere" autem apud S.Paulum dicitur de qualibet cognitione, etiam scientifica (cf. 1 Cor 13,12). Ergo obiectum fidei, in quantum tale, non habet claritatem et evidentiam scientiae.

76. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* dicunt fidem esse assensum rei non apparentis per oppositionem ad evidentiam scientiae (R 417); esse contemplationem rei latentis (R 2144); per ipsam non videri rem creditam (R 1223 1498 1826 2318); manere inevidentem (R 1057); ignorari (R 869); fidem meritum non habere, si ei humana ratio praebeat experimentum (R 2331); fidem esse de iis, quae visui non subjacent[1].

b) *Pro aetate posteriore* sufficiat S.Bernardus, affirmans pulcherrime: "fides est voluntaria quaedam et certa praelibatio necdum propalatae veritatis"[3].

c) *Theologi* tractant obscuritatem fidei in connexione cum Hebr 11,1. Hinc quaerebant utrum obiectum fidei posset esse aliquid visum, ut S.Thomas (2.2 q.1 a.4). Posteriores vero theologi, admissa et supposita essentiali obscuritate fidei, late disputant de modo quo haec obscuritas explicanda sit. Quae quaestio statim a nobis attingetur.

77. Ratio theologica, *a)* Assensus fidei *essentialiter* est propter auctoritatem loquentis. Atqui auctoritas loquentis, ut talis, nullam affert evidentiam obiecti testificati. Ergo assensus fidei est essentialiter obscurus.

1 S.I.Eo M., *Sermo* 69,2: ME 54,377.
• *Dc consideratione* 5,3: MI/ 182,791.

Min.: Evidentia esset aut intrinseca immediate vel mediate, aut extrinseca. Atqui neutram affert auctoritas loquentis, ut talis. Ergo auctoritas loquentis, ut talis, nullam affert evidentiam obiecti testificati in actu fidei.

Min. haec: Sola auctoritas loquentis affirmat quidem connexionem inter subiectum et praedicatum, modum vero illius connexionis non illustrat. Ergo per illam non innotescit intellectui convenientia subiecti cum praedicato, sive in seipsa, sive in aliquo tertio. Ergo auctoritas loquentis non affert evidentiam *intrinsecam* obiecti.

Evidentiam *extrinsecam* potest sane afferre sola auctoritas loquentis. Sed tunc haberemus fidem scientificam, non fidem auctoritatis; assensus enim poneretur in illo casu propter evidentem consequentiam, non propter solam auctoritatem loquentis.

Ergo auctoritas loquentis, ut talis, in actu fidei stricte dictae nullam affert evidentiam obiecti testificati[4].

b) Probata obscuritas datur essentialiter in omni actu fidei; profluit enim, ut vidimus, ex motivo fidei, quod specificat quemlibet actum fidei. Sed praeterea datur *specialis obscuritas* in actu fidei, qui versatur circa obiectum fidei principale. Talia enim sunt mysteria. Atqui mysteria ita creduntur ut in eis convenientia inter subiectum et praedicatum non intelligatur (D 1796). Ergo ex hoc capite nova quaedam et specialis obscuritas accedit assensui fidei.

78. Nota. Explicuimus essentialem fidei obscuritatem ex essentiali et necessaria inevidentia, quam omne obiectum creditum formalitcr habet ideo quia *molivum* fidei, ut tale, nunquam dat evidentiam obiecti crediti. Functio ergo motivi non est *determinare* intellectum ad assensum ex evidentia proposita; sed illum *sufficienter movere* in linea intellectuali, ut si aliunde determinetur (scilicet a voluntate libera), possit assentiri.

Sunt vero auctores, qui ulteriorem explicationem quaerant, putantes essentialem obscuritatem fidei esse maiorem. Et quia in ipso assensu fidei considerari potest non solum id quod creditur in quantum creditur (obiectum scilicet materiale in quantum cadit sub motivo, vel res attestata in quantum cadit sub testimonio attestantis), in quo nos posuimus nostram explicationem, sed praeterea ipsum motivum (attestans) et id quod creditur in se ipso et materialiter sumptum (res attestata), ex utroque hoc capite diversae dantur solutiones pro obscuritate fidei, quas in scholiis considerabimus.

79. Obiectiones. 1. Fides in Scriptura dicitur lux, claritas, illuminatio (2 Cor 3,18; 4,6...). Ergo non est obscura.

Dist. antec. Quia plura nobis cognoscere facit plena certitudine, *conc. antec.;* quia ea nobis facit cognoscere evidenter, *nego antec.*

2. Nostra explicatio obscuritatis fidei eodem modo valeret pro

4 Cf. Suârez, *Dc fide* <1.3 s.7 n.3.

fide etiam humana. Atqui fides divina habet specialem quondam obscuritatem. Ergo nostra explicatio non sufficit.

Dist. mai. Nostra explicatio prout refertur ad essentialem obscuritatem, quae in omni actu fidei divinae dari debet, *conc. mai;* prout refertur ad maiorem obscuritatem, quae habetur in actibus fidei versantibus circa obiectum fidei principale, *nego mai. Contradist. min.*

80. Scholion 1. *De evidentia in attestante.* Evidentia in attestante, seu attestantis, tunc habetur cum obiectum fidei fit evidens ideo quia motivum credendi evidens sit eiusque connexio necessaria cum veritate. Prima ergo solutio aliorum auctorum pro obscuritate fidei explicanda desumitur ex eo quod motivum fidei in seipso nequeat esse evidens. Datur ergo in fide necessario inevidentia attestantis, seu in attestante. Quae ab his auctoribus ponitur maxime in inevidentia facti revelationis.

a) *Dicunt* proinde *hi theologi:* si sit evidens Deum aliquid dixisse, et ex alia parte Deum non posse falli aut dicere falsum (id est, si datur evidentia in attestante), eo ipso evidens est verum esse quod dixit ; ergo ruit obscuritas fidei. Tenendum proinde est. essentialem omnino esse pro fide inevidentiam in attestante. Sic Vitoria, Bafiez, Suarez, Lugo, Kilber, Franzclin. Sed contraria sententia est omnino communior'.

b) *Notandum est,* aliquam evidentiam in attestante admittendam esse nunc ab omnibus, propterea quod admittenda sit certitudo praevia de facto revelationis ante actum fidei. Si ergo certitudo, caque naturalis, datur, necessario etiam datur evidentia ; cum ille assensus non sit fidei, sed scientiae. Unde excluditur omne dubium prudens, quocum incompossibilis est certitudo. Sed quaestio est de ulteriore quadam, plena et absoluta evidentia, quae ita trahat intellectum ad assensum circa factum revelationis, ut excludat quodlibet dubium, etiam imprudens.

c) *Haec sententia contradicit* factis, nec ullo positivo argumento nititur, immo et laborat aliquo aequivoco fundamentali. Negari enim nequit, B.V.Mariam habuisse fidem dc mysterio Incarnationis ; Ipsi vero non defuit in illo casu evidentia de facto revelationis. Simile quid de Apostolis dicendum est in multis. Evasiones vero ab his auctoribus excogitatae ad hos castis explicandos tales sunt, ut se solis nostram sententiam confirment'.

Acquivocum vero huius sententiae in eo est, quod supponat assensum fidei esse conclusionem alicuius syllogismi, cuius praemissae sint auctoritas Dei et factum revelationis. Si ergo hae praemissae sint evidentes (evidentia in attestante), conclusio (assensus fidei) necessario erit evidens. Sed respondendum est, assensum fidei non esse conclusionem alicuius syllogismi. Potest quidem deduci illa conclusio; sed erit fides scicntifica, non fides auctoritatis. Quodsi />ra<?-*tcrca* fiat actus fidei auctoritatis, hic actus ponetur in illo casu *cum* evidentia, non *ex* evidentia motivi ; non *propter evidentem* consequentiam, sed *propter motivum in seipso,* quod nunc per accidens cognoscitur evidenter'.

81. Scholion 2. *De compossibilitnte fidei et scientiae de eodem obiecto in eodem subiecto.* Secunda solutio pro obscuritate fidei explicanda desumitur ex eo quod obiectum creditum, non solum re-

3 Oefen-ores huius sententiae vide apud HaREXT, 401-403.
• Cf. Beraza, 758-761.
Ţ Cf. HarSnT, 400-406,438·.

duplicative ut creditum (haec enim est nostra solutio), sed etiam simpliciter et absolute nequeat esse simul evidens in eodem subiecto.

a) *Quaestio haec antiquissima est* in theologia sub terminis: "utrum aliquid possit simul credi et sciri". Et, ut patet, agitur de eodem subiecto. Quaestio haec, cui via parata fuerat a Magistro Sententiarum (3 d.24), tractatur expresse a Magistro Huberto exeunte saec.XH; qui eam negative solvit, ut etiam Simon Tornacensis, Fraepositinus et Gulielmus Altissiodorensis. Saec.XTTT schola franciscana ct schola dominicana primaeva usque ad S.AIbertum M., defendunt solutionem affirmativam, quam tenent postea Thomas Argentines, Aureolus et Durandus. Sed S.Thomas (2.2 q.l a.4-5), tenens incompossibilitatem fidei cum scientia, hanc sententiam introduxit in scholam dominicanam; quam in scholam franciscanam introduxerunt Richardus a Mediavilla et Scotus Tn scholastica recentiore sententia negativa defenditur communiter a domimeanis et franciscanis, quos sequuntur Mo'ina, Billot, alii; affirmativa a theologis S.I. communius, quibus adiunguntur Estius, Malder. Wiggers, Herinckx, alii.*

b) *Sententia affirmativa* nobis et probabilior et magis consentanea doctrinae Ecclesiae videtur. Et quidem agimus de actibus, non de habitibus; et praescindimus a subtili quaestione, utrum per unicum actum possit idem simul credi et sciri iuxta diversa motiva'". Sed distinguendum adhuc est inter visionem stricte dictam (id est, cognitionem immediatam per se propriam, vel mediatam per obviam et facilem deductionem a priori), et scientiam (id est cognitionem certam ct mediatam sive a priori sive a posteriori). Affirmamus ergo obscuritatem fidei per se et ratione sui non excludere in eodem subiecto actum scientiae de eodem obiecto. Dicimus per se et ratione sui, quia per accidens et ratione alicuius obiecti in particulari fortasse possit dari incompossibilitas. Dicimus actum scientiae, quia actus visionis stricte dictae certe excluditur per obscuritatem fidei.

c) *Ratio autem praecipua* pro hac sententia haec est. Inter obiecta fidei ab omnibus credenda, phtra proponuntur quae sciri possunt, immo de facto a multis sciuntur; sic v.gr. iuxta professionem fidei tridentinam, credimus "omnia *et sinqttla* quae continentur in symbolo" (D 994), inter quae habentur exsistentia unius Dei, omnipotentis, factoris cae'i et terrae, etc. Simdia habentur in professione fidei vaticana (TD 1782). Prae'erea Conc. Vaticanum s.3 c.3 (D 1789) docet credenda esse *omnia* revelata, ab Ecclesia ut talia tradita; inter quae multa sunt naturaliter nota, ut ipsum Concilium tradit. Iam vero in sententia contraria haec non possunt omnibus proponi ut credenda, sed iis tantum qui de illis scientiam non haberent. Praeterea Anosto'us (Hebr 11.6) proponit tanquam obiecta credenda exsistentiam Dei et remunerationem; quae etiam per scientiam cognosci possunt.

d) *Respondent* quidem ad haec argumenta.

Quando in symbolis iubemur credere aliqua quae sunt etiam naturaliter nota:

• Cf. M.GraBMAKN, *Dc quaestione "utrum aliquid esse simul creditum ct scitum" inter scholas Aufjustinismi et /lr;stotcl:co Thom<s>ni medri aevi affi' /ata:* Acta Hclirlomarlac Augustiniano-Thomisticae (1931) 110 139,

' Cf. Harest, 454s.

»' Cf. Beraza, 747.

Illa naturaliter nota sufficit credere in communi. *At* professio tridentina dicit esse credenda omnia et singula.

Exsistentia Dei creditur "in subiecto"; scilicet quia qui credit Deum esse Trinum, eo ipso credit Eum exsistere. *At* sic non potest credi v.gr. Deum esse factorem caeli et terrae.

In his articulis plura creduntur, ad quae ratio humana non pertingit; sicut v.gr. in articulo unitatis Dei ("credo in unum Deum") creduntur simul omnipotentia, providentia, unicitas, etc. *At* ea quae citantur, possunt etiam naturaliter soiri, etsi philosophi gentiles ad illorum scientiam non pervenerint.

Ad argumentum vero Apostoli respondent:

Quod dicit Apostolus valet in genere de hominibus, non speciatim de sapientibus. *Sed* haec restrictio non est in textu, neque in eius interpretatione ecclesiastica aut patristica.

Textus intelligendus est de Deo, ut fine gratiae, non ut fine naturae. *At* idem valet quod modo dicebamus.

Textus intelligendus est de Deo, supernaturali revelatione Sese manifestanti. *At* obiectum fidei, de qua loquitur Apostolus, non est Deus revelans, sed Deus exsistens.

e) Tandem *obiciunt ipsi* contra nostram sententiam: Fides est de non visis. Atqui naturaliter scita videntur. Ergo naturaliter scita credi non possunt. *Respondeo, conc. mai., dist. min.* Aliqua naturaliter scita videntur, *conc. min.;* omnia videntur, *nego min. Pariter dist. cons.* Naturaliter scita non omnia possunt credi, *co>nc. cons.;* nulla possunt credi, *nego cons.*

Rursus, ubi intellectus perfecte quietatur, nequit simul non quietari de eodem obiecto. Atqui ubi datur scientia intellectus perfecte quietatur. Ergo nequit simul habere de eodem obiecto cognitionem qua non quietetur, sicut esset fides. *Respondeo, conc. mai., dist. min.* Ubi datur visio stricte dicta, *conc. min.;* ubi haec non datur, *nego min. Pariter dist. cons.* Nequit habere fidem de obiecto stricte viso, *conc. cons.;* de obiecto scito sed stricte non viso, *nego cffns.*™.

PARS 2.a: ASSENSUS FIDEI EST ESSENTIALITER CERTUS

82. Adversarii. Solet afferri Abaelardus, qui fidem definivit "existimationem"[12]; quae vox sine dubio sonat opinionem, non certitudinem [13]. Sed in mente Abaelardi hac voce designabatur tantum, ut videtur, fidem esse cognitionem inevidentemM.

83. Doctrina Ecclesiae, *a)* Exigit *certitudinem subiedivam* in fide: Conc. Vaticanum s.3 c.3 (D 1789) loquitur de pleno obsequio intellectus. In professionibus fidei et similibus documentis saepissime adhibetur haec formula: "firmiter credo" (D 40 343 428 468 480 703 706 708s 711-714 810 994 2145).

11 Cf. LknkBkz, 205-215; HabBnt, 458-467.

13 *Introductio in theologiam* 1,1: ML 178,9*1.

" Cf. S.BernarpuMj *Dc erroribus Abaelardi* 4,9: M'I, 186,1061.

M Cf. Chenu, *La psychologie dc la foi dans ta théologie du XIII· siècle!* Etudes d'IIistoire Littéraire et Doctrinale du XTII· siècle 2,168·170.

by Proponit *motivum infallibile* huius certitudinis: Deum qui nec falli nec fallere potest (D 1637 1789), Deum summe veracem (D 2145).

c) Definit fidem adeo esse certam, ut *inter fidem et rationem* a priori *numquam* possit esse *oppositio;* quia secus Deus negaret seipsum: Conc. Lateranense V (D 738) et Vaticanum s.3 c.4 (D 1797) et cn.2 (D 1817). Quae doctrina explicatur a Pio IX in *Encyclica "Qui pluribus"* (D 1635-1639).

Valor dogmaticus. Assensum fidei esse certum, est *de fide divina et catholica,* saltem ex magisterio ordinario.

84. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Hebr 11,1: fides est argumentum (ἐλεγχο). Quae vox significat non rationem quamlibet, sed eam quae convictionem certam inducat. Cf. Io 8,46; 16,8; et S.Chrysostomum (R 1223).

b) Rom 4,16-22: laudatur fides Abrahae quia non infirmatus est, non haesitavit diffidentia, confortatus est fide, plenissime convictus (πληρ φορτ,Θεἰ) de veritate locutionis divinae. Hinc habetur elementum *adhaesionis.*

c) *l'eraeilas Dei* saepissime effertur in Scriptura: Ex 34,6; Ps 85,15; Io 3,33; 8,26; Apoc 19,11. Idque tanquam aliqua nota propria Dei in oppositione ad homines, qui mendaces sunt: Rom 3,4. Adde quae de *omniscientia Dei* afferuntur in tractatu *De Deo Uno.* Hinc habetur elementum *infallibilitatis.*

85. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* docent: fides debet esse sine ulla dubitatione (R 846 1686) ; est assensus haud haesitans (R 972) ; est dispositio dubii expers (R 2144); non reliquit locum indagationi (R 1181); quod fides dicit, firmissime tenendum est et nullatenus dubitandum de eo (R 2270-2275). Ergo firma *adhaesio.*

Contra Priscillianistas vindicavit S.Augustinus absolutam veracitatem Dei [16]. Et quidem Patres insistunt in omnimoda veritate testimonii divini : voci Dei contradici nequit (R 417); dubitare de veritate locutionis divinae, est Deum omnino non tnosse (R 562) ; si Deo non credimus, cui credimus? (R 1303); sola ad credendum sufficit persona dicentis (R 2055) ; suprema ratio ad abigendam omnem dubitationem est divina auctoritas (R 2197). Ergo plena *infalUbilitas.*

b) *Theologi* iam ab initio tenent "fidei non posse subesse falsum" (2.2. q.1 a.3). Rationem autem dant motivum fidei, quod est prima veritas. Solum *Nominalislac* postea tenuerunt

16 *Contra mendacium* 2: ML 40,519s.

Deum de potentia absoluta mentiri posse; sic Holcot, BiEL, Almain, alii. Contra quos surrexerunt omnes theolog: posteriores ie.

86. Ratio theologica. Certitudo formalis continet duo elementa essentialia: firmam adhaesionem mentis *(certitudinem adhaesiones,),* et motivum infallibiliter connexum cum veritate *(certitudinem infallibilitatis).* Atqui utrumque elementum datur essentialiter in fide divina. Ergo fides divina est essentialiter certa.

a) *Certitudo adhaesionis.* Adhaesio intellectus mensuratur ex motivo. Atqui in assensu fidei motivum est summum. Ergo assensus fidei est certus certitudine adhaesionis.

Nota ad maiorem: adhaesio intellectus potest pendere a solo motivo intellectuali (sicut in *scientia),* et potest pendere a motivo simul cum imperio voluntatis (sicut in *fide).* In hoc ultimo casu, si voluntas imperat imprudenter, patet assensum non mensurari a motivo (sicut accidit in *pertinacia).* Cum vero voluntas prudenter imperat, si imperat ad supplendum id quod motivo in se deest (sicut in *opinione),* assensus iterum a solo motivo non mensuratur. Si vero voluntas prudenter imperet assensum non ad supplendum defectum motivi de se insufficientis pro assensu certo, sed ad movendum intellectum propter motivum de se sufficiens sed ex natura sua (quia non est evidens) intellectum non determinans, tunc patet assensum mensurari a motivo. Et hic est casus *fide*ill.

Nota ad minorem: motivum in assensu fidei est auctoritas Dei revelantis, prout est in seipsa. Atqui talis auctoritas in seipsa, utpote infinita et increata, est summa. Ergo motivum est summum.

87. b) *Certitudo infallibilitatis.* Assensus fidei ponitur propter motivum semper ac necessario coniunctum cum veritate. Ergo est certus certitudine infallibilitatis.

Antec.: Deus revelans est omniscius et infinite verax. Ergo motivum fidei semper ac necessario coniungitur cum veritate. *Omniscientiam* supponimus ex tractatu *De Deo Uno. Veracitas* probatur: Deus mentiri nequit (quia mentiri est intrinsece malum); sed si revelaret falsum, mentiretur (quia diceret rem esse ut Ipse scit non esse, et quidem obligando homines ut et intellectum et vitam totam ad hoc falsum accommodarent); ergo Deus in revelando necessario est verax.

M Cf. Toledo, *In 2-2* q.1 a.3; SuXrez, *Dc fide* d.3 s.S; Lugo, *Dc fide* d.1 n.lOS; Ripalda, *Dc fide* d.4 s.1 n.2; Salmanticenses, *Dc fide* d.2 dub.1 par.1 n.3.

" Cf. LennEBB, 248.

Nota. Potest dari casus, in quo quis assentiatur ideo quia *putat* Deum aliquid revelasse, quod tamen *de facto* non revelavit. In illo assensu deest utique certitudo infallibilitatis. Sed assensus ille non est verus assensus fidei divinae, quamvis talis existimetur. Ratio est quia assensus ille de facto non ponitur propter auctoritatem Dei revelantis, prout est in se; ergo non est assensus fidei divinae. Habet quippe ex parte voluntatis quidquid ad assensum fidei divinae requiritur; sed non habet quod ex parte intellectus requiritur. Deest enim ipsi motivum fidei.

88. c) *Certitudo infallibilitatis* im assensu fidei solet etiam probari *ex supernaturalitate* fidei, et est optimum argumentum. Scilicet assensus fidei est supernaturalis, ut videbimus. Atqui actus cognitionis supernaturalis necessario et infallibiliter est connexus cum veritate. Ergo assensus fidei est certus certitudine infallibilitatis.

Min.: Non dicimus *quemlibet actum* supernaturalem necessario coniungi cum veritate (sic v.gr. qui eleemosynam dat diviti quem putat esse pauperem, fallitur, etsi actum supernaturalem efficiat); sed actum supernaturalem *intellectualem.* Hoc autem probatur sic: omnis facultas perfectionem suam accipit ex tendentia in suum obiectum formale *(intellectus* ex tendentia in *verum).* Ergo in tantum aliquis actus perficit facultatem, in quantum eius tendentia in obiectum formale sit perfecta (actus intellectus si *perfecte tendit* in verum). Sed perfecta tendentia in verum mensuratur ex conformitate rei intellectae cum ordine obiectivo. Ergo ubi non datur conformitas inter ordinem obiectivum et rem intellectam, nequit dari perfectio intellectus. Sed actus supernaturalis necessario perficit facultatem. Ergo actus cognitionis supernaturalis necessario est connexus cum veritate.

Nota eodem prorsus argumento probari, actum supernaturalem *voluntatis* necessario esse *bonum,* cum voluntas perficiatur ex tendentia in bonum. Sed perfecta tendentia in bonum non mensuratur ex conformitate rei volitae cum ordine obiectivo, sed ex conformitate rei volitae cum recta ratione. Ideo potest dari actus supernaturalis voluntatis, qui feratur in falsum, quamvis sit necessario bonus; ut in casu eleemosynae datae pauperi tantum existimato “.

89. Obiectiones. 1. Assensus fidei non excludit omnem formidinem errandi. Ergo non est certus.

Dist. antec. Omnem formidinem etiam imprudentem, *conc. antec.;* omnem formidinem prudentem, *nego antec.* Ad certitudinem sufficit exclusio formidinis prudentis.

2. Assensus fidei non causatur a motivo intellectuali, sed a voluntate. Atqui assensus causatus a voluntate nequit esse certus. Ergo assensus fidei non est certus.

Dist. mai. Causatur a voluntate imperante actum qui commensuretur motivo intellectuali, *conc. mai.;* imperante actum qui supe-

* Cf. Luco, *Dc fide* d.6 s.6 n.85-101,

ret in sua adhaesione intellectuale motivum, *nego mai. Contradist. min.*

Voluntas potest imperare assensum certum dupliciter. *Primo modo,* ita ut assensus in sua firmitate adhaesionis non mensuretur a motivo intellectuali, sed illud motivum simpliciter superet. Et tunc assensus imprudentissime imperatur. *Secundo modo,* ita ut assensus in sua firmitate adhaesionis mensuretur a motivo intellectuali, nec sit firmior quam quod motivum in seipso mereatur. Hic assensus prudenter imperatur. In primo casu assensus non causatur a motivo intellectuali. In secundo casu habet duplicem causam: aliam ut simpliciter sit, et haec est imperium voluntatis; aliam ut talis sit, et haec est motivum intellectuale. Nisi enim voluntas assensum imperaret, assensus, etiam stante motivo, non eliceretur; quia motivum intellectuale non tale est ut determinet intellectum ad assentiendum; ad hoc enim deberet esse evidens. Sed voluntas imperat non solum ut eliciatur assensus, sed ut talis eliciatur qualem meretur motivum. Ideo motivum regulat ct specificat assensum.

3. Non omnia quae Deus praedixit impleta sunt (Ion 3,4; Is 38,1...). Ergo Deus errare vel mentiri potest.

Dist. antec. Omnia quae Deus praedixit vel absolute vel condicionale, *conc. antec.;* quae Deus praedixit absolute, *nego antec.*

4. Deus dc facto homines decepit: Ex 14,9; Iob 12,24s; Is 63,17.

Dist. antec. Permittendo deceptionem, *conc. antec.;* directe per se proferendo mendacium vel iubendo ut alius suo nomine proferat, *nego antec.*

5. Deus dedit spiritum mendacii in ore prophetarum (3 Reg 22,23) et mittet operationem erroris ut credant mendacio (2 Thess 2,11). Ergo Deus mentitur.

Dist. antec. Permisit deceptionem, *conc. antec.;* praecepit illam, *nego antec.*

6. Sed fortasse etiam Deus revelans permittat deceptionem. Ergo assensus fidei non est infallibiliter certus.

Dist. antec. Si simul non iuberet ut illi revelationi praeberetur assensus firmissimus sub discrimine salutis, *trans, antec.;* si hoc iubet, *nego antec.*

7. Qui credit propter revelationem existimatam, eadem certitudine credit ac alius qui credit propter veram revelationem. Atqui ille non habet certitudinem. Ergo neque hic.

Dist. mai. Eadem certitudine adhaesionis, *trans, mai.;* infallibilitatis, *nego mai.*

90. Scholion. *Assensus fidei est firmus super omnia.* Ubi fit comparatio inter assensum fidei et alios assensus certos, aliquo vero sensu dicendum est assensum fidei esse certiorem. Sed distinguendum est.

a) *Ratione infallibilitatis* certitudo fidei est maior qualibet alia certitudine naturali, quia mensuratur a motivo infinito et increato.

b) *Ratione adhaesionis,* fuerunt theologi qui dicerent assensum fidei mensurari a cognitione motivi; unde consequenter tenere debebant, assensum fidei non esse certiorem omni alio assensu. Haec sententia tangitur in propositione 19 damnata ab Innocentio XI, quae respicit doctrinam Aegidii Estrix Sed assensus fidei procedit ex praecedente imperio voluntatis, imperantis assensum com-

M Cf. Aubf.rt, 93-101; A.Sohier, *La foi probable:* Greg 28 (1947) 521-525.

mensuratum non certe motivis credibilitatis, sed motivo fidei prout est in se.

c) *Notandum* tamen est, hinc non sequi in assensu fidei haberi maiorem impossibilitatem dubitandi, etiam imprudenter, quam in aliis assensibus. Ratio est quia haec impossibilitas mensuratur ab evidentia, quae certe in fide non datur. Sed hoc non obstante, fides dicenda est *simpliciter certior* qualibet certitudine naturali. Cf. *22* q.4 a.8=°.

d) *Hinc sequitur* assensum fidei esse irrevocabilem, quippe qui, infallibiliter connexus cum veritate et maiore intellectus adhaesione positus quam quilibet alius assensus certus naturalis, a nulla alia veritate superari possit[11].

Thesis 7. Assensus fidei est essentialiter liber.

S.Th., *2.2* q.2 a.l ct 9; LennErz, 218-235; Pesch, 136-151; Beraza, 600-607; HarEnt, 393-435.

91. Nexus. Quia assensus fidei non est propter intrinsecam veritatem, sed propter auctoritatem, sicuti sequitur eum esse obscurum, sequitur quoque eum esse liberum. Intellectus enim necessario non trahitur nisi ab evidentia.

92. Notiones. Assensus fidei, scilicet ipse actus quem hucusque descripsimus; non tantum eius praerequisita.

Liber, libertate utique indifferentiae, non solum a coactione. Agitur *semper* de libertate exercitii (actus potest poni et non poni) ; *plerumque* etiam dc libertate specificationis (actus potest poni hic vel alius).

Actus potest esse liber dupliciter.

a) *Intrinsece:* talis est solum actus voluntatis, in qua formaliter est libertas.

b) *Denominative:* talis est actus cuiusque facultatis, qui ponitur sub influxu voluntatis imperantis. Assensus fidei, cum formaliter sit assensus intellectus, evidenter non potest esse liber nisi *denominative.*

Sed adhuc imperium voluntatis versari potest, vel circa ipsum actum eliciendum ab alia facultate (tunc dicitur actus denominative et *immediate,* seu proxime, liber), vel circa praerequisita actus eliciendi (tunc dicitur actus denominative et *mediate,* seu remote, liber). Assensum fidei dicimus liberum *denominative et immediate.* In quo differt essentialiter ab assensu scientifico, qui potest esse mediate liber, sed non immediate. Voluntas enim potest imperare intellectui ut attentionem praestet evidentiae motivorum; quam si intellectus praestet, sequetur iam necessario assensus scientificus. Sed

31 Plura apud Beraza, 618-651.
11 Cf. Lennerz, 256-259,

voluntas non potest imperare intellectui ut ponat assensum scientificum immediate; hic enim pendet a cognita evidentia motivorum.

Essentialiter: ita datur libertas in actu fidei divinae, ut, si quis assensus non poneretur libere, eo ipso iam non esset actus fidei.

93. Adversarii. Estrix videtur nimis restrinxisse libertatem fidei, cum illam reduceret ad influxum voluntatis in attentionem praestandam ab intellectu rationibus credendi.[1]

Hermes duplicem fidem distinguebat: *fidem cognitionis* (adhaesionem intellectualem veritatibus religiosis, ex argumentis), et *fidem cordis* (statum habitualem voluntatis sese p'ene submittentis Deo et conformantis vitam totam veritatibus creditis). Solam fidem cordis dicebat esse liberam. Negabat proinde ipsum assensum fidei esse liberum, cum sit "persuasio necessaria inducta rationibus evidentibus"[2].

94. Doctrina Ecclesiae. 1. Innocentius VIII damnavit hanc propositionem Ioannis Pici de Mirandula: "Dico probabiliter et. nisi esset communis modus dicendi theologorum in oppositum, firmiter assererem: assero tamen hoc dictum in se esse probabile, et est, quod sicut nullus opinatur aliquid ita esse praecise quia vult sic opinari, ita nullus credit aliquid esse verum praecise quia vult credere id esse verum. Corollarium: non est in potestate libera hominis credere articulum fidei esse verum, quando placet, et credere eum esse falsum, quando sibi placet"[3]. Propositio non ita videtur intelligenda. quasi negaret tantum dominium despoticum voluntatis in intellectum credentis, sed simpliciter in quantum negat aut nimis restringit fidei libertatem.[4]

2. *Conc. Tridentinum* s.6 c.6 (D 798): "fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes..." Tenuit Estrix Concilium ibi non docere assensum fidei vel in se liberum esse, vel imperari a voluntate libera, sed fidem ex auditu concipientes, libere moveri in Deum...[5]. At Concilium omnino docet libertatem fidei contra Lutherum, ut ait Vega[6]. Schemata praecedentia dicebant: "voluntatis nostrae..., mo-

[1] Cf. A.Sonntr, *La foi frobahh·:* Greg 28 C1O47) 528-530.514.517.525-527.
[2] Cf. P.Charles. *l.c CrnicUr du Vatican ct l'acte de foi:* NouvRevTh 52 (1925) 522-525: Aurert, 103-112.
[3] *Bulla "Etsi iniuncto nob's":* BullRom 5.328. Propositiones in illa bulla damnantur in genere, quarum aliquae saltem sunt "male et contra fidem sonantes" Sed commissio notaverat hanc propositionem ut erroneam et hacresim sapientem.
[4] Ita Lennerz, 13 contra HarEnt in DTC 6,407 mitius dc Pico scnt'çntcm.
[5] *Diatriba 79.*
[6] *Tndcntini decreti d:' iiistificaficnc expositio* 77s.

tione libera et spontanea erga Deum per fidem" [7], "libera nostra voluntate movemur in Deum per fidem" [8]. In qua ultima formula mutatum est *Ubere* pro *Ubera voluntate;* mutatio vero *credentes* pro *per fidem* ideo facta est, ut clarius pateret agi de actibus, non de habitibus [9]

3. *Conc. Vaticanum* s.3 c.3 (D 1791): per actum fidei "homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam...". Nota ibi non dici expresse, *assensum* ipsum esse liberum, nec verba "fides ipsa in se" hoc suadent, cum designent habitum fidei. Tamen iuxta relatorem [10], ibi docetur fidem imperari a voluntate et manere semper actum liberum, contra errorem T-Termesii. De Hermesio confert etiam Gregorium XVI (D 1620).

4. *Conc. Vaticanum* s.3 cn.5 (D 1814): *assensus* est liber. Contra Hermesium docetur ipsum assensum non fieri sine influxu voluntatis; scilicet assensum non esse necessarium, non produci per demonstrationem scientificam ex argumentis necessario cogentibus, sicut scientia humana [11], Unde sensum definitionis non salvaret qui admitteret influxum voluntantis tantum in praerequisita ad assensum; hoc enim potest haberi etiam in assensu qui ex argumentis necessario producitur [12].

Valor dogmaticus. Assensum fidei esse liberum libertate quae in scientia non datur, est *de fide divina et catholica definita* in Vaticano.

Hanc libertatem esse dcnominativam et immediatam, est *theologica explicatio dogmatis certa.*

95. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Actus fidei praecipitur sub poena damnationis (Mc 16,16; 1 Io 3.23), et ideo hi qui credunt, laudantur (Rom 4,1ss; Apoc 2.19). Sed id non valet de actu necessario. Ergo actus fidei est liber.

b) Non omnes qui audiunt praedicationem, credunt (Io 3,18ss; 6.29; Act 13,46; 17,32ss; Rom 10.16ss; 1 Io 5.10). Ergo, audita praedicatione, potest adhuc credi et non credi.

c) Hi qui credunt, *obediunt evangelio* et ideo sermo est de *obedientia fidei* (Rom 1,5; 16,26; cf. Gal 3,2.5): quod quidem intelligendum videtur in sensu subiectivo (scilicet pro obedientia quae per ipsam fidem exhibetur). Atqui obedien-

' CTr 5,422.
' CTr 5.636.
' Cf. Aukert, 7S; F.Cavallera, *Le dferet du Concile dc Trente sut la ju^ tifieation:* BiiULittEccI 50 (1949) 65-76,
" CL 7.166; cf. ibid., 87.
11 CL 7,184.
» Cf. Avbïkt, 177-185,

tia supponit liberam voluntatis submissionem. Ergo assensus fidei est liber.

96. Probatur ex traditione, a) *SS.Paires* affirmant libertatem in credendo (R 245); quod dicunt esse in nostra potestate (R 1734); tenent credere aliquem mon posse nisi volentem (R 1821s) et ideo aliquos nolle credere (R 1456). In ipsa definitione fidei includunt elementum volitivum: voluntaria anticipatio (R 417), animae liberae assensio (R 421), voluntaria assensio (R 2144), voluntaria praelibatio[13]. Loquuntur de merito fidei (R 1450), quod est meritum obedientiae[14].

b) *Theologi* ab initio libertatem fidei tenuerunt explicantes definitionem augustinianam fidei (2.2 q.2 a.1). Immo elementum volitivum transivit in notissimam definitionem Huconis a S.Victore (ex *Summa Sententiarum,* ut videtur): "voluntaria certitudo absentium, supra opinionem et infra scientiam constituta"; quae definitio valde usurpatur a theologis Medii Aevi[15]. Posteriore autem tempore latissime disputarunt theologi de modo explicandi hanc libertatem fidei, quam omnes ut absolute necessariam tenebant. De variis theologorum explicationibus, postea.

97. Ratio theologica. Assensus fidei essentialiter est assensus propter auctoritatem. Atqui talis assensus nequit poni nisi ex imperio voluntatis. Ergo assensus fidei est essentialiter ex imperio voluntatis, seu liber denominative et immediate.

Mai.: Assensus fidei non est propter evidentiam intrinsecam aut extrinsecam, sed simpliciter propter auctoritatem Dei revelantis prout est in se.

Min.: Unicum motivum trahens *necessario* intellectum ad assensum est evidentia. Ergo si assensus non ponitur propter ullam evidentiam, assensus non ponitur *necessario.* Sed assensus tandem aliquando ponitur, nec tamen causatus ex solo motivo. Ergo ponitur ex imperio voluntatis. Unde motivum fidei tale est, ut non sufficiat per se solum ad determinandum assensum, cum hoc tantum faciat evidentia ex natura intellectus humani. Est tamen sufficiens ut, si voluntas imperet assensum, possit mensurare assensum certum. Haec exponuntur optime a S.Thoma 2.2 q.1 a.4 et latius *De veritate* q.14 a.1.

[13] S.Bernardus, *De consideratione* 5,3: MT, 182,791.
[14] S.Hilarius, *In Psalmum 118:* ML 9,568. Dc S.Ioanne Chrysostomo vide E.Boularand, *La venue de l'homme à la foi d'après faint Jean Chrysostome* 105-122.
[15] Cf. Chenu, *La psychologie dc la foi* 165s.

98. *Nota* sic explicari *essentialem* libertatem, quam habet fides in oppositione ad scientiam; petitur enim explicatio ex ipso motivo, quod fidem specificat. Ideo valet explicatio haec *pro omnibus casibus:*

a) *Si adsit evidentia in attestante:* voluntas imperat assensum non propter illam evidentiam sed propter motivum prout est in se. Hoc autem motivum per se solum non posset determinare assensum. Potest dari etiam alius assensus in illo casu propter evidentiam in attestante; sed hic assensus nec erit actus nostrae fidei, nec impedit quominus verus actus fidei praeterea ponatur. Hinc nullo modo requirimus inevidentiam in attestante ad salvandam essentialem fidei libertatem, ut volunt Bâfiez, Lugo, Franzelin, alii [10].

b) *Si adsit simul scientia de obiecto credito,:* voluntas poterit adhuc imperare alium assensum, qui non sit scientificus, sed fidei (libertate exercitii); quamvis non possit imperare assensum contrarium (libertate specificationis).

c) Sed quia haec duo in pluribus et principalioribus casibus non dantur, assensus fidei habet *generalim* maiorem libertatem. Patet enim libertatem assensus eo esse maiorem, quo maior sit eius inevidentia.

99. Obiectiones. 1. Intellectus est potentia necessaria. Ergo vel proponitur ei motivum sufficiens ad assensum, vel non. Si proponitur, assensus *necessario* sequitur; si non proponitur, *impossibile est* ut assensus sequatur.

Rcsp. Proponitur motivum *sufficiens,* sed *non cogens* ad assensum. Ad hoc enim ut esset motivum cogens, requireretur evidentia. Debet ergo tolli indifferentia intellectus per imperium voluntatis. At voluntas non imperat assensum, qui sit sine motivo intellectuali, vel ultra motivum; sed assensum qui totus quantus commensuratur motivo; quod proinde erat sufficiens ad assentiendum.

2. Sed imperium voluntatis non affert novum motivum. Ergo si motivum antea non movebat, neque nunc movebit.

Dist. antec. Non affert novum motivum, sed determinat intellectum ut assentiatur prout motivum ipsum meretur, *conc. antec.:* non determinat illum, *nego antec. Pariter dist. cons.* Si antea non movebat quia non erat in sc sufficiens ad commcnsurandum assensum certum, nec nunc movebit sic, *conc. cons.* Si antea non movebat quia non erat evidens, *nego cons.*

100. 3. Ubi datur evidentia in attestante constat evidenter de auctoritate Dei et de facto revelationis. Atqui tunc non potest non esse evidens assensus fidei, qui inde consequitur. Ergo saltem ubi datur evidentia in attestante, non salvatur libertas fidei.

Conc. mai. Dist. min. Non potest non esse evidens assensus qui ponatur *ex* illa duplici evidentia *et propter* illam, *conc. min.* (sed hic non est assensus nostrae fidei); non potest non esse evidens assensus qui ponatur *cum* illa evidentia, sed *non ex* illa aut *propter* illam, *nego min.*

4. Daemones fidem habent (lac 2,19). Atqui fides daemonum non est libera. Ergo actus fidei non est essentialiter liber.

Dist. mai. Fidem quae essentialiter differt a fide theologica, *conc. mai.;* quae eadem est cum illa, *nego mai. Conc. min. Pariter dist.*

1ß De his aliisque explicationibus, cf. HarENT, 406-435; M.E.Dal Verme, *La libcrtà ncll'atte di fede* (Milano 1945).

cons. Actus fidei cuiuscumque non est liber, *conc. cons.;* actus fidei theologicae, *nego cons.* Scilicet daemones dicuntur credere, quia ex évidente cognitione motivorum credibilitatis assentiuntur revelatis. At haec fides non est libera, cum sit ex evidentia et propter evidentiam (cf. 2.2 q.5 a.2). Sed patet nostram fidem esse essentialiter aliam [11].

101. Scholion 1. *De obsequio voluntatis et intellectus in fide.* Obsequium plenum voluntatis et intellectus in fide, docetur a Conc. Vaticano s.3 c.3 (D 1789). *Obsequium intellectus* in eo est, quod, posita locutione divina, assensum eliciat prout auctoritas Dei meretur, quin insistat in inquisitione veritatis intrinsecae antequam assentiatur. In quo praestat obsequium Deo revelanti, constituendo verbum Ipsius tanquam regulam pleni et definitivi assensus, cum ex propria natura hoc non faceret nisi propter cognitam rei evidentiam. Hoc autem fit imperante voluntate libera; neque enim aliter fieri posset. *Voluntas* proinde facit obsequium intellectus. Facit etiam et proprium *obsequium.* Cum enim possit illum assensum non imperare, submittit se Deo revelanti, Ipsi praestat obedientiam fidei, Eius supremam auctoritatem agnoscit, sicque Illum sibi ultimum finem constituit.

Datur *praeterea* in voluntate credentis habitualis dispositio animi, qua paratus est credere quidquid Deus revelet et promptus est ad credendum; quae interna dispositio meritum non minuit, sed auget (cf. 2.2 q.2 a.5 et a.10). Haec dispositio datur ab habitu fidei (cf. 2.2 q.1 a.4 ad 3; q.2 a.3 ad 2) [13].

102. Scholion 2. *De nova quadam explicatione libertatis fidei.* Iuxta P.Rousselot, in hoc formaliter consistit libertas fidei: Deus homini infundit talem inclinationem voluntatis (amoris) erga Bonum divinum, ut ipse firma certitudine tendat in affirmationem obiecti a Deo revelati, quia ibi continetur Bonum illud quod amat. Causatur ergo assensus ex voluntate sic inclinata; fides est cognitio "per modum naturae". Libertas autem in eo est, quod Deus illam inclinationem non infundit in voluntate, nisi haec libere sese disponat ad illam accipiendam. Unde libertas fidei non in eo consistit quod homo, videns esse credendum, possit credere et non credere et voluntarie eligat fidem; sed in eo quod homo libere sese disponat ad accipiendam divinam inclinationem ad credendum. Sic ergo quia homo vult credere, videt esse credendum; et quia videt esse credendum, vult credere; idque uno eodemque actu [14].

Sed praeter quam quod in hac sententia plura supponuntur quae admitti nequeunt, libertas in ipso assensu fidei non explicatur. Ponitur enim haec formaliter in praevia dispositione voluntatis. Ergo libertas assensus erit tantum consequens et mediata. Et hoc certe non sufficit.

103. Scholion 3. *De imperio voluntatis in assensum fidei.* 1) Ut explicatum est in thesi, actus fidei est impossibilis sine imperio libero voluntatis. Hoc positivum volunta-

[11] Pro historica evolutione conceptus fidei in daemonibus, cf. I.BRINKTRINE (?), *Et daemones credunt (Iac 2.19). Ein Beitrag zur positiven Bewertung der fides informis:* Greg 22 (1941) 231-251.

[13] Cf. J.de Wolf, *La justification de la foi chez S.Thomas d'Aquin et le Père Rousselot* (Paris 1946) 43-55.

[14] Pro expositione huius sententiae, cf Aubert, 460-470; J.de Wolf, *La justification de la foi* 20-28.

tis imperium solet vocari *pius credulitatis affectus.* Motivum huius imperii est bonum in eo exsistens quod voluntas se submittat Deo faciatque submissionem intellectus Deo loquenti. Huius submissionis bonum duplex est. Primo enim optimum est ut intellectus creatus, qui non nisi deficientem veritatem habere potest, sese accommodet plene veritati increatae, quae homini loquitur, cum haec increata veritas cuiuscumque veritatis sit norma suprema. Deinde etiam bonum est ut voluntas Deo obediat. Deus autem saepe praecipit fidem. Praeter haec motiva, alia quoque movere possunt voluntatem ut imperet assensum fidei ; sic v.gr. motivum religionis vel caritatis vel spei, sicut in aliis operibus.

2) Imperium voluntatis *versari potest* circa assensum ponendum in aliquam veritatem particularem a Deo revelatam, verbi gratia in Trinitatem, vel in omnes veritates a Deo revelatas in communi. In secundo casu clare apparet universalitas fidei. Sed haec etiam habetur in primo casu. Tendentia enim illius actus non fertur in unam veritatem exclusive et quasi negando alias veritates revelatas (hoc enim destrueret ipsam fidem, cum motivum assensus affirmaretur et negaretur simul), sed fertur in illam veritatem tantum assertive, praescindendo actu ab aliis veritatibus revelatis.

3) Ut patet, motivum, quo voluntas moveatur ad imperandum assensum fidei, debet ipsi prius proponi ab intellectu. Proponitur autem per aliquod indicium, vel per aliqua iudicia. Obiectum illius iudicii est honestas imperii voluntatis proxime et assensus fidei mediate; honestatem dico fundatam in illis motivis, quae diximus. Hoc iudicium vocatur *iudicium credenditatis.* Antequam tale iudicium proponatur voluntati, voluntas non potest imperare assensum. Sed postquam illud iudicium ipsi proponitur, ipsa potest libere, quamvis sub motione gratiae, assensum imperare, vel non imperare.

4) Sed ut voluntas possit prudenter imperare assensum fidei, supponitur praeterea constare de possibilitate illius assensus. Assensus enim non erit possibilis, si non detur motivum fidei; nam ab hoc motivo specificatur et commensuratur. Quod quidem in nostro casu multo magis urget. Assensus enim quem voluntas imperat, est assensus firmissimus super omnia. Imprudentissime ergo imperaretur a voluntate talis assensus qui maximum intellectus sacrificium supponit, nisi certo constaret Deum revera locutum fuisse illamque veritatem revelasse. Obsequium enim illud, quod rectissime fit erga Deum revelantem, imprudenter fieret si Ipse non reve-

lasset. Indicium (vel indicia), quo intellectus affirmat Deum revera locutum fuisse atque hanc veritatem revelasse, vocatur *indicium credibilitatis.* Credibilis non est veritas, quae a Deo revelata non sit; nec mihi credibilis est veritas, nisi mihi constet Deum ipsam revelasse.

5) *Schematics* ergo res sic se habet:

1.° Deus revelavit aliquam veritatem.
2.° Haec veritas intellectui proponitur.
3.° Intellectus efformat indicium certum de facto revelationis huius veritatis. Veritas iam est *credibilis.*
4.° Intellectus efformat indicium de honestate amplectendi illam veritatem prout a Deo revelatam. Veritas iam est *credenda.*
5.° Voluntas, ex desiderio sese submittendi Deo atque ita tendendi in suum ultimum finem, libere imperat intellectui ut assentiatur Deo revelanti illam veritatem.
6.° Intellectus assentitur illi veritati, prout a voluntate fuit imperatum. Veritas *creditur.*

6) Ut per se patet, in toto hoc processu *libertas formaliter* est in pio credulitatis affectu, seu in imperio voluntatis. Indicia enim, quae praecedunt, praerequiruntur ad hoc ut voluntas possit illum imperare, non tamen sufficiunt ad hoc ut imperet. Requiritur tandem ut voluntas velit credere. Hinc est, quod, eadem facta propositione revelationis, alius velit credere, alius nolit.

Huius differentiae causa non est in sola gratia reponenda (quae omnino requiritur, ut videbimus), sed in libera voluntatis cooperatione huic gratiae 20. Quia vero actus fidei non est actus cuiusdam abstractae cognitionis, sed actus a quo tota directio vitae pendet, in illam voluntatem credendi multum influunt bona vel mala opera praecedentia. Sic Christus docet: *dilexerunt homines maais tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera* (Io 3,19s); *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quaeritis?* (Io 5,44). Mala ergo opera, in concreto dilectio propriae gloriae et ambitio, impediunt voluntatem credendi. De qua quaestione optime S.Ioannes Chrysostomus21. Talis bonorum operum, maxime humilitatis, influxus, apparet non solum in primo actu fidei eius qui convertitur ad fidem, sed etiam in tota ulteriore evolutione, quam fides habet in anima, adeoque habendus est tanquam lex quaedam in vita fidei.

30 Cf. Conc.Tridentinum s.6 c.S (D 797).
31 *In loannem* hom.2,5-6: MG 59,43-46. Cf. Toletum, *In laanncm* c.5 ann.38.

104. **Scholion** 4. *De indicia credibilitatis.* Quamvis de hoc iudicio plura dicta sunt in theologia fundamentali[22], nonnulla tamen hic recolenda sunt propter complementum doctrinae.

1) Obiectum iudicii credibilitatis est factum ipsum revelationis, seu Deum de facto revelasse aliquam veritatem. Hoc indicium debet esse *certum,* ut perpetuo docuit Ecclesia. *a)* Innocentius XI damnavit propositionem *Aeg. Estrix:* "Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine ne non sit locutus Deus" (D 1171) °3. *b)* Contra *fideistas* tenuit Ecclesia rationem humanam, sine fide, posse pervenire ad certitudinem motivorum credibilitatis. Sic contra Bautain (D 1627 in nota, prop.4). *c)* Contra hermesianos docuit Pius IX necessitatem inquirendi in factum revelationis donec habeatur certitudo de ipso (D 1637). *d)* S.Pius X damnavit doctrinam *Modernistarum:* "Assensus fidei ultimo nititur in congerie probabilitatum" (D 2025).

Re quidem vera, fides non esset rationabilis, nisi praecederet iudicium certum de facto revelationis. In illo enim casu maneret dubium prudens de Deo fortasse non revelante. Sed, illo dubio manente, imprudentissimum esset assensu super omnia firmo et irrevocabili (qualis est assensus fidei divinae) affirmare id quod prudenter suspicari possit inniti falso fundamento.

2) Certitudo haec nequit haberi *per actum fidei,* sed debet antecedere fidem. Hoc, quod Ecclesia docuit contra *fideistas* (D 1627 1638), expresse intenditur a *Conc. Eaticano* s.3 c.3 (D 1790), habente prae oculis illos "qui doceant, facta illa supernaturalia non posse intelligi tanquam motiva credibilitatis, nisi fides iam praesupponatur, et propterea ipsum factum revelationis homini, qui fidem nondum suscepit, demonstrari non posse, ac proinde certam persuasionem dc veritate facti revelationis, seu de revelationis exsistentia, non posse praecedere ad susceptionem fidei christianae; sed absque huiusmodi persuasione per divinam gratiam produci fidem ita, ut haec sit spontaneus et immediatus actus rationis"04.

Ratio autem est, quod in hac hypothesi habetur circulus vitiosus, aut processus in infinitum. Nemo enim credere potest sine certitudine de facto revelationis. Si vero supponitur

= Cf. SThS 1«,2,115-185.
23 Cf. Aubert, 93101; A.Sohier, *La foi probable. L'acte dc foi d'après Gilles Estrix:* Greg 28 (1947) 532*542. Verba ipsius Estrix, ex quibus propositio desumpta est, apud Lennerz, 27.
* CL 7,529.

haec certitudo impossibilis sine actu fidei, de hoc novo actu fidei dicendum est, illum supponere certitudinem de facto revelationis, ac proinde alium actum fidei, et sic in infinitum.

3) Sed neque requiritur ad illud iudicium certum efformandum, ut intellectus *lumine fidei* illustretur. Hanc doctrimam proposuit Rousselot, iuxta quem, recte propositis motivis credibilitatis, intellectus adhuc impotentia laborat physica, ut percipiat nexum inter illa motiva et veritatem rei revelatae. Unde etiamsi percipiat miracula, illa tamen percipere nequit ut signa revelationis. Impotentia illa tollitur a gratia supernaturali, seu habitu fidei, roborante intellectum, eum elevante, eique "vim syntheticam" praebente ad nexum percipiendum. Hoc lumen fidei vocat "oculos fidei". Miracula sane habent *in se* valorem obiectivum ad probandum factum revelationis; sed illum valorem, sine lumine fidei, intellectus percipere nequit. Praeterea, iuxta Rousselot, actus quo intellectus, sic illustratus et elevatus, affirmat credibilitatem, non distinguitur realiter ab actu quo credit. Cognoscere miraculum ut signum revelationis, credere factum revelationis, credere veritatem revelatam, sunt unus idemque actus fidei 26.

Haec theoria tandem aliquando docet sine fide non posse cognosci certo credibilitatem fidei. Quod, ut vidimus, est contra doctrinam Ecclesiae. Nec iuvat affirmare motiva in seipsis habere valorem obiectivum. Mens enim Vaticani est, motiva illa habere vim ad hoc ut intellectus de facto percipiat credibilitatem. Quodsi ad hoc requiritur percipere nexum, intellectus sine dubio debet habere vim illuni percipiendi, ut vera sit definitio vaticana. Improbanda quoque est identificatio actus fidei cum actu affirmandi credibilitatem. Iuxta doctrinam enim Ecclesiae, certitudo de facto revelationis debet praecedere imperium voluntatis, ut imperium illud sit prudens et fides haberi possit.

4) *Nonnulli auctores recentiores,* valde urgentes partes gratiae in praeparatione ad fidem, tenent hominem, illuminatione gratiae, eum actum cognitionis facere qui ad assensum fidei eliciendum sufficit, quin necessarium sit, semper et pro omnibus, iudicium credibilitatis certum, ratione efformatum 2ks.

Gratia sane magnas partes habet in praeparatione ad

® Rousselot, *Les yeux dc la foi:* RcchScRel 1 (1910) 241-259.447-475; *Remarques sur l'histoire de la notion de la Loi rtiturelle:* RcchScRel 4 (1913) 1-36; *Réponse à deux attaques:* RcchScRel 5 (1914) 57-69; *La vrai pensée de Bautain:* RechScRel 5 (1914) 453-458. Cf. J.ne Wolf, *La justification de la foi* 13-36; Aubert, 451-470; Harent: DTC 6,260 275.

" Cf. Aubert, 470-511. Sed vide T.Urdâxoz. *Aspectos de la psicologia dc la fc:* RevEspT 19 (1959) 5-38.

fidem. Attamen munus illius non est supplere iudicium certum credibilitatis, sed iuvare intellectum ut vis obiectiva motivorum melius et facilius percipiat. Neque aliter salvari videtur doctrina Ecclesiae (D 1637).

105. 5) Inter diversas vias, quibus intellectus ad iudicium certum credibilita.tis efformandum pervenire potest, exclusimus viam fidei. /Iliae autem propositae viae excludendae sunt. *Protestantes* tenebant, sola experientia interna, per Spiritus Sancti testimonium, dignosci posse locutionem divinam. Cui testimonio divino substituerunt *posteriores* sensum quendam religiosum, sicuti *pietistae* inspirationem internam et *modernistae* indigentiam Dei. Haec omnia, quae tandem aliquando ad experientiam reducuntur, supponerent nos expenmentaliter attingere supernaturale qua tale; quod certe falsum est. Vide Vaticanum (D 1812).

6) Nihil ergo remanet nisi ut admittamus, viam ad iudicium certum credibilitatis efformandum esse *criteria obiectiva,* et quidem primario *externa,* quamvis etiam interna iuvare possint. Hoc docetur a Conc. Vaticano (D 1790) et contra Modernistas urgetur a S.Pio X (D 2145). Recenter eadem docuit Pius XII: "quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint, quibus vel solo naturali rationis lumine, divina Christianae religionis origo certo probari possit" 2'.

7) Singuli tamen fideles difficile examinare possent signa illa externa pro credibilitate cuiuscumque veritatis credendae. Ideo Christus instituit *Ecclesiam* suam, omnis revelationis magistram infallibilem, eamque manifestis notis instruxit, ut ipsa per se, magnum et perpetuum motivum credibilitatis exsistens (D 1794), ordinariam constitueret viam pro fidelibus ad factum revelationis cognoscendum.

8) Sed certitudo, qua Ecclesia tanquam magistra revelationis et per eam veritates revelatae cognoscuntur, non necessario est certitudo scientifica. Sufficit *certitudo vulgaris,* quae habetur sine examine motivorum de facto exsistentium pro illo assensu certo. Aliud quippe exigere, absurdum esset pro maiore parte fidelium. Immo sufficit certitudo quae dicitur *respectiva;* scilicet fundata in tali motivorum cognitione, quae pro illo credente in illis adiunctis sufficiat. Haec tamen certitudo respectiva dupliciter exponitur a theologis.

Alii enim rem ita explicant, ut certitudo in illis casibus

2l *Encycl. "Hunuini yeneris";* AAS 42 (1950) 562. Dc recenti theologorum diversitate in horum verboxun» intellectione, cf. R.AubErt, *Questioni attuah interno aU'aito di jede:* Problcmi e onentamenti di Teologia Domnxatica 2,704&.

habeatur *propter motivum de se insufficiens,* sed per accidens sufficiens pro illo qui credit. Talis est casus puerorum vel etiam adultorum plane rudium, qui credunt propter testimonium parochi, unius solius missionarii, matris, etc.; hoc vero motivum, *de se* insufficiens, est *pro ipsis tunc* motivum prudens, et proinde sufficiens. Cum autem veritas sic ipsis proposita est de facto revelata, Deus adiuvat puerum vel rudem gratia sua ad actum eliciendum. Qua gratia posita, assensus ille est certus et irrevocabilis. Haec omnia non obtinent in casu in quo veritas proposita ad credendum non sit de facto a Deo revelata.

Alii autem theologi tenent certitudinem in illis casibus haberi *propter motivum, per se quidem sufficiens,* quod tamen per accidens non percipitur ea claritate quae cuilibet sufficeret ad credendum, sed ea tantum quae huic puero vel rudi nunc certo sufficit. Motivum tandem est ipsa Ecclesia per orbem diffusa; quam tamen illi non agnoscunt nisi confuse in testimonio parochi vel matris; sed hoc est pro ipsis motivum prudens et sufficiens. In hac explicatione, certitudo, infallibilitas et irrevocabilitas actus fidei proveniunt non est gratia, sed ex ipso motivo revera exsistente. Ideo haec solutio magis placet[25].

ARTICULUS II

Assensus supernaturalis

Thesis 8. Actus fidei est supernaturalis.

S.Th., 2-2 q.6 a.1-2; Lennerz, *229-235; Pesch,* 162-180; Beraza, 596-599; Harent, 357-366.

106. Nexus. Cum voluntas imperat assensum fidei, sese atque intellectum ordinat positive ad finem ultimum supernaturalem; unde iam ex hoc capite debet dari essentialiter in actu fidei supernaturalitas. De hac ergo fidei divinae proprietate nobis nunc agendum est.

107. Notiones. Supernaturale est donum Dei, naturae creatae positive indebitum eique superadditum. Dicitur supernaturale *quoad substantiam, seu entitative,* si ipsa entitas rei sit positive indebita naturae, omnes eius vires superans; *quoad modum* supernaturale dicitur, si quamvis entitas ipsa

[25] Cf. Lennerz, 264-2.98, ubi etiam recensentur auctores pro unaquaque ex explicationibus propositis in ultima quaestione. Vide etiam S.Vilajusana, *Poder de las fuersas naturales para obtener la credibilidad natural y la fe adquirida, segûn el P.Suâres:* ArchTcolGr 19 (1956) 55-95.

non sit positive indebita, producitur tamen modo indebito. Affirmamus entitativam et intrinsecam supernaturalitatem actus fidei, quocumque tandem modo, iuxta varias theologorum theorias, haec explicetur. Distingue ergo bene *factum* supernaturalitatis entitativae et quoad substantiam (quod in thesi affirmamus), ab eius *explicatione* (a qua nunc praescindimus). Proinde ille actus nequit elici a solis potentiis naturalibus sine auxilio gratiae superaddito.

Actus Fidei potest considerari vel formaliter, vel adaequate. *Formaliter* est ipse assensus, qualem descripsimus. *Adaequate* est complexus psychologicus resultans ex imperio voluntatis et ex assensu intellectuali. Actum fidei dicimus supernaturalem entitative non solum si adaequate sumatur, sed etiam si consideretur formaliter.

108. Adversarii. *Pelagiani,* negantes gratiam internam ad actus salutares, eo ipso negabant supernaturalitatem actus fidei; qui proinde, iuxta ipsos, a solis facultatibus naturalibus fiebat.

Semipelagiani, qui solis viribus naturalibus tribuebant "initium fidei" et "affectum credulitatis". Distinguebant enim inter initium fidei et augmentum fidei (seu fidem integram); primum dicebant esse a libero arbitrio, alterum a gratia Dei. Initium autem fidei intelligebant actum initialem fidei, quo homo sese convertit seseque submittit Deo; et praeterea complexum actuum fidendi, orandi, paenitendi, amandi Deum, observanidi mandata, aliorumque quibus homo se praeparat ad baptismum. Sic maxime Cassianus in *Collatione XIII* (qui tamen formula "initium fidei" non utitur),, iuxta quem haec omnia fiunt saepe a libero arbitrio sine gratia, quandoque vero a gratia praeveniuntur. Affeçtum vero credulitatis intelligebant non voluntatem credendi, sed ipsam fidem. Sic maxime Faustus Regiensis in libro *Dc gratia et libero arbitrio*\

Hermes, qui distinguens inter fidem cordis et fidem cognitionis (cf. supra n.93), ad hanc nullam gratiam requirebat, utpote quae necessario a cogentibus argumentis causaretur.

109. Doctrina Ecclesiae. *Indiculus* c.9 (D 141): Deus, est auctor omnium bonorum affectuum, operum, studiorum, virtutum, quibus *ab initio fidei* ad Deum tendimus. Hoc documentum doctrinam Sedis Apostolicae annis 435-442 certo contineta.

1 Cf. J.Chéné, *Que signifiaient "initium fidei" ct "affectus credulitatis" pour les semipélagiens?:* RechScRel 35 (1948) 566-588.

2 Cf. H.Cappuyns, *L'origine des Capitula pseudocélestiniens contre le semi·pélagianisme:* RevBen 41 (1929) 158-170,

Conc. Arausicanum II cn.5 (D 178): *initium fidei et credulitatis affectus*[3] sunt per gratiae donum; cn.6 (D 179): misericordia Dei non confertur credentibus sine gratia, sed ut credamus (cf. cn.7-8). In professione fidei finali dicitur (D 199): fides non confertur per bonum naturae, sed per gratiam Dei. Bonifatius II in confirmatione Concilii iterum docet (D 200a 200b): fides venit de gratia. In his textibus agi de gratia interna dubitari nequit: disputatio enim cum semipelagianis erat de eadem gratia de qua disputatum erat cum pelagianis[4]. Agitur etiam de actibus qui iustificationem baptismalem praecedunt; agitur enim de primis motibus conversionis, ideoque Cassianus[5] loquitur de variis modis quibus homines ad conversionem perveniunt[6].

Conc. Tridentinum s.6 c.6 (D 798): excitati divina gratia et adiuti, fidem..., credentes...; cn.3 (D 813): sine praeveniente gratia homo nequit credere...

Conc. Vaticanum s.3 c.3 (D 1791); fides cognitionis (contra Hermes) donum Dei est ideo quia non fit sine gratia; cn.5 (D 1814): gratia Dei non est necessaria ad solam fidem vivam (seu cordis). Praeterea s.3 c.3 (D 1789) fides describitur tanquam virtus supernaturalis; unde etiam eius actus supernaturalis erit.

110. Valor dogmaticus. Actum fidei in genere esse supernaturalem, est *de fide divina et catholica definita.* Hoc valet saltem de actu voluntatis imperantis assensum fidei; quia de hoc saltem agunt Tridentinum et Vaticanum. Ipsum etiam assensum esse supernaturalem saltem cum ponitur a virtute fidei, *videtur eodem modo de fide;* quia Vaticanum, describens virtutem fidei supernaturalem. dicit eius actum esse assensum propter auctoritatem Dei revelantis. Supernaturalitatem hanc esse entitativam, est *sententia communis et certa.*

111. Probatur ex sacra Scriptura. Io 6,44s. *a)* Contextus: agitur de quadam digressione (6,41-47) in sermone de pane vitae. Datur incredulitas iudaeorum, qui originem divinam Christi non credunt quia bene cognoscunt eius originem humanam (v.41s). Iesus autem, illam originem ulterius non explanans, explicat eorum incredulitatem ideo quia gratiae in-

[3] "Credulitatis affectus" intellicendus est hic sensu semipelagiano pro ipsa fide. In posteriore theologia "pius credulitatis affectus" intellectus est de voluntate imperante assensum fidei. Haec prae oculis habenda sunt, pro recta textus interpretatione.

[4] Cf. Cassianus. *Collationes* 13.16: ML 40,942.

[5] Cf. Cassianus, *Collationes* 13,11: ML 49,922-924 et 930.942.

[6] Hinc admitti nequeunt quae scripta sunt a E.Neveut, *Des actes entitativement surnaturels:* DivThom (Pi) 32 (1929) 537-562. Pro fontibus horum canonum; cf G.Fritz, *Orange (Concile de):* DTC 11,1080-1103.

ternae, quae ad credendum necessaria est (v.43s), ipsi nolunt cooperari (v.45).

b) Unde sic: Nemo potest venire ad Christum nisi trahatur a Patre. Atqui venire ad Christum est credere, et trahi a Patre est accipere gratiam internam. Ergo sine gratia interna nemo potest credere. Ergo actus fidei est supernaturalis.

Min.: Venire ad Christum est credere, ut constat ex v.29. 35.37.40. Trahi est interno impulsu efficaciter allici (cf. Io 12,32); hic vero internus et efficax impulsus nihil aliud est quam gratia interna.

Ex S.Paulo: Fides est donum Dei non ex viribus naturae, neque ex operibus (Eph 2,8; Phil 1,29). Ergo fides est supernaturalis.

Hos textus affert in hunc sensum Conc. Arausicanum II (D 178).

112. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres* contra semipelagianos necessitatem gratiae pro fide strenue propugnarunt. Sic S.Augustinus maxime in libro *De praedestinatione Sanctorum* (R 1978-1991), S.Prosper in libro *Contra Collatorem* (R 2034-2038), S.Fulgentius praecipue in *Epistola ad monachos scythas* (R 2246).

Eandem doctrinam tradunt explicantes textus citatos S.Scripturae (R 1165 1204 1890 2163); qua in re notissimus est locus S.Augustini (R 1821s)[7].

b *Theologi.* In primaeva scholastica fiebat distinctio inter fidem acquisitam et fidem gratuitam; quae distinctio non ab omnibus eodem modo intelligebatur. Sed fidei gratuitae supernaturalitas ab omnibus docebatur. Sic Abaelardus, Gulielmus Altissiodorensis, Gulielmus Parisiensis, S.Albertus M., *Summa Halensis,* deinde Scotus, etc. S.Thomas

[7] De verbis S.Io.Chrysostomi, quae in contrarium adduci possent, cf. E.Boularand, *La venue de l'homme à la foi* 153-164. Textus illi sunt:

a) *Hom. de verbis Apostoli 2 Cor 4,13* n.5: "initio credere et parere vocanti, nostrae est bonae menti; at postquam tacta fuerint fundamenta, iam opus est auxilio Spiritus ut in nobis perpetuo maneat inconcussa et inexpugnabilis" (MG 51,276).

b) *In epist. ad Hebraeos* hom.19,1: "abluere conscientiam et aspergere, est Dei; procedere autem in veritate et in plena certitudine fidei, nostrum" (MG 63,141).

c) *In epist. ad Romanos* hom.2: "[iustitiam] ex superno dono accipis, hoc unum ex te ipso afferens, quod credas" (MG 60,409).

d) *In epist, ad Romanos* hom.9,2: "duo illa ponit, et quae ab Ipso et quae a nobis. Sed quae ab Ipso, sunt varia et multa et diversa...; nos vero fidem solam attulimus" (MG 63,468)..

Sed in S.Chrysostomo doctrina contraria clare affirmatur in multis textibus (cf. Boularand, 139-153). Praeterea in textibus citatis, excepto primo, agitur de actibus fidelium qui sese disponunt ad maiora beneficia Dei recipienda. In primo autem textu agnoscitur praecedere divina vocatio, quae tamen libertatem in consentiendo non laedat.

expresse proposuit supernaturalitatem assensus fidei, etiam in casu fidei informis (2.2 q.6 a.Is) 8.*

Posteriore tempore quaestio ponitur non de facto supernaturalitatis (de quo nemo dubitat), sed de eius explicatione. Sic ergo ab aliquibus theologis propugnata est supernaturalitas fidei quoad modum tantum, non quoad substantiam; quem modum varie explicabant, ratione intensionis actus aut promptitudinis aut certitudinis, aut facilitatis, etc. Im hac sententia fuerunt Scotus ", *nominales* et nonnulli *thomistae,* ut Paludanus, Capreolus, Caietanus, Soto. Sed communis et certa theologorum sententia tenet supernaturalitatem entitativam actus fidei, seu quoad substantiam. Haec sententia propugnata fuit mon a ceteris *thomistis* solum, sed etiam ab omnibus *theologis S.I.*10

113. Ratio theologica, *a)* Actus positive conducens ad salutem debet esse supernaturalis. Atqui actus fidei positive conducit ad salutem. Ergo est supernaturalis.

Mai.: Quia secus non daretur proportio inter media et finem, cum finis (salus) sit supernaturalis; haec autem interna proportio a Deo in hoc ordine exigitur.

Min.: Quia per actum fidei positive coniungimur cum Deo, immo ipse actus fidei est radix et fundamentum totius vitae religiosae supernaturalis.

Hoc autem argumentum probat *entitativam* supernaturalitatem fidei.

b) Et quidem primo quoad *imperium voluntatis;* nam ab hoc pendet positiva illa ordinatio ad finem ultimum. Sed etiam quoad *ipsum assensum;* nam actus fidei formaliter est ipse assensus; unde si fides debet esse eiusdem ordinis ac finis supernaturalis, ipse assensus debet esse supernaturalis.

114. Obiectiones. 1. Scriptura videtur tribuere homini *initium fidei.* Sic Prov 16,1.9; Zach 1,3; Rom 7,18.

Dist. antec. Id tribuit homini operanti cum gratia Dei, *conc. antec.;* homini naturaliter operanti, *nego antec.* Vide quomodo hi textus explicentur a Conc. Tridentino s.6 c.S (D 797), iuxta doctrinam Conc. Arausicani II cn.4 (D 177), quae desumitur ex S.Augustino.

2. Plures ad *conversionem* plenam se disposuerunt. Sic Zachaeus, bonus latro, centurio, etc.11

Dist. antec. Et hoc fecerunt praeventi a gratia Dei, *conc. antec.;*

• Cf. M.D.Cbesu, *Pro fidei supcrnaturalilate illustranda:* XenThom 3,297-307.

• Cf. F.SchwEndinc.ER, *Duns Scoti doctrina dc substantiali supcrnaturalitate fidei infusae:* Ant 8 (1932) 3-38; qui quidem, omissis quaestionibus dc voce, hoc idem videtur confirmare.

10 Cf. Suârez, *De gratia* 1.2 c.4-9; Luco, *De fide* d.9 s.2 n.29; Ripalda, *De fide* d.9 s.1 n.4.

11 Cf. Cassianus, *Collationes* 13,11: ML 49,922.

propriis tantum viribus naturalibus, *nego antec.* Vide iterum Conc. Arausicanum (D 200) 's.

115. Scholion 1. *De supernaluralitate actuum, qui imperium voluntatis praecedunt.* Distinximus (supra, n.103) iudicium credibilitatis et iudicium credenditatis. Quaeritur, utrum haec etiam indicia debeant esse supernaturalia. Dicendum est: si illa iudicia intclligantur concrete (hoc mihi nunc credibile et credendum est), illa iudicia sunt supernaturalia sicuti ceterae omnes piae cogitationes quae antecedunt actum salutarem; si vero illa iudicia intelligantur speculative (credibile et credendum est quod Deus loquitur), non videtur requiri ut sint supernaturalia.

116. Scholion 2. *De explicatione supernaturalitatis in actu fidei.* 1) Diximus in thesi actum fidei esse entitative supernaturalem. Unde vero oriatur illa supernaturalitas, disputatur a theologis. Sed hoc bene nota, quaestionem disputatam non esse, utrum actus fidei sit entitative supernaturalis, an sit tantum supernaturalis quoad modum. Probavimus enim iam entitativam eius supernaturalitatem, quae est factum nunc explicandum.

Et quidem supernaturalitas actus fidei inde saltem habetur, quod fiat a principio supernaturali; sive illud principium sit habitus fidei (quando adest in credente), sive sit gratia actualis elevans intellectum (quando habitus non adest). Hoc ergo ab omnibus theologis admittendum est. *Quaestio* ulterior disputata *est:* utrum praeterea requiratur alius fons supernaturalitatis, ita ut, si ille non detur in actu fidei, actus nequeat dici simpliciter et entitative supernaturalis.

Quaestio sic proposita non est propria et exclusiva actus fidei, sed ponitur eodem modo pro omnibus actibus supernaturalibus, ut in tractatu *De gratia* n.115 dictum est.

2) *Duplex* ergo datur in hac re theologorum *sententia. Prima* tenet supernaturalitatem non explicari nisi actus habeat obiectum formale (seu motivum) supernaturale. Ratio huius sententiae est notissimum axioma: "actus specificatur ab obiecto formali"; si ergo obiectum formale fidei non sit supernaturale, actus ab illo specificatus non poterit esse supernaturalis. Obiectum supernaturale in actu fidei est auctoritas Dei revelantis, non utcumque, sed prout Deus est auctor ordinis et finis supernaturalis. Sic communiter Thomistae, Suarez, A^âzquez, alii.

Secunda sententia tenet, supernaturalitatem sufficienter explicari ex principio actum eliciente, quod, ut diximus, est supernaturale; neque aliud quippiam requiri. Si enim opera-*

13 De SS.Patribus, qui similia scmipelagianis dixisse videntur, cf. praeter dicta in nota 7, Pbtavius, *Dogmata thcolooica, Dc Deo* 1.9 c.5.

ri sequitur esse, facultas, supernaturaliter elevata et ut talis agens, elicere debet actum supematuralem. In hac ergo sententia actus naturalis et supernaturalis possunt habere idem motivum psychologicum, etsi essentialiter debeant habere diversum principium elicitivum. Sic v.gr. actus fidei naturalis et actus fidei supernaturalis habent tanquam motivum eandem auctoritatem Dei revelantis. Nota tamen in hac sententia non affirmari, actum supematuralem *nunquam* habere motivum diversum ab actu naturali ; sed *non requiri* ut illud motivum diversum habeat. Hoc enim aliquando datur, v.gr. in actu caritatis supernaturalis. Sic Molina, Lugo, Ripalda, Billot, Lennerz, alii[13].

Haec secunda sententia nobis praeferenda videtur.

3) Revera in actu *duo distinguenda* sunt: *primum* est perfectio ontologica quam affert potentiae, tanquam forma accidentalis in ipsa recepta; *secundum* est habitudo quam dicit ad obiectum, seu tendentia psychologica, propter quam est actus cognoscendi, vel actus amandi hoc vel illo modo. Iam vero optime concipitur, tendentiam hanc psychologicam, seu habitudinem ad obiectum, specificari ab ipso obiecto; est enim obiectum quasi terminus huius tendentiae, ad quam ipsa tota quanta dirigitur. Sed hinc non videtur sequi, perfectionem ipsam ontologicam, quam actus affert potentiae, specificari etiam ab obiecto; cum haec non sit aliquid relativum, nec per se dicens ordinem ad aliud, sed absolutum. Bene autem concipitur, hanc perfectionem specificari a suo principio, cum effectus referat perfectionem causae a qua procedit. Sic videtur nobis applicanda doctrina, quam S.Thomas affert de habitibus, deque eorum specificatione. Ratio enim similis esse videtur. Dicit ergo S.Thomas: "Respondeo dicendum, quod habitus et est forma quaedam, et est habitus. Potest ergo distinctio habituum secundum speciem attendi, aut secundum communem modum, quo formae ad invicem distinguuntur ; aut secundum proprium modum distinctionis habituum. Distinguuntur siquidem formae ad invicem secundum diversa principia activa: eo quod omne ens facit simile secundum speciem. Habitus autem importat ordinem ad aliquid. Omnia autem quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur"

13 Cf. E.David, *De obiecto formali actus salutaris* (Bonn 1913); E.Lingens, *Muss das Formalobject eincs übcrnatürlichcn Actes ubcrnatürlich sein?:* ZkathTh 18 (1894) 293-335.593-624; R.Garricou-Lagrange, *La foi in'fuse est-elle surnaturelle par son objet foririelf:* Ang 19 (1942> 312-319; T.Urdânoz, *La teolooia dei acto sobrcnatural en la Escuela de Salamanca:* CiencTom 62 (1942, I) 121. 145; 63 (1942, II) 5-24; C.Hubatka, *Actus specificatur ab obiecto formali:* DivThom (Fr) 27 (1949) 412-420.

(1.2 q.54 a.2). Iuxta hanc ergo doctrinam, distingui debet sensus (non amplitudo) axiomatis citati. Actus enim, *ut actus,* ut dicit hanc tendentiam psychologicam, ut est talis modus attingendi obiectum, sine dubio specificatur ab obiecto formali. Sed actus, *ut forma,* ut dicit absolutam perfectionem potentiae, non necessario specificatur ab obiecto formali, sed a principio ipsum eliciente [14].

4) Quodsi speciatim loquamur de hac sententia in actu fidei divinae, dicendum est illam *diversitatem motivorum* nullo modo fundari in documentis Ecclesiae. In illis enim non dicitur motivum fidei esse auctoritatem Dei praecise ut est auctor ordinis et finis supernaturalis; sed simpliciter auctoritatem Dei revelantis. Motivum scilicet est testimonium Dei, ut tale. Iam vero testimonium Dei eiusdem est auctoritatis et valoris, sive sit ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis. Tandem diversitas haec motivorum contradicit experientiae. Nec valet dicere rem esse metaphysicam, non experimentalem. Motivum enim psychologicum non agit nisi psychologice, et motivum actus cognitionis non influit nisi cognitum. Deberet ergo cognosci diversum motivum in fide naturali et in fide supernaturali. Ceterum quae proferuntur ex S.Scriptura ad motivum fidei supernaturali probandum, nihil aliud significant nisi actum fidei non elici sine gratia Dei; quae omnino alia est quaestio [15].

5) *Consequenter* ad ea quae diximus, admittimus possibilitatem actus fidei naturalis, cuius motivum sit ipsa auctoritas Dei revelantis, cuius tamen principium elicitivum sit solus intellectus cum concursu Dei naturali. Dixi nos admittere *possibilitatem* talis actus, non eius *necessitatem,* qualem posuerunt nonnulli theologi antiqui tanquam terminum in processu praeparatorio ad fidem, sine quo ipsa fides supernaturalis haberi non possit. Illum enim terminum naturalem ante fidem putamus esse actum scientiae, non actum fidei. Nec talis fides naturalis dici potest damnata in Conc. Arausicano II (D 178), ubi dicitur: "Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt". Ibi enim impugnatur Faustus Regiensis, qui fidem vocabat illam cognitionem Dei, quam homo lumine naturali habere potest ideo quia in seipso naturaliter habet imaginem divinam [16].

[14] Cf. R.Garrigou-Lagrange, *Actus specificatur ab obiecto formali. De universalitate huiusce principii:* ActPontAcRomSTh 1 (1934) 139-153; H.Lennerz, *De vero sensu principii "actus specificatur ab obiecto formali*". Greg 17 (1936) 143-146.

[15] Cf. R.Garrigou-Lagrange, *Dc revelatione* 1,462s.

[16] Faustus Regiensis, *De gratia et libero arbitrio* 2,6-7: ML 58,821-828.

Quae notio nullatenus coincidit cum nostra notione fidei naturalis.

117. Corollarium. Omnia quae hucusque diximus clare complectitur definitio quam S.Thomas praebet nostrae fidei theologicae: “ipsum autem credere est actus intellectus assentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam” (2.2 q.2 a.9).

ARTICULUS III

Analysis fidei

Thesis 9. Actus fidei in linea assensus ultimo resolvitur in solam auctoritatem Dei revelantis praecognitam.

LEnnErz, 299-356; Pesch, 318-354; Beraza, 518-575; HarEnt, 469-512.

118. Nexus. Postquam descripsimus *naturam* actus fidei, quaerimus quaenam sint eius intimae *causae,* seu quaenam sint eius ultima motiva, seu fundamenta quibus innititur. Haec resolutio actus fidei in sua motiva vocatur a theologis analysis fidei.

119. Notiones. Ultimo resolvitur, scilicet hoc est ultimum motivum seu fundamentum actus fidei ; ultra quod nullum aliud motivum *ipsius assensus* quaeri possit. Agimus enim de motivo logico ipsius assensus tantum ; non de motivo imperii voluntatis, aut iudiciorum credibilitatis. Est ergo motivum internum ipsi assensui; alia motiva sunt ipsi extrinseca.

In linea assensus, id est quantum est *talis* assensus, tales habens qualitates essentiales. Nam posset quaeri resolutio fidei in linea virtutis, in quantum est actus honestus: unde scilicet actus fidei habeat quod sit actus bonus, vel meritorius. Sed nostra quaestio est de resolutione ipsius assensus in quantum est assensus firmus super omnia, positus propter auctoritatem Dei revelantis.

In solam auctoritatem, id est ultimum motivum est ipsum motivum assensus fidei, quin ulterius ad motiva credibilitatis accurrendum sit.

Praecognitam, id est non resolvitur in cognitionem motivi, sed in motivum prout est in se; quamvis, ut patet, motivum debeat esse cognitum. At haec cognitio motivi non est *motivum,* -nec causât assensum, nec illum mensurat ullo modo; sed est *tantum condicio* ad hoc ut auctoritas Dei prout est in se, possit assensum causare illumque commensurare. Dicimus autem praecognitam, quia motivum debet utique co-

gnosci et quidem certo ante imperium liberum voluntatis, ut diximus supra n.104. Sed posita hac cognitione motivi, quae habetur ante assensum, nulla alia requiritur in ipso assensu fidei; sive dicatur haberi per fidem, sive immediate, sive quocumque alio modo.

120. Nostra sententia haec est: In processu fidei dantur tres gressus:

a) Primo intellectus affirmat certo exsistentiam motivi fidei pro determinata veritate: hoc, v.gr. Trinitas, a Deo revelatum est; unde hoc est mihi *credibile et credendum.* Hoc indicium causatur a motivis credibilitatis et credenditatis; non autem est assensus fidei divinae, sed est assensus scientificus. Per illud non creditur Trinitas, nec creditur auctoritas Dei revelantis, sed scitur Deum revelasse Trinitatem.

b) Deinde *voluntas imperat* intellectui ut assentiatur Trinitati propter auctoritatem Dei revelantis, id est ut faciat assensum quem *illa auctoritas prout est in se meretur,* quique proinde illi auctoritati commensuratur. Motivum huius actus est bonitas quae habetur in submissione intellectus et voluntatis Deo creatori et fini ultimo.

c) Tandem *intellectus assentitur* Trinitati illa firmitate, quam voluntas imperaverat. Motivum internum huius assensus est auctoritas Dei revelantis prout est in se. Hoc motivum iatn praecognoscebatur ante imperium voluntatis, nec ulterius cognoscendum est intra assensum fidei. Ideo intra assensum non datur motivum motivi, quia auctoritas Dei non affirmatur amplius in assensu fidei; sufficit eius affirmatio ante assensum. Assensus vero fidei ponitur *prout a voluntate imperatus* fuerat. Fuerat autem imperatus talis qualem auctoritas Dei prout est in se meretur, non qualem meretur nostra actualis cognitio auctoritatis Dei. Inde haec auctoritatis cognitio non est causa assensus, sed tantum condicio ut assensus poni possit.

Unde non credo Trinitatem quia credo vel video vel scio Deum illam dixisse; sed simpliciter *quia Deus dixit.* Ideo in linea assensus, actus fidei sistit in eius motivo prout est in se; nec intra ipsum assensum ulterius quaeri potest de motivo.

Haec sententia praeadumbratur a Scoto [1], qui omnium primus suscitavit problema de analysi fidei, postea late disputatum saec.XVI; defenditur ab Elizaldi; et Thyrso Gon-

1 Cf. F.SchwEndingER, *Dc analysi fidei iuxta Ioannein Duns Sectum:* Ant 6 (1931) 417-440. De S.Thoma, cf. B.Duroux, *La psychologic dc la foi chcs saint Thomas d'Aquin* (Fribourg 1959).

zalez saec.XVII, et nostris temporibus a Frins, Semeria, Schiefini, Billot, Pesch, Bainvel, Van Noort, Lennerz.

121. Adversarii. Multa sunt excogitata systemata ad hoc problema solvendum [2]; quae, quia a singulis auctoribus diversimode concipiuntur, difficillime exponuntur. Ideo dabimus tantum diversas tendentias auctorum:

a) Prima tendentia: resolutio actus fidei fit *in motivum creditum eodem actu.* Scilicet creditur Trinitas propter auctoritatem Dei revelantis, et eodem actu creditur etiam haec auctoritas Dei propter seipsam. Sic expresse Suarez [3]. Iuxta ipsum, fides nostra divina pendet ex duobus principiis: Deum non posse fallere in his quae dicit, et Deum dicere ea quae credimus. Hoc ultimum nequit cognosci per naturalem evidentiam; in hoc enim casu assensus superioris ordinis (fides) fundaretur per se in assensu inferioris ordinis (cognitio naturalis credibilitatis). E contrario tota certitudo et firmitas fidei nititur in suo obiecto formali, atque adeo in cognitione eius, quia ut cognitum movet ad credendum. Ille ergo qui credit, debet credere non solum revelata a Deo, sed etiam Deum esse veracem. Hoc autem credere debet fide supernatural! et infusa. Et quidem generatim eodem assensu quo credit id quod a Deo fuit revelatum. Scilicet: "Qui credit aliquid, quod dicit Deus, quia Ipse dicit, necessario credit Deum in illo dicto esse veracem; quod non est mirum in fide divina, quia in humana etiam id reperitur. Nemo enim potest credere verum esse, quod Petrus affirmat, quin credat Petrum in eo dicto esse veracem; quia idem fere sunt... In hoc ergo modo credendi, qui fortasse est per se necessarius ad fidem, ratio formalis obiecti fidei non per evidentiam, sed per fidem cognoscitur; quia cognoscitur eodem actu, quo res ipsa credita cognoscitur". Quodsi dicatur, fidem divinam tunc hoc modo resolvi; "credo Deum esse trinum, quia Ipse dicit; credo autem Illi dicenti, quia est verax; credo autem Illum esse veracem, quia Ipse etiam dicit; hic autem modus resolutionis videtur incredibilis"; si hoc, inquam, dicatur, respondet: "concedendo imprimis hoc esse magnum fidei mysterium: quod, licet non videat clare obiectum, neque res creditas, nihilominus non accipiat obiectum suum, ut in illo per se nitatur, tanquam cognitum per aliud lumen, sed sua virtute et efficacia credit illud; sicut

3 Cf. HarEnt, 471-512; Beraza, 518-540; J.StuptXr, *Zur Analyse des Glaubensaktes:* ZkathTh 66 (1946) 183-190.

8 *De fide* ‹1.3 s.12. P.Dut.au, *La pensée dc Suôree et celle des Salmanticenses dans la question "de ultima fidei resolutione":* RevThom 9 (1926) 517-522; TERESius a S.AgnETE, *De ultima resolutione actus fidei* (Roma 1942); de quo libro cf. Garrigou-I,agrangE, *A propos du livre du P.Tcresio "de ultinfa resolutione actus fide?'-.* Ang 19 (1942) 319-323.

divus Thomas dixit eodem actu nos credere Deo et Deum; et proptcrea talis actus omnino supernaturalis est et sine speciali auxilio gratiae haberi non potest". Et addit "hoc mysterium esse valde consentaneum rationi; nam tota haec certitudo debetur infinitae excellentiae divinae, immo intrinsece videtur sequi ex qualitate (ut sic dicam) divini testimonii, quatenus omnino infallibile est et obligare potest ad credendum ea, quae dicit, tanquam infallibilia; dicendo enim aliquid, eo ipso dicit esse veracem in eo quod affirmat...". In eadem tendentia, quoad essentialia, sunt Valencia, Tanner, Coninck, Sylvester Maurus, Platel, Gormaz, Tepe, Wilmers. Sic etiam recenter Garrigou-Lagrange, tenens obiectum formale fidei, utpote supernaturale, non posse attingi nisi fide [4].

In hanc tendentiam incidere videntur omnes qui tenent ex lumine fidei vel ex illustratione suasiva haberi novam perceptionem immediatam motivorum credibilitatis, dummodo de ipso assensu loquantur. Sic inter aliquos Arriaga, RasslеR, Ulloa, Viva, et, ut videtur, Capreolus et BAnez; postea vero Erber, Mazzella; nostro tempore Rousselot, Huby, H.Lang, Stolz, alii. Cf. etiam K.Adam [5].

122. *b)* Secunda tendentia: resolutio fidei fit *in motivum fidei simul cum motivis credibilitatis,* quod totum eodem assensu fidei affirmatur *immediate, quamvis obscure.* Sic Lugo [6]. Iuxta ipsum assensus fidei fit per hunc dicursum: "Revelatio divina fallere non potest; Deus autem revelavit Verbum esse hominem; ergo Verbum est homo. Quae omnia unico actu attingi possunt, si dicas: Verbum est homo, quia Deus revelavit, et revelatio Dei infallibilis est." In his duobus principiis innititur tota fides divina.

Utraque vero *propositio* illius discursus *est immediata. Maior quidem,* quia aequivalet huic propositioni: si Deus loquitur, loquitur vere; quae propositio condicionalis ex apprehensione terminorum nosci potest. Maior difficultas est in propositione *minori,* quae continet factum revelationis. Quaeri enim potest, quomodo factum aliquod contingens possit cognosci immediate.

Quod ut solvat, affirmat Lugo, assensum in propositionem hanc esse *immediatum et per se notum;* non esse tamen evi-

4 *De revelatione* t.1. s.4 et alibi.

e Cf. J.StufuCr, *Der Gewisshcitsgrund des gottlichcn Glauben:* ZkathTh 48 (1924) 1-36.

In eandem sententiam devenire videtur AubErt, 729-734, qui proponit perceptionem directam et supernaturalcm revelationis in facto Ecclesiae; unde credens assentitur quia ab eo loquela divina actu per Ecclesiae rcalitatem immediate percipitur.

• *De virtute fidei divinae* d.1 s.6 rt 7.

dentem, *sed obscurum,* licet certum et supernaturalem, atque elicitum ab habitu fidei tanquam primum principium ipsius fidei. Vox ergo Dei loquentis aliquando potest clare et evidenter audiri; at plerumque non ita clare auditur, sed obscure, praesertim quando Deus loquitur per nuntios et ministros. Explicandum ergo est quomodo ille assensus sit immediatus.

Quod sic explicat: "licet Deus non loquatur nobis immediate, loquitur tamen aliquo modo per os illorum qui mysteria sibi revelata proponunt"; loquitur "taliter proponendo mysteria, talia miracula operando, ut non solum auribus, sed visu etiam percipiamus vocem Dei loquentis nobiscum". Nam "sicut, quando lego epistolam amici, immediate ex visione scripturae, quam cognosco, iudico amicum mecum loqui, et licet aliquando formidarem an esset scriptura eius, adhuc possem probabiliter id indicate per assensum immediate ortum ex apprehensione illorum characterum...: sic etiam, considerans miracula et signa, quibus Deus mihi loquitur, licet non videam clare esse litteras vel vocem Dei, apparet tamen id obscure, sed immediate et cum tanta proportione, ut prudenter imperet voluntas eum assensum immediatum elici absque ulla formidine". Nec assensus ille dici potest mediatus. Nam "quando video proponi mihi mysterium Incarnationis ut revelatum a Deo, et proponi cum tanta copia miraculorum, martyrum, doctorum, cum tanta concordia saeculorum, conformitate cum ratione, etc., comparo istam propositionem cum idea quam habeo de locutione mediata Dei, et, licet non evidenter, iudico tamen ex terminis: talis modus proponendi est omnino modus dignus Dei".

Similiter Haunoldus, Mastrius, Hurtado, Ripalda, Franzelin.

123. *c)* Tertia tendentia: resolutio fidei *ad auctoritatem Dei ut ad motivum proximum, et ad motiva credibilitatis ut ad motiva remota,* quae actu scientifico ante assensum cognita sunt. Iuxta hanc sententiam in ipso actu fidei reassumuntur motiva ipsa credibilitatis, quae sunt vera motiva assensus fidei, non tamen proxima sed remota. Attamen haec sententia non affirmat motiva illa credibilitatis cognosci denuo in ipso actu fidei cognitione aliqua quae sit vere cognitio fidei. Sed tenet motiva illa manere cognita sicut prius cognita fuerunt, scilicet assensu non fidei, sed scientifico. Hinc differt haec sententia ab illa quorundam recentiorum (qui sub prima tendentia recensentur), qui tenent duplicem credibilitatem fi-

dei: aliam naturalem et scientificam, ante ipsum assensum fidei; aliam supernaturalem et fidei, in ipso assensu.

Sic Stentrup, Hurter, Stufler 7, Mitzka 8.

d) Quarta tendentia: resolutio fidei fit *ad solum motivum fidei, quod affirmatur sine ulteriore motivo obiectivo, ex imperio voluntatis.* Veritas scilicet revelata affirmatur *in ipso actu fidei* propter auctoritatem Dei revelantis, quae est ipsius fidei motivum. Haec vero Dei auctoritas non affirmatur propter ullum motivum obiectivum, sed ex solo imperio voluntatis. Ratio est, quia auctoritas Dei revelantis in illo actu est obiectum immediatum assensus liberi. Praesupponitur tamen necessario, auctoritatem Dei revelantis iam antea cognitam et affirmatam fuisse assensu certo. Qui quidem assensus *(praecedens assensum fidei)* sine dubio habet motivum obiectivum; est enim assensus scientiae. Quod motivum est motivum vel motiva credibilitatis.

Sic Mazzella, Beraza, Lercher, Straub °.

124. Valor theologicus. *Probabilior.*

Probatur *triplici gressu.*

1°. *Motivum fidei in ipso assensu non affirmatur:*

Nam *a)* vel affirmatur ex fide, *b)* vel affirmatur immediate ex seipso, *c)* vel affirmatur ex motivis credibilitatis ut prius cognita fuerunt, *d)* vel affirmatur sine motivo. Atqui nullum horum dici potest. Ergo motivum fidei in ipso assensu simpliciter non affirmatur.

Min.: Non a): In hac sententia credis Trinitatem quia Deus eam revelavit, simul autem credis Deum eam revelasse. Quaero ergo: unde credis Deum revelasse? Aut hoc credis propter aliud motivum cognitum, et de illo quaero, et sic datur processus in infinitum; aut credis propter ipsam revelationem Dei, et datur circulus vitiosus. Dicunt hoc esse magnum fidei mysterium. Sed unde constat tale mysterium? Mysteria enim admittenda non sunt nisi expresse ex revelatione probentur. Iam vero nullibi fontes revelationis aut magisterium Ecclesiae tale mysterium admittendum proposuit. Praeterea actus fidei essentialiter est assensus propter motivum extrinsecum ipsi rei quae est terminus assensus (in hoc enim differt essentialiter ab assensu scientifico, vel simpliciter ab

7 *Zur Analyse des Glaubensaktes:* ZkathTh *66* (1946) 190-195.

8 Cf. etiam F.ScnwBNDiNGER, *Die Losung des Problems der analysis fidei?:* ThGl 24 (1932) 26-42.

• *De analyst fidei* (Oeniponte 1922) 382ss. Cf. etiam *Zu meinem Werke "De analyst fidei":* ZkathTh 48 (1924) 325-336; *Nochmals eu meinem Werke "De analyst fidei":* ZkathTh 49 (1925) 450-465; *Noch cin Wort sur Analysis fidei:* Z-kathTh 50 (1926) 454-463.

assensu propter evidentiam). Iam vero si auctoritas Dei creditur propter seipsam, non admittitur propter motivum ipsi extrinsecum. Ergo, ut talis, credi non potest, in singulis actibus fidei.

Non b): In hac sententia credis Trinitatem quia Trinitas sic proponitur in concreto, ut non possit non esse doctrina a Deo dicta. Sed tunc fides fundatur in cognitione naturali, licet immediata. Praeterea factum revelationis nequit cognosci ex analyst terminorum, quia est factum contingens; illa enim concreta propositio revelationis vel sumitur condicionaliter (et nihil fit), vel categorice (et non est immediata, cum debeat probari argumentis). Quodsi dicatur miracula esse vocem Dei, hoc intelligitur tantum eo sensu, quatenus sunt signa et media, quibus divinam locutionem *probare* possumus; sed non eo sensu, quatenus miracula, etiam sumpta in complexu cum modo concreto quo revelatio ipsa proponitur, sint nobis immediata locutio Dei.

Non c): In hac sententia fides nititur tandem in cognitione naturali. Si ergo credo Trinitatem quia scio Deum eam revelasse, hoc autem scio ex argumentis rationalibus, firmitas fidei videtur pendere a scientia quam habeo horum argumentorum.

Non d): Hi auctores fortasse in re nihil aliud dicunt nisi quod nos, scilicet in ipso assensu motivum non affirmari, sed attingi tanquam terminum, id est *ut quo.* Si vero dicere velint motivum m assensu affirmari quidem *ut quod,* affirmari autem sine motivo, tunc ponunt actum caecum qui sustineri non potest.

125. 2.° *Sententia nostra non contradicit aliis veritatibus theologicis, sed e contrario illas bene explicat.*

Nam *a)* sententia nostra nihil ultra ponit in assensu fidei, nisi quod ponit Ecclesia: auctoritaem Dei revelantis, tanquam motivum; et auxilium gratiae divinae, tanquam principium.

b) Sententia nostra bene explicat: 1) *Obscuritatem et libertatem* fidei, ut vidimus: quia assensus propter auctoritatem essentialiter est obscurus et liber. 2) *Certitudinem et firmitatem* fidei *super omnia:* quia assensus fidei mensuratur ex motivo prout est in se; sed motivum est auctoritas Dei revelantis, quae in seipsa infallibiliter connectitur cum veritate, fortius quam quodlibet aliud motivum creatum. 3) *Rationem obsequii* in fide: quia assensus fidei, positus et specificatus per solam auctoritatem Dei revelantis, necessario est libera et plena submissio Deo loquenti. 4) *Supematuralitatem*

fidei: quia principium elicitivum fidei est entitative supernaturale; unumquodque autem operatur secundum quod est actu.

5) *Valorem tandem religiosum actus fidei:* quia actus ponitur tantum in obsequium Dei; adeo ut propter Ipsum solum, sepositis naturalibus rationis tendentiis, assensus super omnia firmus, etiam sub obscuritate mysterii, libero et religioso impulsu imperetur 10.

3. *Sententia nostra sufficienter solvit difficultates,* ut videbimus.

Quibus omnibus simul sumptis, sententia nostra praeferenda videtur.

126. Obiectiones. 1. Motivum assensus ct obiectum formale assensus sunt idem. Atqui in omni assensu affirmatur eius obiectum formale. Ergo motivum fidei affirmari debet in assensu fidei.

Dist. mai. Si obiectum formale late sumatur, idem sunt, *conc. mai.;* si stricte sumatur, *nego mai. Contradist. min.* Obiectum formale late dictum affirmatur in omni assensu, *'nego min.;* stricte dictum, *trans, min.;* nam iuxta aliquos auctores adhuc subdistinguendum esset: affirmatur ut quod, *nego;* ut quo, *conc.*

Scilicet motivum et obiectum formale saepe usurpantur ut synonima; et ratio est quia in pluribus reapse conveniunt. Utrumque epim movet, utrumque specificat. Et ideo si obiectum formale late sumatur, idem sunt. Sed si strictius loqui velimus, cum agitur de intellectu distinguendum est; quia in voluntate videntur semper coincidere. Obiectum enim formale sese habet semper ex parte obiecti, cum sit ratio sub qua obiectum attingitur a facultate. Sed motivum potest esse vel in ipso obiccto (evidentia), vel extra illud (testimonium).

Si ergo obiectum formale stricte sumatur, sine dubio attingitur in omni actu intellectuali. Sed illud obiectum non est nisi *verum,* estque unicum pro omnibus actibus intellectus, cum intellectus sit facultas quae versatur circa verum. Sicque datur specificatio facultatis ex obiecto formali. Specificatio autem inter diversos assensus non est ex obiecto formali stricte sumpto, sed ex motivo.

Posset tamen adhuc dici, dari etiam diversum obiectum formale pro diversis assensibus. Sic obiectum formale assensus scientifici esset *ens scibile;* obiectum formale assensiis fidei esset *ens credibile.* Attamen notandum est, tale obiectum formale nihil esse in ipso obiecto scito vel credito; obiectum enim in se, neque scibile est neque credibile. Hae sunt denominationes extrinsecae resultantes in obiecto ex motivo. Ergo obiectum formale sic intellectum non videtur affirmari in omni assensu; quia affirmatio assensus tendit in obiectum prout est in se. Immo, etiam dato quod affirmetur tale obiectum formale *credibile* v.gr., adhuc non affirmaretur credibilitas neque id unde credibile est (sci. testimonium).

Si motivum sumatur stricte, non necessario affirmatur in ipso assensu; quia affirmatio versatur circa id in quod tendit assensus; tendit autem in obiectum prout est in se. Cum ergo motivum pos-

w De hoc aspectu religioso fidei, qui hodie in honore est apud nonnullos auctores, cf. R.AubSrt, *Questioni attuali dell'atto di fede:* Problem! e orientamenti di Teologia Dommatica 2,690-701, cum recenti bibliogra-phia.

sit esse aliquid extrinsecum obiecto, nihil mirum quod, affirmato obiecto, non semper affirmetur eius motivum ".

127. 2. In assensu scientifico affirmatur obiectum materiale propter evidentiam, et eodem actu affirmatur evidentia propter seipsam. Ergo a pari in assensu fidei, affirmatur obiectum creditum propter auctoritatem Dei revelantis, et eodem actu affirmatur ipsa auctoritas Dei revelantis propter seipsam.

Nego paritatem. Evidentia est aliquid in ipso obiecto; testimonium autem est aliquid extra obiectum creditum.

3. Veritatem revelatam credo propter auctoritatem Dei revelantis. Ergo haec auctoritas magis credenda est. Secus enim effectus superaret causam.

Dist. antec. Credo, id est affirmo, propter auctoritatem Dei revelantis, prout est in se, *conc. antec.;* prout a me cognoscitur, *nego antec. Pariter dist. cons.* Si affirmarem veritatem propter meam cognitionem auctoritatis Dei, *conc. cons.;* si affirmo propter auctoritatem prout est in se, *nego cons.* Patet vero effectum non superare causam, quia assensus totus quantus mensuratur ab auctoritate Dei prout est in se.

4. Motivum assensus non movet nisi ut cognitum. Ergo cognitio motivi est causa assensus.

Dist. antec. Id est, non movet nisi sit cognitum, *conc. antec.;* id est, eo modo movet quo cognoscitur, *subdist.:* si agitur de motivo intrinseco, *conc.;* si agitur de motivo extrinseco, *nego. Pariter dist. cons.* Si requiritur tantum ut sit cognitum, *nego cons.;* si eo modo movet quo cognoscitur, *subdis!.:* est causa assensus scientific!, *conc.;* assensus fidei, *nego* ".

CAPUT II

De obiecto materiali fidei divinae

128. Intimiorem naturam actus fidei divinae investigavimus, quin sermonem faceremus *de eius obiecto formali.* Ratio autem haec est, quam iam superioribus numeris attigimus. Specificatio scilicet facultatum sine dubio fit per obiecta formalia stricte sumpta. Sic intellectus specificatur per verum et voluntas per bonum. Sed intra unam candemque facultatem diversi actus specificantur stricte non per nova obiecta formalia, sed per motiva specifice diversa. Sic intra intellectum, actus scientiae diversificatur essentialiter ab actu fidei quia motivum scientiae est evidentia et motivum fidei est testimonium. Ideo egimus initio de motivo essentiali fidei divinae, sine qua tractatione impossibile est aliquid certum scire de illius natura.

Restat ergo ut nunc agamus *de obiecto materiali fidei,* seu

" Cf. LtNXSsz, 323-326.343.
13 Cf. A.M.Elorriaga, *De la afirmaciôn del objeto formal en el acto de fe divina:* Greg 10 (1929) 537-574.

de obiectis circa quae talis actus fidei divinae, qualem descripsimus, versari possit. Patet nos non quaerere de singulis veritatibus credendis. Sed quaestio est in genere: quid requiratur ut aliqua veritas possit credi fide divina. Responsio est obvia post ea quae hucusque vidimus. Cum enim actus fidei dari non possit sine suo motivo essentiali, et ex alia parte motivum sit auctoritas Dei revelantis, credi non poterit fide divina nisi veritas illa, quae a Deo revelata sit. Multipliciter tamen sumi potest divina revelatio. Ideoque quaerendum est quomodo debeat esse revelata aliqua veritas ad hoc ut revera cadat sub testimonio Dei, ac proinde credi possit fide divina.

ARTICULUS I

Stricte revelata

Thesis 10. Obiectum materiale fidei divinae non est nisi id quod revelatum est revelatione stricte dicta, sive immediata sit sive mediata.

LennKKZ, 144-184; Pesch, 231-250; Beraza, 230-234.517; HakEnT, 122-150.

129. Notiones. 1. Revelatio est manifestatio alicuius veritatis a Deo facta. Revelatio *late dicta* est manifestatio a Deo facta per creaturas. Quia creaturae sunt effectus Dei, in ipsis Deus nobis proprias perfectiones manifestavit, cum causa cognoscatur ex effectibus.

2. Revelatio stricte dicta est locutio Dei attestans; de qua abunde actum est in theologia fundamentali.

Revelatio *late dicta· est naturalis,* utpote quae in ipsa creatione fundetur. Huic respondet in homine cognitio religiosa naturali rationis lumine habita, de qua Conc. Vaticanum s.3 c.2 initio (D 1785).

Revelatio *stricte dicta est supernaturalis,* utpote quae homini absolute indebita sit, ut Vaticanum ibidem docet. Huic respondet in homine fides.

Dicimus non sufficere revelationem late dictam, sed requiri semper revelationem strictam, ut aliqua veritas credi possit fide divina.

3. Revelatio dicitur *immediata* vel *mediata* ratione subiecti. Immediata habetur si Deus per se ipsum, vel per Angelum, loquitur; v.gr. Prophetis in A.Testamento, vel Apostolis per Christum in Novo. Mediata habetur si Deus loquitur per intermedium aliorum, seu per legatos; v.gr. genti iudaeorum per Prophetas, vel nobis per Apostolos. Datur ergo immedia-

ta revelatio, si inter Deum loquentem et hominem audientem nulla alia *persona* interponatur.

Dicimus ad obiectum fidei constituendum non requiri revelationem immediatam; sed sufficere mediatam. Seu, quod idem est, ad hoc ut aliquis possit credere aliquam veritatem fide divina, non esse necessarium ut revelatio illius veritatis facta sit ipsi credenti.

PARS 1.®: REQUIRITUR REVELATIO STRICTA

130. **Adversarii.** *Rationalistae*, qui fidem vocabant rationalem omnem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium[1]. Revelatio naturalis huic fidei correspondons a diversis diversimode explicatur. Sic opera Dei in natura, quae in nobis excitant cognitionem Dei, vocabant aliqui revelationem universalem; exsistentiam naturalem hominum egregiorum, qui ex propria persona et ex suis operibus excitant nos ad maiorem cognitionem Dei, vocabant revelationem particularem. Aliqui, ut Harnack, non admittebant nisi hanc ultimam[2].

Semirationalistae, qui fidem vocabant omnem firmam persuasionem de Deo et rebus divinis, etiamsi veritas teneretur solummodo propter perspectum intrinsecum nexum idearum[3]. Nullam proinde revelationem strictam exigebant.

Modernistae, pro quibus revelatio nihil aliud esse potuit, quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia (D 2020), seu manifesta Dei notitia in conscientia (D 2079).

131. **Doctrina Ecclesiae.** *Conc. Vaticanum* s.3 c.3 (D 1789): a Deo *revelata* credimus propter auctoritatem Dei revelantis. Revelatio in hoc textu intelligitur supernaturalis illa et stricta revelatio, de qua locutum est Concilium in capite praecedenti, ut constat ex relatore. Vult enim Concilium docere, revelationi ex parte Dei respondere ex parte hominis fidem[4]. Iuxta dicta postea in eodem capite (D 1792), credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur; ergo *revelata.*

Como. Vaticanum s.3 c.4 (D 1795) statuit ordinem duplicem cognitionum: scilicet ex una parte cognoscimus naturali ratione ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest; ex alia parte cognoscimus fide divina mysteria in Deo abscondita, quae nobis a Deo *revelata* sunt.

1 Cf. CL 7,527.
2 Cf Harent, 138.
3 Cf. CI, 7.527.
4 Cf. CL 7,166.

S.Pius X *in iuramento antimodernistico* (D 2145) docet in fide dari assensum veritati extrinsecus acceptae ex auditu, circa ea quae a Deo *dicta, testata, revelata* sunt.

Iam *Conc. Tridentinum* s.6 c.6 (D 798) locutum erat de fide *ex auditu.*

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

132. Probatur ex sacra Scriptura, a) *Rom 10,5-21:* pro fide necessaria ad salutem, credendum est praedicationi (v.8s). Quod deinde sic explanat: ad salutem invocandus est Dominus (v.13); sed ad hanc invocationem requiritur fides; et ad fidem notitia accepta ex auditu ; et ad auditum praedicatio (v.14) ; et ad praedicationem praedicator; et ad praedicatorem missio (v.15). Ergo fides iustificans necesse est ut sit *ex auditu,* qui non habetur nisi ex praedicatione (v.17).

b) *Mc 16,15:* Apostoli mittuntur praedicare ea quae a Christo audierunt (cf. Mt 28,18-20); huic autem praedicationi respondet in audientibus fides. Quomodo Apostoli id fecerint, testatur 1 Cor 2,7-10.

133. Probatur ex traditione, *a)* Patres urgent fidem esse propter auctoritatem Dei *revelantis,* ut vidimus in thesi 5.

b) Urgent characterem *traditionalem* et immutabilem nostrae fidei, ut videbimus in 2." parte.

134. Ratio theologica. Fides divina exigit essentialiter testimonium Dei tanquam motivum. Atqui hoc testimonium non datur nisi in revelatione stricte dicta. Ergo ad fidem divinam requiritur revelatio stricte dicta.

Min.: Testimonium constituitur scientia et veracitate. Sed veracitas non datur nisi ubi est locutio stricte dicta. Ergo testimonium non datur sine revelatione stricta.

PARS 2.a : SUFFICIT REVELATIO MEDIATA

135. Adversarii. *Protestantes* admittebant revelationem factam per Christum et per Prophetas, quae nobis mediata est. Sed quia nullum admittebant revelationis fontem misi S.Scripturam intellectam eo sensu, quem unicuique credentium Spiritus Sanctus privatim inspiraverit, practice fidem praestabant "revelationi" sibi immediate a Deo factae. Quem errorem multae sectae de facto professae sunt, ut *cmabaptistae* et *quakeri.*

136. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Tridentinum* s.4 (D 783) docet revelationem contineri in Scriptura et in traditio-

a S.Augustino[9] per Magistrum Sententiarum[10] introducta est. Credere Deo designat motivum fidei; credere Deum denotat obiectum materiale principale seu attributionis; credere in Deum significat totalem submissionem, quam per fidem praestamus Deo fini ultimo[11].

145. Scholion 5. *De propositione dogmatica, prout est obiectum fidei.* Fides nostra fertur in Deum ct in alia prout ordinem habent ad Deum. At ex modo humano cognoscendi, per fidem non immediate attingimus ipsum obiectum revelatum sed mediante propositione aliqua obiectiva. Hinc formulae dogmaticae reici non debent tanquam aliquid quod nos a Deo seiungat (K.Barth), sed servari et custodiri debent tanquam expressiones humanae realitatis supernaturalis, quibus Ecclesia sigillum propriae infallibilitatis apposuit, ac proinde authentice declaravit eas recte efferre illam veritatem divinam. Cf. Encyclicam *Humani generis* (D 3009ss).

ARTICULUS II

Formaliter revelata

Thesis 11. Obiectum materiale adaequatum fidei est veritas formaliter revelata.

LennErz, 144-185; Pesch, 258-280; Beraza, 235-293.

146. Nexus. Quia diximus revelationem stricte dictam, licet mediatam, requiri ad obiectum materiale fidei divinae constituendum, ulterius ponenda est quaestio: quae, considerando non ipsam revelationem, sed id quod revelatum est per illam, investigat utrum omnia, quocumque modo per revelationem stricte dictam revelata, obiectum sint fidei divinae.

147. Notiones. Revelatum distinguitur formaliter et virtualiter.

a) Formaliter revelata est veritas quae in seipsa revelata est; vel quae non est alia veritas ab ea quam verba revelationis significant. Potest esse explicite et implicite revelata.

Formaliter explicite revelata est veritas, quae nobis per ipsa verba revelationis significatur.

Formaliter implicite revelata est veritas, quae, licet ipsis verbis propositionis explicite revelata non significetur, eadem tamen est veritas cum ea quae explicite revelatur. Sic revelantur implicite: definitio in definito (v.gr. Christus est animal rationale, in propositione: Christus est verus homo); partes physicae essentiales in toto (v.gr. Christus habet corpus et

9 *In Ioannem* tr.29 n.6: ML 35,1631.
10 *Sententiae* 3 d.23 c.4.
11 Cf. Harent, 64-67.

animam, in propositione: Christus est homo); propositio particularis in propositione universali (v.gr. Petrus est redemptus a Christo, in propositione: omnes homines sunt redempti a Christo); conclusio in praemissis explicite revelatis (v.gr. Matthaeus accepit Spiritum Sanctum, in praemissis: Omnes Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, et Matthaeus est Apostolus); correlativum in relativo (v.gr. Deus est Pater Christi, in propositione: Christus est Filius Dei); negativa in contradictoria (v.gr. Non sunt plures Dii, in propositione: Deus est unicus).

Nola has omnes propositiones esse *vere* revelatas, quia sunt una veritas (non tantum una realitas), quae supponitur explicite revelata. Sunt tamen *implicite* revelatae, quia in ipsis verbis propositionis explicite revelatae non continentur, sed debent innotescere aliunde. Quodsi ad hoc quandoque adhibeatur syllogismus, hic non est verus syllogismus discursivus seu illativus, sed mere cxplicativus seu expositorius. Qui enim intueretur veritatem (non tantum realitatem) explicite revelatam, in ea videret eo ipso etiam haec alia, quae non sunt diversa veritas ab ea[1]. Ceterum assensus in illo casu praestatur non conclusioni formalitcr ut tali (quia sic non est obiectum fidei divinae), sed conclusioni, quae apparuit certo identif.icari cum veritate explicite revelata, ac proinde cum unica praemissa revelata.

148. b) *Virtualiter revelata* est veritas, quae, licet diversa sit a veritate formaliter revelata, ita tamen cum ipsa connectitur, ut ex illa deduci possit. Deducitur autem per verum syllogismum discursivum, in quo una praemissa est formaliter revelata, alia est certa ex ratione. Vocatur etiam *conclusio theologica.*

Nota primum, non omnes auctores eodem modo loqui; quod omnino prae oculis habendum est, ut singulorum sententiae bene intelligantur.

Nota secundo, saepe sermonem fieri de revelato immediate et de revelato mediate in eodem sensu, ita ut revelatum immediate sit idem ac formaliter, et revelatum mediate idem ac virtualiter. Sed vitanda est confusio cum divisione antea assignata revelationis immediatae et mediatae (supra, n.129). In hac ultima divisione consideratur immediatio ratione subiecti; et quaestio est utrum inter revelantem et credentem interponatur alia *persona,* necne. Sed in illa

1 In hac re, nonnullae sunt propositiones, de quibus disputarunt late theologi. Sic v.gr. de propositionibus: hic puer baptizatus est in statu gratiae; haec hostia consecrata continet realiter Christum; hic numero Papa est successor legitimus S.Fetri; et de aliis similiter. In his propositionibus tota quaestio est in certitudine qua constet de veriffcata condicione quae in ipsis est implicita. Sic puer baptizatus erit in statu gratiae, *si* rite sit baptizatus; hostia consecrata continebit realiter Christum, *si* rite sit consecrata; hic numero Papa erit successor S.Petri, *si* rite sit electus. Haec autem omnia generatitn constare non possunt nisi certitudine morali late dicta, quae non excludit omnem possibilitatem erroris. Ceterum de quaestione, utrum sit fide divina credendum, hunc numero Papam esse successorem S. Petri, multum disputatum est saeculo XVI. Cf. J.A. de Aldama, *Nuevos documentas sobre las tesis de Alcalà:* ArchTG 14 (1951) 129-282.

divisione consideratur immediatio ratione obiecti; et quaestio est utrum obiectum, quod creditur, sit ipsa veritas revelata directe et immediate, an obiectum quod creditur sit alia *veritas,* quae mediante veritate illa revelata attingatur.

149. Quaestio nostra. Si obiectum fidei, ut probavimus, debet esse vere revelatum, ad minimum dicendum est ad obiectum fidei pertinere id quod *formaliter explicite* revelatum est. Sed quia revelatum formaliter implicite non est diversa veritas ab ea quae est revelata formaliter explicite, patet etiam veritatem *formaliter implicite* revelatam esse obiectum fidei divinae. Unica quaestio esse potest, utrum aliquid reapse sit formaliter implicite revelatum, necne. Quam quaestionem in thesi non tangimus.

Unde tota nostra quaestio est de *virtualiter revelatis,* quae asserimus *in nullo casu posse* credi fide divina. Dicimus "in nullo casu", quia duplex hypothesis fingi potest, ut videbimus, prout magisterium Ecclesiae veritatem illam virtualiter revelatam definierit, vel non. Potest enim Ecclesia virtualiter revelatum definire; immo in hac definitione Ecclesia est infallibilis, ut communiter tenent theologi, etsi hoc ultimum non sit certo de fide [1]. Virtualiter ergo revelatum potest considerari ante definitionem Ecclesiae et post definitionem Ecclesiae. Dicimus in neutro casu posse credi actu fidei divinae.

150. Adversarii, *a)* Virtualiter revelatum *praescindendo a definitione Ecclesiae* debere credi fide divina ab eo qui evidenter concluderet illud ex praemissis, tenuerunt Soto, Vega et Vazquez [3].

b) Virtualiter revelatum *post definitionem Ecclesiae* debere credi fide divina, tenuerunt Suarez et Lugo et ante ipsos Medina, Navarrete, Gonzalez de Albelda [4]. Nostro autem tempore Schiffini, Grandmaison, Minges, Gardeil, Beraza, alii [5].

c) Virtualiter revelatum *nunquam* posse credi fide divina, tenuerunt Cano [6], Molina, Kilber; nostro tempore

1 Cf. SThS 1',3,710-713
3 Vazquez, *In 1* d.5 s.3. Cf. C.Pozo, *La teoria del progreso dogmático en los teólogos de la escuela de Salamanca* (Madrid 1959) 92.
4 Suarez, *De fide* d.3 s.11 n.11; Lugo, *De fide* d.1 s.13 n.272. Cf. J.Alfaro, S.I., *El proceso dogmático en Suáres:* AnGreg 68,95-122; C.Pozo, *o.c.,* 186.225-234.
6 Acutissime hanc sententiam recenter defendit Excmus. ac Rdmtis. D.Fidelis García Martínez, *A propósito de la llamada fe eclesiástica: ¿debe ser admitida en teologia?:* MiscCom 6 (1946) 7-45; *La solución de Suáres al problema de la evolución o progreso dogmático:* EstEcl 22 (1948) 151-165; *Estudios teológicos en torno al objeto de la fe y a la evolución del dogma* (Madrid 1953).
4 Sic, contra interpretationem P.Marin-Sola, putat A.Lang, *Die Loci theologici des Melchior Cano und die Methode des dogmatischen Beweises* (München

Scheeben, Billot, Pesch, Hugon, Schultes, Lennerz, alii.

d) Sententiam quodammodo diversam induxit P.Marin Sola, qui virtualiter revelatum duplex distinxit, prout nexu metaphysico vel nexu tantum physico connectatur cum formaliter revelato. Primum, quod solum constituit conclusionem theologicam, tenet esse credendum fide divina *post definitionem Ecclesiae;* alterum *nunquam* posse credi fide divina 7. Haec divisio magis attendit realitatem, quam veritatem revelatam. Nota sub primo membro huius divisionis contineri plura, quae nos vocamus formaliter implicite revelata.

151. Valor theologicus. *Sententia probabilior.*

Probatur, a) *Ante definitionem Ecclesiae.* Illud non est obiectum fidei divinae, quod propter solum testimonium Dei admitti nequit. Atqui tale est virtualiter revelatum ante definitionem Ecclesiae. Ergo non est obiectum fidei divinae.

Min.: Virtuale revelatum ante definitionem Ecclesiae admittitur propter praemissas. Atqui una ex praemissis ratione, non fide, cognoscitur. Ergo non admittitur propter solum testimonium Dei.

b) *Post definitionem Ecclesiae.* Virtualiter revelatum ante definitionem Ecclesiae, ideo non est obiectum fidei divinae, quia deest ipsi testificatio Dei. Ergo si post definitionem Ecclesiae iam est obiectum fidei divinae, ideo erit quia definitio Ecclesiae dat ipsi testificationem Dei qua carebat. Atqui definitio Ecclesiae nequit dare hanc testificationem. Ergo neque post definitionem Ecclesiae est obiectum fidei divinae.

Min. subs.: In tantum definitio Ecclesiae tribueret testificationem Dei, in quantum ipsa esset revelatio divina. Atqui hoc non est. Ergo definitio Ecclesiae non tribuit testificationem divinam.

Min. haec.: Definitio Ecclesiae est locutio Ecclesiae (mon Dei per Ecclesiam), cum assistentia (non cum revelatione) Dei. Scilicet accurate distinguendae sunt: revelatio, qua *Deus* loquitur (ut causa principalis); inspiratio, qua *Deus* (auctor principalis) loquitur *per hagiographum* (auctorem secundarium); definitio Ecclesiae, qua *sola Ecclesia* loquitur (ut causa principalis). In triplici casu datur infallibilitas, sed diverso modo: in primo datur vi loquentis, in secundo vi auctoris principalis, in tertio vi assistentis.

Distinguitur nostra probatio minoris subsumptae ab ad-

1925) 203s in nota; idemque probavit E.Marcotte, *l.c.,* 154-159, ct nunc C.Pozo, *o.c.,* 122-135.

7 *La evoluciôn homogénea del dogma catôlico* c.3 ct 4.

versariis: “In tantum definitio Ecclesiae tribueret testificationem Dei, in quantum ipsa esset revelatio divina, vel applicatio revelationis divinae, concedo; praecise in quantum ipsa esset revelatio, nego” s. Intelligunt autem *applicationem revelationis* propositionem illam, per quam ex propositione universali revelata explicatur (non deducitur) propositio singularis in ipsa contenta. *Attamen* negandum est, cum agitur de virtualiter revelato, definitionem Ecclesiae formaliter sumptam esse applicationem divinae revelationis; ut videbimus in obiectionibus. Definitio Ecclesiae formaliter nihil aliud est nisi locutio solius Ecclesiae.

Nota. Virtualiter revelatum ante definitionem Ecclesiae, iuxta Suarez, non erat revera a Deo testificatum; ideo definitio Ecclesiae debet quasi consummare revelationem. Iuxta Lugo, erat sane implicite revelatum; sed hoc nobis non apparet, nisi per definitionem Ecclesiae. Simile quid dicit Marin 'Sola, quoad virtuale inclusivum. Excmus. D.Garcia Martinez, loquens in sensu Patris Lugo, videtur tenere, omne virtualiter revelatum esse formaliter implicite revelatum tantum in veritate explicite revelata infallibilitatis Ecclesiae, non in veritate particulari ex qua deducitur. Hos diversos modos rem concipiendi attendemus in solutione difficultatum.

152. Obiectiones. 1. “Quod Ecclesia definit, Deus per Ecclesiam testificatur... Nam testimonium divinum aeque certum est sive sit Dei per seipsum, sive per legatum, sive per Ecclesiam” “.

Dist. Testificatur stricto sensu, *nego;* testificatur Ecclesiam esse infallibilem, *trans. Ad probationem dist.* Si sit verum testimonium, *conc.,* sed *nego suppositum,* scilicet dari verum testimonium Dei de veritate virtualiter revelata, eo ipso quod haec ab Ecclesia definiatur.

2. Non est minor auctoritas Ecclesiae definientis, quam S.Scripturae. Sed totum quod in Scriptura continetur credendum est fide divina. Ergo virtualiter revelatum ab Ecclesia definitum fide divina credi debet.

Dist. mai. Id est, utraque est reductive divina, *conc. mai.;* utraque est verbum Dei, *nego mai. Contradist. min.* Credendum est quia est verbum Dei, *conc. min.;* tantum quia habet auctoritatem divinam, *nego min.*

3. Assistentia Spiritus Sancti aequivalet revelationi eamque consummat.

Dist. Quoad infallibilitatem, *conc.;* quoad testificationem, *nego.*

4. Virtualiter revelatum post definitionem Ecclesiae est conclusio quae sequitur ex duabus praemissis revelatis. Ergo credi debet fide divina. *Prob. antec.:* “quod Ecclesia definit nequit esse falsum, si assistat Spiritus Sanctus; sed Spiritus Sanctus assistit Ecclesiae in definienda hac veritate concreta; ergo haec veritas est vera’’M.

Nego antec. Ad prob., dist. mai. Nequit esse falsum propter assistentiam Dei, *conc. mai.;* propter locutionem Dei, *nego mai. Conc.*

‘ F.García MartînBz, *A propôsito de ta llamada “fe eclcsidstica”:* RevEspT 11 (1951) 230.

• SuÁRBz, *De fide* d.3 s.11 n.11.

w Lvco, *De fide* d.1 s.13 n.275.

min. Pariter dist. cons. Est vera quia Deus illam revelavit, *nego cons.;* quia Ecclesia eam definivit cum assistentia Dei, *conc. cons.*

153. 5. Virtualiter revelatum, ab Ecclesia definitum, admittitur propter auctoritatem infallibilem. Ergo credi potest fide divina.

Dist. antec. Propter auctoritatem infallibilem Ecclesiae, *conc. antec.;* Dei, *nego antec.*

6. Sed auctoritas Ecclesiae est auctoritas ipsius Dei. Ergo virtualiter revelatum, ab Ecclesia definitum, admittitur propter auctoritatem Dei.

Dist. antec. Est auctoritas Dei assistentis, *conc. antec.;* loquentis, *nego antec.*[11]

7. Sed Deus non solum assistit Ecclesiae definienti, sed etiam revelavit Ecclesiam in suis definitionibus esse infallibilem. Ergo virtualiter revelatum, ab Ecclesia definitum, admittitur propter auctoritatem Dei loquentis.

Dist. antec. Revelavit infallibilitatem Ecclesiae, *conc. vel trans, antec.;* revelavit veritatem ab Ecclesia definitam, *nego antec.*

Dico *transeat,* quia non certo constat esse de fide infallibilitatem Ecclesiae in *virtualiter* revelatis.

154. 8. Fide divina credimus Ecclesiam esse infallibilem cum definit virtualiter revelatum. Ergo fide divina credendum est Ecclesiam esse infallibilem cum hoc concretum virtualiter revelatum definivit. Ergo fide divina credendum est hoc virtualiter revelatum ab Ecclesia definitum.

Trans, antec. Nam de hoc non constat certo. *Trans, primum cons. Nego ultimum cons.,* quod ex antecedentibus non sequitur.

9. Fide divina credendum est Ecclesiam non errare cum definit hoc virtualiter revelatum. Ergo fide divina credendum est hoc virtualiter revelatum esse verum. Ergo fide divina credendum est ipsum virtualiter revelatum.

Trans, antec. Nego primum cons. Ex eo quod Deus revelaverit infallibilitatem Ecclesiae in hoc virtualiter revelato definiendo, *sequitur* quidem veritas illius virtualiter revelati sic definiti ab Ecclesia. Sed Deus affirmans illam infallibilitatem Ecclesiae, non dicendus est eo ipso affirmare *formaliter* hanc veritatem obiecti ab ipsa definiti.

10. Ecclesia est infallibilis in definiendo hoc virtualiter revelatum. Ergo haec definitio est infallibiliter vera. Ergo cum Ecclesia hoc definivit, definivit infallibiliter aliquid verum. Ergo hoc definitum ab Ecclesia est infallibiliter verum. Atqui prima propositio credi debet fide divina. Ergo etiam ultima",

Conc. antec. Dist. primum cons. Est infallibiliter vera consequenter, *conc. cons.;* formaliter, *nego cons. Trans, min. Dist. ult. cons.* Si diversa illa consequentia continerentur formaliter implicite in antecedente, *conc. cons.;* si ex illo debent deduci, *nego cons.*

Scilicet, quod Ecclesia sit infallibilis in definiendo hoc virtualiter revelato, tantum significat *formaliter* Ecclesiam non errare cum illud definit. Hinc sine dubio *sequitur* definitionem esse veram. Sed hoc ultimum est propositio *formaliter diversa* a propositione, quae effert infallibilitatem Ecclesiae. Hinc, etiamsi prima supponatur a Deo revelata et ideo dicatur admittenda fide divina, inde nondum scimus

[11] Cf. H.Lennskz, *1st jede Znstimmung wegen der Autoritat Gottcs ein Glaubcnsaktf:* Schol 4 (1929) 572-576.

» Cf. MiscCom 6 (1946) 32 nota 53.

Deum etiam revelasse secundam, eamque ideo eadem fide divina admitti posse. Prima ergo propositio est formaliter vera propter testimonium Dei; secunda propter testimonium Ecclesiae. Hoc Ecclesiae testimonium est formaliter solius Ecclesiae; quamvis reductive sit Dei, non quidem loquentis, sed assistentis 'a.

11. Si Petrus mihi dicat: quod Ioannes dixit verum est, ego possum credere illud non solum loanni, sed etiam Petro. Similiter, Deus revelavit definitum ab Ecclesia esse verum; ergo possum hoc credere non solum Ecclesiae, sed etiam Dco".

Dist. antec. Si Petrus vult reapse dicere id ipsum quod dixit Ioannes, *trans, antec.;* si tantum vult dicere veracitatem loannis, *nego antec.* Deus autem non voluit revelare singula ab Ecclesia definienda, sed voluit tantum revelare infallibilitatem Ecclesiae.

Nec dici potest hanc esse arbitrariam restrictionem revelationis divinae. Restrictio enim haec imponitur ex analyst ipsius veritatis a Deo revelatae. Quin potius putamus adversarios obicctum illius revelationis sine iurc extendere. Non enim includendum est in ipsa revelatione quidquid ex ipsa *sequatur* bona consequentia; sed tantum quod in illa *formaliter* contineatur.

12. Sed totum hoc est lusus verborum.

Nego. Hoc est servare essentialem differentiam inter revelationem et assistentiam Dei. Quodsi Deus revelavit etiam ipsam infallibilitatem Ecclesiae, non eo censendus est revelasse singulas propositiones infallibiliter veras. Sicut si aliquis det mihi librum, quem non legit sed scit esse auctoris summe sapientis, potest mihi dicere: in hoc libro nullus est error; sed non ideo censetur mihi dicere singulas propositiones illius libri, quas ipse fortasse ignorat. Vel si idem mihi dicit de libro, quem non legit, sed scit nullum errorem habere ex testimonio alius sibi noti et fidedigni. In his enim casibus nihil mihi *formaliter* dicit nisi auctorem libri non errasse.

Nec dicas hoc in Deo non valere, quia scit singulas propositiones ab Ecclesia definitas easque esse aliquando definiendas. Hoc enim verum est. Sed quaestio non est quid sciat Deus, sed quid *loquatur,* seu quid velit dicere cum nobis loquitur. Nihil autem aliud vult dicere, nisi quod modo humano in propositione, quam effert, intelligitur *formaliter* contineri.

155. 13. Qui definitioni Ecclesiae pertinaciter contradicit, est haereticus. Atqui haeresis immediate opponitur fidei divinae. Ergo definitio Ecclesiae credenda est fide divina.

Dist. mai. Si definitio est circa formaliter revelatum, *conc. mai.;* si est circa virtualiter revelatum, *nego mai.* ".

14. Ecclesia de facto definivit tanquam fide divina credenda plura virtualiter revelata. Ergo virtualiter revelata post definitionem Ecclesiae credenda sunt fide divina.

Nego aliquod tale exemplum revera adduci posse, quod sit certum. Plura affert Marin Sola!'. Sed saepe agitur de formaliter implicite revelatis et syllogismus qui adducitur non est nisi expositorius. Praeterea si quando afferatur exemplum alicuius verae deductionis, probandum adhuc esset, illud non haberi aliunde implicite

a Hac distinctione videntur solvi diversae difficultates vel instantiae propositae in RevEspT 11 (1951) 209-253.
« Cf. MiscCom 6 (1946) 33.
» Cf. CL 7,413.
le La evotuciôn hotnogénea 201-212.

revelatum; secus nihil probatum est contra thcsim. Id autem non probatur

15. Haec tota doctrina est inventio quaedam Molinae, contra sententiam omnium theologorum praecedentium. Ergo admittenda non est.

Nego Molinam in hac quaestione locutum fuisse contra theologos anterioris aetatis. Iam vidimus Cano eandem sententiam proposuisse; et fortasse aliquid simile putabat Vitoria. Sed revera problema hoc ante sacc.XVI nondum plene positum fuerat. In his autem, quae ex praecedentibus auctoribus afferuntur, cautissime procedendum est, tum quia terminologia omnino diversa utuntur, tum quia problemata alia habent prae oculis, etiam cum videntur de re nostra sermonem facere ".

156. Scholion 1. *De fide ecclesiastica.* Ex dictis sequitur, nos non posse assentiri definitionibus Ecclesiae de virtualiter revelatis vero aliquo assensu fidei divinae. Attamen Ecclesia meretur assensum nostrum etiam in his. Qualis est hic assensus? Non est sine dubio assensus propter evidentiam, sed propter auctoritatem; ergo *fides* vocandus est. Sed auctoritas Ecclesiae non est auctoritas mere humana; aliquo vero sensu est divina. Non quidem quatenus stricte loquendo testimonium cius sit testimonium Dei, sed quatenus scientia et veracitas eius sigillantur infallibilitate divina per assistentiam Dei ", Assensus ergo, qui praestatur Ecclesiae definienti, est fides, minor quam divina et maior quam humana. Vocemus eam *fidem ecclesiasticam.*

Multi sunt hodie auctores, qui fidem ecclesiasticam, ut talem, reiciant. Sic Marin Sola, Beraza, alii. Sed notandum est exsistentiam fidei ecclesiasticae non pendere a quaestione controversa de virtualiter revelatis, licet in ea suum etiam habeat locum. Cum enim Ecclesia aliquid definit, etiamsi sit formaliter revelatum, plures assensus sunt in nobis possibiles. Ponamus Ecclesiam definivisse Immaculatam Conceptionem esse doctrinam revelatam a Deo. *Primo* possumus credere ipsam Immaculatam Conceptionem, quia Deus eam revelavit. *Secundo* possumus credere ipsam Immaculatam Conceptionem, quia Ecclesia eam definivit. *Tertio* possumus credere Deum eam revelasse, quia Ecclesia hoc definivit. *Quarto* possumus credere Ecclesiam hoc infallibiliter definivisse, quia Deus revelavit infallibilitatem Ecclesiae in definiendo formalitcr revelatum. Patet primum et quartum assensum esse assensus fidei divinae. Sed sc-

17 Recenter affirmatum est in definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis praeparanda Commissioni satis fuisse probare hanc veritatem fuisse virtualiter revelatam (cf. Ant 21 [1946] 2-24); sed attendenda est terminologia diversa; ibi enim veritas virtualiter revelata intelligitur formaliter implicite revelata (cf. Greg 24 [1943] 356-366). De rccentissima definitione dogmatica: Assumptionis, affirmatum quoque est, fuisse definitionem veritatis virtualiter revelatae. Hoc autem nullo modo probari potest. Cf. J.A.ds Aldama, *Boletin Asuncionista:* EstEcl 25 (1951) 398-401.

'·' Vitoria, *In* 2.2 q.1 a.10 n.3 4.°; q.11 a.2 n.7 2.°; A.Lang. *Die Glicdcrung and dic Reichwcitc des Glaubcns nach Thomas und den Thomisten. Ein Bcitrag sur Kliirung der scholaslichen Bcgriffc: fides, hacrcsis und conclusio theologica:* DivThom (Fr) 20 (1942) 207-236.335-346; 21 (1943) 79-97; *Die conclusio theologica in der Problemstellung der Spatscholastik:* DivThom (Fr) 22 (1944) 257-290.

w Testimonio Ecclesiae definientis nequit dici *cxtrinscca* scientia et veracitas. Nam testimonium Ecclesiae, formalitcr ut definientis, est infallibile; idque non pure per accidens, sed quia Deus ipsam instituit magistram infallibilem revelationis. Ideo Ecclesiae definienti, ut tali, credi potest vero assensu fidei, etsi is non sit fidei divinae. Cf. RevEspT 12 (1952) 219-222.

eundus et tertius non sunt assensus fidei divinae, quia non habent pro motivo auctoritatem Dei revelantis, sed auctoritatem Ecclesiae definientis. Nulla ergo videtur difficultas esse in admittenda aliqua fide ecclesiastica.

157. *Est ergo fides ecclesiastica* assensus praestitus definitionibus Ecclesiae propter auctoritatem infallibilem Ecclesiae definientis.

Difficultates, quae ab aliquibus theologis moventur contra ipsam, iam partim solutae sunt in thesi. Quodsi adhuc obiciatur, Ecclesiam antiquitus non fecisse distinctionem inter assensum praestandum diversis suis definitionibus, dicendum est problema a theologis non fuisse adhuc propositum; et in praxi necessarium non fuisse facere illam distinctionem, cum semper in his assensibus tangatur, saltem indirecte, infallibilitas ipsius Ecclesiae, quae certe est formaliter revelata. Sic qui pertinaciter negaret propositionem definitam ab Ecclesia tanquam erroneam, iure praesumeretur haereticus, quia censeretur negare ipsam auctoritatem Ecclesiae. Nec omnia quae sub anathemate damnantur, tanquam directe et immediate contraria fidei divinae damnantur [30].

158. Scholion 2. *De evolutione dogmatis, a)* Problema evolutionis dogmatis inde oritur, quod si comparentur quae a nobis hodie creduntur cum his quae ab antiquis credebantur, multum videatur crevisse obiectum materiale fidei nostrae. Ex alia autem parte, iuxta doctrinam Ecclesiae, nihil potest credi fide divina et catholica, nisi quod a Deo nobis per revelationem publicam transmissum est; quae revelatio publica cum Apostolis fuit consummata. Nullus ergo progressus factus est *in revelatione* post mortem Apostolorum.

b) Hinc omnes solutiones huius problematis, quae evolutionem explicant per accessionem novorum elementorum, quae ab ipsa revelatione sint aliena (ex philosophia, ex aliis religionibus, etc.), eo ipso falsae sunt. Ideo Ecclesia damnavit "haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia" (D 2145; cf. etiam 2147 1800 1818).

c) Sed certe progressus factus est *in propositione Ecclesiae.* Hoc quippe elementum essentiale est etiam pro constitutione alicuius dogmatis. Quo sensu primi scholastici dicebant, ex articulis fidei explicata ca fuisse postea, quae ibi implicite continebantur (cf. 2.2 q.1 a.7). Postea, sacc.XIV et XV haec explicatio intelligebatur non de solis consequentiis articulorum, sed etiam de consequentiis quarundam veritatum fidei; consequentias dico, quae per syllogismum expositorium deducebantur. Post Conc. Tridentinum problema explicationis fidei aliter positum est, facta distinctione accurata inter veritates formaliter et virtualiter revelatas.

159. *d)* Iuxta ea quae in thesi dicta sunt, evolutio haec sic concipienda videtur:

Evolutio fit a veritate *formaliter explicite* revelata ad id quod

30 Cf. R.Favre, *Les condamnations avec anathème:* Bulli,ïttEccl 47 (1946 226-241; 48 (1947) 30-48; P.Franses, *Die Formel "si quis dixerit Ecclesiam errare" in Kanon 6 und 8 der 24. Sitsung des Trienter Konsils:* Schol 25 (1950) 432-527; *Dic Formet "si quis dixerit Ecclesiam errare" und anhliche Ausdrucke bci der Bcratung des 4. und andercr Kanones der 24. Sitsung des Trienter Konsils:* Schol 26 (1951) 131-221; *Réflexions sur l'anathème au Concile de Trente:* EphLov 29 (1953) 657-672; F.Martînez, *Una novisima interpretactôn de los cdnones tridentinos:* RevEspT 15 (1955) 637-653. De Concilio Vaticano, cf. J.Salaverri in SThS 1',3,909-913.

in ilia *formaliter implicite* continetur. Sic manet semper eadem veritas a Deo revelata.

Evolutio in sententia contraria fit a veritate *formaliter explicite* revelata non solum ad id quod in ea formaliter implicite continetur, sed etiam ad id omne quod in ea *virtualiter* latet, dummodo hae deductiones definiantur ab Ecclesia. Evolutio vero haec non ab omnibus his auctoribus eodem sensu intelligitur.

Nam in sententia P.Marin Sola, ea omnia quae sic evolvuntur, identica sunt cum una eadem realitate revelata, quacum metaphysice connectuntur. Alii potius dicere debent, evolutionem proprie loquendo non fieri *a formali ad virtuale,* sed *ab unica veritate infallibilitatis Ecclesiae* formaliter *explicite* revelata ad omnia quae in ea formaliter *implicite* continebantur, supposito facto definitionis, tanquam particulares propositiones sub illa universali revelata".

De progressu dogmatico plura dicta sunt in theologia fundamentali ".

CAPUT III

De necessitate fidei

160. Cum fides sit praelibatio quaedam illius cognitionis, quae in futuro nos beatos faciet qua et intellectus noster et voluntas ad finem ultimum supernaturalem vitaliter ordinantur, patet fidem non posse non esse necessariam ad salutem. Haec tamen necessitas multipliciter considerari potest sub diverso respectu ; ad salutem, ad iustificationem adquirendam, conservandam, etc. De his iam nobis agendum est. Cui tractationi adiungemus epilogum de obligatione aliqua speciali perseverandi in accepta fide catholica, quae obligatio modo particulari ab Ecclesia proposita est.

Thesis 12. Actus fidei stricte dictae requiritur necessario ad iustificationem, necessitate medii.

S.Th., 2.2 q.S a.5-8; LennErz, 358-377; Pesch, 430-441 ; Beraza, 780-868; HarEnt, *Foi*. DTC 6,512-514; Id., *Infidèles*. DTC 7,1748-1827.

161. Notiones. Actus fidei. Non agimus de habitu seu virtute, cuius necessitas ad iustificationem eo ipso habetur quod in ipsa iustificatione infunditur. Unde iustificatio intelligitur adulti, non pueri. Et quidem agimus de *prima* iustificatione ab adulto acquirenda.

Fides potest esse stricta (si sit assensus propter auctoritatem Dei revelantis), et *lata* (si sit assensus ex manifestatione Dei in creaturis). Prima respondet revelationi stricte

« Cf MiscCom 6 (1946) 40-42.
» Cf. SThS 13,754-766.

1 S.Thomas, *Compendium Theologiae* c.2.

dictae; secunda revelationi late sumptae. Utraque potest esse *supernaturalis et naturalis,* prout habeat principium eliciens supernaturale vel non.

Necessarium dicitur id, sine quo aliud non obtinetur. Necessarium necessitate medii, quod est necessarium tanquam medium in finem obtinendum influens; ideo, etiam inculpabiliter omisso, finis non obtinetur [2]. Necessarium necessitate praecepti, quod ideo tantum est necessarium quia praeceptum est; requiritur ad removendum prohibens ortum ex ipsa obligatione praecepti; ideo inculpabiliter omisso, adhuc finis obtineri potest.

162. Adversarii. Faustus Regiensis defendit possibilitatem iustificationis *per fidem naturalem* ante Christum, id est per cognitionem Dei solo lumine naturali habitam ex imagine ipsius Dei in propria anima[3].

Vitoria annis 1534-35 tenuit sine actu fidei, *sola cognitione Dei naturali,* posse aliquem iustificari, quamvis non posset salvari[4].

Soto in prima editione operis *De natura et gratia* (1547), proposuit sententiam: inter exsistentes in lege naturali *forsan* aliquem potuisse iustificari *per fidem late dictam naturalem.* Quam sententiam in secunda editione illius operis (1549) et in *Commentario ad 4 Sententiarum* (1559) reprobavit.

A. Vega anno 1548 putavit defendi posse sententiam, iuxta quam si sit adultus qui invincibiliter ignoret Deum, ille posset iustificari *per fidem late dictam naturalem* [5].

Ripalda, non decernendo sed discutiendo, proposuit non apparere necessitatem fidei stricte dictae ad iustificationem; ita ut videretur sufficere *fides late dicta, dummodo esset supernaturalis.* Quod enim fides sit supernaturalis, putat omnino requiri. Supernaturalem vero dicit fidem late dictam, quae eliciatur a principio supernaturali [6].

Nonnulli theologi in Belgio, exeunte saec. XVII, tenuerunt *fidem late dictam supernaturalem* sufficere ad iustificationem. Haec thesis publice propugnata est Antuerpiae anno 1674 sub directione P. Arnoldi Marchant, O.F.M. Ab hac sententia non videtur alienus Estrix [7].

2 Cf. J. A. de Aldama, *La necesidad de medio en la escolàstica postridentina:* ArchTG 8 (1945) 70-75.
3 *De gratia Dei et libero arbitrio 2,6-7:* ML 58,821-828.
4 *In 2.2* q.2 a.3 n.5.
5 *Tridentini decreti de iustificatione expositio et defensio* 6,20.
6 *De fide* d.17 s.13.
7 Cf. A. Sohier, *La foi probable:* Greg 28 (1947) 548-551.

Gutberlet, exeunte saec.XIX, *eandem sententiam* ut probabilem propugnavit, ita tamen ut adderet tanquam necessarium, votum seu desiderium fidei strictae.

163. Doctrina Ecclesiae. 1. *Conc. Arausicanum II* c.5 (D 178) damnavit fidem naturalem Fausti Regiensis.

2. *Conc. Tridentinum* s.6 c.7 (D 799): iustificationis instrumentalis causa est sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, *sine qua nulli unquam contigit iustificatio.* Historia horum verborum haec fere est. In 2.a forma decreti inter causas-iustificationis posita fuerat: "instrumentalis, sacramentum baptismi"8; quae verba eodem modo manserunt in 3.a forma decreti 9.* Aliqui Patres voluerunt ut adderetur fides inter causas, et quidem proposuerunt formulam: "instrumentalis, fides et fidei sacramentum" ,0. Hinc in 4.a forma decreti additum est: "Instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio"11. Cuius additionis finis fuit, ut nomine deputatorum explicatur, "ut ostenderetur fidem esse causam iustificationis" 12.13Nova formula omnino placuit maiori parti Patrum, quibusdam paucis exceptis, quibus verba illa dubia videbantur, cum intelligerentur de fide habita vel habenda 1S. Ideo expresse disceptatur nova quaestio: an debeatur fidei aliquis locus in causis iustificationis numerandis, et qualis. Patres quidem decreverunt, melius esse non nominare fidem inter causas iustificationis; sed eorum maxima pars putabat fidem esse causam dispositivam 14. In tota hac quaestione agitur certissime *de actu fidei,* non de habitu. Alia quaestio est, utrum in eliciendo illo actu concurrat habitus in ipso momento iustificationis, ut aliqui tenebant. Denique Cardinalis Legatus explicationem ultimam dedit illius formulae his verbis: "baptismus est praecipuum sacramentum fidei, quia in aliis sacramentis non fit professio fidei, sed fides praesupponitur"1B.

« CTr 5,512.
» CTr 5,636.
» CTr 5,650.659.665.
u CTr 5,700.
13 CTr 5,701. Res tamen ipsi Bituntino, loqucnti pro Deputatis, non videtur clara fuisse cuin dixerit ibidem: "per sacramentum baptismi principaliter datur fides; «n aliis [sacramentis] non datur, sed conservatur".
« CTr 5,701-704.
14 CTr 5.740-742.
14 CTr 5,742. Quare admittenda non est sententia dicentium in illo textu Tridentini non agi de actu, sed dc virtute fidei. Cfi J.NKveut, *Dc la nécessité de la foi:* EphThLov 7 (1930) 33s; *De la nécessité de la foi pour être sauvé:* DivThom 58 (1955) 283-295; Aubert, 82. Quod in capite 7 agatur de habitu frfdei, verum est; sed non illis verbis. Quod Conc. Vaticanum, haec eadem verba repetens, agat de virtute fidei, etiam verum est; sed inde non sequitur verba Tridentini sic esse historice intelligenda. Cf. J.M.Porrot, *La nécessité de l'acte de foi pour la justification:* EtFranc 47 (1935) 357-369.453-471.

164. 3. *Conc. Tridentinum* s.6 c.8 (D 801): *fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix amnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Pro historia horum verborum, nota quae sequuntur. In 1.a forma decreti dicebatur: "quo fit ut ab hac fide, quae quidem nullis praecedentibus meritis a Deo est, quoniam ab ea incipiunt bona quaecumque merita, omnis vera iustitia sumit initium; est enim eius quasi fundamentum et humanae salutis exordium; nam sine fide impossibile est placere Deo..."[18.*] Haec verba manent fere immutata in 2.a et 3.a forma decreti[17]. Sed omissa fuerunt in 4.a forma, in qua tantum dicitur: "per fidem ideo iustificari dicamur, quia in ea, quae ad iustificationem est dispositione, prima est fides"[18]. Patribus omnibus haec nova formula non placuit, sed antiquam restitui desiderabant[18]. Ideo nova formula proponitur: "per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis; nam sine fide impossibile est placere Deo..."[20]. Verba autem haec explicantur a Cardinali Legato: "ideo proposita verba videntur secundum consensum Ecclesiae, quia tam in dispositione, quam in instanti iustificationis, quam etiam in exercitatione et augmento semper fides est fundamentum et radix iustificationis; ideo dicitur *omnis*" [21]. In his quoque verbis agi de actu fidei, constat.

Unde Tridentinum docet veram necessitatem actus fidei stricte dictae[22]. Haec necessitas clarius habetur in verbis capitis 8. Est necessitas maior quam pura necessitas praecepti ("nulli unquam", "sine fide impossibile est"..., "initium, fundamentum, radix..."). Formula "necessitas *medii*" nondum erat in usu; sed doctrina est aequivalens[23].

165. 4. Innocentius XI (D 1173) in propositione 23 damnata. Cuius semsus est ille, qui continebatur in disputatione Antuerpiensi, ex qua desumpta fuerat. Unde certo agebatur de fide *supernaturali,* non tantum de fide naturali, ut voluit Gutberlet.

Pius IX in *Allocutione "Singulari quadam"* (D 1645).

Valor dogmaticus. Aliqua vera necessitas actus fidei stricte dictae est *de fide divina et catholica definita.* Necessi-

ı' CTr 5,423.
» CTr 5,512.636.
« CTr 5,696.
10 CTr 5,696-699.729-731.
» CTr 5,733.
21 CTr 5,734.
22 Hoc expresse affirmat ipse Vega, *Tridentini Decreti de iustificatione expositio et defensio* fol.66.
» Cf. ArchTG 8 (1945) 58s.

tas maior, quam per merum praeceptum, *item de fide divina et catholica definita.* Necessitas medii, *videtur ibi saltem implicite definita.*

166. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Salutem aeternam docet *Christus* pendere a fide, quae evangelio praestetur (Mc 16,15s; Io 3,36; 5,24; 8,24). Atqui sic actus fidei stricte dictae est necessarius.

b) Eandem necessitatem docet saepissime *S.Paulus,* maxime in epistola ad Romanos (cf. 1,16; 3,28; 4,1-25; 5,1...) et ad ôalatas (2,16; 3,2-9...).

c) *Speciatim vero Hebr 11,6:* 1) *Contextus:* affirmat Apostolus: fide Henoch translatus est (v.5). Vult deinde probare hanc propositionem: quod translatus sit, probat ex Gen 5,24 ; quod vero hoc deberetur fidei, probat syllogismo sequenti : Henoch placuit Deo ; sed sine fide impossibile est placere Beo; ergo Henoch habuit fidem. Maiorem probat iterum ex Genesi ; minorem ideo probat, quia nemo placet Deo nisi ad Eum accedat ; sed accedere ad Deum nemo potest, nisi credat Eius exsistentiam et remunerationem ; ergo sine fide impossibile est placere Deo. 2) *Unde* sic: in toto hoc textu affirmatur vera necessitas actus fidei strictae (de 'qua in toto capite). Haec autem necessitas non effertur per modum praecepti adimpleti, sed per modum absolutae cuiusdam necessitatis, cuius si exceptio daretur, argumentum Apostoli nihil probaret 2'.

167. Probatur ex traditione, a) *SS.Patres:* Conc. Tridentinum s.6 c.8 (D 801) definiit sensum verborum S.Pauli secundum perpetuum Ecclesiae catholicae consensum. Verba autem formulae illius desumuntur ex S.Fulgentio : "fides est humanae salutis initium" (R 2260) et ex S.Augustino: fides est "unde omnis iustitia sumit initium" (R 1450). Patres praeterea urgent necessitatem credendi per fidem stricte dictam (R 289) ; illam necessitatem supponunt esse aliquid omnimo certum (R 531) ; dicunt fidem requiri ad impetrandam iustificationem (R 1445s).

168. b) *Theologi ab initio* tenuerunt necessitatem fidei actualis. Sic S.Thomas (2.2 q.2 a.3). Et quidem intelligebant maiorem quandam necessitatem, quam per solum praeceptum.

Ubi primum formula Apostoli "iustificati per fidem" abusi sunt protestantes, *Patres tridentini* totis viribus contenderunt ut ille abusus efficaciter tolleretur, ita tamen ut verus fidei influxus in iustificationem servaretur.

» Cf. A.MS«k4 *Iustus ex fide vivit·.* VcrDom 3 (1923) 231-233.

Saec.XVI detectio novorum populorum in America quosdam theologos commovit, ut minorem quandam fidei necessitatem assererent. Sic Vitoria, Soto, Vega. Sed statim restiterunt unanimiter ceteri theologi, praeeunte Cano 25.

Saec.XVll Ripalda non audet defendere fidem late dictam supennaturalem, propter unanimitatem theologorum; ideo proponit eam discutiendi causa. Sed statim invenit confutationem theologorum, et imprimis Lugonis20. Quodsi haec fides late dicta supernaturalis a quibusdam theologis tunc defenditur, ita ab omnibus aliis impugnatur, ut damnationem S.Sedis obtineat.

Saec.XIX renovata haec sententia a GutberlET, nedum a theologis accipiatur, vehementer reicitur 2I.

Haec autem unanimitas theologorum eo magis notanda est, quod ex necessitate fidei stricte dictae sequatur magnum et difficile problema iustiEcationis infidelium, quod optime negata illa necessitate solveretur. Hoc autem non obstante, retinent necessitatem fidei strictae.

169. Ratio theologica. lustificatio est conversio hominis ad Deum ut ad finem supernaturalem. Ergo homo prius debet Illum ut talem cognoscere et agnoscere. Sed hoc fit per actum fidei strictae. Ergo actus fidei stricte dictae est necessarius ad iustificationem.

170. Obiectiones. 1. Cum sola fide late dicta supernatural] potest elici actus contritionis perfectae ex auxilio gratiae. Atqui contritio perfecta iustificat. Ergo cum sola fide late dicta supernatural! potest quis iustificari.

Nego niai. Nam contritio perfecta supponit caritatem, quae sine praevia fide stricte dicta haberi nequit.

2. S.Thomas *(De veritate* q.14 a.11 ad 1) supponit sufficere quandoque internam inspirationem ad credendum. Atqui talis fides esset late dicta. Ergo iuxta S.Thomam fides late dicta quandoque sufficit.

Dist. niai. Quae inspiratio esset vera revelatio, *conc. mai.;* secus, *nego mai. Contradist. min.* Si inspiratio illa non esset vera revelatio, *conc. min.;* si est, *nego min.*

3. Adultus ante fidem stricte dictam habet assensus supernaturales circa credibilitatem et credenditatem, et actum supernaturalem voluntatis ad imperandum assensum. Ergo a pari ante fidem stricte dictam poterit habere fidem late dictam supernaturalem.

Conc. antec. Dist. cons. Quae ad iustificationem non sufficiat, *conc. cons.;* quae sufficiat, *nego cons.*

M Cf. T.UrdInoz, *La nveesidad de la fe explicita para salvarse segfm los tcôlogos de la Escuela salmanlina:* CiencTom 59 (1940) 529-537.

«De *fide* <1.12.

27 Cf. F.Schmid, *Die ausserordentlichen Heilswcge für die gefallene Menschheit* (B'xen 1899); M.Martin, *De necessitate credendi ct crcdeiidorwn* (Lovanii 1906); W.LiesB, *Der kcilsnolsucndige Glaube* (Freiburg 1908); C.F'Esch, *Theologischc Zcitfragcn* 5,9.

171. Scholion 1. *De necessitate fidei in re.* Quia plura quae necessaria sunt necessitate medii non semper rc<|uiruntur in scipsis (in re), sed aliquando suppleri possunt (votum), quaeritur a theologis num talis sit etiam necessitas actus fidei. F.t quidem theologi communiter ut certum tenent, necessitatem actus fidei non suppleri per votum aliquod; requiri proinde actum fidei in re. Neque enim de tali voto fontes quippiam innuunt, neque facile capitur quid Iu» votum esse possit. Votum enim alicuius medii necessarii ad salutem non est merum desiderium illius medii, sed actus aliquis supernatu ralis, _qui vim illius medii in se continet ideoque illud supplere pot est; sic actus caritatis perfectae pro baptismo. Iam vero, sicut ex natura rei nullus datur actus qui possit supplere statum gratiae sanctificantis et propter hanc rationem status gratiae est necessarius necessitate medii in re ad salutem, sic nullus est actus supernaturalis qui possit supplere actum fidei, cum ille sit fundamentum et radix aliorum.

172. Novam in hac re induxit quaestionem P.Straub5;* aliquem actum introducens, qui fidem stricte dictam suppleret in ordine ad iustificationem. Hunc actum vocat *fidem virtualem,* per oppositionem ad illam fidem stricte dictam, quam vocat *fidem formalem.* Est autem fides virtualis, assensus supernaturalis, super omnia firmus, qui in Deum fertur ut in primam veritatem, non tamen in Deum revelantem, sed prout meretur ipsa prima veritas.

Totam vero hanc fidem sic explicat. Aliquis actus potest alium continere dupliciter. Primo modo *in 'voto tantum,* scilicet si quis actu imperii vel proposito vult elicere alium actum, qui habet diversum obiectum formale et diversam speciem; v.gr. si quis in nau fragio propter timorem poenarum *vult* elicere actum contritionis perfectae. Alio modo *voto et virtute,* scilicet cum actus continens alium et actus in eo contentus habent idem obiectum formale, atque proinde eandem perfectionem specificam; sic continetur propositum non peccandi in detestatione peccati praeteriti, ex obiecto formali universali.

Unde ponit regulam generalem: omnis actus ad iustificationem per se necessarius necessitate medii suppleri potest per alium actum, qui illum voto saltem implicito et virtute contineat (non in solo voto). Hinc actus fidei formalis per se necessarius ad iustificationem suppleri potest per actum fidei virtualis, qui *voto et virtute* illum continet. Fides enim virtualis continet *votum* implicitum fidei for malis, quia qui elicit actum fidei virtualis, implicite vult elicere actum fidei formalis vi ipsius motivi; continet vero *virtute* fidem formalem, quia utraque fides habet idem obiectum formale voluntatis (honestatem quae habetur in affirmando Deum assensu firmissimo) ct intellectus (primam veritatem).

Unde homo, revelationem nondum cognoscens, ex testimonio creaturarum necessario affirmat exsistentiam ct perfectiones Dei. Sed praeterea, posito tanquam condicione illo creaturarum testimonio, potest voluntas libere imperare aliquem assensum, quo affirmetur Deus ut exsistens et remunerator *assensu firmissimo, qualem meretur Deus qui est prima veritas.* Hoc imperium voluntatis ponitur propter honestatem, quae est in affirmando Deum super omnia. Ibi continetur implicitum, vi motivi, votura affirmandi factum revelatio-

” *De analyst fidei* 394ss: cf. etiam Mitzka, *De fide* (in ed. 2,· vot.l P.T.cr. cher) 694.

rus et veritatem propter revelationem; seu habetur *votum* fidei formalis. Sed assensus ipse continet *virtute* fidem formalem; quia omnes assensus, quorum obiectum formale est ipse Deus, sunt eiusdem perfectionis specificae. Iam vero assensus fidei formalis habet pro obiecto formali Deum revelantem. Quando autem affirmatur Deus ut prima veritas, implicite affirmatur Deus ut prima veritas in cognoscendo et dicendo.

173. *At haec sententia* videtur non servare essentialem differentiam specificam inter fidem ex testimonio et quemcumque alium assensum intellectualem. Praeterea salvanda est essentialis differentia inter Deum exsistentem et Deum revelantem; quae supponit iterum essentialem differentiam inter ordinem obiectivum naturalem et supernaturalem. Ideo haec nova sententia admitti non posse videtur

174. Scholion 2. *De veritatibus necessitate medii credendis.* Actum fidei stricte dictae necessario terminari debet ad aliquam veritatem. Quaeritur ergo, quid ad minimum credendum sit explicite necessitate medii.

a) Dicimus credendum esse ad minimum: *Deum esse et remuneratorem esse.* Haec enim explicite affirmantur in textu S.Pauli (Hebr 11,6). Remunerator vero intelligitur in ordine supernatural!, prout ex revelatione nobis innotescit; seu Deus dans praemium vitae aeternae ". Ibi quidem implicita est fides exsistentiae Dei, prout est auctor illius supernaturalis ordinis. Sunt qui teneant requiri praeterea fidem de exsistentia Dei in ordine naturali. Revera Apostolus videtur tantum loqui de Deo, primo principio, supremo Domino, fine ultimo, sicut habetur ex revelatione ".

b) Necessarium esse praeterea credere, saltem dc necessitate praecepti, *mysterium Incarnationis et Trinitatis,* tenent omnes theologi. Disputant vero utrum haec duo debeant etiam explicite credi de necessitate medii. Affirmant multi thomistae; negant tamen Suarez, Lugo, Salmanticenses, Kilber, Wilmers, Pesch, Lennerz, alii. Revera haec tam gravis necessitas affirmanda non est, nisi de ea certo constet. Non autem constare videtur. Affertur utique decretum S.Officii anni 1703 (D 1349a et 1349b). Ibi affirmatur aliqua necessitas medii pro credendis mysteriis Incarnationis et Trinitatis. Sed ponitur aliqua restrictio ("si incapax omnino non sit"), quae videtur permittere exceptionem, quam vera necessitas medii in re non patitur. Unde dicendum videtur illa mysteria (saltem in N.Testamento) credenda esse per se necessitate medii; non vero tam absolute, ut sine illis aliquando iustificatio per accidens obtineri non possit. Nec amplius probare videntur quae ex S.Scriptura et Patribus in contrarium afferuntur ",

175. Scholion 3. *De infidelibus negativis.* Ex traditis in thesi, difficile problema exsurgit, quod vocari solet dc infidelibus negativis.

a) Vocantur infideles negativi homines, qui sine ulla sua culpa factum revelationis ignorant. Hi proinde credere nequeunt. Ergo ex doctrina tradita neque iustificari, neque salvari possunt. Cum autem

29 Pro recentiore bibliographia in tota quaestione de necessitate fidei, cf. G.B.GuzXETTl, *Nceessità c perdita- della fede:* Problem) e oiientamenti di Teologia Dommatica 2,709-725.

" In contrarium Mitzka, 680.

« Cf. Pesch, 441-447; Beraza, 822-838.

« Cf. Pesch, 448-458; Beraza, 839-868.

totum hoc sit sine eorum culpa, quaeritur quomodo componi possit cum voluntate salvifica universali et cum sanctitate Dei. Et revera multi homines versantur in his adiunctis.

b) Problematis solutio non talis tentanda est, quae ipsius problematis tollat elementa. Hinc dicendum est: si quis adultus salvatur, non sine actu fidei salvatur; si quis adultus non salvatur, non sine sua culpa damnatur. Haec ergo tenenda sunt in quolibet tentamine solutionis.

• *c)* Tentamina solutionum plura proposita sunt, in quorum discussionem nunc intrare non possumus Sed hoc dicendum est: Ecclesia catholica est via ordinaria salutis in praesenti providentia; sed non est unica via simpliciter. Si ergo homo faciat quod in se est, Deus pro ipso providebit iuxta multitudinem miserationum suarum, ut ipse ad veram fidem pervenire possit; providebit, inquam, etiam per miraculum, si opus erit (cf. *De veritate* q.14 a. 11 ad 1).

176. Scholion 4. *De necessitate praecepti.* Praeter necessitatem medii asserenda est pro actu fidei necessitas praecepti. Agitur autem de aliquo praecepto, quod immediate versatur circa ipsum actum fidei. De qua re haec est doctrina clara Ecclesiae:

a) Datur praeceptum actus fidei eliciendi. Sic constat ex prop.1 damnata ab Alexandro VII (D 1101), ct ex prop.16 damnata ab Innocentio XI (D 1166).

b) Hoc praeceptum urget plus quam semel in vita. Sic constat ex prop.17 damnata ab Innocentio XI (D 1167).

c) Non sufficit semel credidisse mysteria Trinitatis et Incarnationis. Sic constat ex prop.65 damnata ab Innocentio XI (D 1215).

APPENDIX

De inculpabili defectione a fide

177. In praesenti ordine providentiae necessaria est ad salutem non quaelibet fides divina, sed fides *divina et catholica;* in qua habetur adhaesio ad omnes veritates revelatas, quae ut tales ab Ecclesia declarantur, et ad ipsum Ecclesiae magisterium infallibile. Haec autem fides nequit leviter admitti; sed inquirendum est in motiva credibilitatis, quae illam rationabilem faciant.

Hinc *acatholicus,* qui nondum est in possessione veritatis, ius habet et officium inquirendi in veritatem propriae religionis, ea intentione ut ubicumque veram religionem inveniat, eam amplectatur\ Talis homo, sincere inquirens, adiuvabitur in sua inquisitione externe a motivis evidentibus credibilitatis (Ecclesia) et interne a gratia Dei movente ad fidem. Quodsi huic gratiae cooperetur, veniet ad fidem.

w Cf. HarBnt, *Infidèles·.* DTC 7,1827-1930; L.CapEran, *Le problème du salut des infidèles. I. Essai historique. II, Essai thêologiquc* (Toulouse 1934); Mitzka, 684; A.Santos, *Sah>aci6n y paganismo* (Santander 1960).

› Cf. SThS 1«,2,24-43

Sed quaestio ponitur de *catholico.* Quaeritur scilicet utrum ipse etiam ius habeat inquirendi in veritatem propriae religionis. Quodsi reapse inquirat, certe *obiective* loquendo nullam unquam invenire poterit causam iustam deserendi propriam fidem; quia de facto obiective illa fides est vera et unica via salutis.

178. Attamen quaestio de catholico ponitur sub alio sensu. Utrum scilicet ille catholicus, veritatem suae religionis inquirens, pervenire possit ad persuasionem *subiectivam* vel de falsitate religionis catholicae, vel saltem de incertitudine ipsius. Quodsi ad talem persuasionem perveniat, quaeritur rursus, utrum habeat ius religionem catholicam deserendi. Denique quaeritur maxime, utrum hoc accidere ita possit, ut catholicus sine ulla sua culpa ad talem statum perveniat.

Agitur ergo non de fide circa aliquam determinatam veritatem, sed de fide circa complexum religionis christianae, vel etiam de fide circa veritatem magisterii Ecclesiae. Et quidem supponimus catholicum, qui semel habuit certitudinem de credibilitate religionis christianae, sic intellectae, ac de magisterio Ecclesiae.

Cum autem ponitur quaestio *de condicione subiectiva* huius catholici, adhuc distinguendum est. Aut enim ipse putat se non sufficienter videre iam credibilitatem, cum tamen haec non solum in genere, sed etiam ab illo sit revera sufficienter cognita *(condicio mere subiectiva),* aut independenter a suo iudicio, ille de facto non sufficienter cognoscit credibilitatem, ac proinde ille hic et nunc non potest facere actum fidei *(condicio subiectivo-obiectiva).* Agimus tantum de hoc ultimo casu; nam in priori evidenter datur peccatum. Hic autem casus complectitur: legem divinam credenidi, obiectivam credibilitatem religionis christianae, certitudinem huius credibilitatis facile assequibilem, gratiam internam qua homo adiuvatur.

Cum vero quaestio ponitur de culpabilitate illius catholici in deserenda fide, hic actus defectionis a fide poterit esse culpabilis multipliciter:

a) *culpabilis in se:* dicitur actus, quo homo obiectum moraliter malum intendit libere illudque aliquo modo causai, sive illud intendat ut finem, sive ut medium.

b) *culpabilis in causa stricte:* dicitur actus, quo homo illud obiectum nullo modo intendit, sed aliud obiectum vult et causât, quod cum primo obiecto cognoscit esse necessario connexum.

c) *culpabilis in causa late* (sed vere): dicitur actus, qui procedit ex priore actu moralitei malo in se, quia et quatenus malo; qui non esset, nisi prius fuisset positus hic alius actus; cuius tamen nexus causalis non praevidebatur (ideo talis actus non imputatur in culpam).

179. His ergo sic determinatis, *dicimus ad quaestionem:*

1.° Catholicus non potest deficere a fide inculpabiliter: id est omnis defectio a fide est *vere culpabilis.*

2.° Haec autem culpabilitas non necessario et semper ponenda est in ipsa defectione formaliter sumpta; quia fortasse in illo momento iam non cognoscitur obligatio manendi in Ecclesia. Ideo non omnis defectio a fide est culpabilis *in se,* sed potest etiam esse culpabilis *in causa.*

3.° Haec culpabilitas in causa non necessario et semper debet esse culpabilitas in causa stricte sumpta. Ille enim catholicus potest inveniri in condicione subiectivo-obiectiva deserendi fidem propter aliquod peccatum vel aliqua peccata, quibus ille prius deseruit Deum. Ratione horum peccatorum iam non est sub providentia illa speciali quam Deus habet de suis filiis; et hinc est quod iam non videat obligationem quam habet perseverandi in fide, atque ideo ab illa deficiat. Sed hic homo cum illa peccata commisit, fortasse nihil cogitavit de huiusmodi sequelis. Unde illa defectio a fide potest esse *culpabilis in causa late.*

4.° Tandem illa peccata praecedentia, in quibus dicitur culpabilis haec defectio a fide, non necessario sunt peccata contra fidem; sed possunt esse *alia peccata gravia,* quibus homo deseruit Deum.

180. *Nota* radicem totius quaestionis inveniri in providentia Dei. Deus enim in praesenti ordine suos filios, qui sincere faciunt quod est in se, non potest non tueri et gubernare sua providentia, ita ut de facto in vera fide semper perseverent. *Deus non deserit nisi deseratur.* Sic ergo fidelis non debet timere ne, sine ulla sua culpa et faciendo quod in se est, aliquando inveniatur extra fidem et Ecclesiam.

Hinc est quod defectio a fide semper habeatur in fontibus revelationis tanquam gravissimum peccatum (cf. Hebr 6,4; 2 Petr 2,21); ideoque Ecclesia semper habuit deficientes a fide ut vere culpabiles. Considerandum enim est, ex una parte Ecclesiam semper esse motivum,splendidum credibilitatis; ex alia parte internam gratiam Dei nunquam deesse, cum impossibile sit ut Deus deserat nisi prius deseratur. Si ergo defectio non est ex deficiente gratia interna, nec ex deficiente cre-

dibilitate externa, nihil restat nisi quod sit ex deficiente libera cooperatione hominis, ac proinde uno vel alio modo vere culpabilis.

Haec ergo doctrina certa est, et omnino tenenda, iuxta sensum traditionalem Ecclesiae. Neque eius veritas ullo modo pendet a quaestione alia, de qua statim agemus. Nostra enim quaestio est dogmatica, non historica.

181. Alia *quaestio historica,* cum hac priori connexa, ponitur a theologis; scilicet utrum haec doctrina doceatur a Conc. Vaticano s.3 c.3 (D 1793s) et cn.5 (D 1815).

Analysis illius textus talis est: Fides est necessaria. Unde:

a) Officium est veram fidem amplectendi atque permanendi in ea.

b) Deus non solum hoc iubet, sed nobis adiuvat ad officia implenda dupliciter: *primo* per institutionem Ecclesiae, quae habet in se et sua historia evidentem credibilitatem; *secundo* per gratiam internam, qua Deus excitat et iuvat non credentem ut credat, confirmat vero credentem ut perseveret; Deus enim non deserit nisi deseratur.

c) Consequentia ex dictis: non est par condicio credentis et non credentis. Quia credens nunquam potest habere *iustam causam* mutandi fidem aut dubitandi de ea (sicut habere potest ille qui nondum credidit).

d) Ergo gratiae agendae sunt Deo...

Tota *disputatio theologorum* est de explicatione illorum verborum "nullam unquam habere possunt iustam causam". Utrum intelligantur *obiective* tantum, an *subiectivo-obiective.* Primum defendit Granderath; quem secuti sunt Agaçant et alii. Alterum defendunt Harent, Hürth, Lange, UennERZ et plures alii.

Quae ultima sententia omnino est tenenda. Unde sensus Concilii est: disparitas condicionis inter catholicum et acatholicum sic explicatur:

a) *Ecclesia per suam credibilitatem* acatholicum invitat ad se; catholicum certiorem facit fidem suam firmissimo niti fundamento.

b) *Deus per suam gratiam* acatholicum excitat et adiuvat ut ad agnitionem veritatis veniat; catholicum confirmat ut in hoc lumine veritatis perseveret.

Scilicet, tum Ecclesia tum Deus *contrario modo* agunt in animam catholici et in animam acatholici: in primam agunt quietando in possessione veritatis, in secundam agunt excitando ad inquisitionem verae fidei.

Cuius rei ratio ea est, quod Deus non deserit nisi deseratur.

Hunc esse verum sensum Concilii, colligitur tum ex rationibus, quae in tota quaestione afferebantur a Patribus (qui ex necessitate fidei concludebant Deum non deserere, et firmitatem in fide repetebant ex gratia) ; tum ex erroribus quos Concilium damnare intendebat (errorem Hermesii de paritate inter catholicum et acatholicum, et errorem libertatis conscientiae) ; tum ex sententia duorum theologorum, qui maxime in componendo schemate laboraverunt, scilicet PP.Kl EUTGEN et Franzelin 2.

2 De tota hac quaestione, cf. Lennerz, 378-405; qui etiam collegit omnia documenta Concilii Vaticani in collectione *Textus et Documenta,* scr.tbeol.3 (Romae 1932). Cf. etiam vel maxime F.Hürth *De inculpabili defectione a fide·.* Greg 7 (1926) 3-27.203-224. Pro quaestione historica, praeter hos auctores, cf. Th.GranderaTH, *Constitutiones dogniaticae sacrosancti Concilii Faticani* (Friburgi 1892) 61; Vacant, *Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile Fatican* 2 (Paris 1895) 165; Harent, *Foi:* DTC 6,293; W.Strasser, *Was-lehrt das Faticanum uber die Schuld eines Katholiken, der von Glauben abfàllt?:* ThGl 15 (1923) 230-246; H.Lange, *Alois von Schmid und die vatikanische Lehre vom Glaubensabfall:* Schol 2 (1927) 342-379; G.I'üntener, *Das vatikanische KoresiJ und die Ferantwortlichkeit des Glaubensabfalls eûtes Katholiken:* DivThom (Fr> 7 (1929) 414-445; A.Stoijz, *Was definiert das vatikanische Konsil liber den Glaubensziveifel?:* ThQschr 111 (1930) 519-559 (cf. Schol 6 [1931] 628-630); G.Baroni, *E possibile perdere la fede cattolica sensa peccato? Dottrinc dei tcologi dei secoli XFII-XVIII* (Roma 1938); G.B.GuizzETTI, *La perdita della fede nei cattolici* (Varese 1940); *Necessity. c perdita della fede:* Problem» c orientamenti di Tcologia Dommatica 2, 725-749, ubi etiam quaestiones rccentiores.

LIBER III

De spe et caritate

182. Sicut *fides* ordinat intellectum ad finem ultimum supernaturalem, sic *spes* et *caritas* ordinant voluntatem ad illum. Est enim in Deo, fine ultimo supernatural!, duplex respectus in ratione bonitatis. Aut enim consideratur Deus ut *bonum nostrum,* aut simpliciter ut *bonum in seipso.* Hinc duplex tendentia supernaturalis in voluntate. Prima est, qua tendimus in Deum, ut finem nostrum, *amare concupiscentiae;* secunda est, qua tendimus in Deum, ut bonum absolutum, *amore benevolentiae.* Iuxta primam illam tendentiam datur in nobis spes theologica; iuxta secundam datur caritas.

De his ergo virtutibus nunc agemus; et quidem investigantes earum actus, ex quibus facilis erit cognitio ipsarum.

CAPUT I

De actu spei theologicae

ARTICULUS I

De NATURA PSYCHOLOGFCA SPEI THEOLOGICAE

Thesis 13. Actus spei theologicae est desiderium fiduciale beatitudinis aeternae.

S.Tn., *QQ.Disp. dc spe* a.1; LknnRrz, 461-485; Pesch, 471-475; Bbraza, 938-961.

183. Notiones. Actus spei theologicae, scilicet ille actus, qui in fontibus effertur sub nomine *spei, sperare,* quique coniunctus saepe apparet cum fide et caritate, atque simpliciter cum vita Christiana. Cf. supra n.6-10.

Desiderium fiduciale. Haec verba describunt subiectivum motum voluntatis, qui est actus spei. Huius motus ana-

lysis optime fit a S.Thoma in *Quaestionibus disputatis, De spe* a.1:

a) Nemo sperat nisi *bonum;* ideo spes est actus *amoris* cuiusdam.

b) Bonum illud, quod speratur, nondum est possessum, sed *obtinendum* (futurum); ideo spes est actus cuiusdam *desiderii.*

c) Et quidem bonum illud non facile sed *difficile est obtinendum* (arduum)[1]; *sed possibile* adipisci. Ideo actus spei est actus, qui supra merum desiderium addit *erectionem quandam animi* ad vincendas difficultates obiecti desiderati, cum securitate voluntatis non haesitantis, sed confidentis *(fiducia).*

Ideo docet S.Thomas ibidem, spem differre a timore (quia eius obiectum est bonum), a gaudio et delectatione (quia est bonum futurum, seu absens), a inero desiderio (quia est bonum arduum), a desperatione (quia bonum censetur possibile).

Ex eo ergo quod spes continet amorem rei futurae (id est quae non habetur cum speratur, praescindendo a quaestione num postea habebitur), describitur ut *desiderium;* ex eo autem quod addit confidentiam assecutionis mediis in difficultatibus, describitur ut desiderium *fiduciate.* Hoc vero non supponit duplicem actum voluntatis, sed unicum[2]; scilicet desiderium hoc qualificatum, quod ideo bene vocatur *desiderium fiduciale.*

Sed nota in thesi non fieri nisi descriptionem quandam spei. Unde dicimus haec omnia elementa *uno vel alio modo* contineri in illo motu voluntatis, qui dicitur spes. Quidquid sit de ulteriore quaestione, utrum unum tantum eorum elementorum sit *essentia* spei, an utrumque.

BeaTITUDinis aeternae. Haec verba designant obiectum materiale spei theologicae; de quo tamen in hac thesi nihil expresse dicimus, quia investigandum erit in thesi sequenti.

184. Doctrina Ecclesiae, *a)* Docet *desiderandam* esse salutem et eius spem esse fovendam: sic Innocentius XI in prop.12 damnata Michaelis Molinos (D 1232). Spem esse *desiderium interessatum,* id est tendens in bonum desiderantis ut tale: sic contra Fénelon (D 1328 1333 1337)[3].

b) Coniungit spem cum *fiducia.* In spem eriguntur *fiden-*

1 Ratio *ardui* in spe non ab omnibus theologis eodem modo explicatur. Communius in eo ponitur, quod obiectum spei difficile acquiratur.
3 Cf. G.Mollard, *L'unité de l'espérance:* RcvThom 40 (1'35) 196-210.
• Utrum *omnis* spes theologica debeat esse interessata, videbimus postea, cum agamus de obiecto formali spei.

tes...: sic Conc. Tridentinum s.6 c.6 (D 798). Contritio debet esse *cum fiducia* divinae misericordiae, seu cum spe veniae: sic Conc. Tridentinum s.14 c.4 (D 897s). Docet praeterea spem collocandam esse in divino auxilio, seu *fidendum esse in auxilio* Dei: sic Conc. Tridentinum s.6 c.13 (D 806).

Ex his ergo satis constat, in documentis Ecclesiae coniungi spem theologicam cum desiderio beatitudiinis et cum fiducia de eius assecutione propter auxilia Dei. Unde utrumque elementum pertinet ad notionem spei theologicae, iuxta doctrinam Ecclesiae.

Valor dogmaticus. In sensu explicato, scilicet prout agitur de descriptione elementorum, quae spem psychologice constituunt, non de essentia ipsius spei, thesis dicenda est *de fide divina et catholica.*

185. Probatur ex sacra Scriptura. Utrumque illud elementum effertur in sacra Scriptura in connexione cum spe Christiana.

a) *Desiderium:* Rom 8,18-25. "Spe salvi facti sumus". Nondum enim salutem perfectam habemus; sed eam speramus. Nos autem eam sperare, inde constat, quod ardenter desideramus perfectam *"adoptionem filiorum",* quae cum redemptione corporis coniuncta est, ideoque *"gemimus"* propter exspectationem illius, quam habemus.

b) *Fiducia:* Cum obiectum spei theologicae sit supernaturale, vires ad illud obtinendum nequeunt esse in nobis, sed in Deo. Ideo formulae biblicae:

Sperare (habere spem) in Deo: 1 Tim 4,10; 1 Io 3,3.
Sperare in Christo, in Domino: 1 Cor 15,19; Phil 2,19.
Sperare in Deum: Act 24,15; 2 Cor 1,10; 1 Tim 5,5; 1 Petr 1,21; 3,5.

Similia habentur saepe in Vetere Testamento, maxime in Psalmis. Ideo etiam dicitur Deus (Ps 13,6; 60,4; 64,6; 7,5...), vel etiam Christus (1 Tim 1,1), spes nostra.

c) Christiani, eo quod tam magna promissa desiderare fiducialiter possunt, dicuntur *habere spem* (Rom 15,4; 2 Cor 3,12; 10,15; 1 Io 3,3), in oppositione ad alios, qui spem non habent (1 Thess 4,13; Eph 2,12).

d) Cum idea spei christianae et fiduciae coniungitur saepe in Scriptura idea *patientiae.* Est autem haec patientia, seu constantia, virtus, qua homo, nullis adversitatibus fractus, in fide perseverat propter spem certam quam habet. Sic v.gr. Rom 5,3s (constantia ostendit virtutem probatam, qua auge-

tur spes); 1 Thess 1,3 (recordamur spei vestrae, perseverantis inter multas tribulationes)[4]

186. Probatur ex traditione, *a)* Loquuntur SS.Patres saepe de spe tanquam de *desiderio* rei, quae nondum habetur (R 1057 1491), de desiderio mercedis iustae (R 1312)[5].

b) Spem definiunt tanquam *confidentiam* de re futura (R 1187); "spes enim non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium qui earum rerum spem gerere perhibetur" (S.AuGUSTInus)[6].

187. Ratio theologica. Actus sperandi ponitur in fontibus revelationis tanquam actus omnino specialis, a caritate diversus, quique spes dicitur per analogiam ad spem naturalem. Atqui spes naturalis haec elementa continet. Ergo actus spei theologicae debet etiam esse desiderium fiduciale[7 8]

Min.: Analysim huius actus psychologici fecimus cum S.Thoma, supra n.183.

188. Scholion. *De essentia spei.* Ex his duobus elementis, quae diximus uno vel modo inveniri in actu spei, quaeritur quodnam sit essentiale ad hoc ut verus conceptus spei habeatur. Qua in re magna est theologorum disputatio.

a) Alii enim tenent *solani fiduciam,* seu erectionem animi, esse elementum essentiale; desiderium autem esse aliquid praerequisitum. Quale vero hoc desiderium sit, non ab omnibus his auctoribus eodem modo explicatur. Sunt enim qui teneant hoc desiderium esse amorem quondam naturalem; et qui putent esse verum amorem caritatis, licet imperfectae. Sententiam hanc defendit S.Bonaventura, et facta esi communior inter thomistas cum Io. a S.Thoma, Salmanticensibus, Gonet, Billuart; inter auctores S.l. defenditur a Vâzquez et Scliiffini; eam propugnavit Zimaras.

b) Alii tenent e contrario *solum desiderium* esse elementum essentiale, desiderium scilicet Dei absentis et difficile assequendi. Sic Scotus et communiter scotistae, ut Mastrius et Frassen; inter auctores S.I., Suarez, Coninck, Arriaga, Granado, Oviedo, Hurtado; deinde etiam Ysambert, et recentius Lahousse.

c) Alii tandem tenent utrumque elementum esse essentiale, ac proinde actum spei definiri (non describi solum) tanquam *desiderium fiduciale.* In qua definitione desiderium constituit genus (amor concupiscentiae boni absentis), et fiduciale affert differentiam specificam. Sic Ripalda, et posteriores auctores S.l. communius, ut Haunoldus, Platel, Mayr, Viva, Kilbcr, Mazzclla, Billot, Pesch, Beraza.

Et haec *ultima sententia probabilior videtur.* Tn prima enim sen-

4 Cf. J.DS GuibERT, *Sur l'emploi d' ἐλπί(ο et de scs synonymes dans le Nouveau Testament:* RechScRel 4 (1913) 565-569; C.Spico, ὑπ 0.0' r *patientia:* RevScFhTh 19 (1930) 95-106; A.F.FestucierK, 'π ι'. -'b *dans la tradition grecque:* RechScRel 21 (1931) 477-486; Th.Deman, *La théologie del' ὑπ'-μονη biblique:* DivThom (Pi) 35 (1932) 30-48.

" Cf. etiam S.Augustinum, *Serm.* 118,8: ML 38,866.

° *Enchiridion* 8: ML 40.235.

7 Cf. E.Raitz von Frenz, *Analyse der Hoffnung:* Schol 9 (1934) 555-563.

8 *Das IVcsen der Hoffnung in Natur und Ucbcrnatur* (Paderborn 1933) 247.

icntia non satis apparet quomodo spes Christiana concipiatôr ut interessata, sicut exigitur propter propositiones damnatas Geneion (D 1327-1334); quod in fiducia, ut tali, non habetur. Difficulter etiam explicatur, ut vidimus, actus ille desiderii spem praecedens. Immo ipse actus voluntatis, qui non sit amor aut odium, minias intelligitur. In secunda vero sententia non videtur explicari frequentissimus et classicus loquendi modus S.Scripturae et SS.Patrui/i "sperare in Deo, spem ponere in Deo". Ipsa etiam peccata desperationis ct praesumptionis non bene capitur quomodo sint contra spem, cum in illis vere remaneat desiderium Dei. Tertia e.rgo sententia, utpote omnia haec melius explicans, probabilior videtur ".

ARTICULUS II

D® obiecto materiali spei

Thesis 14. Obiectum spei theologicae est tum beatitudo aeterna supernaturalis, tum auxilia divina ad illam obtinendam.

S.Th., 2.2 q.1" a.1-2; LsnxUrz, 461-485; Pssch, 476-484; Bbraza, 962-981.

189. Nexus. Postquam vidimus tendentiam psychologicam motus voluntatis, qui vocatur spes, quaerimus iam quaenam sint obiecta circa quae haec tendentia exerceatur in ordine supernaturali.

190. Notiones. Obiectum spei, scilicet materiale, seu id quod speratur.

Beatitudo AETERNA et auxilia divina. Haec verba describunt obiectum adaequatum spei theologicae, seu illius desiderii fiducialis, quod diximus. Ut enim docet S.Thomas in *Quaestionibus disputatis de spe* a.1, obiectum spei, cum includat difficultatem aliquam vincendam ut revera fiat possibile speranti, quandoque tale est ut *propriae vires* sperantis ad illam difficultatem vincendam sufficiant, quandoque vero tale ut illae solae vires non sufficiant sed *citerius vires* requirantur. In casu spei theologicae, quia Deus, beatitudine supernaturali obtinendus, est obiectum omnes vires naturales superans, aliae vires requiruntur, quae obiectum hoc possibile faciant; hae autem vires nequeunt esse nisi *vires ipsius Dei.* Ubicumque autem speratur aliquid, quod possibile est tantum per vires alterius, spes habet quandam exspectationem, in

0 Cf. Lennerz, 515-523; Harent. *Espérance:* DTC 5,632-645; T.UrdAnoz, *Para una filosofia y teologîa de la csperansa:* ViencTom 84 (1957) 612-638; J.Henning, *Von Wesen der Hoffnung:* GLeb 30 (1957) 257-262; S.PinckaErs, *Les origines de la définition de l'espérance dans les Sentences dc Pierre Lombard:* RechThAncMéd 22 (1955) 306-312; *La mature zertuesse de l'espérance:* RevThom 58 (1958) 405-442,623-064.

quantum sperans respicit auxilium alius. Et tunc necesse est ut spes feratur in duplex obiectum: in bonum adipiscendum, et in eum, cuius auxilio nititur. Hoc ergo accidit in spe theologica. Unde spes theologica fertur *in beatitudinem obtinendam,* et *in auxilium divinum,* quo beatitudo obtinetur.

191. Beatitudo supernaturams intelligi potest *obiectiva* (id est obiectum ipsum beatificans, scilicet Deus) et *subiectiva* (id est possessio obiecti beatificantis, scilicet visio, amor, gaudium Dei). Disputatur a theologis quaenam ex his sit obiectum spei theologicae. Videtur dicendum utramque simul, scilicet beatitudinem *formalem,* seu Deum visione possidendum.*

Auxilia divina necessaria sunt ad beatitudinem obtinendam, ideo quia haec supernaturalis est; ac proinde in nobis relate ad illam datur impotentia physica et absoluta. Haec divina auxilia certo constant ex voluntate Dei salvifica universali; quae seria et sincera non esset, si haec auxilia ex parte Dei aliquando deessent.

Unde obiectum *primarium* spei theologicae est Deus visione possidendus per auxilia ipsius Dei; obiectum *secundarium* sunt haec ipsa auxilia Dei, quibus Deum visione assequemur.

192. Doctrina Ecclesiae, *a)* Obiectum spei est: vita aeterna: Symbolum Constantinopolitanum (D 86); futuri saeculi gaudia: Symbolum Toletanum XI (D 287); aeterna retributio: Conc. Tridentinum s.6 cn.26 (D 836). Similiter in Pelagio I (D 228a). Immo ut tale obiectum spei, proponenda est christianis vita aeterna: Conc. Tridentinum s.6 c.16 (D 809).

b) Peccator debet sperare veniam: Conc. Tridentinum s.14 c.14 (D 898); Deum sibi propitium fore: Conc. Tridentinum s.6 c.6 (D 798).

c) Nemo debet dubitare de Dei misericordia, de Christi merito, de sacramentorum virtute et efficacia in ordine ad nostram salutem propriam: Conc. Tridentinum s.6 c.9 (D 802). Debemus fiduciam habere divinae misericordiae: Conc. Tridentinum s.14 c.4 (D 987).

d) Debet desiderari salus, perfectio, sanctitas propria: Innocentius XI contra Molinos (D 1232); idque etiam a perfectis: Innocentius XII contra Fénelon (D 1328 1333 1337).

Valor dogmaticus. *De fide divina et catholica definita.*

193. Probatur ex S'aéra Scriptura, *a)* Scriptura pro-

* Cf. Suârez, *Dc spe* d.1 s.1.

ponit nobis tanquam obiecta speranda: vitam aeteryiam (Tit 1,2; 2,13; 3,7), ea quae Deus promisit (Act 26.6s; Hebr 10,28), resurrectionem (Act 24,15; I Thess 4,13-18;, redemptionem plenam et perfectam nostram (Rom 8,23sVquae reposita sunt in caelis (Coi 1,5), salutem (1 Thess 5,β), quae non videntur (Rom 8,24; Hebr 11,1).

b) Sed simul docet nos Scriptura, spem ponendam esse non in nobis, sed in Deo, ut vidimus supra n.185.

Tdeo Christus vocatur *spes nostra* (1 Tim 1,1) et Deus dicitur *Deus spei* (Rom 15,13).

194. **Probatur ex traditione,** a) *SS.Patres:* iuxta ipsos speranda nobis est merces nostra (R 1025 1312), possessio Dei (R 1474), futura beatitudo (R 1187), bonum bonorum omnium (R 1482).

Haec nobis speranda sunt a Deo (R 1187), quod maxime explicant in commentario Ps 72,26-28 (R 1474).

Tandem tenent Deum ita nos adiuvare ad salutem, ut nos non deserat nisi Ipse prius a nobis deseratur (R 1792 2227 2232).

b) *Liturgia* docet nos petere auxilia divina, immo et plura bona temporalia, ut media nobis sint vitae aeternae obtinendae. Iam vero ea quae petuntur, sine dubio ad obiectum spei pertinent.

195. **Ratio theologica,** a) *Deus visione possidendus* est maximum nostrum bonum. Ergo, ubi primum scimus ex fide Illum possibilem nobis, ad Ipsum tendere debemus desiderio simul et fiducia, id est spe proprie dicta. Ergo Deus visione possidendus est obiectum nostrae spei theologicae.

Nota sic probari, non sufficere beatitudinem obiectivam, sed requiri formalem. Id enim quod desideramus et speramus est bonum nostrum ut tale. Sed Deus in tantum est verum bonum nostrum, in quantum Ipso frui possumus per beatitudinem subiectivam. Ergo etiam beatitudo subiectiva ingreditur obiectum spei.

b) Deus visione possidendus in tantum est obiectum spei, in quantum est nobis bonum possibile. Atqui non est nobis bonum possibile nisi *auxilia ipsius Dei* nobis praesto sint. Ergo in tantum Deus est obiectum nostrae spei, in quantum etiam Eius auxilia speramus.

196. **Obiectiones.** 1. Obiectum spei debet esse absens. Sed Deus non est nobis absens. Ergo Deus nequit esse obiectum spei.

Conc. mai. Dist. min. Deus, ut fide cognitus, non est nobis absens, *conc. min.;* ut intuitive videndus non est nobis absens, *nego min.*

2. Possessio Dei, utpote quid creatum, referenda est ad Deum. Ergo non est ultimus finis. Atqui solum ultimus finis potest esse obiectum primarium nostrae spei. Ergo possessio Dei, seu beatitudo subiectiva non est obiectum primarium spei.

Conc. anteç. Dist. cons. Non est ultimus finis qui, *conc. cons.;* non est ultimus finis quo, *nego cons. Conc. min. subs.*

3. Obiectum primarium spei debet esse aliquid divinum. Sed possessio Dei non est aliquid divinum. Ergo possessio Dei nequit esse obiectum ppraarium spei.

Dist. mai. Id est, debet esse vel aliquid Dei, vel aliquid a Deo immediate informatum, *conc. mai.;* debet esse necessario aliquid Dei, *nego mai. Contradist. min.* Visio enim non desideratur nisi in quantum est visio Dei,| ab hoc divino obiecto quasi informata[3].

4. Ideo religio non est virtus theologica, quia includit adorationem Dei in suo obiecto primario. Ergo a pari spes non erit virtus theologica si includat in suo obiecto primario fruitionem Dei.

Dist. antec. Ideo solum, *nego antec.;* ideo etiam, *subdist.:* quia includit adorationem Dei tanquam obiectum primarium adaequatum, *conc.;* tanquam obiectum inadaequatum ab ipso Deo immediate informatum, *nego. Pariter dist. cons.* Negavi religionem ideo solum non esse virtutem theologicam quia habeat obiectum primarium creatum; praecipua enim ratio cur religio deficiat a perfectione virtutis theologicae ponenda est in obiecto formali, quod non est aliquid divinum, sed honestas creata relucens in dando Deo cultum debitum.

197. Scholion. *De bonis temporalibus, prout sunt obiectum spei.* Quia “petitio est spei interpretative", id omne sperari potest, ideoque est obiectum spei, quod a Deo petere licet, dummodo petatur in ordine ad beatitudinem aeternam (2.2 q.17 a.2 ad 2). Bona autem temporalia petere et desiderare licite possumus, non quidem ut in eis finem constituamus, “sed sicut quaedam adminicula, quibus adiuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum” (2.2 q.83 a.6). Hoc ergo sensu bona etiam praesentis vitae, sive spiritualia, sive temporalia, possunt pertinere ad obiectum materiale spei ; non quidem primario, m patet, sed certe secundario. In hunc sensum dicit Cathechismus Romanus: “Quam ob rem minime sunt audiendi, qui dicunt, non licere Christianis hominibus a Deo petere terrena huius vitae bona. Nam huic adversantur errori, praeter consentientem Patrum sententiam, exempla permulta tum Veteris, tum Novi Testamenti”[3].

* Cf. Ripauia, *De spe d.23* s.4 n.34.
’ *Catcchismus Romanus* 4,13,9.

ARTICULUS III

Di MOTIVO SPEI THEOLOGICAE

Thesis 15. Motivum spei theologicae est bonitas Dei relativa cum virtute divina auxiliatrice.

LknnSrz, 443-460.486-402; PftSCH, 492-503; Beraza, 982-1019; HarKnt, *Espérance:* DTC 5,632-645.

198. Nexus. Quia diximus spem esse motum voluntatis in bonum arduum possibile, quod est beatitudo supernaturalis, quaerendum est nunc quodnam sit motivum determinans voluntatem ut talem actum eliciat.

199. Notiones. Motivum spei theologicae considerari potest ex duplici respectu, quem hic actus in se continet: prout scilicet est actus desiderii, ac proinde cuiusdam amoris concupiscentiae, et prout est actus fiduciae ex erectione animi. Sub duplici respectu consideramus motivum spei in thesi. Non tamen dicimus spem habere duo motiva (unde sequeretur spem esse duplicem actum, non unicum), sed unicum motivum complexum et compositum ex duabus rationibus formalibus, quae illi duplici respectui correspondent; sicut diximus spem non esse merum desiderium aut meram fiduciam, sed essentialiter esse desiderium fiduciale.

200. Bonitas Dei relativa. Deus potest amari a nobis vel prout est in Se et Sibi bonus (ex sua bonitate absoluta), vel prout est nobis bonus (ex sua bonitate relativa). Dicimus ergo motivum, quod movet voluntatem ad eliciendum actum spei, *in quantum hic est desiderium Dei possidendi,* esse Deum prout speranti bonus est, prout est merces nostra et praemium nostrum.

Virtus divina auxiliatkix, scilicet omnipotentia Dei, qua nos iuvare potest, sed praecise in quantum de facto adiuvabit, quia certo promisit. Dicimus ergo motivum, quod movet voluntatem ad eliciendum actum spei, *in quantum hic est fiducia in Deo,* esse potentiam divinam quae scitur nobis praesto esse ad auxiliandum ex promissione certa Dei.

Hanc sententiam defendimus cum Ripalda, Kilber, Mazzella, Billot, Pesch, Harent, Beraza, Lennerz.

201. Adversarii, *a)* A motivo spei tollunt *bonitatem Dei relativam,* quicumque tenent spem essentialiter non esse nisi fiduciam. Sic S.Bonaventura, *plures thomistae,* Vâzquez, SCHIFFINI, ZIMARA.

b) A motivo spei tollunt *virtutem Dei auxiliatricem,* quicumque tenent spem essentialiter non esse nisi desiderium Dei, boni absentis et ardui. Sic Scotus et plures *scotistae,* Suarez et plures *auctores S.I.* post eum, citati supra n.188[1].

202. Doctrina Ecclesiae, *a)* Docet nos sperare nostram mercedem: *Conc. Tridentinum* s.6 c.11 (D 804), cn.26 (D 836) ; cf. s.6 c.9 (D 809) ; et damnat eos qui talem actum putant esse malum quia est amor interessatus : *Conc. Tridentinum* s.6 cn.31 (D 841), prop.38 Baii (D 1038), lansenistarum prop.10 et 13 (D 1300 1313); et eos qui putant talem actum esse omittendum a viris perfectis: prop.7 et 12 Michaelis Molinos (D 1227 1232) et prop. 1,2,6 et 8 Fénelon (D 1327s 1332 1334). Iam vero ex doctrina ipsius Ecclesiae haec nostra merces et beatitudo non est nisi Deus (cf. D 530). Unde per spem intendimus Deum ut bonum nobis; cuius actus motivum est bonitas Dei relativa.

b) Docet nos sperare ex considerata misericordia Dei: *Conc. Tridentinum* s.6 c.6 (D 798) ct c.9 (D 802) ; ponere spem in auxilio Dei: *Conc. Tridentinum* s.6 c.13 (D 806); in promissione et fidelitate Dei: *Conc. Tridentinum* s.6 c.16 (D 809). Unde spes nititur, ut in suo motivo, in virtute Dei auxiliatrice.

203. Valor dogmaticus. Haec elementa pertinere vero aliquo modo ad motivum spei, saltem in praerequisitis vel in consequentiis, est *de fide.* Esse motivum spei stricte dictum, est *sententia communior et probabilior.*

204. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Docet nos sperare nostram beatitudinem et mercedem bonorum operum (Mt 5,12; 1 Cor 3,8; 9,25; Phil 3,14; 2 Tim 4,7s). Atqui beatitudo et merces nostra est Deus a nobis possidendus, seu Deus in quantum nobis bonus, ut probatur in tractatu *De novissimis.* Ergo spes habet ut motivum bonitatem Dei relativam.

b) Expresse proponit ut motivum nostrae spei Deum ut auxiliatorem (Ps 145,5; 61,8; 2 Cor 1,10; 1 Tim 4,10; 1 Petr 1,21); vel etiam supposita omnipotentia Dei, Deum fidelem in promissis adimplendis (Hebr 10,23)[2].

205. Ratio theologica, *a)* Spes est motus voluntatis continens *amorem concupiscentiae* erga Deum. Atqui motivum

1 Cf. Moxicns. *BcmerkungeH ciun Formalobjekt der ffwdten und drîtten (jottlichen Tugena:* ZkathTb 22 (1898) 61-77, qui sententiam suarrezianam defendit.

2 Cf. J.M..· Bover, *La csprramsa en la epistola a los Hcbreosi* Greg 19 (1938) 110-120.

amoris concupiscentiae erga Deum est bonitas Dei relativa. Ergo motivum spei est bonitas Dei relativa.

Mai.: Actus spei est desiderium Dei boni absentis, sed prout possidendi. Ergo Dei prout bonus est desideranti. Atqui tale desiderium est amor concupiscentiae erga Deum.

Min.: Motivum cuiuscumque amoris concupiscentiae est bonitas relativa obiecti amati. Nam amor concupiscentiae ita tendit in personam amatam ut non sistat in ea, sed revertatur ad proprium amantem.

b) /Vetus spei est motus *voluntatis sese erigentis* contra arduitatem beatitudinis obtinendae. Atqui haec erectio animi nequit esse nisi ex motivo Dei potentis, volentis et promittentis adiuvare. Ergo motivum spei est potentia, misericordia et fidelitas Dei, seu virtus Dei auxiliatrix.

Min.: Arduitas beatitudinis obtinendae est in supernaturalitate eius. Ergo motivum capax erigendi voluntatem contra illam arduitatem nequit esse nisi Deus. Atqui Deus non potest esse tale motivum formaliter nisi possit, velit et promittat adiuvare ad vincendam illam arduitatem. Ergo virtus Dei auxiliatrix est motivum erectionis animi in spe.

206. Obiectiones. 1. Si motivum spei est bonitas Dei relativa, omnis sperans facit seipsum finem et Deum medium. Atqui hoc est moraliter malum. Ergo si motivum spei esset bonitas Dei relativa, spes esset moraliter mala.

Dist. mai. Si intenderet amare Deum propter ipsum sperantem, faceret seipsum finem et Deum medium, *conc. mai.;* si intendit tantum amare Deum sibi, *nego mai. Contradist. min.*

Distingue amorem unius *propter alium* et amorem unius *alii.* In primo casu datur vera subordinatio medii ad finem; bonitas enim movens ad amandum est ratio medii apti ad obtinendum aliud quod magis amatur. Sed in secundo casu non est vera subordinatio medii ad finem; bonitas enim movens est bonitas relativa personae amatae, seu id quo illa persona bona est amanti; ubi potius subordinate amans personae amatae, utpote qui perfectionem in illa inveniat [3].

2. Qui ita sperat, magis se amat quam Deum. Sed hoc est inordinatum. Ergo si tale motivum ponitur in spe, actus spei erit inordinatus.

Dist. mai. Si amaret Deum propter se, *conc. mai.;* si amat Deum sibi, *nego mai.* Quia in hoc casu ipse proprie non est obiectum, sed subiectum *cui* amoris.

3. Per actum spei potest desiderari unio nostra cum Deo. Atqui unio cum Deo desideratur amore amicitiae, non amore concupiscentiae. Ergo non omnis actus spei continet amorem concupiscentiae, nec proinde bonitatem Dei relativam, ut motivum. Hoc posito, sequeretur etiam non omnem spem esse necessario interessatam.

Dist. mai. Potest desiderari unio nostra cum Deo. in quantum

3 De hac difficultate, cf. LrnnSrz, 453-458, cum auctoribus qui ibidem citantur.

illa unio est maxima nostra perfectio, *conc. niai.;* in quantum est necessarium consectarium amoris inter amicos exsistentis, *nego mai. Contradist. min.* Unio cum Deo, ut est necessarium consectarium amoris inter amicos exsistentis, non desideratur amore concupiscentiae, *conc. min.;* in quantum est maxima nostra perfectio, *nego min.*[4]

207. Scholion. *De subiecto cui in spe.* Quia, ut diximus, omnis spes est necessario interessata, utpote involvens essentialiter amorem concupiscentiae, potest quaeri, utrum impossibile sit ut aliquid speremus non nobis, sed alteri. Et quidem S.Augustinus dicit: "Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad cum pertinentium, qui earum rerum spem gerere perhibetur" Quibus verbis videtur positive excludere spem, qua sperans non sibi speret, sed alteri. Quaestionem hanc solvit S.Thomas 2.2 q.17 a.3 ex principiis sequentibus. Directe quidem spes "respicit proprium bonum, non autem id quod ad aliud pertinet". Sed, quia potest dari vera quaedam unio amicorum, quae fit per amorem amicitiae, si semel praesupponatur talis unio inter duos, "iam aliquis potest desiderare et sperare aliquid alteri, sicut sibi. Et secundum hoc aliquis potest sperare alteri vitam aeternam, in quantum est ei unitus per amorem. Et sicut est eadem virtus caritatis, qua quis diligit Deum, seipsum et proximum, ita etiam est eadem virtus spei, qua quis sperat sibi ipsi et alii".

ARTICULUS IV

De PROPRIETATIBUS SPEI THEOLOGICAE

208. Actum spei theologicae esse *eniitalive supernallira-ient,* patet. Eius autem supernaturalitatem explicamus ex principio illum eliciente, sicuti diximus de actu fidei.

Esse vero actum *essentialiter liberum* inde patet, quod totus sequitur ex assensu fidei, qui est essentialiter obscurus; praeterea nemo tenetur ponere suam fiduciam in alio, nisi id velit libere.

Actum spei theologicae esse *rationabilem,* sic explicatur. Actus spei elici nequit nisi praecedat iudicium certum, quo constet obiectum esse sperabile. Non autem est sperabile obiectum nisi sit bonum, absens, arduum et possibile. Cum ergo obiectum sit beatitudo supernaturalis, eam esse nobis bonam, absentem et arduam, constat. Tota quaestio est de possibilitate beatitudinis pro ipso sperante; de qua possibilitate ipsi constare certo debet ut possit facere actum spei. Iudicium certum circa hanc possibilitatem sic effertur: beatitudo supernaturalis est mihi possibilis. Quod iudicium certum includit assensum certum de futuritione condicionata beatitudinis (Deus dabit mihi beatitudinem, *si* cooperaturus sum), et assensum

4 Alias difficultates vide apud Beraza, 1009-1019.1028-1037.
• *Enchiridion* 8: ML 40,235.

certum de futuritione absoluta auxiliorum Dei (Deus dabit mihi auxilia necessaria). Non tamen ibi necessario includitur assensus certus de futuritione absoluta ipsius beatitudinis; sed certe excluditur assensus certus de futuritione absoluta exclusionis a beatitudine. Sic ergo habetur obiectum *sperabile.* Sed debet etiam apparere voluntati ut *sperandum.* Hoc autem habetur ex iudicio certo, quo intellectus proponit voluntati honestatem actus quo sese tota fidit Deo, obediendo Eius mandatis circa positivam tendentiam in beatitudinem.[1]

Restat ergo ut agamus de aliqua proprietate spei theologicae, quae summi momenti est ad genuinum conceptum ipsius habendum, scilicet de *firmitate* seu *certitudine* eius.

Thesis 16. Spes theologica est firmissima; cui firmitati nullo modo opponitur timor de propria cooperatione sperantis.

S.Th., 2.2 q.18 a.4; Lennerz, 493-511; Beraza, 1038-1059; PESCH, 504-513.

209. Notiones. Firmissima dicitur spes, quatenus est motus voluntatis suo obiecto adhaerentis sine haesitatione, ob motivum infallibiliter connexum cum obiecto. Habet ergo firmitas spei duplex elementum: securitatem *(adhaesionem sine haesitatione)* et infallibilitatem *(connexionem cum obiecto).*

Firmitatem spei plures theologi vocant *certitudinem.* Non tamen intelligunt certitudinem quandam pure denominativam a certitudine fidei desumptam, sed proprietatem aliquam spei, quae in fontibus revelationis saepissime exhibetur.

Timor est actus voluntatis fugientis malum futurum imminens. Timor, de quo agimus, habet pro obiecto propriam cooperationem sperantis ad gratiam seu auxilium Dei.

210. Adversarii. Simon Tornacensis videtur negasse certitudinem spei.[2]

Protestantes ita posuerunt spem (fidem fiducialem) absolute et infallibiliter certam, ut cum ipsa nullo modo componeretur timor.

211. Doctrina Ecclesiae. *Conc. Tridentinum* s.6 c.13 (D 806):

a) *firmissima* spes ponenda est in auxilio divino; Deus enim perficiet opus salutis si ipsi non defuerint gratiae Dei.

b) sed *formidare debemus* de pugna quae superest; quia

1 Cf. Lennerz, 512s.
2 Cf. I. Ramírez, *De certitudine spei christianae:* CiencTom 57 (1938) 184.

iusti adhuc possunt vivere secundum carnem, sicque non cooperari gratiae Dei.

In eodem *Conc. Tridentino* c.9 (D 802) reicitur *inanis fiducia haereticorum;* cf. etiam c.12 et cn.15 et 16 eiusdem sessionis (D 805 826s).

Valor dogmaticus. Spem esse firmissimam, nec tamen omnem timorem excludentem, est doctrina *de fide divina et catholica definita.*

212. Probatur ex sacra Scriptura, a) *Securitas infallibilis* sperantis in Deo habetur clare *in V.T.:*

Eccli 2,7-13: exspectanda est in tribulationibus misericordia Domini, ne ruamur (v.7). Sed qui sperat in Domino (credite—sperate), mercedem certo habebit; ideo rationem habet sperandi meliorem rerum condicionem, laetitiam sempiternam -et misericordiam (v.8s). *Nota* versum 10 non esse in originali. Ratio autem ad sperandum firmissime in Domino desumitur •ex ipsa experientia historica: si considerentur generationes antiquae (Patriarcharum, Prophetarum, Regnum Israel), apparet neminem confidentem in Domino fuisse deceptum (v.11, in graeco 10a), neminem permanentem in pietate fuisse derelictum, neminem invocantem Dominum fuisse oblitum (v.12, in graeco 10b). Ratio vero ultima haec est: quia Dominus est misericors et miserans, condonans peccata et salvans in tempore tribulationis (v.13, in graeco 11)3.

Ier 17,5-8: maledictus homo qui confidit in homine (v.5); e contrario benedictus homo qui confidit in Domino (v.7). Ratio est: quia ille nullum dabit fructum (v.6); hic autem, etiam inter aestum et siccitatem fructum habebit (v.8).

In Psalmis haec idea saepissime et pulcherrime exhibetur. En quaedam exempla: *sperabunt in Te..., quia non derelinquis quaerentes Te* (9,11); *in Te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos; ad Te clamaverunt ct non sunt confusi* (21,5s); *Dominus pascit me: nihil mihi deest. Etsi incedam in valle tenebrosa, non timebo mala, quia Tu mecum es* (22,1.4); *in Domino confisus, non vacillavi* (25,1); *confortamini et roboretur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino* (30,25); *in Deo, cuius celebro promissum, in Deo confido; non timebo: quid faciat mihi caro?* (55,5.11s); *qui confidunt in Domino sunt sicut mons Sion, qui non commovetur, qui manet in aeternum* (124,1). Sed maxime Ps 90, qui totus est in hac firmitate spei celebranda: Psalmista docet securitatem, quam

• Cf. KnabEnbavkr, *Commentarius in Ecclesiasticum* (Paris 1902) S6s.

habet qui sperat in Domino (1-13); et deinde ipse Deus inducitur confirmans ea quae a Psalmista dicta sunt (14-16).

213. b) *Eadem securitas* praedicatur *in N.T.* En aliqua exempla:

Rom 5,5-8: Spes nostra non decipit (mon est cuipiam periculum ne decipiatur ab ea); quia habemus in corde pignus certitudinis ipsius, scilicet amorem Dei diffusum in corde per Spiritum Sanctum inhabitantem. Huius securitatis ratio inde etiam habetur, quod Christus pro nobis mortuus est [1].

Hebr 6,11-20: Debetis spem vestram perfectam et plenam facere (in fiducia et firmitate) usque ad finem vitae (v.ll). Ut hanc securitatem spei adaugeat, ponit Apostolus ante oculos firmitatem illius promissionis, quae Abrahamo facta fuit pro se et pro omnibus fidelibus. *Modus* quo Deus illam promissionem fecit est pignus maximum pro nobis sperantibus (v.13s.16-18). Fecit enim et promissionem et iuramentum; quod utrumque, utpote divinum, impossibile est ut fallat aut decipiat. Unde habemus magnam securitatem in sperando ea quae nobis promissa sunt. Ideo spes nostra est sicut ancora secura et firma. *Exemplum* huius firmitatis est ipse Abraham, constanter perdurans in sua exspectatione; qui ideo habuit mercedem a Deo (v.15) [2].

Hebr 10,23: securi et firmi maneamus in spe, quia Deus, cuius promissio est fundamentum spei nostrae, est fidelis.

214. *c)* Sed Scriptura docet nos etiam, *timendum esse:*

Prov 28,14: *Beatus homo, qui semper est pavidus;* scilicet qui non est durae mentis, qui non obdurat cor suum nec legem spernit, sed cavet ne negligat mandata [3].

Rom 11,17-24: noli altum sapere, sed time (v.20), ne forte tibi non parcat Deus (v.21), si tu non permanes in bonitate (v.22).

1 Cor 10,12: *qui sc existimat stare, videat ne cadat.*

Phil 2,12: *cum metu et tremore vestram salutem operamini;* scilicet cum sollicitudine et voluntate non displicendi Deo.

1 Petr 5,8: *sobrii estote et vigilate;* scilicet ne amittatis bona spiritualia.

215. **Probatur ex traditione,** *a)* SS.Patres *loquuntur de certitudine spei:* S.Chrysostomus affert tanquam motivum conservandi firmam spem in futuro, ipsa beneficia quae Deus contulit in praeterito (R 1187). Alibi commentans Hebr 10,23,

[1] Cf. J.Hdbv, *Epitrc aux Romains* (Paris 1940) 184s.
[2] Cf. J.BONS1RVF.N, *Epitre aux Hébreux* (Paris 1943) 304-312.
[3] Cf. KxabSnbaub», *Commentarius in Proverbia* (Paris 1910) 216.

ail: "sicut enim ancora navi appensa non sinit eam circumferri, etiamsi eam venti agitent innumerabiles, sed appensa firmam reddit et stabilem, ita etiam spes... Ancoram autem non dixit absolute, sed firmam et stabilem, ut ostendat securitatem eorum qui ea fulciuntur ad salutem" '. Similiter S.Augustinus: "habentes autem in Ipso spem certam et fixam et veram, quem timebimus?"8.* Et alibi: "firmissime sperate quod non videtis; patienter exspectate quod nondum habetis; quia veracem promissorem Christum fidelissime retinetis"B. Eodem modo S.Gregorius M.: "sancti itaque viri foris despecti sunt et velut indigni omnia tolerant; sed dignos se supernis sedibus confidentes, aeternitatis gloriam cum certitudine exspectant" 10.* Pulchre etiam S.Bernardus in sermonibus de Ps 90 «.

216. *b)* SS.Patres *excitant ad timorem* salutiferum habendum: Sic, commentantes verba Apostoli Phil 2,12, "non potest is qui sine timore vivit, praeclarum quidpiam et admirandum edere"12.* "Quare ergo cum timore et tremore, et non potius cum securitate, si Deus operetur, nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo humano ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet et dicat in abundantia sua: non movebor in aeternum" 1S. "Haec sanctis causa est tremendi atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiae et remaneant in infirmitate naturae" 14. Similiter S.Gregorius M.: "Quamvis enim securitati timor semper longe videatur abesse, nobis tamen nihil est securius quam sub spe semper timere, ne incauta mens aut desperando se in vitiis deiciat, aut extollendo de donis ruat; ante districti enim ac pii iudicis oculos, quanto de se sub spe humilius trepidat, tanto in illo robustius stat"15. Et S.Bernardus: "in veritate didici, nihil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pavidus. Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertatur; et hoc est semper pavidum esse" 10.

' *In Hebr* 11,2: MG 63,'lis.
8 *In Ps 26* enarr.2,3: ML 34,200. Eaedom idcare passim in illa enarratione.
• *Servi.* 157,6: ML 38,862.
'° *Moralia* 6,24: ML 75,742.
» ML 183,185-254.
« S.Io.Chrysostomus, Zn *epist. ad Philipficn'ses* hom.8: MG 62,239.
ia S.Augustinus. *Dc natura ct {jratia* 27,31: ML 44,262.
« S.Leo M., *Servi.* 38,3: ML 54,262.
,ß *Moralia* 30,83: ML 75,570.
In Cantica serm.54,9: ML 183,1042.

217. Ratio theologica, a) *Spes est firmissima:* Erectio animi, quae essentialis est spei, mensuratur ex motivo ipsius, scilicet ex virtute Dei auxiliatrice. Atqui virtus Dei auxiliatrix meretur firmissimam adhaesionem. Ergo spes est firmissima.

Min.: Virtus Dei auxiliatrix continet omnipotentiam, misericordiam et fidelitatem Dei. Ergo habet infallibilem connexionem cum obiecto. Ergo meretur firmissimam adhaesionem. Sub hoc motivo esset summa iniuria Deo dubitare aut haesitare.

b) *Debet dari timor:* Realis adeptio beatitudinis, quae speratur, pendet ex auxilio Dei et ex cooperatione voluntatis humanae. Atqui de hac cooperatione nostra timere possumus et debemus. Ergo de reali adeptione beatitudinis debet dari timor.

Min.: De cooperatione nostra gratiae Dei non solum non habemus absolutam certitudinem, sed habemus magnam experientiam instabilitatis et debilitatis humanae in tentationibus. Ergo de ea possumus et debemus timere.

c) *Sed hic timor non destruit firmitatem spei:* Firmitas spei theologicae mensuratur ex motivo spei. Atqui timor non destruit nec tangit illud motivum. Ergo timor non destruit firmitatem spei

218. Obiectiones. 1. Non omnes qui sperant, salvantur. Ergo spes est frustrabilis. Ergo non est firma.

Dist. antec. Non salvantur ex parte subievti sperantis, *conc. antec.; ex* parte motivi spei, *nego antec. Pariter dist. cons.* Si non salvarentur ex parte motivi spei, *conc. cons.;* si non salvantur ex parte subiecti sperantis, salvo semper spei motivo, *nego cons.*

2. Cum spe theologica debet coniungi timor. Atqui spes coniuncta cum timore nequit esse firma. Ergo spes theologica nequit esse firma.

Dist. mai. Timor de propria cooperatione subiecti sperantis, *conc. mai.;* timor de auxilio divino necessario, *nego mai. Contradist. min.* Cum timore de auxilio divino necessario, *conc. min.;* cum timore de propria cooperatione, *nego min.*

3. Auxilium divinum necessarium ad salutem est gratia efficax. Atqui Deus non omnibus dat gratiam efficacem. Ergo timere possumus de ipso auxilio divino.

Dist. mai. Est gratia efficax ab extrinseco, *conc. mai.;* efficax ab intrinseco, *nego mai. Contradist. min.* Non omnibus dat gratiam efficacem ab intrinseco, *conc. min.;* non omnibus dat gratiam efficacem ab extrinseco, *subdist.:* ex defectu cooperationis humanae, *conc.;* ex defectu ipsius naturae gratiae, *nego.*

" De tota hac quaestione, cf. T.RAMfaBZ, *De certitudine spei Christianae:* ViencTom 57 (1938) 184-203.353-378; L.G.Guillon, *Certitude de notre espérance:* RcvThom 45 (1939) 232-248; *De augmenta spei certae sub influxu donorum:* Ang 1« (1939) 136-147.

4. Quod Deus det gratiam, quam praevidit non efficacem, pendet a sola voluntate divina. Ergo tandem defectus cooperationis humanae refunditur in ipsum Deum.

Dist. antec. Pendet a voluntate divina libere eligente determinatum rerum ordinem, in quo seria voluntas salvifica omnino locum habet, *conc. antec.;* pendet a voluntate divina reprobante antecedenter sive positive sive negative, *nego antec. Pariter dist. cons.* Refunderetur in Deum, si collatio gratiae non efficacis penderet a voluntate divina reprobante antecedenter, *conc. cons.;* si pendet a voluntate divina tantum ordinem rerum eligente, *nego cons.*"1

219. Scholion. *De necessitate spei, a)* Actus spei est necessarius adultis necessitate medii ad iustificationem. Cf. Conc. Tridentinum s.6 c.6 (D 798).

b) Est quoque necessarius ad perseverandum. Ad hoc enim requiritur imploratio auxilii divini, ut docet Conc. Arausicanum Π cn.10 (D 183); iam vero oratio sine spe est impossibilis.

c) Est necessarius etiam pro his qui habent magnam perfectionem vitae spiritualis, ut Ecclesia docuit contra Molinos et Fénelon (D 1232 1328, etc.).

d) Datur quoque praeceptum eliciendi actum spei (D 1101), plus quam semel in vita (cf. D 1167)

CAPUT II

De actu caritatis theologicae

ARTICULUS I

De NATURA psychologica caritatis theologicae

Thesis 17. Actus caritatis theologicae est actus amoris amicitiae erga Deum.

5. Tn., *2.2* q.23 a.1; LexnErz, 410-426; Pesch, 586-595; Beraza, 1121-1130.

220. Notiones. Actus caritatis theologicae, scilicet actus proprius illius virtutis, quae in fontibus revelationis simul cum fide et spe connumeratur.

Amor est operatio voluntatis, qua voluntas, ut facultas appetitiva, fertur in suum obiectum.

In amore distinguenda sunt: ille qui amat *(subtectum qui),* id quod amatur *(obiectum materiale),* id propter quod amatur *(motivum seu abieclum formale),* ille cui amatur *(sublectum cui).* Hoc ergo posito, dari potest *duplex tendentia* in amore: prima sistit in obiecto vel persona amata; secunda redit ab

** Alias obiectiones apud Beraza, 1053-1059.

10 Cf. Beraza, 1060-1078; Pesch, 523-530. De amissione spei, cf. I.RamIrez, *De spei Christianae fideique mutua, dependentia:* DivThom (Fr) 18 (1940) 211-284.

obiecto vel persona amata ad ipsum amantem. In primo casu habemus amorem *benevolentiae;* in secundo amorem *concupiscentiae.*

Huic duplici tendentiae psychologicae respondet *duplex* etiam *motivum:* in primo casu amatur persona propter bonitatem absolutam ipsius; in secundo casu amatur propter bonitatem relativam, quam habet erga amantem, id est propter utilitatem, commodum, perfectionem amantis.

Est ergo amor duplex:

a) *Concupiscentiae:* amor alicuius personae vel obiecti propter bonitatem relativam amanti ; amans amat amatum sibi. Est amor interessatus, cuius motivum est bonitas relativa obiecti amati, et subiectum cui est ipse amans.

b) *Benevolentiae:* amor alicuius personae (non obiecti) propter bonitatem eius absolutam ; amans amat amatum propter illum. Est amor non interessatus, cuius motivum est bonitas absoluta personae amatae, et subiectum cui est ipsa persona amata.

221. Amor amicitiae. *Amicitia* proprie est status, qui natura sua in actum specialis amoris prodit; qui amor proinde vocatur amor amicitiae. Hunc amorem describit S.Thomas ut amorem benevolentiae mutuum, super quadam communicatione fundatum. Dicitur *amor benevolentiae,* quo amans vult bonum amato, non sibi. Dicitur praeterea *mutuus,* scilicet cum redamatione (ideo hic amor mutuus nequit non esse *manifestus utrique amanti)*[1]. Haec duo constituunt essentialiter amorem amicitiae. *Communicatio* autem, de qua loquitur S.Thomas, est, ut ipse explicat, fundamentum necessarium ad hoc ut verus amor amicitiae esse possit inter duas personas. Communicatio haec intelligcnda est similitudo in aliqua forma (1.2 q.27 a.3), id est communis quaedam possessio alicuius boni[2].

Dicimus ergo actum caritatis theologicae esse actum supernaturalem voluntatis, amantis Deum cum redamatione ex parte Dei.

222. Doctrina Ecclesiae. Testatur exsistentiam alicuius status amicitiae inter Deum et iustum. Scilicet iustus, eo ipso quod iustus est, vere est amicus Dei: *Conc. Tridentinum*

1 Cf. verba S.Augustini: “quid aliud cavemus in offensione amicitiae, nisi ne armicus arbitretur quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus quam ipse diligit? Quod si crediderit, frigidior erit in amore, quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur" *(De catechisandis rudibus* 8,7: ML 40,315).

2 De disputatione circa modum intclligendi hanc “communicationem”, dc qua loquitur S.Thomas, cf. BullThom *7* (1930) 75-77s.

s.6 c.7 (D 799) et c.lO (D 803). Hic implicite continetur exsistentia alicuius actus qui sit amor amicitiae hominis erga Deum. Neque enim amicitia est aliquid staticum, sed essentialiter dynamicum. Talem amorem amicitiae esse actum caritatis theologicae, ibi non docetur, etsi inde bene colligi possit.

223. Valor dogmaticus. Exsistere statum amicitiae inter Deum et iustum, est thesis *de fide divina et catholica definita.* lustum posse amare Deum amore amicitiae, *videtur implicite definitum.* Hunc amorem esse actum caritatis, est *theologice certum;* quia et amor amicitiae est supremus amor, et actu caritatis maior in homine amor erga Deum dari nequit.

224. Probatur ex sacra Scriptura, a) *In N.T.* iusti vocantur *amici Dei:* Io 15,14s; Lc 12,4; vocantur etiam domestici Dei (id est ex familia Dei); Eph 2,19. In *V.T.* dicuntur in genere participare amicitiae Dei illi, qui possident sapientiam: Sap 7,14.27. Ceterum in particulari solus Abraham in V.T. vocatur amicus Dei (2 Par 20,7; ludith 8,22; Dan 3,35; Is 41,8); ad quem titulum alludit lac 2,23.

b) Praeterea in S.Scriptura talis describitur *relatio inter iustos et Deum,* quae familiaritatem amicitiae, includat. Sic vocantur filii, fratres Christi, etc. Anima quoque dicitur sponsa Dei.

225. Probatur ex traditione. Iustus est amicus Dei (R 1187); caritas facit amicum Dei (R 1251); quanta est dignitas hominum, esse amicos Dei[3]. Generatim similia dicunt Patres, commentantes Ps 138,17[4]; sic S.Hilarius [5],* S.Io. Chrysostomus [®], S.Athanasius [7]; vel etiam commentantes Io 15,15, ut S.Augustinus [8].

226. Ratio theologica. 1) *Inter Deum et iustum datur amicitia:*

a) Datur *fundamentum* amicitiae, scilicet communicatio hominis ad Deum secundum quod nobis Deus suam beatitudinem communicat. Maximum scilicet donum, quod Deus nobis communicare potest, est propria Ipsius beatitude, quae in suiipsius contemplatione et amore consistit. Hanc ergo nobis communicat non solum in futuro, nec solum nunc in destinatione, sed etiam in realitate, quatenus haec vita divina in

8 S.Gregorius M., *Homiliae in Evangclia* 27,4: MI/ 76,1206.
4 In vulgata vel in versione septuagintavirarli, non in hebraico.
° *Tractatus in Psalmos* 138,38: ML 9,812.
* *Expositio in Psalmum* 138,17: MG 55,417.
' *Expositiones in Psalmos* 138,17: MG 27,534.
8 Zn *loannis Evangelium* tr.85: ML 38,1848.

nobis iam inchoatur per virtutes theologicas, ad perfectionem perducenda in patria. Denique hacc immediata et dynamica communicatio vitae ac beatitudinis divinae supponit in nobis novam quandam radicalem similitudinem et communicationem in gratia sanctificante, qua efficimur consortes naturae divinae et filii Dei, in natura ipsa Patris communicantes ®.

b) Datur *amor mutuus benevolentiae:* Deus enim nos aliter amare non potest, cum nos Ipsi nullum commodum aut utilitatem afferre possimus10. Nos autem Deum possumus ita amare, ut Ei bonum velimus, praescindentes a bonitate relativa Dei.

2) *Caritas est amor amicitiae.* Hinc est nos posse amare Deum amore amicitiae, sine quo status amicitiae esset impossibilis. Iam vero ille amor amicitiae erga Deum debet esse ipse actus caritatis. Ex una enim parte suprema nostra tendentia amoris erga Deum debet dari in caritate, cum ad eam omnes aliae virtutes dirigantur; ex alia vero parte perfectissimus modus amandi constituitur in amore amicitiae. Ergo ipse actus caritatis coincidit cum amore amicitiae erga Deum.

227. Corollarium. Ex S.Thoma *(In 3* d.27 q.2 a.I) colliguntur signa et consectaria amicitiae, quae praeclare dantur in hac nostra amicitia divina. Ea autem sunt: desiderium praesentiae, benevolentia (mutuo sibi volunt bona), beneficentia (mutuo sibi dant bona), concordia (eadem volunt), quies in amoreu.

228. Obiectiones. Inter servum et dominum nequit dari amicitia. Atqui homo essentialiter est servus Dei. Ergo inter hominem et Deum nequit dari amicitia.

Dist. niai. Inter servum et dominum simpliciter, *conc. mai.;* inter servum et dominum ex natura, sed filium et patrem ex gratia nequit dari amicitia, *subdist.:* amicitia aequalitatis, *conc.;* amicitia superexcellentiae, *nego. Contradist. min.* Est servus ex natura sed filius ex

• Cf T.Kxt.TJtR, *Dc virtute caritatis ut amicitia quadam divina:* XenThom 2 <1925)'254-257.

30 *Dices:* Deus debet referre proprium amorem in gloriam suam. Ergo amor Dei, quo nos amat, nequit sistere in nobis. Ergo non est amor benevolentiae. *Respondeo* relationem amoris in ultimum finem talem esse ut non excludat verum amorem benevolentiae; ideo amicitia inter homines bona esse potest, ▪quin desinat esse vera amicitia.

Dices iterum: sed Deus nequit moveri ad amorem nisi per bonitatem, quae est in Seipso. Ergo non per bonitatem, quae sit in homine. *Respondeo* in Den non posse poni aliquid quod stricte loquendo moveat Ipsum, quodque non sit Ipse. Sed tota tendentia illius amoris, quo Deus amat, non sistit in termino amato, id est in nobis, quos utique bonos et amabiles facit suo amore divino <cf. I,BNNBκζ, 422-424).

Propter has et propter alias considerationes verum est amicitiam nostram eum Deo non esse in omnibus similem amicitiis humanis; quia humana amicitia semper est inter aequales. Et ideo Scotus hanc divinam amicitiam vocat "superamicitiam" *(Opus Oxonicnse* 3 d.27 q.un. n.20).

31 De amicitia hominis erga Deum, quae est in caritate, cf. T.Kbli.kr, *Dc virtute caritatis ut amicitia quadam divina:* XenThom 2 (1925) 233-276; qui articulus denuo editus est lingua gallica cum additionibus: *La charité comme amitié d'après Saint Thomas:* RevThom 34 (1929) 446-475.

gratia, *conc. min.;* est servus tantum, *nego min. Pariter dist. cons.* Nequit dari amicitia aequalitatis, *conc. cons.;* superexcellentiac, *nego cons.*

ARTICULUS II

De motivo caritatis theologicae

Thesis 18. Motivum caritatis theologicae est bonitas Dei in quantum est obiectum beatitudinis.

S.Th., *2.2* q.23 n.4; LxmnSRZ, 427-442.526-530; PiæCH, 537-552.576-5.

229. Nexus. Vidimus actum caritatis esse actum amoris amicitiae erga Deum. Unde sequeretur motivum illius esse bonitatem Dei absolutam. Sed quia haec divina amicitia non in omnibus convenit cum amicitia humana, investigandum est proprium eius motivum, in quo quaedam difficultas esse potest.

230. Notiones. Bonitas Dei absoluta, scilicet bonum divinum quatenus in Se et Sibi bonum est. Defendimus ergo actum caritatis esse verum et strictum amorem benevolentiae erga Deum, ac proinde non esse interessatum ex parte motivi. Scilicet in caritate amans non movetur ad amandum a proprio bono (utilitate, commodo), quod in amato et in amando invenire posset.

Excludimus ergo concupiscentiam ex parte motivi determinantis amorem, quae est propria et stricta concupiscentia. Sed non excludimus desiderium unionis cum amato; quod desiderium includitur in omni amicitia[1].

Notandum praeterea est, nos quaerere de motivo, quod *psychologice* influit in voluntatem ut ponat actum caritatis; et in hoc sensu excludimus quodlibet motivum interessatum. Alia quaestio est, utrum *ontologice* impossibilis sit amor quilibet in creatis nisi obiectum amatum non solum sit in se bonum, sed sit etiam bonum amanti; quod sane affirmandum est, cum secus non daretur ratio sufficiens illius amoris. Non posset ergo voluntas tendere in Deum amore sive concupiscentiae sive benevolentiae, nisi in hac tendentia inveniret ontologice proprium suum bonum et perfectionem. Sed hoc posito tanquam *condicione ontologica,* voluntas potest psychologice ferri in Deum ut bonus est in Scipso, quin *moveatur*

1 Aliud est desiderium possessionis Dei (et hoc fit a spe), ct aliud est desiderium unionis cum Deo (et hoc fit a caritate). Cf. de hac quaestione J.DB GuibErt, *Charité parfaite et désir de Dieu:* RevAacMyst 7 (1926) 225-250; J.dk Vrîf.s, *Der Aht der Gottesliebe nach der Lehre des hi,Tomas:* ZAszMyst 5 (1930) 17-34.

psychologice a propria utilitate, quae in illo ipso ainore inveniatur de facto pro ipsa voluntate2.

231. In quantum est obiectum beatitudinis. Scilicet in bonitate absoluta Dei est quaedam specialis amabilitas in quantum transcendit totum ordinem naturalem, sicque vere est Pater noster caelestis. Deus ergo ut obiectum beatitudinis, non intelligitur in quantum nobis bonus est, sed in ea bonitate sua qua fruemur in beatitudine supernaturali. Quia haec bcatitudo exprimit intrinsecam vitam Dei, Deus ita intellectus concipitur maxime sub intrinseca et absoluta sua bonitate.

Ergo per verba *bonitas Dei absoluta* determinamus motivum caritatis in quantum est verus amor benevolentiae; per verba *in quantum est obiectum beatitudinis,* determinamus motivum caritatis in quantum est amor amicitiae, aliquid addens supra amorem benevolentiae.

232. Adversarii. Bolgeni tenuit amorem benevolentiae non interessatum erga Deum esse impossibilem; sed hominem in amando semper quaerere proprium bonums.

Valor theologicus. *Communis et certa.*

233. Probatur ex S'aéra Scriptura. Iuxta Scripturam homo potest amare alium amore mon interessato propter bonitatem absolutam illius. Ergo etiam sic potest amare Deum. Atqui iuxta Scripturam caritas nostra debet esse summus amor Dei. Ergo caritas est amor non interessatus propter bonitatem Dei absolutam.

Antec.: a) Christus docet quousque se extendat verus

3 Dc duplici tendentia in ipsa caritate, "physica" ct "cxstatica", plura recenter scripta sunt. Cf. P.Rousseiot, *Pour l'histoire du problème de l'amour au moyen âge* (Munster 1908); K.EgentEr. *Gottesfreundschaft. Die Lehre der Gottesfreundschaft* ûi *der Scholastik und Mystik des 12. und 13.Jahrhunderts* (Augsburg 1928): *Die Idée der Gottesfreundschaft im vi-crschntcn Jahrhundert:* Aus der Geistcswelt der Mittelalter 2,1021-1036; R.Garricou-Lacranc.E, *Lc problème de l'amour pur et la solution de Saint Thomas:* Ang 6 (1929) 83-124; *De am'ore puro secundum S.Thomae principia:* Ang 7 (1930) 3-16; H.D.Simonin, *Autour de la solution thomiste du problème de l'amour:* ArchHistDoctrIJttMA 6 (1931) 174-276; L.B.Gillon, *Genèse dc la théorie thomiste de l'amour:* RevThom 46 (1946) 322-329; L.von Rudûoff, *St.Thomas über die Licbc:* DivThom (Fr) 11 (1933) 344-351; F.Zicon, *Der Bcgriff der caritas beim Loinharden und dem hi.Thomas:* DivThotn (Fr) 4 (1926) 404-424; J.Stufler, *Petrus Lombardus und Tomas von Aquin Über die Natur der caritas:* ZkathTh 51 (1927) 399-408; J.Kaup^ *Die theologische Tugcnd der Licbc nach der Lehre des hl.Bonavcntura* (Munster 1927); J.Klein, *Die Charitaslchrc des Johannes Duns Scotus* (Munster 1926); *Nochmals die Charitaslchrc des sel. Johannes Duns Skotus:* FranzStud 24 (1937) 87-93; 25 (1938) 259-273; *Die Übcrlcgcnhcit der Charitaslchrc des Johannes Duns Skotus:* FranzStud 16 (1929) 141-155; J.Reuss, *Die theologische Tugcnd der Licbc nach der Lehre des Johannes Duns Scotus:* ZkathTh 58 (1934) 1-39.208-242; *Die theologische Tugend der Liebe nach der Lehre des Richard von Mediavilla:* FranzStud 22 (1935) 11-43.158-198; M.M.Davy, *L'amour de Dieu d'après Guillaume dc Saint-Thierry:* RevScRcl 18 (1938) 319-346; Z.AlszECh.y, *Grundformem der Liebe* (Romac 1946).

' *Della carità o amor di Dio* (Roma 1788) 1,8,68.

amor amicitiae inter homines, scilicet usque ad mortem amantis pro bono amati (Io 15,13), ita ut velit sic nos amare proximum (cf. 1 Io 3,16). Atqui talis amor non est interessatus, sed propter bonitatem absolutam personae amatae. Ergo iuxta Scripturam homo potest amare alium amore non interessato propter bonitatem absolutam illius.

b) Similiter Christus dicit Apostolis eos debere gaudere de bono ipsius Christi, potius quam intueri proprium commodum, si vere Eum amant (Io 14,28). Atqui iterum talis amor non est interessatus. Ergo possibilis erat amor Apostolorum non interessatus erga Christum.

Min. subs.: Praecepto caritatis iubemur amare Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine, seu ex totis viribus (Mt 22,27; Mc 12,30; Ix: 10,27; cf. Deut 6.5). Atqui haec verba significant amorem summum erga Deum. Ergo iuxta Scripturam caritas nostra debet esse summus amor Dei.

234. Probatur ex traditione, *a)* Designant SS.Patres motivum caritatis erga Deum his formulis: non propter ea quae donat, sed propter naturam sui et ante donationes [4]; quia vere est amabilis[6]; propter suam pulchritudinem [6]; propter suam bonitatem [7]; quia est in Se bonus [8].

b) Bonum proprium non quaerere, dicunt esse habere amorem amicitiae et caritatem[0]; bono coniungi propter ipsum bonum [30]; bonum colere et amplecti propter se[31]; bona solo bonitatis affectu operari [12]; frui Deo propter Seipsum [3S].

c) Loquuntur de tribus viis seu statibus vitae spiritualis, in quibus praevalet timor, spes, caritas; ubi docent caritatem non quaerere propriam mercedem: sic Clemens Alexandrinus[34], S.Basilius [16], S.GkEgorius Nazianzenus [30], S.Gregorius Nyssenus[37], Eusebius Emyssenus[38], S.Io.Chry-

* Eusebius, *Dc eo quod ait Dominus, non veni pacem mittere:* MG 24,1171.
s Ci.EmEns Alexandr., *Stromata* 4,22: MG 8,1356.
•S.Basilius, *Regulae jusi-us tractatae* 2,1: MG 31,909; S.Augustinus, *C"«-fessiones* 7,17: ML 32,714; ThEodorETUS, *De divina caritate:* MG 82,1517; S.Maximus, *De caritate* 1,19: MG 90,964.
' Cassianus, *Collationes* 21.15: ML 49,1191.
s S.Augustinus, *Enarrationes in Psalmos* 79,14: MI, 36,1028.
“ S.Ambrosius, *Epistolae* 37,23: ML 16,1090.
“° S.Gregorius Nae., *Contra lulianum* hom.4,60: MG 35,582.
” S.Gregorius Naz., *Orationes* 36,9: MG 36,276.
13 Cassianus, *Collationes* 11,6: M.L 49,852.
” S.Augustinus, *De doctrina Christiana* 3.10,16: ML 34,72.
M *Stromata* 4,18: MG 8,1320.
” *Regulae fusius tractatae* prol.3: MG 31,896.
,e *Honfilia in' Sanctum Baptisma* 13: MG 36.373.
n *Hotnilia 1 In Cantica:* MG 44,765.
TA *Opusculum* 6: MG 24,1174.

SOSTOMUS 19, IULIANUS POMERIUS 20, S.HIERONYMUS 21, CASSIANUS 22.

d) Per eundem amorem non interessatum explicant etiam verba S.Pauli Rom 9,3: sic Clemens Alexandrinus 23, S.Gregorius Nazianzenus 24, S.Augustinus 25, S.Io.Chrysostomus 26, Isidorus Pelusiota 27, Cassianus 28, Victor Vitensis 29, Theophylactus 30, Oecumenius 31, Theodoretus 32 et alii similiter 33.

235. Ratio theologica, *a)* Actus caritatis est supremus actus quo homo potest amare Deum. Atqui supremus amor Dei debet esse propter bonitatem Dei absolutam. Ergo motivum actus caritatis est *bonitas Dei absoluta.*

b) Actus caritatis est amor amicitiae. Ergo specificari debet ex motivo specificante amicitiam. Atqui motivum specificans amicitiam desumitur ex fundamento amicitiae, id est ex diversa "communicatione", quae in casu est communis possessio eiusdem beatitudinis divinae. Ergo motivum caritatis est bonitas Dei absoluta, *prout est obiectum beatitudinis.*

Nota non esse eundem amorem benevolentiae hominis erga non amicum et amicorum inter se; immo neque inter duos amicos atque inter filium et patrem, aut inter sponsos. Deus utique amari potest naturaliter amore *benevolentiae* (cf. 2.2 q.23 a.3) 34; sed ille amor, etiam in sua tendentia psychologica differt ab amore caritatis, ideo praecise quia non est inter amicos, aut inter filium et patrem. Attamen amor Dei supernaturalis, exsistens inter iustum et Deum, est verus amor *amicitiae,* verus amor filii erga Patrem, cuius motivum nequit iam esse bonitas absoluta Dei simpliciter sumpta (neque enim

19 *In Ioannem* hom.77,4: MG 59,418.
20 *De vita contemplativa* 3,11-13: ML 59,490-493.
21 *Epistolae* 21,14: ML 22,386.
22 *Collationes* 11,6: ML 49,852.
23 *Stromata* 4,22: MG 8,1348.
24 *Orationes* 2,55: MG 35,465.
25 *In Psalmum* 68,2,13: ML 36,859.
26 *Stagyrum* 3,11: MG 47,488.
27 *Liber 2 epistolarum* 58: MG 78,500.
28 *Collationes* 9,18: ML 49,7903.
29 *De persecutione vandalica* 5,4: ML 58,244.
30 *In epistolam ad Romanos:* MG 124,457.460.
31 *In epistolam ad Romanos:* MG 124,496s.1224.
32 *In epistolam ad Romanos* 8,38s: MG 82,148.
33 Cf. J.Farges-M.Viller, *La charité cites les Pères:* DSpir 2,433-438.
34 Amorem naturalem Dei propter Eius bonitatem absolutam lumine rationis cognitam, admittunt generatim theologi. De quaestionibus connexis cum hoc amore, cf. E.Neveut, *Est-il possible au pécheur, tant qu'il demeure dans son péché, d'avoir pour Dieu un simple amour de bienveillance!:* DivThom (Pi) 32 (1929) 162-166; H.D.Simonin, *La doctrine de l'amour naturel de Dieu d'après le Bienheureux Albert le Grand:* RevThom 36 (1931) 361-370; F.Stegmueller, *Robert Kihvard. O.P., über die Mbglichkeit der natürlichen Gottesliebe:* DivThom (Pi) 12 (1935) 306-319.

cam simpliciter attingi potest a filio erga patrem), sed prout est bonitas Patris sui caelestis, infinite in Se amabilis.

236. Obiectiones. 1. Iuxta SS.Patres actus caritatis includit desiderium et concupiscentiam Dei. Ergo motivum eius est interessatum.

Dist. antec. Desiderium et concupiscentiam unionis amicalis cum Deo, *conc. antec.;* possessionis Dei propter bonum amantis, *nego antec.*

2. Sed voluntas nequit amare nisi bonum suum. Ergo omnis amor humanus est interessatus.

Dist. antec. Nisi id quod est bonum suum, *conc. antec.;* msi ideo quia est bonum suum, *subdist.:* ontologice, *conc.;* psychologice, *nego.*

3. S.Scriptura semper proponit nobis Deum amandum tanquam bonum nostrum, benefactorem nostrum, fortitudinem nostram, beatitudinem nostram. Ergo Scriptura ignorat amorem erga Deum non interessatum.

Resp. 1° Nego antec., ex nostro argumento Scripturae.

Rcsp. 2° Dist. antec. Ita ut Deus, bonum, benefactor, fortitudo et beatitudo nostra possit adhuc amari propter bonitatem suam absolutam, quae in his omnibus relucet, *conc. antec.;* ita ut debeat amari necessario propter illud commodum nostrum, *nego antec.*

4. Deus ut obiectum beatitudinis est motivum spei. Ergo nequit esse motivum caritatis.

Dist. antec. Deus ut obiectum beatitudinis, id est Deus quia est nostra beatitudo, *conc. antec.;* Deus quia est bonus in Sc illa bonitate quae erit obiectum nostrae beatitudinis, *nego antec. Pariter dist. cons.*

5. Caritas est amor hominis erga Deum. Atqui de notione cuiuscumque amoris est ut feratur in proprium bonum amantis. Ergo etiam caritas debet ferri in Deum, proprium bonum hominis. Ergo motivum caritatis est bonitas Dei relativa.

Resp. l.° Si hoc aliquid probaret, probaret similiter impossibilitatem amoris benevolentiae non solum erga Deum, sed etiam inter homines; quod patet esse falsum.

Resp. 2° Dist. mai. Est amor benevolentiae erga Deum, *conc. mai.;* amor concupiscentiae, *nego mai. Dist. etiam min.* De notione cuiuscumque amoris est ut feratur in id quod ontologice est propter bonum amantis, *conc. min.;* ut feratur in proprium bonum amantis psychologice in quantum est tale, *nego min. Pariter dist. primum cons.* Caritas debet ferri in Deum, qui ontologice sit proprium bonum hominis, *conc. cons.;* debet ferri psychologice in Deum prout est proprium bonum hominis, *subdist.:* si caritas esset amor concupiscentiae, *conc. cons.;* si est amor benevolentiae, *nego cons.*

6. Amor amicitiae essentialiter importat velle bonum amico. Atqui Deo bonum velle non possumus, cum nullo bono careat. Ergo non possumus amare Deum amore amicitiae.

Dist. mai. Velle bonum amico, id est desiderare illi ut habeat bonum quod non habet, vel gaudere de bono quod habet, *conc. mai.;* velle amico bonum, id est tantum ei desiderare bonum quod non habet, *nego mai. Contradist. min.* Non possumus desiderare Deo bonum quod non habet, *conc. min.;* non possumus gaudere de bono quod Deus habet, *nego min.*

237. Scholion. *De bonitate Dei absoluta, relucente in singulis divinis attributis.* Quaeritur a theologis, utrum requiratur ad motivum caritatis bonitas Dei absoluta, prout essentiam divinam et omnia attributa complectitur; an sufficiat bonitas quae in uno aut altero attributo relucet, sic v.gr. in sapientia. Theologi diversimode locuti sunt. Sed videtur dicendum, sufficere ad motivum caritatis quamlibet bonitatem absolutam Dei, etiam quae habetur in singulis attributis. Bonitas enim cuiuscumque attributi divini, utpote infinita et divina, et est bonitas Dei et est bonitas Eius absoluta, non relativa. Unde sufficit tanquam motivum caritatis etiam bonitas *absoluta,* quae relucet etiam in attributis relativis Dei, v.gr. in Eius misericordia aut in beneficentia divina. Ipsa enim non minus absoluta est, aut minus divina, quam bonitas cuiuscumque alius attributi. Atque sic per considerationem beneficiorum Dei introducimur in veram caritatem ; non sistendo in hoc quod Deus fuit bonus mihi (unde sequeretur sola gratitudo, quae non est virtus theologica), sed progrediendo usque ad considerationem summae et absolutae Illius benignitatis, qua in Se infinite bonus est, cuius signa et indicia habentur in Eius beneficiis (cf. 2.2 q,106 a.5) ®.

ARTICULUS III

De OBIECTO MATERIALI caritatis theologicae

Thesis 19. Obiectum materiale caritatis theologicae praeter Deum, est omnis creatura intellectualis beatitudinis capax.

S.Th., *2.2* q.25; LsssKjiz, 531-558; Pesch, 601-621; Βεκλζλ, 1208-1251.

238. Nexus. Investigata natura intima actus caritatis ex eius tendentia psychologica et ex eius motivo specificante, restat ut quaeramus quaenam sint obiecta circa quae talis actus caritatis exerceri possit.

239. Notiones. Praeter Deum. Evidenter Deus ipse debet esse obiectum actus caritatis, et quidem obiectum primarium. Neque in hoc potest esse difficultas. In eo enim primo et per se datur motivum specificum huius amoris. Ideo de hoc nulla est quaestio. Sed tota quaestio est, utrum *praeterea* sit aliquod aliud obiectum caritatis theologicae, licet sit secundarium. Et hoc affirmamus.

Omnis creatura intellectualis beatitudinis capax, scilicet omnes homines viatores, animae in purgatorio detentae, sancti et angeli in caelo.

Obiectum materiale, scilicet id circa quod versari potest actus caritatis, seu id quod amore caritatis stricte dicto ama-

" Cf. LrsxSRZ, 441s; Pesch, 553-564; Βεκαζλ. 1188-1102; F.Hatueve», *Die Lchre .l.K hl.Thomas üher .lie Gottcsliebe:* ZkathTh 4-1 (1020) 78-105.222-241.

ri potest. Cum autem dixerimus caritatem esse amorem amicitiae et eius motivum esse bonitatem Dei absolutam in quantum est obiectum beatitudinis, thesis nostra nunc talis est: creatura intellectualis, capax beatitudinis, potest amari amore amicitiae propter bonitatem absolutam Dei in quantum Deus est beatitudinis obiectum. »

Dico semper *potest* amari hoc amore. Non enim agimus directe de obligatione amandi sic proximum, neque de possibilitate aut impossibilitate amandi proximum alio amore supernatural!, qui non sit amor caritatis stricte dictae et amicitiae divinae. Patet tandem nos agere de ipso actu amoris erga proximum, elicito a voluntate propter motivum caritatis stricte dictae, non de *habitu,* a quo hic actus eliciatur; qui evidenter elicitur ab habitu caritatis, si est verus actus caritatis stricte dictae, sed non e converso.

240. Valor theologicus. Aliquis nexus intrinsecus inter caritatem erga Deum et amorem proximi, est *de fide divina ex S.Scriptura et traditione.* Proximum posse amari ex eodem habitu caritatis theologicae quo amamus Deum, est *sententia communis et certa.* Posse amari per actum, qui habeat idem motivum ac habet actus caritatis erga Deum, est *sententia probabiliorl2*

241. Probatur ex sacra Scriptura, *a)* Datur intimus nexus inter caritatem Dei et caritatem proximi: 1 Io 4,7-13.

b) Ita ut ex una ad aliam argui possit: 1 Io 4,19-21 ; 5,2.

c) Hic nexus intimus fundatur in mutuis relationibus eiusdem familiae divinae (non solum in voluntate servandi mandata): 1 Io 5,1.

d) Ideo licet permixtim loqui de caritate Dei et de caritate proximi: 1 Cor 13,13.

e) Ideo etiam caritas erga proximum potest esse signum certum adhaesionis ad Christum per fidem et caritatem: Io 13,35.

242. Probatur ex traditione. 1) *SS.Patres: a)* Docent *unionem* intrinsecam *inter amorem Dei et proximi:* non alia caritate diligi proximum, quam illa qua diligitur Deus5; qui Deum diligit omnino etiam proximum diligit3; qui amorem proximi negligit, amorem etiam Dei ncgligit, et vicis-

' Non omnes auctores dant huic thesi eundem valorem theologicum; cf. Blraza, 1214 (de fide); Pesch, 601 (theologice certa). Sed haec distinctio, quam exscripsimus ex LennErz, 550s, melius et accuratius rem definire videtur.
2 S.Augustinus, *Serrn.* ML 38,1223.
' S.Maximus, *De caritate* 1,23: MG 90,965.

sim 4; ille Patrem non amat, qui filium non amat quem Pater amat5*; qui proximum non diligit, inter filios Dei non computabitur β; qui magnam caritatem erga Deum habet, amat fratres suos spiritualiter'; per amorem Dei amor proximi gignitur et per amorem proximi amor Dei nutritur 8*; amor Dei et amor proximi «mutuo uniuntur, sicut contemplatio et actio ®.

b) Docent amorem proximi esse *signum amoris Dei:* sicut per amorem Dei amor fit proximi, sic per amorem proximi amor ostenditur Dei10; Deum invisibilem non videmus, sed viam invenimus erga Deum in suis servis 11; 12vera caritas erga proximum invenitur tantum in discipulis Christi15; caritas erga proximum est signum veri christiani et veri christianismi M.

c) Docent *motivum* amoris proximi *esse ipsum Deum:* caritas vera est cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus14; proximus debet amari propter Deum1S, in Iesu Christo16; proximi amentur ut membra corporis mystici Christi17*; et alia plura similia his 1S.

243. 2) *Theologi* posteriores omnes docent *unitatem virtutis caritatis.* Immo etiam *actum* caritatis erga proximum generatim reducunt ad caritatem. Hoc tamen diversimode explicant, nec semper ita ut ipsum sit motivum caritatis erga Deum et caritatis erga proximum. En aliquae explicationes: Magister Sententiarum docet: "qui amat homines, vel quia iusti sunt vel ut iusti sint amare debet; hoc est in Deo et propter Deum"19. S.Bonaventura explicat: quia amare est velle bonum et caritas non vult nisi unicum bonum, scilicet bonum divinum, "secundum quod optat illud proximo, sic dicitur diligere proximum"20. Et alibi: "cum caritas sit pondus inclinans ad summum Bonum et perfectam beatitudinem, omne

4 *Liber de perfectione spirituali* 11: MG 34,849.
5 S.Io.Chrysostomus, *Zn 1 Cor* hom.32,6: MG 61,272.
rt S.Leo M., *Serm.* 49,6: MX, 54,305.
' Diadochus, *Dc perfectione spirituali* 15: MG 65,1162.
8 S.Gregorius M., *Moralia* 7,24: ML 75,780.
v ThEodoretus, *In epistolam ad Romanos* 13: MG 82,196s.
10 S.Isidorus, *Differentiae* 2,143: ML 83,02.
11 S.Gregorius M., *In Evangclia* hom.30,10: ML *76,1226s.*
12 S.Maximus, *Dc caritate* 4,100: MG 90,1073.
13 S.Io.Chrysostomus *In 1 Cor* 32,8: MG 61,275.
14 S.Gregorius M., *In Evangclia* hom.38,11: MI, 76,1289.
15 S.Maximus, *Dc caritate* 249: MG 90,985.
10 S.Ignatius, *Ad Magnesios* 6,2: MG 5,667.
K Tertullianus, *De poenitentia* 10: MI, 1,1245; S.Hilarius, *In Psalmum* 118: MI, 9,637; S.Ambrosius, *In Psalmum* 118,8,53: ML 15,1317.
38 Cf. J.Farges-M.VilIEr, *La charité chez les Peres:* DSpir 2,564-266.
» 3 d.27 c.5.
» *In 3* d.27 a.1 q.2.

illud facit diligere quod est beatum vel beatificabile"[21]. S.Thomas dicit: "proximus caritate diligitur, quia in eo est Deus vel ut in eo sit Deus"[22]. Scotus paulo aliter: "diligo me et proximum ex caritate, volendo mihi et sibi velle et per dilectionem habere Deum in se" Saeculis XIV-XV in multis auctoribus praevalet formula: obiectum caritatis est Deus et omnia quae Deus vult ut amentur. Sic Petrus de Allia'00, Gabriel Biel, alii[24].

244. Ratio theologica. Omne id est obiectum materiale caritatis, in quo inveniri potest ratio bonitatis Dei absolutae ut est obiectum beatitudinis. Atqui haec invenitur in omni creatura intellectuali beatitudinis capace. Ergo obiectum materiale secundarium caritatis est creatura intellectualis beatitudinis capax.

Min.: Quaelibet talis intellectualis creatura habet communicationem beatitudinis (quae fundamentum est amicitiae) aut perfecte, aut imperfecte, aut in ordinatione et destinatione divina. Cf. 2.2 q.25 a.12 et a.6.

245. Obiectiones. 1. Nihil amatur nisi propter suam bonitatem. Atqui creatura non est bona bonitate Dei ut Patris. Ergo creatura nequit amari propter bonitatem Dei ut Patris.

Dist. mai. Propter suam bonitatem, qua in suo esse constituitur, vel qua supernaturaliter particeps fit bonitatis divinae, *conc. ntai.;* solum propter bonitatem qua in suo esse constituitur, *nego mai. Contradist. min.* Creatura non est bona, id est non constituitur in suo esse bonitate Dei ut Patris, *conc. min.;* non est bona, id est supematuraliter non fit particeps bonitatis Dei ut Patris, *nego min.*

2. Cultus latriae, quo Deum colimus, specifice differt a cultu duliae, quo Sanctos colimus, etiamsi colamus Sanctos propter Deum. Ergo a pari, caritas, qua Deum diligimus, specifice differt a caritate, qua diligimus proximum, etsi proximum diligamus propter Deum.

Nego parit. Motivum internum in cultu latriae et in cultu duliac specifice differunt. Ideo etiam differunt hi duo cultus essentialiter. Sed in caritate erga Deum et in caritate erga proximum, motivum est unum idemque, ut in thesi explicatum fuit. Ideo sunt actus unius eiusdemque virtutis theologicae".

246. Scholion 1. *De amore suiipsius ex caritate.* Ex dictis patet, posse nos diligere nosmetipsos vero amore caritatis. In quantum enim sumus capaces beatitudinis, eamque iam inchoatam habemus, est in nobis aliquid bonitatis Dei, ut Patris. Si ergo nos diligimus propter hanc bonitatem, motivum illius actus est verum motivum caritatis. Immo etiam proprium nostrum corpus ex eodem

31 *In 3* d.28 a.un. q.4. De S.Bonarventura, cf. I.Kaupp, *Die thcologische Tugend dcr Liebe nach der Lehre des hl.Bonaventiira* (Miünstcr 1927) 61.

22 *Quaestiones Disputatae, de caritate* a.4; cf. 2.2 q.25 a.l.

23 *In 3* d.28 q.un. a.2.

Cf. E.VansteenbEhghE, *Charité. Les auteurs séculiers du XIVe et du XVe siècle:* DSpir 2,598s.

35 Aliae obiectiones apud Beraza, 122Iss.

amore diligere possumus. Est enim et ipsum capax beatitudinis per redundantiam, sicuti est quoque instrumentum eiusdem beatitudinis acquirendae. Nec obstat ratio alteritatis, quae necessaria videtur esse in amicitia; non enim habetur amicitia ad seipsum. Nam erga nosmetipsos habemus “aliquid maius amicitia”. Amicitia quippe unionem importat; ad nosmetipsos autem habemus unitatem, quae maior est unione. Cf. 2.2 q.25 a.4s.

247. Scholion 2. *De amore proximi ob ipsius bona creata supernaturalia.* Quaeritur inter theologos, utrum actus amoris proximi propter bona gratiae, quae in illo sunt, sit verus actus caritatis theologicae ct amicitiae supernaturalis. Et quidem utrumque affirmandum videtur, cum ratio motiva illius amoris non sit nisi inchoativa communicatio beatitudinis supernaturalis, in qua reponitur fundamentum amicitiae et caritatis".

248. Scholion 3. *De amore aliarum creaturarum ex caritate.* Creaturas etiam irrationales posse amari amore caritatis sic explicat S.Thomas; “Per amicitiam amatur uno quidem modo, amicus ad quem amicitia habetur; et alio modo, bona quae amico optantur. Primo ergo modo nulla creatura irrationalis potest ex caritate amari... Possunt tamen ex caritate diligi creaturae irrationales, sicut bona quae aliis volumus: in quantum scilicet ex caritate volumus eas conservari ad honorem Dei et utilitatem hominum. Et sic etiam ex caritate Deus eas diligit” (2.2 q.25 a.3).

249. Scholion 4. *De ordine caritatis.* Quia motivum caritatis invenitur per prius et principaliter in ipso Deo, in quo habetur bonitas absoluta Ipsius, ut est obiectum beatitudinis, et deinde secundario et diverso modo invenitur in his, qui sunt capaces eiusdem beatitudinis, stabiliendus est ordo in caritate. Quo in ordine Deus est principaliter et maxime ex caritate diligendus; diligitur enim sicut causa beatitudinis. Ceteri vero postea, sicut beatitudinem participantes.

Sed inter omnes participantes beatitudinem datur etiam ordo. Homo enim debet seipsum ex caritate magis diligere quam proximum, quia, ut docet S.Thomas. "homo seipsum diligit ex caritate, secundum rationem, qua est particeps praedicti boni; proximus autem diligitur, secundum rationem societatis in isto bono". Potior vero est unitas quam unio. Sed quia consociatio in plena participatione beatitudinis maior est ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, magis diligendus est proximus, quam proprium corpus.

Proximi autem non omnes aequaliter sunt diligendi ex caritate, sed secundum propinquitatem maiorem vel minorem, quam habeant ad Deum et ad nos. Haec et alia plura apud S.Thomam 2.2 q.26.

250. Scholion 5. *De actibus caritatis.* Principalis actus caritatis est dilectio; qui actus “importat quandam unionem secundum affectus amantis ad amatum, in quantum scilicet amans aestimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens”; ideoque differt a mera benevolentia, quia addit supra ipsam affectus unionem. Per hunc actum debemus Deum *totaliter* diligere, iuxta praeceptum caritatis; scilicet, non solum quia *totum,* quod ad Deum pertinet, a nobis est diligendum, sed etiam quia *ex tota nostra pos-*

" Cf. Dtscir., 617ss.

Militate Detis diligendus est et ad Eius amorem omnia nostra sunt ordinanda. Cf. 2.2 q.27.

Ex illo actu dilectionis consequuntur alii actus caritatis, tanquam effectus ipsius. Quorum, docente S.Thoma, alii sunt interni, scilicet gaudium, pax et misericordia (2.2 q.28-30) ; alii externi, scilicet beneficentia, cuius specialis pars est eleemosyna, et huius quoque pars singularis est correctio fraterna (2.2 q.3'1-33).

251. Scholion 6. *De necessitate actus caritatis.* Hunc actum non esse necessarium ad iustificationem, nisi haec sit cxtrasacramentalis, patet ex tractatu de sacramentis. Sed actus caritatis est maxime necessarius ad salutem necessitate medii, utpote qui constituat veram et intrinsecam tendentiam in finem ultimum. Datur praeterea primum et maximum praeceptum dc actu caritatis (Mt 22,37s); quod praeceptum obligat ad eliciendum actum caritatis (D 1101), etiam extra necessitatem Justificationis obtinendae per ipsum (D 1157), non semel (D 1155), sed saepius quam singulis quinquenniis (D 1156)”.

EPILOGUS

252. Ex his quae de actibus fidei, spei et caritatis diximus, facile apparet quo sensu hae virtutes sint vere virtutes theologicae. Habent quippe Deum tanquam motivum et tanquam obiectum materiale primarium seu principale.

Fides enim non credit nisi propter auctoritatem Dei revelantis, prout haec auctoritas exsistit in seipsa. Nec credit nisi quae a Deo dicta sunt, inter quae eminent ea quae de ipso Deo revelantur. *Credit ergo Deum Deo* 28.

Spes rursus non sperat nisi ipsum Deum in suo obiecto primario. Nec ab aliquo alio sperat nisi ab ipso Deo Eiusque auxiliatrice virtute. *Sperat ergo Deum a Deo.*

Caritas tandem Deum habet tanquam obiectum primarium et principale. Hunc autem non amat nisi propter ipsum Deum. *Amat ergo Deum propter Deum.*

” Cf. LsnnXkz, 569.

a Cf. M.M.LabourMTte, *La vic thcoloyale scion sain! Thomas:* RevThom 58 (1958) 597-622.

INDEX LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

N. 8·—Ntutnert romani *tt aetatum* designant, arabici autem numeros *marginales.*

INDEX NOMINUM

N. B.—Numeri romani *tractatum* designant, arabici autem numeros *marginales*.

INDEX RERUM

N. B.—Numeri romani *tractatum* designant, arabici aatem numeros *marginales.*

EDITIO QUARTA HUIUS VOLUMINIS, TERTII IN COL-
LECTIONE "SACRAE THEOLOGIAE SUMMA", SUMP-
TIBUS "BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS"
AC TYPIS "RIVADENEYRA, S. A.", FELI-
CITER, DEO DANTE, EXPLICIT DIE
DECIMO AUCUSTI, IN FESTO
S. LAURENTII MARTYRIS,
ANNO MCMLXI

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

ÿOUJMENlîS PUBL1CAD0S

1 SAGRADA BIBLIA, de NXcar-Colunga (11.· ed.).—110 tela, 130 plâstico.
2 SUMA POETICA, por Psmân y Herrero García (*2. ed.). (Agotada.)
3 OBRAS COMPLETAS DE FRAY LUIS DE LEON (3.tt ed.).—135 tela, 180 piel.
4 SAN FRANCISCO DE ASIS. *Escritos completos, Biografias* y *Florecillas* (3.tt ed.).—75 tela, 120 piel.
5 HISTORIAS DE LA CONTRARREFORMA, por RivajdbnEyra. (Agotada.)
β OBRAS DE SAN BUENAVENTURA (6 v.). Tomo i: *Introducciôn. Brevi loquio. itinerario de la mente a Dios. Reducciôn de las ciendas a la Tcologia. Cristo, maestro unico dc todos. Exedenda dei magisterio de Cristo* (*2. ed.).—80 tela, 125 piel.
9 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. T. n: *Jesucristo* (2.· ed.).—85 tela, 130 piel.
19 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. T. m: *Camino de la sabiduria* (2.· ed.).—85 tela, 130 piel.
28 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. T. iv: *Tcologia mistica.—AS* tela, .90 piel.
80 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. T. v: *Santisima Trinidad. Dones y preceptos.*—40 tela, 85 piel.
49 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. T. vi y ùltimo: *De la pcrfecciôn evangélica.*—50 tela, 95 piel.
7 COD1GO DE DERECHO CANONICO Y LEGISLACION COMPLEMENTARIA (6.· ed.).—110 tela, 155 piel.
8 TRATADO DE LA VIRGEN SANTISIMA, de Alastrusy (4.· ed.).—80 tela, 125 piel.
10 OBRAS DE SAN AGUSTIN (17 v.), Ed. bilingue dirigida por el P. Félix García, O.S.A. T. i: *Vida de San Augustini,* por Posidio. *Primeras escritos. Introducciôn general a San Agustin, por V.* Capânaga, O.R.S.A. (3.· ed.).—85 tela, 130 piel.
11 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. n: *Confesioncs* (*3. ed.).—75 tela, 120 piel.
21 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. ni: *Obras filosôficas.*—65 tela, 110 piel.
80 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. iv: *Obras apologâticas.*—70 tela, 115 piel.
39 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. v: *Tratado de la Santisim'a Trinidad* (2.· ed.).—80 tela, 125 piel.
50 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. vi: *Tratados sobre la gracia* (2.· ed.).—80 tela, 125 piel.
53 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. vu: *Sermones* (2.· ed.).—95 tela, 140 piel.
09 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. vui: *Carias.*—85 tela, 130 piel.
70 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. XX: *Tratados sobre la gracia* (2.°).—60 tela, 105 piel.
95 OBRAS DE SAN AGUSTIN, T. x: *Homdias.*—70 tela·, 115 piel.
99 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xi: *Carias* (2.°).—70 tela, 115 piel.
121 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xix: *Tratados morales.*—75 tela, 120 piel.
139 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xm: *Tratados sobre cl Evangclio dc San Juan* (1-35).—75 tela, 120 piel.
105 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xtv: *Sobre cl Uvangclio de San Juan* (36-124).—95 tela, 140 piel
168 OBRAS DE SAN AGUSTIN, T. xv: *Tratados escriturarios.*—115 tela, 160 piel.
171-172 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xvi-xvu: *I.a Ciudad de Dios.* 130 tela, 175 piel.
187 OBRAS DE SAN AGUSTIN. T. xvxxx y i'i.timo: *Hvpo»·. ·<iη de las Epistolas a los Romanos y a los Gâlatas. Indice general ils >omcplos de los 18 volnmenes.*—80 tela, 125 piel.
12-13 OBRAS COMPLETAS DE DONOSO CORTES. (Agotada.)
14 BIBLIA VULGATA LATINA (3.· ed.).—125 tela, 170 pid.